I. N. J.

# D. ABRAHAMI CALOVII BIBLIA ILLUSTRATA VET. TESTAMENTI.

# TOMUS III.

COMPLECTENS

## ANNOTATA

*AD*

TOBIAM.

JUDITHEM.

ESTHERIS ADDITAMENTA.

LIBRUM SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICUM SIVE SAPIENTIAM JESU FILII SIRACH.

LIBRUM BARUCH ET EPISTOLAM QUÆ DICITUR JEREMIÆ ADJECTA AD DANIELEM.

MACCABAICUM I.

MACCABAICUM II.

MACCABAICUM III.

I. N. J.

# ANNOTATA AD LIBROS QUI SUNT EXTRA CANONEM HEBRÆUM.

## PRÆLOQUIUM.

QUi extra *Ebræum Canonem* sunt, ad *Canonem Scripturæ Sacræ* divinitus inspiratæ non pertinent; Non enim aliunde *Canonem Christiani* agnoscunt, aut agnoscere possunt, nisi quem ab Ebræis acceperunt, quorum Canonem Christus ipse approbavit, quoties ad eum nos remisit. Sed de eo adversus *Concilium Tridentinum* diximus in Critico Sacro, & in System. Theol. Tom. 1. Non attinet hæc repetere. Ob *Grotium* tamen, non hic quidem, sed in Annotatis ad Consultationem Cassandricam Papizantem, vel Papistas conciliare nobiscum satagentem pauca adjicienda. *Veteris*, inquit, *Testamenti libros, quos Canonicos agnoscunt Protestantes, qui hac in re Judæos, & Athanasium, Cyprianum, & maxime Hieronymum, ferme & Concilium Laodicense, eosdem Catholici agnoscunt. Catholici ex decretis tum Florentinæ tum Tridentinæ Synodi addunt libros Tobiæ, Judith, Maccabæorum, Baruch, Ecclesiasticum, & Sapientiæ.* Non Ecclesia tantum Ebræorum, cui τὰ λόγια & Θεὸς credita fuere, *Rom. III. 2.* sequimur, & privatos quosdam Doctores Christianos, aut paucos illos, quos recenset Grotius, *Athanasium, Cyprianum, Hieronymum*, sed longe plures *Melitonem* Sardensem, *Originem, Eusebium* Cæsariensem, *Cyrillum* Hierosol. *Basilium M. Greg. Nazianz. Amphilochium*, Epiphanium, *Damascenum*, &c. è Græcis; *Tertullianum, Hilarium, Philastrium*, Afrum &c. inter Latinos; imo Ecclesiam veterem Christianam, de qua *Hieronymus* ita perhibet in præfat. in libr. Salomon. *Judith, Tobiæ, & Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed inter Canonicos Scripturas non recipit.* De Concilio *Laodiceno*, à *Constantinopolitano* VI. confirmato, nobis ἐμφερῶς diximus Critico Sacro p. 257. seqq. Dum ergo alios, quos Catholica Ecclesia seu Canonicos non recepit, Papistæ pro Canonicis in Tridentino Concilio receperunt, in eo certe non sunt habendi Catholici, quia ab Ecclesiæ Catholicæ Canone recesserunt. *Conciliatur* tamen tentat Grotius, imo *dat eam ab Hieronymo* in præfat. ad Proverb. putat; cum ait: *utiles eos esse ad ædificationem plebis, non ad Ecclesiasticorum dogmatum autoritatem confirmandam*, quæ eadem ferme verba *Cajetanus* usurpat: Sed qualis hæc conciliatio? dum enim negatur illis autoritas *ad Ecclesiastica dogmata confirmanda Canonice* esse negantur, quia scilicet non sunt *Canon*, vel *Regula fidei*, negantur libri illi esse divinitus inspirati, & à Deo profecti, quod palam fatetur Grotius: *nimirum non sunt*, inquit, *hi libri à Prophetis aut scripti aut approbati, ut illi, quos Hebræi agnoscunt.* Quomodo ergo locus erit Tridentinis decretis, quibus pro Canonicis habendi decernuntur, & ut divini æque ac cæteri libri sacri suscipiendi. In *Florentini Concilii* decretis nihil de Libris sacris habetur, sed in *Eugenii Commonitorio* ad Armenos, quod vero non publico Concilii, sed privato Eugenii nomine conscriptum est. Conciliationis autem cum Papistis rationem meliorem suggessit Grotio *Rivetus*, ut nempe obtineant, ut *huic suo judicio, quod non fuerint à Prophetis scripti aut approbati* libri illi, de quibus disquiritur, adeoque divinitus inspirati non sint, *subscribant, qui Ecclesiæ Romanæ adhærent, tum in illo articulo inter partes consensum fore.* Quod consilium tantum abest ut amplexus fuerit Grotius, ut eo etiam impietatis prolapsus, quo non facile Papistarum ullus, negarit, *libros omnes, qui in Ebræo Canone sunt, à Spiritu Sancto dictatos esse* — Impietas quo de vid. *Apologeticus Riveti pro vera pace Ecclesiæ p. 222.* imo postremo etiam inficiatus sit, *scripta Historica sacri Codicis talia esse, de quibus dubitare nefas sit*; ut non immerito *miratus* sit *Rivetus* in διαλόγῳ Grotianæ dissensionis p. 483. *Papistas nonnullos qui ex scripto Grotii illius testamentum pro Romana Ecclesia excerpserunt, non vidisse eum contra omnium Pontificiorum sententiam autoritati, & veritati sacrorum librorum detrahere.* Et exclamarit: *Quis Christianus non detestabitur hanc audaciam illius, qui ut librorum à Veteri Ecclesia unanimiter à Canone rejectorum autoritatem labefactet, Canonicorum librorum veritatem & αὐθεντίαν in dubium revocat, & Spiritus Sanctus ductum eis detrahit?*

*Grotius frustra Pontific. cum Protestantibus conciliare conatur quoad libros Apocryphos.*

Qua in parte libros indubitato Canonicos libris jam ob Pontificios nonnullos controversis, ut-ut à veteri Ecclesia è Canone exclusis multum postponit: nam de hisce *in annot. ad Cassandr.* asserit, *Ecclesiam Christianam aut certe magnas ejus partes credidisse, nihil esse in iisdem, quod non cum illis, quos omnes agnoscunt, bene conveniat*; Quod vero quam falsum sit, hæ notæ nostræ docebunt. Quanquam id nihil ad rem faciat, cum de *Canone* quæritur: Siquidem multi sint Scriptorum Ecclesiasticorum libri, qui nihil habeant contra Scripturas Propheticas, & Apostolicas, & cum iis bene conveniant; qui tamen cum non sint scripti Spiritu S. inspirante, sed humana industria & diligentia concinnati, etiamsi nihil non veri continent, inter Canonicos libros non sunt habendi.

Id adhuc circa libros Apocryphos in genere in- *Quando*, quiri possit: *Quando aut à quonam libri Canonici & id quo-*

annexi sint libri Apocryphi Canonicis?

illi connexi fuerint? De quo vero nihil certi definiri potest, cum ne id quidem constet, num *ante Christum*, vel *post tempora Christi & Apostolorum* id demum factum sit: Sunt quidem, qui à LXX. *Interpp.* id factum dicant; Sed quum illi à Judaica Ecclesia missi fuerint, eosdem libros in Ecclesiæ Judaicæ canone non inventos, nec ab Ecclesia Judaica receptos, vel transferre, vel Canonicis adjungere voluisse, nullatenus fit verisimile, quum ne quidem de *Siracide*, etsi apud *Thalmudistas* operosæ de illo concertationes inveniantur, id credendum sit; Siquidem non *Epiphanius* tantum *libr. de ponder. & mensur.* perhibeat, *Siracidem in arca fœderis non fuisse asservatum*, nec proinde *Canonicis* adscriptum; sed & *Thalmudici* in Cod. Sanhedr. c. XI. in Gen. tradant, à *R. Joseph in libro Siracidis legere vetitum esse*, quod tamen ita limitant, vel castigant alii, ut Siracidem *libris extraneis* saltem accenseant, non vero *Biblicis*. Vide Thesaur. Phil. Hotting. p. 523. Alii *Theodotioni* hoc tribuunt, quod libros undique conquisitos in unum volumen cum authenticis conjunxerit, ut versionem suam V. T. magis commendatam redderet, eaq; ratione paulatim autoritatem eorum creviſſe, ajunt, cum sc. illi publice legerentur. Alii hoc adscribunt *Judæis dispersionis*, Hellenistis, de quo *Andr. Rivetus* Isagog. ad Script. S. c. VII. p. 76. *Id autem*, inquit, *apud omnes sanos compertum est, libros omnes illos de quibus controvertitur, cum adjectionibus ad nonnullos canonicos irrepsisse paulatim inter Hellenistas, & conjunctos fuisse cum versionibus Bibliorum, quæ apud illas variis temporibus obtinuerunt. Ideo factâ est illa accessio non in Hebræorum Ecclesia, se apud Judæos dispersionis, studiis hominum hoc aut illud appingentibus religionis specie, & nomen divinum confingentibus, ut sua somnia venditarent, aut certe humana divinis aliqua ex parte adæquarent, licet iis non usa fuerit Ecclesia Hebræorum.* Hæc ille. *Hottingerus* in Syst. Theol. l. I. loc. III. p. 175. hic est τοχαστικὸς, *alios à LXX. Interpp. aut eorum discipulis, alios à Judæis Alexandrinis, aut etiam Theodotione translatos, & cum Canonicis fuisse connexos, tum ad emendationem morum, tum etiam continuationem historiæ, non tamen eadem autoritate fuisse vel commendatos, vel etiam receptos. Nonnullos vel circa vel post tempora Christi contextos eorundem Græcanicorum Judæorum, id est, Hellenistarum commendatione, Christianos denique controversia de libris Canonicis & Apocryphis nondum adeo aperte tentatos eorum lectionem facile admisisse, quanquam cum aliquo discrimine, siquidem in Græca Ecclesia, teste Cyrillo Hierosol. in Catech. non licuerit eos ex ambone seu suggestu Pastorum legere, Latini vero lectionem eorum permiserint ad ædificationem aliquam plebis propter regulas morales & martyrum constantiam.* Sed

An à LXX. Interpp. versi.

ad LXX. Interpp. ullius Apocryphi translationem referendam esse, minime admittendum: quandoquidem illi tantum Scripturas Canonicas, & quas Ecclesia Judaica pro authenticis habebat, à qua illi ad Ptolemæum Regem ideo missi erant, transferre debuerint, ac transtulerint; Illam vero non agnovisse hosce libros pro Canonicis vel è *Josepho l. I. contr. Appion.* constat; ubi *Leonh. Mario* Jesuita proleg. in S. Script. referente, *Josephus* ponit *quinq; libros legales. Prophetico*s XIII. utpote (1.) *Josuam.* (2.) *Judicum, & Ruth.* (3.) *Regum I. & II. seu Samuelis.* (4.) *Melachim.* (5.) *Paralipomenon.* (6.) *Esdram* (cum *Nehemia*; siquidem *Hieron.* in prol. in Esdr. adverterit, *apud Ebræos, Esdræ, Nehemiæq; sermones in unum volumen coarctari*) (7.) *Esther.* (8.) *Job.* (9.) *Esaiam.* (10.) *Jeremiam cum Threnis.* (11.) *Ezechielem.* (12.) *Danielem.* (13.) *Prophetas minores duodecim:* denique *Poeticos, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten & Canticum.* Porro cum dubium sit de plerisque, num alia, quam Græca lingua in originali prodierint, translatione utique opus non fuit. *Ecclesiasticum* sane *Ebraice ab avo Siracidis* in originali scriptum esse è præfatione liquet, Quem vero non *LXX. nec Theodotio*, sed *nepos autoris Jesu* in Græcum sermonem transtulit. *Tobiam & Judith* Chaldaice scriptos esse Hieronymus autor est, sed vel à LXX. Interpp. vel Theodotione in Græcam linguam conversos esse, nullo documento constat. Librum *Baruch* non prodisse alia lingua quam Græca, *Hottingerus* agnoscit; neque dubium facile est de libro *Sapientiæ*, quia primitus Græce conscriptus sit. *Nachmanidis* opinio, quod à *Salomone Rege lingua Syriaca compositus, ut mitteret eum ad aliquem Regem ad fines orientis habitantem, nec autoritatem habet*, nec calculo digna est. De Historia *Susannæ* Hottingerus *Hieronymi* sententiam præf. in Dan. probat, in Thes. Phil. p. 527. *Audivi ego quendam de præceptoribus Judæorum cum Susannæ derideret historiam, & à Græco nescio quo, eam diceret esse confictam, illud opponere, quod Origeni quoque Africanus opposuit: Etymologias has* Σχῖνος & πρῖνος *& Σκῖνος & πρῖνος apud Græco sermone descendere.* De *libro primo Maccabæorum* testatur *Hieronymus*, quod *Ebraum textum* viderit: quem *Drusius Not. in Pentateuch. p. 6.* cum suspicatur esse, *qui in historia illius gentis vocatur liber Hasamonæorum.* Laudat id Hottingerus in Syst. Theol. nomen חשמונים (ut id παραφθαδικῶς adjiciamus) deducens non ex *Ebraismo*, uti *Fullerus* compositam vult è חש *festinavit*, & סגן, *præfecit*, vel ut alii è *Psal. LXVIII. 32.* ubi vox חַשְׁמַנִּים quam LXX. per πρέσβεις *legatos*, *Kimchius* per *primarios viros* exprimit: sed ex *Arabismo* à כשם *verberare*, unde חשמן πλήκτην notans, quod Asomonæi *flagella* fuerint *hostium Ecclesiæ*, uti *Maccabæorum* nomen etiam ex *Arabico* כבב vel כבא *prostravit, in terram dejecit*, pariliſenſu derivat. (vid. thes. Phil. p. 529. 530.) Historia autem hæc ad tempora ætate LXX. Interpp. longe posteriora, utpote qui sub *Ptolemæo Philadelpho* translationem adornarunt, pertinet.

*Theodotioni* si tribuenda sive libri *Maccabaicorum* sive aliorum quorundam *Apocryphorum* translatio, ad *seculum tertium post natum Christum* ea referenda erit; utpote qui *Commodo altero imperante* ad Judæos defecit, circa annum Domini 210. id omnino dicendum, *tempore Christi & Apostolorum* nondum additos fuisse libros Apocryphos authenticis Scripturis; Sed id contigisse *post Apostolorum autem à quocunque* tandem primum illi adjecti sint. Tanto minus ergo probandum commentum Papistarum de *diverso canone Judæorum*; utpote cum *Bailius* Jesuita *in Catech. controv. append. q. 13. tract. 1.* duplicem constituit Ecclesiæ Judaicæ canonem: alterum *vetustiorem compositum ab Esdra*, alterum *recentiorem concinnatum à posterioribus Judæis, non multo tempore ante Josephum*; & cum *Genebrardus* tres Canonis constituit periodos; *Primam* ad *Esræ tempora* referens; *alteram* ad *Eleazari Sacerdotium*; tertiam ad *tempus Johannis Hircani*. Nam post constitutum per Esdram divina autoritate canonem V. T. nihil eidem adjici potuit amplius, & defuisse tum *Prophetas* fatetur Josephus ipse, adeoque diserte à Canone reprobavit scripta, quæ *post Artaxerxis tempora* conscripta sunt. Neq; vel sub *sacerdotio Eleazari*, vel *tempore Hircani* vel etiam *proxime ante Josephum* canoni Ebræo aliquot libros adjectos esse seu Josephi, seu aliorum autoritate quicquam constat, imo *tempore Christi & Apostolorum* absolvebatur Canon V. T. scriptis *Mosis & Prophetarum*, ad quos utiq; non pertinent libri Apocryphi: nec distinctio locum habuit inter *canonem fidei & morum*; quia æque *infallibilis, invariabilis & divinus*

Papistarum Commentum de diverso Canone Judæorum.

An à Theodotione.

ac Θεόπνευς esse debet *morum* Canon atq; *fidei*, nisi ἐκ τύχης forte ad *canonem morum* spectare dicantur, quæ *in Ecclesia publice ad ædificationem morum legi consuevêre*.

*De libris in Script. Vet. designatis non extantibus.*

Atque hæc in præsenti de *libris Apocryphis*, qui Biblico Canoni subjungi solent: Præter quos vero nonnulli alios designant libros, quorum *in Scripturis V. T.* mentio facta, de quibus dubium, *an contineantur in Canone Scripturæ, aut si deperditionis mino, anne unquam ad Canonem ulla ratione pertinuerint*; de quibus hic breviter nonnulla monenda. 1. *Liber fœderis Exod. XXIV. 7.* secundum *Augustinum* est *liber forensium & Ceremonialium mandatorum*, quæ in scriptis Mosaicis jam comprehensa sunt & ut *Hottingerus* in historia p. 532. habet, *continet eam partem Scripturæ Mosaicæ, qua statuta & mandata Ecclesiastica & Politica populo Israelitico prascripta summatim recensentur. Ligfot* præcepta 57. prius memorata intelligit in spicil. in Exod. *Junius & Piscator* librum *promissionum & stipulationum* sive legum, *R. Salomo* librum, qui scriptus erat de *creatione mundi usq; ad dationem legis*; vid. quæ ad illum locum. II. *Liber Bellorum Domini Num. XXI. 14.* à nonnullis de ipso *libro Numerorum* intelligitur: aliis vero placet vocem ספר exponere *recensionem*, ut sensus sit; *propterea dicetur in recensione bellorum Domini*, id est, *horum duorum versuum in recensendis bellis Domini fera posteritas maximam semper habitura est rationem, ut puta Lynæo, Oleastrio, Malvendæ, Piscatori & Hottingero*, cum *Ebræis* quibusdam, *Fagio & Vatablo*. *Ainsworthus* si audias, scriptum hoc fortasse *Amoritarum* fuit *epicedia* continens *propter Sehonib victoriam*. Si *Bonfrerium & Tirinum*, liber vetus ante Pentateuchum conscriptus versu metrico *Prophetias de rebus futuris exhibens*. *Gataker us, fuerunt certe*, inquit, *libri sive Chaldæorum, unde egressus Abram, sive Ægyptiorum, ubi didicerat Mosen illam scientiam, Act. VII. 21. in quorum aliquo, vel alio quovis ista scribi poterant, quæ tamen nec ob id in S. Scripturis habenda; ut nec Propheta ille Cretensis Tit. 1, 12. nec Græcilli, Act. XVII. 28.* plura vide supra ad istum locum. III. *Liber justi* vel *rectus Jos. X. 13.* de *Genesi* à quibusdam, ab aliis de *libro XII. Prophetarum* accipitur. *Junius & Schindler.* in Lexico ut & *Hottinger. cum K. Levi Ben Gerson* rectius de *libro quodam, qui perierit*, intelligunt. *Annales populi Judæorum Masius* etiam notari vult. Non placet hoc *Bonfrerio*, quod *annales metrice versu scribi non soleant*, ideo putat cum *Cornel. à Lap. fuisse catalogum de Heroum & Sanctorum gestis: Menochio* videtur fuisse liber, in quo *ritus continebantur ad dirigendam praxin in variis functionibus Reip. à Mose forte inchoatus, deinde variis temporibus auctus*: unde nomen ספר ישר exponitur ab aliis quidem *liber recti, vel* quod optima fide res gestas perstringeret, *vel* quia Israelis facta contineret, qui ישרים dictus *Deuter. XXXII. 15.* ab aliis *liber rectitudinis*, vel *directionis* q. d. *directorium*: ab aliis *liber Juris* ut habet *Masius*; Quibusdam etiam nomen proprium est, *liber Jasar*, quem autorem ejusdem faciunt.

*Liber fœderis Ex. XXIV. 7.*

*Liber Bellor. Domini Num. XXI. 14.*

*Liber justi Jos. X. 13.*

*Liber judicii Regni 1. Sam. X. 25.*

IV. *Liber judicii Regni 1. Sam. X. 25.* à *R. David Kimchi* accipitur de *prima parte libri 1. Sam.* ab *Hottingero* & aliis de ea parte, quæ c. IIX. *de jure Regio* agit; quod *Estio* non placet; sed ex ea saltem ratione, *quod c. IIX. Ius Regis usurpandum describi censeat; hic vero jus Regni legitimum 1. Reg. XXI. renovatum. Non continebat jus tyrannidis sed jura regni & æquæ administrationis* ait Vatablus. *Malvenda, Sanctius, Cornel. à Lap. Mendoza* & plerique alii de *libro mutua Regis & subditorum officia continente* interpretantur, qui in *sanctuarium* quidem *Domini* repositus dicatur, & *in duplo* extiterit, *quia Rex in eodem legere debuit*, temporis tamen successu interierit. Iuxta *Menochium* intelligi debent *Acta Comitiorum, quibus Saul ad regnum evectus est* a Græci vertunt ἀνακαίνισιν τῆς βασιλείας: *Iosephus interpretatur mala aventura ex facta Regibus licentia*. V. *Libros Salomonis Physicos* nonnulli è 1. *Reg. IV. 33.* cum *Hieron.* & *Sixto Senensi* colligunt, qui interierint. Sed ibi *loquutus esse* dicitur Salomo, adeoque non tam *opera* abillo scripta, quam *dicta* innuuntur, quæ alii ab illius ore acceperint, & vel ad familiarem usum expromserunt, vel in scripta retulerunt, ut *Prov. XXV. 1.* ut apud *Sanctium* & *Martyrem* habetur; qui observat, cum differuit Salomo *de Cedris* (procerissimis arboribus) *usq; ad hyssopum* (humillimam herbarum) id est, *de maximis & minimis*, confentaneum esse, *quod de mediis quoq; differuerit*; quorum tamen illa peculiariter nominata, quia in lustratione conjungebantur *Lev. XIV. 4. 6.* & in medicina magnum usum habent, notante *Vatablo* & *Sanctio*.

*Libri Salomonis Physicos 1. Reg. IV. 33.*

*Prov. XXV. 1.*

VI. *Liber verborum* vel potius *rerum gestarum Salomonis 1. Reg. XI. 41.* non amplius extat, monente *R. Dav. Kimchi. In hoc libro*, inquit Sixtus Senens. Bibl. S. p. 101. *vel ipsemet, vel ut alii putant, Ozai Propheta conscripsit vitam, atq; omnia gesta Salomonis. Fr. Iunius* ita hic habet: *In libro, id est, in actis publicis, sive in commentariis rerum gestarum Salomonis, q. d. nihil attinet hic ea narrare; hæc ad fidem & institutionem Ecclesiæ sunt satis. Ita enim his scriptis temperavit Spiritus Dei consulens temeritati nostræ. Sic Iob. XX. 30. & XXI. 25. Nam hæc de duobus libris Chronicorum, qui longo post intervallo ab Hezra conscripti sunt, ridiculum esset accipere.* De actis publicis *forensibus*, non autem *Ecclesiasticis* etiam alii interpretantur. *Chronicon* vero *Prophetæ Nathan, & Prophetiæ Ahiæ de Silo, & visiones Iddo videntis contra Ieroboam filium Nebat 2. Par. IX. 29.* inter deperdita quidem referuntur à *R. Kimchio ad Num. XXI. 14.* & *Abarbenele ad 1. Reg. XI. 41.* qui *Nathanem, Achia & Iddo non unum omnes feciss e librum, sed singulos singula volumina conscripsisse* putat de *rebus Salomonis*: sed *Prophetæ Nathanis commentarius* in loco parallelo 1. Reg. XI. 41. per *commentarios rerum gestarum Salomonis*, ut apparet, notatur, qui interiere. *Achiæ* autem & *Iddonis* libros esse *ipsos Regum libros Rivetus, Hottingerus* & alii putant. VII. *Liber Regum*, in utroq; Regum & Chronicorum passim citatur, sub titulo, *liber verborum*, vel *aliorum*, aut *dierum Regum Israel*, aut *Regum Juda*, aut *Regum Iuda & Israel*, quem diversum esse à duobus *Regum & Chronicorum* libris hinc apparere putat Hottingerus, quod quæ 1. *Reg. ult. 39.* de *domo eburnea Achabi*, itemque de *Nadab* rege Israelis 1. *Reg. 15, 31.* dicuntur, in libris *Chronicorum* non extent, quemadmodum quæ de libris & posteritate Josi 2. *Chron. XXIV. 27.* memorantur, nusquam in commentario Regum apparent, inde cum *Altingio, Walæo, Sixto Senensi*, & aliis fatendum esse concludit, & *hunc quoq; librum cum aliis forensibus eandem subiisse aleam, atque ab edaci tempore absumptam esse*. Sic etiam habet *Piscator*, cum *Junio*, nec non *Martyre*, qui ad 1. Reg. XXII. 39. *Hi libri*, inquit, *non sunt Paralipomena, quia ibi de domo eburnea &c. nihil legimus: sed libri Paralipomenon ex illis, quantum apparet, descripti fuerunt*: quod posterius tamen calculum non meretur, quia non satis convenit dignitati authenticæ scripti Canonici. Ad 2. *Chr. XXIV. 27.* Petrus Martyr sic habet: *Hic liber non est, qui extat inter Canonicos, sed alter copiosior, qui injuria temporis periit.* VIII. *Verba Chozai 2. Chron. XXXIII. 19.* à nonnullis, etiam *Martyre*, sed citra rationem, *Chozai* de lib. *Esa.* accipiuntur: *Sixtus Sen.* hunc *Chozai 2. Chronic.* dicit fuisse *Scriptorem antiquitatum Hebraicarum satis delissimum, quod scripserit de sceleribus & resipiscentia Manas-*

*Liber Reg. 1. Par. IX. 29.*

*Liber Reg. ult. 39.*

*2. Chronic. XXIV. 27.*

*Verba Chozai 2. Chronic. XXXIII. 19*

*Manassis Regis Hierosolymitani. B. Lutherus* ut appellativum accepit, unter den Geschichten der Schauet, quo pacto etiam exiſtimavit *Kimchius* חוזי poni pro חזיון. Sed quia in ſcriptis Prophetarum hæc non continentur, & *in talibus* δόκησις ut recte monuit Piſcator *remitti ſolet lector ad libros certos ac definitos, non autem ad aliquod genus librorum*, probabilius eſt eſſe nomẽ viri *Chozai.*

*Epicedia Ioſiæ. 2. Chron. XXXV.* IX. *Epicedia Joſiæ. 2. Chron. XXXV. 25. Carmen* nempe *in funere ejus canatum*, quod juxta *Hieronymum* quidem & *R. Salomonem* in *Threnis Ieremiæ* parte poſtrema continetur: alii tamen à *Ieremia* potius *fata Zedekiæ* deplorari in Threnis cenſent, adeoque hæc Epicedia inter *ſcripta deperdita* referunt, quæ *Joſephi* adhuc tempore extitiſſe Hottingerus ait. Quæ *ad tempus quotannis decantata videntur*, vi hujus hiſtoriæ. X. *Libri Chronicorum Regum Mediæ & Perſiæ Eſther c. X. 2. annales* fuêre, in quibus *acta diurna* Regum breviter annotata videntur, apud Babylonios urbis Ecbatanæ Bibliotheca aſſervata: vid. *Eſdr. VI.* Per *librum* vero *Eſth. IX. 32.* vel *annales Iudæorum* cum *Vatabl. & Oſiandr.* vel ipſum hunc librum *Eſther* intelligere licet, ut ſic opus non ſit, cum *Malvenda* peculiare ſcriptum, quod interierit, conſtituere. Talia vero ſcripta (ad quæ vero nec *liber obſignatus Eſth. XXIX. 11.* nec *liber Domini Eſa. XXXIV. 16.* pertinet; quum ille ipſa *Scriptura S.* vel quisque *liber in genere* ſit, hic vero *Prophetia Eſaiæ*, vel ſola, juxta *Kimchium*, *Sixt. Senenſ. Hottinger.* vel certe cum aliis Prophetarum vaticiniis, ad quæ volvenda & cum eventu conferenda rejiciuntur Judæi) aut *mere politica & exotica* fuêre, quemadmodum ad Poëtas etiam gentiles provocavit S.S. vel ſi ad *Canonem* nonnulla pertinuêre, ad Canonem tamen *particularem* tantum, & *certi temporis*, non vero ad *perpetuum Eccleſiæ univerſæ canonem* (de qua diſtinctione in *Critic. S.* egimus, quam etiam *Hottingerus* probat in Theſaur. Phil. p. 541.) ea referenda eſſe credendum eſt: alioquin divina providentia eandem interire minime paſſa fuiſſet: unde *Witakero* concedenti quod *Canonica ſcripta à Canone Ebræorum perierint*, merito alii Calviniani contradicunt, vid. *Camero* in oper. p. 478. *Hottingerus l. c.* adeoque omnino inter *libros Sacros & Canonicos* ſeu *Teſtamentarios* diſtinguendum: Sacros enim periiſſe nonnullos cum *Reuchlino, Bezæ, Rivete, Druſio &* plerisque noſtratibus non abnuimus; *Canonicum* autem, qui ad Canonem Eccleſiæ Judaicæ pertinuerit ullum periiſſe neutiquam admittimus. *Si Canonici*, inquit *Salmero* prob. 9. can. 4. *ejuſmodi libri extitiſſent, Eccleſia non fuiſſet depoſiti ſibi à Deo traditi fidelis cuſtos.* Sed hæc occaſione Apocryphorum V.T. de illis libris, quod in ſacris quidem adductos, à teſtamentariis tamen fidei populi Judaici creditos etiam alienos fuiſſe ſatis conſtat, & penes plerosque extra omnem controverſiam poſitum eſt.

*Chron. Med. & Perſ. Eſth. X. 2.*

*Eſth. IX. 32.*

*Eſ. XXIX. 11.*

*Eſ. XXXIV. 16.*

---

*I. N. I.*

# ANNOTATA AD TOBIAM.

## *PRÆFATIO GROTIANA.*

Hanc hiſtoriam veram eſſe agnoſcunt Judæi. Uſus eſt Hieronymus Chaldaico libro eandem hiſtoriam continente, quam ipſe in verſione ſecutus eſt. In Græco Pater vocatur Τωβὶτ, vel Τωβὶς, filius Τωβίου. In Chaldaico uterque טוביה. Sunt & Hebraicæ ἐκδόσεις hujus hiſtoriæ duæ. Scriptus eſt liber partim à patre, partim à filio, partim à nepotum aliquo. Solebant enim Hebræi rerum, quæ ſibi contigerant, facere commentarios in uſum poſteritatis. Inde factæ ἀνάγνωσεις, quæ hic βίβλοι λόγων, id eſt, libri rerum, ספרי דברים 1. Reg. XI. 41.

*An vera hiſtoria ſit?*

NOn hiſtoriam veram, ſed *drama* potius eſſe cum *B. Luthero* non pauci credunt: Etiam *Paulus Fagius* in procem. verſionis Tobiæ ex Hebræo. *Oſiander* in dubio id relinquit, *ſive vera hiſtoria, an vero Comœdia ab Iſraëlita quodam excogitata ſit pie.* Veritati hujus hiſtoriæ, ſive Græcum reſpiciamus textum, ſive Latinum, quem authenticum pronunciavit Concilium Tridentinum, multa intercedunt, in quibus explicandis fruſtra ſudant Papiſtæ. Neque conſonat Græcus textus cum Latino, quod ipſæ Grotianæ annotationes paſſim docent. *B. Gerhardus* in Exeg. de Script. cenſet quoq; non ſatis *Chronologiæ* convenire, quæ hoc libro narrantur. Quanquam vero res omnino ita habeat, quod non omnia in hoc libro Chronologiæ & veritati hiſtoricæ exquiſite conveniant, non tamen merum *drama* ideo ſtatuendum, quia in hiſtoricis humano ſtudio ſcriptis talia ἀμαρτήματα frequentia ſunt, quæ erraſſe alicubi ſcriptores docent, non vero omnem hiſtoriam tollunt. Interim quum illa omnia, quæ *de Angelo familiam ſuam recenſente, de corde ex piſce exempto, & carbonibus impoſito, ad pellendum dæmonem, quodque Raphael unus ſit è ſeptem Angelis Deo aſſtantibus* fabuloſa ſint, non temerarius eſt σοχασμὸς. B. Lutheri noſtri, de *Dramate*. Non enim pro certo affirmat meram eſſe Comœdiam: Iſts eine Geſchicht (Sic habent ἰδιογλώττως verba ejusdem) ſo iſts eine ſeine heilige Geſchicht, iſts aber ein Gedicht, ſo iſts warlich auch ein recht ſchön, heilſam, nützlich Gedicht und Spiel, eines geiſtreichen Poeten. Und iſt zu vermuthen, daß ſolcher ſchöner Gedicht und Spiel bey den Jüden viel geweſt ſind, darinn ſie ſich auff ihre Feſt und Sabbath geübet, und der Jugend alſo mit Luſt GOttes Wort und Werck eingebildet haben, ſonderlich da ſie in gutem Fried und Regiment geſeſſen ſind; denn ſie haben gar treffliche Leute gehabt, als Propheten, Sänger, Dichter und dergleichen, die GOTTES Wort fleißig und auff allerhand Weiſe getrieben haben. Und GOTT gebe, daß die Griechen ihre Weiſe, Comödien und Tragödien zu ſpielen von den Jüden genommen haben, wieviel andere Weißheit und Gottes-Dienſt, ꝛc. Denn Judith giebt eine gute ernſte tapffere Tragödien, ſo giebt Tobias eine feine liebliche Comödien. Denn gleich wie das Buch Judith anzeigt, wie es Land und Leuthen offt elendiglich gehet, und wie die Tyrannen erſtlich mächtig toben, und zu letzt ſchändlich zu Boden gehen. Alſo zeiget das Buch Tobias an, wie es einem frommen Bauer oder Bürger auch übel gehet, und viel Leydens im Eheſtand ſey, aber GOtt immer gnädiglich helffe, und zu letzt das Ende mit Freuden beſchlieſſe. Auff daß die Eheleuthe ſollen lernen Gedult haben, und allerley Leiden auff künfftige Hoffnung gerne tragen, in rechter Furcht GOTTES und feſtem Glauben.

*B. Lutheri Iudicium de hoc libro.*

ben. Und das Griechische Exemplar siehet fast also, daß es ein Spiel gewest sey. Denn es redet alles in Tobias Person, wie die Personen im Spiel zu thun pflegen. Darnach ist ein Meister kommen, und hat solch Spiel in eine ordentliche Rede gefasset. Hierzu stimmen auch die Namen fein, denn Tobias heißt einen frommen Mann, der zeuget auch wider einen Tobias, und muß in Gefahr und Sorgen leben, beyde der Tyrannen und seiner Nachbahrn halben. Wird darzu, daß kein Unglück allein sey) auch blind, und zuletzt auch mit seiner lieben Hanna uneins, und verschicket ihren Sohn weg, und ist ja ein elend kümmerlich Leben, aber er bleibt fest im Glauben, Gedult und guten Wercken. Hanna heisset holdselig, das ist, eine liebe Haus-Frau, die mit ihrem Manne in Lieb und Freundschafft lebet. Der Teufel Asmodes heisset ein Verklager oder Verderber, der alles hindert und verderbet, daß man weder mit Gesind noch Kind fort kan, Sara heisset eine Kämpfferinn oder Siegerinn die zuletzt oblieget, sieget und gewinnet. So ist der Engel Raphael (das ist) Arzt oder Gesundmacher auch da, und nennet sich Asarja, das ist, Helffer oder Beystand, des grossen Asaria Sohn, das ist, GOTTES des Höchsten Beystand, Gesandter oder Botte. Denn GOTT hilfft Haußhalten, und stehet den Erleuthen bey, sonst könten sie für dem Asmod nirgend bleiben. Darum ist das Buch uns Christen auch nützlich und gut zu lesen, als eines seinen Ebreischen Poeten der kein leichtfertige, sondern die rechten Sachen handelt, und aus dermassen Christlich treibet und beschreibet.

Porro etsi in quibusdam circumstantiis juvare velis Historiam cum Grotio, ita ut modo *Latinum* modo *Græcum* assumas textum, quænam rei erit certitudo, & quid causæ dabitur, cur Græcus præferri debeat alicubi Latino, quum Latinus ex Chaldæo, ceu Originali ab Hieronymo traductus sit? Nec sane Chaldaica lingua scriptum edidit *Hieronymus* qui ex ea librum transtulit, & quidem, quod mireris, *unius diei spatio*, uti habet præfatio ejus *ad Chromat. & Heliod.* T. III. p. 22. *Quia vicina est Chaldæorum lingua sermoni Hebraico, utriusque linguæ peritissimum loquacem reperiens, unius diei calorem arripui: Et quicquid ille mihi Hebraicis verbis expressit, hoc ego, accito notario, sermonibus Latinis expressi.*

De gemina editione *Ebræa* & *Græca* Tirinus ita habet: *Præter Hebræam & Græcam illam, quæ nostra hac Latina versioni respondet, alia extat Hebræa & Græca paulo amplior & fusior, in qua Tobias semper ἐν ὑποστάσει ὡς, seu in prima persona loquitur. Unde merito putant aliqui. Tobiam bis eandem historiam conscripsisse, semel succinctè, quam hic habemus: iterumque fusius, qua Græce etiammum extat.* Sed illæ tantum translationes sunt, nihil ad Originalis textus diversitatem faciunt. In linguam etiam *Syriacam* translatam idem *Tirinus* notat. *Ebræus textus Münsteri*, qui falso in *Zemah David* ab ipso è Latino traductus asseritur; siquidem Constantinopoli primum editus fuerit, de quo *Hottingerus* in Thesaur. Philolog. p. 527. superioris seculi interpretamentum est, quod vel mediocriter docti eodem judice, intelligent. *Franc. Junius* in Præfat. Apocryph. de his ita habet: *TOBITI Liber varius est: Chaldæus venit in manus Hieronymi, qui desideratur memoria nostra: Hebræi exstant duo, sed exercitationis gratia conficti, si quid in Hebræo sermone possim judicare: Græcus liber, si finem excepteris, auctore Tobito inscribitur. Certe in Chaldæa Assyriave scriptus est, idque (opinor) Chaldaice ab homine pio quidem, sed eruditione mediocri, & non paucis ex deportatione tenebris obruto, quibus hoc quoque scriptum offunditur.* Cæterum Interpp. Tobiæ præter *Ambrosium* è Pontificiis sunt *Frieder. Nauseа, Joh. Hoffmeisterus, Richardus Latunan*, quos laudat *Sixtus Senensis, Serarius, Schoppius*, è Nostris *Münsterus, Heidenreich*, è Reformatis *Drusius* &c. Partes duæ sunt: *Prior* de gestis *Tobiæ Senioris* Cap. I. II. III. & IV. *posterior* de gestis Tobiæ *junioris in itinere* Cap. V. VI. VII. VIII. IX. & X. & *post reditum ex itinere* Cap. XI. XII. XIII. XIV.

Id unum adhuc observamus: nonnullos, etiam Clariss. Hottingerum in Syst. Theol. p. 159. velle, *librum Tobiæ à LXX. Interpretibus in linguam Græcam translatum esse*; Sed quis LXX. Interpp. Ebræum textum tantum transtulêre Scripturæ divinæ, & Canonicæ, in *Ebræo* autem *Canone* nunquam fuit liber Tobiæ, fatentibus ipsismet Papistis, nequaquam admittendum videtur, eosdem operam navasse in translatione Tobiæ. Neque opinionis istius testimonia sufficientia produci possunt, imo videtur haud aliunde in eam sententiam adductus Hottingerus, quam quod in *inscriptione Syriacæ* legerer: *Sequitur liber Tobiæ, prout habet ex traditione LXX.* Sed *interpretis* istius *Syri* tanta non est autoritas, vel antiquitas, ut hoc nobis persuadere possit, etsi certiorem alicubi Syrus textus habeat versionem, quam Græcus modernus v.g. ubi initio statim c. I, 2. hic legit ἐνιαυτοσίαις rectius Syrus habet שלמנסר *Salmanasser. Hieronymus* sane *Tobiam Chaldaice scripsisse* observat præfat. in Siracid. non vero Ebraice. Editiones etiam illius Ebræas diversas, quarum altera primum *Constantinopoli*, post à *Münstero*; altera à *Fagio* in lucem emissa, minime authenticas esse agnoscit Hottingerus, & vel ex notorio, quod ipsis intercedit discrimine (ubi tamen Fagius Græco textui propius accedit) id constare putat. Credidêre etiam nonnulli *librum Judith esse à LXX. Interpp. translatum.* Sed quis hoc admittet? *Chaldaice Hieronymo* visus est: *Ebraice* an extiterit unquam, dubium est. *Syriacum* quod jam habetur exemplar maximopere à Græco textu discrepare collatio docet. Num & *librum Sapientiæ* quem *Syriace* olim extitisse è *Nachmonide* docet Hottinger. in Thes. Philol. p. 522. quique in *Arabica & Syriaca* versione *Salomoni* tribuitur (etsi hujus autor referat, alios alteri cuidam Ebræo, Spiritu tamen Prophetico prædito eam tribuisse) à LXX. Interpp. translatum statuendum, aut idem quoque de libro *Siracidis* pronunciandum, quod utique verisimilius foret, siquidem illum *Ebraice* fuisse repertum non dubitet *Hottingerus* Syst. Th. p. 160. ejusque *frequentem usum fuisse apud Ebræos*, asserat, etsi hodie non habeatur, nisi *Græce, Arabice & Syriace*, aut etiam de *historia Susannæ*, cujus geminus Syrus textus habetur. Epistolæ certe *Baruci* translationem LXX. Interpp. tribuere non dubitant *editores Londinenses* in Bibl. Polygl. cum ita habent: *Hæc epistola, quæ extat in editione Parisiensi differt à vulgata & LXX. aliam ergo quæ cum Latina & Græca convenit, illic adjunximus ex MSS. Syriacis Usſ. & Pocock.* Quid? quod *Hottingerus* Syst. Theol. p. 174. *Altingium* laudet, asserentem *Interpp. LXX. non vertisse ullum librum Apocryphum, sed primum eos vertisse Theodotionem*, quod

*An liber Tobiæ à LXX. Interpp. translatus sit?*

quodque ad *Hellenistarum studia* alios è Reformatis id referre, Judæorum nempe, qui erant ἐν διασπορᾷ, observet, in quam sententiam in *primis. Heidelberg.* pag. 56. adduxit *Andr. Rivetum* Isag. ad Script. S. c. VII. p. 76.) & quod ipse dubius sit de *translatione LXX. interpp. an ab iis, an vero eorum discipulis facta sit.* Notat enim *Apocryphorum alios à LXX. Interpretibus aut eorum discipulis, alios à Judæis Alexandrinis aut etiam Theodotione translatos fuisse.*

*PARS PRIOR.*

# GESTA TOBIÆ SEN.

## CAPUT I.

*Tobias in captivitate constitutus, à lege Dei non recedit, filium Tobiam Deum timere et docet, gratus Regi Salmanassar pergit quocunque vult, confratres captivos consolatur, & juvat; Gabelo dat decem talenta. Sennacherib eum persequitur, quod occisos sepelierat.*

Vers. 1. EX TRIBU ET CIVITATE NEPHTHALI] Plus est in Græco ubi pro ἐκ τῆ σπέρματος Ασαὴλ, legendum Ἰωασὴλ, liquet ex II. Paralip. VII. 13.

IN SINISTRO HABENS CIVITATEM SEPHET] Fuit hic in Chaldaico quædam transpositio literarum: nam verum nomen est שפת, 1. Reg. XVII. 1. In Græco bene est Σεφθαϊ. Sequitur in Græcis editionibus minus correctis: ἢ ἐστὶν ἐν δεξιᾷ κυρίου τῆς Νεφθαλί: sed legendum cum exemplaribus melioribus Κυδίως. Ea est regio, quæ קדש in Hebræo, Κάδης, in Græco, Josuæ XX. 7.

ALii legunt: versus siniſtram habens mare Sephet, juxta Adrichomium uno miliari distabat à Nephthalin. 88.

Vers. 2. TEMPORIBUS SALMANASARIS] In Græco corrupte Ενεμασσάρ, ut & infra 14. 17. 19.

VIAM VERITATIS NON DESERUIT] In Græco incipiunt hic verba patris: ἐγὼ Τωβὶτ ὁδοὺς ἀληθείας ἐπορευόμην τὰς δικαιοσύνας. Vox דרך Hebræis & Chaldæis, & eos sequentibus Græcis, est vitæ genus. Vide Matth. XXI. 32.

In Græco textu porro v. 4. ita habet: νεωτέρῳ μοι ὄντι, πάσα φυλὴ τὴ νεφθαλεὶμ τὴ πατρός μου ἀπέστη ἀπὸ δὲ οἴκου ἱερουσολύμων. Hæc defectio juxta *Cruntzbemii & Reusneri* calculum incidit in annum mundi 2971. Si tum habuit Tobias solum 10. annos ad mortem *Sennacheribi*, quæ incidit in annum M. 3241. erunt anni 270. Adde 8. annos cæcitatis & 92. à recuperato visu ad mortem, vivendo feciſſet ita Tobias annos 370, cui tamen in eadem Græca editione tribuuntur tantum anni 158. Ita *B. Gerh.* l. c. ubi etiam *Latinam versionem* sibi non constare docet. *De Græco* tamen dici possit, non de *priori defectione* Israëlis à templo Hierosolymitano textum agere, sed de derelictione templi, & frequentatione cultuum vitulorum. Anni 158. emergent, si 58. habuisse dicatur Tobias tempore captivitatis Assyriacæ. Ante eum ergo cæteros templum Hierosolymitanum relinquentes, & ad vitulos se confitentes sequutus esse hic negatur. De defectione vero decem tribuum tempore nihil hoc loco habetur.

Vers. 5. AD VITULOS AUREOS] In Græco melioris editionis, id est Sixtinæ, Βάαλ τῷ δαμάλει, id est, spiritui malo, qui vituli nomen ac speciem assumebat. Editiones minus correctæ habent δαιμόνιον.

Vers. 6. OMNIA PRIMITIVA SUA ET DECIMAS SUAS FIDELITER OFFERENS] In Græco: τὰς ἀπαρχὰς καὶ τὰς δεκάτας κατὰ τὰς πρωτογενείας ἔχων: ubi πρωτογενείας sunt partes de lana ubi primum tondentur pecudes. Vide Exod. XVIII. 29. & 2. Sam. XIII. 24.

Vers. 7. ITA UT TERTIO ANNO PROSELYTIS ET ADVENIS MINISTRARET OMNEM DECIMATIONEM] In Græco mentio distincta trium decimarum: prima erat quæ dabatur Levitis, Num. XXXIX. 24. secunda, quæ quotannis serviebat epulis, quas faciebant Hierosolymis diebus festis, Deuteron. XIV. 27. tertia non erat alia, quam quæ tertio anno surrogabatur secundæ, idque in usus pauperum, advenarum, pupillorum, & viduarum, ut sic Israëlitæ operibus misericordiæ affuescerent. Deuter. XIV. 29.

Vers. 9. DE TRIBU SUA] In Græco: ἐκ τῆ σπέρματος τῆς πατρός ἡμῶν, id est, ex familia sua. Vide quæ diximus ad Matth. I. 16.

NOMEN SUUM IMPONENS EI] Non est in Græco: nam Græci nomina patris & filii distinguunt.

Vers. 12. EX CIBIS GENTILIUM] Talium nempe qui Mosis lege vetiti sunt. Græci hic ἄρτον posuere, sed more Hebræorum, quibus לחם est quivis cibus.

Cibos intellige *idolo immolatos*, vel *lege vetitos*, qualis fuit porcina caro. Exemplum illud sequuti Eleazarus, Maccabæi & alii.

Vers. 14. DEDIT ILLI POTESTATEM QUOCUMQUE VELLET IRE] In Græco plus dicitur, καὶ ἦμεν αὐτῷ ἀναγκαῖος, id est, συνῆμεν, ut loquitur Jurisconsultus Arcadius L. Munerum. D. de Muneribus & Honoribus. Sequitur in Græco, καὶ ἐπορεύθην εἰς τὴν Μηδίαν, secutus nempe regem qui ver exigebat Rag. 6, Athenæo teste lib. XII. Post id tempus Tobit non potuit sequi regem, ob ætatem, sed manſit Ninive. Ita colligemus ex Græco I. 17. 20.

De eo Tirinus: *Addunt Hebræa & Græca officium aulicum seu palatinum: nam dicunt fuisse ἀναγραφέα τῆ regis, id est, emptorem seu procuratorem domus regiæ, & omnium ad regiam spectantium, put ad annona, vestium, equorum, armorum, prædiorum, &c. ut olim fuerat Joseph in Ægypto Genesis 41. Unde & dicunt, constitutum fuisse Tobiam supra omnia quæ habebat Salmanasar. Unde facilimum illi fuit, decem talenta argenti Gabelo egenti dare non mutuo, sed in depositum, ut tamen pro libitu uteretur, quoad repeteret Tobias. Atque hæc tam prospera fortuna adhæsit Tobiæ toto tempore regni Salmanasar. Quo defuncto, cum Sennacherib ejus filius & successor Judæos omnes jam inde ab exordio regni sui exosos haberet, sed tum maxime omnium, cum horrenda clade ab iisdem in Judæa, seu potius ab Angelo, sed in Judæorum gratiam affectus esset, ut narratur II. Reg. XIX. & Eccles. XLIIX. ideoque in omnes promiscue, ut primum Niniven reversus est, crudeliter sæviret: etiam Tobias ad mortem deposcebatur, & omnia illius bona fisco addicta sunt. Sed quadragesimo quinto die à reditu Niniven occiso à propriis filiis tyranno Tobias sua quoque bona, sed non pristinum officium recepit. Addunt Hebræa & Græca eum recepisse precibus & opera Achiari (quem Noster cap. II. v. 20. Achior vocat) nepotis sui ex fratre Anaele. Nam hunc imprimis charum habebat Assar-Addon filius & successor Sennacheribi, fetereque eum pincernam suum, & ab annulo regio, & rationibus regiis præfectum, & totius regni διοικητὴν seu gubernatorem, denique secundum à se, seu vicarium suum. Ita Hebræa & Græca.*

*De officio & statu Tobiæ.*

Vers. 16. IN RAGES CIVITATEM MEDORUM] Græci: ἐν Ράγοις τῆς Μηδίας. Hæc urbs est Ῥάγαι, Ptolomæo: Ῥάγα πόλις ἐν Μηδίᾳ, Stephano: Ragian Geographo Arabi, aut Nubiensi. Alexandrum Rhagas venisse ait Arrianus III. Diodorus X. lib. XIX. & Strabo. Nomen ei putant esse à Græco, ῥῆγνυμι, ob fracturas quas fecerat terræ motus. Quanto facilius fuerat, si linguas illorum locorum scissent, derivare à רעש, quod & Hebræis & Arabibus terræ motum significat. Vide Amos I, 1.

Hic Menochius: *Talentum unum tria siclorum millia continebat, siclus unus 4. Hispanicos regales.* Computus nostræ monetæ sic habet: talentum unum 3000. siclorum valet 1500. Joachimicis. Decem ergo talenta erant thaleri vel Joachimici 15000; quæ eximia est pecuniæ summa.

Vers. 18. CUM REGNARET SENNACHERIB FILIUS EJUS PRO EO] Sapientius hic scriptor, quam Judæorum multi, qui Salmanassarem & Sennacheribum eundem faciunt. Vide de Salmanassaro II. Reg. XVII. 3. de Sennacheribo II. Reg. XVIII. 13.

Vers. 20. ESURIENTES ALEBAT, NUDISQUE VESTIMENTA PRÆBEBAT] Prope accedebat ad Evangelicam perfectionem.

*Commentum de perfectione Evangelica.*

*Perfectionem Evangelicam*, prout Evangelium à lege aut *doctrina V. T.* distinguitur, in eo consistere, quod esurientes aluntur, nudis vestimenta præbentur, temere asseritur. Idem enim in V.T. aperte mandatum fuit *Es.* LIX. 7. 8. & in ipsa lege de *dilectione proximi* comprehenium, quia illum justi sumus diligere *sicut nos ipsos*, ut alia taceamus. Neque *Evangelium* doctrina est de debito nostro erga proximum, sed *concio gratiæ* & remissionis peccatorum, quatenus nempe illud à lege distinguitur. Sapere illa Socinismum, antehac monuimus.

Vers. eod. CUM REVERSUS ESSET REX SENNACHERIB FUGIENS A JUDÆA PLAGAM] II. Regum XX. 36. 2. Paralipom. XXXII. 21. Es. XXXVII. v. 37.

Vers. 21. SEPELIEBAT CORPORA EORUM] Reverentia non tam divinæ legis, quantum gentium juris. Ambrosius ad hunc librum: *Nihil hoc officio præstantius, ei conferre qui jam tibi non potest reddere. Vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ.*

Quidni præcipua *reverentia legis divinæ*, vocat enim Spiritus S. hoc *misericordiam Ruth. I. 8. 2. Sam. II. 5.* & gentium consuetudo sepeliendi mortuos traducta fuit è populo Dei *Gen. XXIII. 19.* Conf. *Syr. VII. 38. c. XXIX. 16.* Complures autem gentes non sepeliisse defunctos, sed ignis, beluisve tradidisse, aut projecisse, aut devorasse, aut domi asservasse, ex historiis notum. Videantur quæ de funeribus ac sepulturis veterum *Lilius Gregor. Giraldus*, Ferrariensis, *Kirchmannus* & alii. Mandato divino Tobiam id fecisse, non obscure docetur *c. IV. 9.* Tobias plus timens Deum quam Regem, sepeliebat occisorum corpora.

Vers. 23. NUDUS LATUIT] Rebus suis exutus. In Græco est, ἀκατακεφάλητος ἐδεῖτο.

OCCIDERUNT REGEM FILII IPSIUS] Quorum nomina habes II. Reg. XIX. 36. ubi additur fugisse in Armeniam, quod & hic habent libri Græci, qui & alia addunt. In iis libris Græcis dicitur Sennacheribo successisse Ἀχιαβώνος, qui Ἀσαρδὼν, II. Reg. XIX. 37. In Hebræo אסר חדן. In eisdem Græcis occitur Achiachaues, natus ex fratre Tobeth, fuisse regi ἐπὶ βουλῇ, id est, in consilio regio multum valuisse, ut postea Mardochæus Esther IX. 3. nec mirum, cum præter alia munera esset etiam regi ἀπὸ τῶ δακτυλίε, id est, custos sigilli, quæ magna dignitas. Hæc etiam dignitas Mardochæo obtigit, Esth. VIII. 2.

## CAPUT II.

*Tobias hirundinis stercore excæcatus, ab uxore & amicis irridetur, sed tolerat id patientissime.*

Vers 1. CUM ESSET DIES FESTUS DOMINI] Nempe Pentecostes, sine septem hebdomadum à Paschate, hic habent Græci.

ET FACTUM ESSET PRANDIUM BONUM] Solebant enim diebus bonis lautius epulari, & advocare convivas.

Vers. 4. UT DUM SOL OCCUBUISSET, CAUTE SEPELIRET EUM] Cum jam transisset dies festus. Sepultura differri eousque poterat: deportatio corporis, non item.

Vers. 6. MEMORANS ILLUM SERMONEM QUEM DIXIT DOMINUS PER AMOS PROPHETAM] VIII. 10.

Vers. 10. JACTASSET SE JUXTA PARIETEM] παρὰ τοῖχον τῆς αὐλῆς, id est in subdiali, non intra domum, ne alios pollueret. Hoc in dicat Græca historia, cum addit ἐκοιμᾶτο μεμιασμένος. Vide Num. XIX. 16. Additur in Græco, ὃν τὸ πρόσωπόν μου ἀπεκάλυπτον ἐγώ, nempe, quomodo mos erat in publico incedere in locis calidis, idque æstate.

*Fatigatio & somnus* non ferebant, ut se prius mundaret, & ita domum & stratum suum repeteret. Ideo in *porticu & propylæo* juxta parietem se abjiciens supinus obdormivit. Et volupe erat nocturno tempore sub medium æstatis in aperto aëre somnum capere.

Vers. 11. EX NIDO HIRUNDINUM] In Græco nominantur χελιδόνια. Sed ea vox generalis est ad aviculas omnes, ut diximus ad Matth. X. 29.

*Hirundinum calida stercora vim habent excæcandi naturalem*, inquit *Plinius*, & *Franciscus Valesius: tum ex hirundinum occulta proprietate, tum ex manifesto calore & vi adustiva fordibus illis inexistente, quæ pupillas & oculorum birquos nimis calefaciat, exficcat, & exurit: & ex fordibus subito concrescente membranula, qualis est in talpis, oculi prorsus excæcantur.* Non tamen casu id evenisse viro sancto putandum, maxime ut utroque simul oculo privaretur, sed singulari Dei providentia, ob fines, qui versu sequenti explicantur. Sed & mediocrum opem, ut est in *Hebræo* & *Græco*, adhibuit Tobias, ut faciendum monet Ecclesiasticus: verum illi nihil ei profuerunt. Vide *Chrysostomum*, qui hac occasione recenset undecim causas, cur Deus justis tor calamitates immittat.

Vers. 15. NAM SICUT JOB INSULTABANT REGES] Vicinarum urbium Principes. Hæc desunt in Græco. Contra in Græco est, ἀγωνιζόμενοι δὲ ἐτιμῶντό με ὡς ὁ ἐπὶ τοῦ Ἐλυμαΐδα, pro quo viri docti priùs monuêre legendum ἐπιμῶντο. Nam senex Tobit, sive Tobias manserit in urbe Ninive, ut discimus infra XI. & XIII. Achiacharus vero relegatus fuit alio, ut ex Græco discimus XIV. 10. Pro Elymaide liber Hebræus gravi errore Alemanniam posuit.

Prævit his Junius, reddens: *Donec profectus esset in Elymaida*, hac addita nota: *sic restituimus ex conjectura sublata literæ unna. Nam Tobitum ex eo loco minime profectum esse docet c. 14. Achikharum vero de sua dignitate dejectum esse ipse Tobit narrat infra c. 14. 10. De hoc autem Achikaro vide supra I. 24. & 25.*

Vers. 19. ANNA VERO VXOR EJVS IBAT AD OPVS TEXTRINVM QVOTIDIE] In Græco: ἡμέρας ἐν ταῖς γυναικείοις, lanificium faciebat in domo aliqua divitum, quæstum inde facientium.

Vers. 20. VT HOEDVM CAPRARVM ACCIPIENS] Nempe in μίσθωσιν mercedis, cui dopere suo alias mulieres vincerent, ut ex Græco discimus, sic & infra V. 22. & XII. 1. in Græco: ultra mercedem datur auctarium.

Vers. 22. MANIFESTE VANA FACTA EST SPES TVA, ET ELEEMOSYNÆ TVÆ MODO APPARVERVNT] In Græco: Πῦ ἐστιν νῦν ἐλεημοσύναι σε, καὶ αἱ δικαιοσύναι σε ἰδοὺ γὰρ τὰ πάντα μετὰ σοῦ. Id est, *Ecce quam illa tecum* (id est in fortunis tuis) *apparent.*

## CAPUT III.

*Tobiæ ob uxoris convitium mortem expetentis oratio, & Saræ filiæ Raguelis preces ob interemptos septem maritos exaudiuntur utrinque, missoque ad eos curandos Raphaele.*

Vers. 1. TVNC TOBIAS INGEMVIT, ET COEPIT ORARE CVM LACHRYMIS] In loco aliquo solus, ut colligimus ex fine hujus capitis in Græco; confer Luc. IX. 18.

Vers. 3. NE VINDICTAM SUMAS DE PECCATIS MEIS, NEQVE REMINISCARIS DELICTA MEA VEL PARENTVM MEORUM] Nempe, ultra quam feci. In Græco peccata hic dicuntur ἁμαρτήματα, delicta ἀγνοήματα. Hoc ἀγνοήματα, si Græcam vocem respicias, significare videtur ea, quæ per ignorantiam fiunt; sed usurpatur pro Hebræo שגיאות, quod est שגה aberrare. Omne autem peccatum aberratio est a lege, & sic ἀγνοήματα sumsit etiam divinus scriptor ad Hebræos IX. 7. sic Judith. V. 20 ἐι μὴ ἐστιν ἀγνόημα ἐν τῷ λαῷ τούτῳ, de peccato gravi dicitur, quod ibidem & ἁμάρτημα vocatur, & ἄγνοια, nec aliter Ecclesiasticus LI. 26. Usurpatur etiam de iis, quæ in homines peccantur, ut I. Macc. XIII. 39. II. Macc. XIII. 37.

Vers. 6. ET NVNC DOMINE SECVNDVM VOLVNTATEM TVAM FAC MECVM] Secundum jus quod in homines constituisti, ut mori debeant. In Græco præcedit ἐξ ἐμοῦ ποίησον, ὅπως τῶν ἁμαρτιῶν μου καὶ τῶν πατέρων μου, ubi ἐξέμω, est pro πορεύωμαι, nisi legendum ἐξ ἐμοῦ ποίησον, Tolle me de rebus humanis.

PRÆCIPE IN PACE RECIPI SPIRITVM MEVM] In pace, id est, ut quiescat ab his malis. Præcipe

cipe nempe angelis tuis, ut Luc. XVI. 22. recipi nempe, εἰς τὸν αἰώνιον τόπον ut mox sequitur. In Græco additur ὅπως ἀπολαύσῃ: de quo verbo diximus ad Luc. II. 29. κύριε τὸν δοῦλόν σου est δέσποτα. Ita id loquendi genus usurpat Chaldæus interpres ad Esa. XIV. 18. & Diodorus Siculus libro primo de Ægyptiorum sententiis agens.

Voce ἐξόδου, cum de animo ndhibetur, regionem quandam communem, in quem animæ cum fidelium tum infidelium agant, notari vult Grotius ad Luc. XVI. 23. sed ἀπορρεῖν non est autem nostrum de futuro seculo extra Scripturam sapere.

Vers. 7. IN RAGES CIVITATE MEDORUM] In Græco est, ἐν Ἐκβατάνοις τῆς Μηδίας. Ubi Ecbatana non proturbe ponitur, sed pro Regione, in quo est Rages. Ita sumitur & II. Macc. IX. 13.

Antiquitas de Rages. Si Sara in Rages habitavit, cur ergo Tobias è Rages, ubi nuptias cum ea celebravit, Angelum ad Gabelem in Rages, ceu diversam civitatem misisse dicitur c. IX. 3. *Lyra* putat *duas Rages* fuisse in Media, sic etiam *Menochius* h. l. Sed ea responsio non probatur *Bellarmino* l. 1. de verb. Dei c. XI. *Medina* l. III. de recta in Deum fide c. XIV. Latinum textum emendari vult è Græco, in quo habetur non in Rages, sed ἐν ἐκβατάνοις. At sic *Latinus* textus male à Concilio Trid. pronunciatus fuerit authenticus. *Bellarminus* ita respondet c. III. *vocari Rages non ipsam civitatem, sed locum aliquem vicinum, cum Romæ habitare dicatur, qui Tusculi vel alibi in agro Romano habitat.* Sed JCti notant, quod *urbis appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis finiatur* l. urbs ff. de Verbor. signif. non ergo habitat Romæ nisi qui intra muros Romæ saltem continentibus ædificiis habirat, unde *Mich. Medina* hanc responsionem improbat, diserte enim dicitur: quod Sara habitarit *in Rages civitate Medorum.* At circumstantiæ textus manifeste ostendunt, Gabelum non in vicinia, sed in civitate distantiore habitasse, siquidem Angelus assumit animalia & servitia, cum ingressurus esset viam *cap. IX. v. 3.* Causa etiam ablegationis adducitur ista, quod Tobias noluerit moras nectere, sed interea absente Angelo nuptias parare & expedire omnia, ut ad reditum in patriam esset instructior. Quod si in vicinia habitasset Gabelus, Tobias ipsemet ad eum fuisset profectus. vid. *Gerh. in Exeg. p. 181.* Non ergo satis sibi constat hæc Historia.

Vers. 8. NOMINE ASMODÆUS] Is Thalmudicis vocatur Rex dæmonum, nomen à שָׁמַד, quod lingua Syriaca est perdere.

Inepte Tirinus ab *Esch*, id est *ignis* & *Medai* id est *regnum Mediæ*, quod toto illo regno ignem libidinis excitarit, deducit.

Vers. Eod. OCCIDERAT EOS] Vitio aliquo corporis Saræ, ut videtur. Ideo in Græco Sara per opprobrium vocatur, ἀποπνίγουσα τοὺς ἀνδρας. Vide infra 25.

Non concludi debet vitium corporis Saræ, ex verbis animo maligno & criminandi in eam jactatis. Nec cum Raphael ambos curaturus dicitur, id colligi potest. Nam curare quandoque est à malo præservare. *Certum est*, inquit *Tirinus*, ex c. VI. 17. *extraordinaria levitate ac lasciva protervia, repentinæ sicæ mortis causam dedisse.* Sed Sara, dissimulatis illorum vitiis, qua erat humilitate & modestia, culpam omnem cladis illorum in se unam conjici permittit.

Vers. 12. AD HANC VOCEM FERREXIT IN SUPERIUS CUBICULUM DOMUS SUÆ] In Græco est amplius: ἐλυπήθη σφόδρα ὥστε ἀπάγξασθαι, quod explicari potest, ita ut spiritus ejus comprimeretur, secundum ea quæ diximus ad Matth. XXVII. 5. At Hebræus qui hanc historiam scripsit, aut è Græco vertit, finxit Saram voluisse vitam finire suspendio, sed ab ea cogitatione revocatam. Fuvent hujus interpretationi ea quæ sequuntur in Græco, διὰ ταῦτα τοῦτο.

Non congruit pietati Saræ, quod voluerit vitam suspendio finire. Gravissimum enim peccatum est ἡ αὐτοχειρία.

CUM LACHRIMIS DEPRECABATUR DEUM] κύριε τοῦ θεοῦ, ait Græcus, id est, aperta illa fenestra quæ Templum versus spectabat, ut moris erat in exilio. Dan. VI. 11.

Vers. 16. NUNQUAM CONCUPIVI VIRUM] Concupiscere dicitur de re illicita: itaque sensus est qui & in Græco: καθαρὰ εἰμὶ ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας ἀνδρός, à stupro & adulterio scilicet.

Vers. 17. NUNQUAM CUM LUDENTIBUS MISCUI ME] Ludentibus, id est, saltantibus, quomodo & Virgilius hanc vocem usurpat. Vide Exod. XXXII. v. 6.

Non de choreis, sed generatim de *ludis* sermo est. Vox enim lusus omne puellaris ludi ac lasciviæ genus comprehendit.

Vers. 18. NON CUM LIBIDINE MEA CONSENSI SUSCIPERE] Non ex animi mei lubitu, sed patri morem gerens. Sequuntur hic & quædam in Græco inter alia: οὐκ ἀδελφὸς ἐγώ, οὐκ ὑπέμεινα αὐτῷ ὡς, ἵνα σωπήσω ἐμαυτὸν αὐτῷ γνωρίσω. id est, pater meus nec fratrem habet, nec fratris filium, cui ego nubam, ut ἐγγίστῃ. De hoc jure vide quæ dicta ad Matth. I. 16.

Vers. 22. VITA EJUS, SI IN PROBATIONE FUERIT, CORONABITUR] Proverbiale est, quod & Jacobus usurpat I. 12.

Vers. 25. RAPHAEL UT CURARET EOS AMBOS] Nam & nomen illud sanationem à Deo significat. Sequitur in Græco: διότι τῷ Τωβὶα ἐπιβάλλει κληρονομῆσαι αὐτὴν, id esset Hebraice, לטוביה משפט ואת ארת; Hebraice נא. Græcis autem Hebræos imitantibus, ἀγχιστεύειν, aut κληρονομεῖν, est virginem ἐπίκληρον ducere jure proximitatis.

In Ebræo additur: *Princeps curationibus præpositus.* Quem tanquam *Patronum* invocandum esse à *Medicis & ægrotis* notat Tirinus. Sed ita è fabulis homines illi sua firmant: Latinum enim non Ebræum textum authenticum faciunt. Neque de Raphaele quicquam in tota Scriptura. Er à nomine Medicinæ Dei ad invocationem frivole colligitur. Ubi enim Raphael Patronus Medicis & ægris in Script. canonicis constituitur?

## CAPUT IV.

*Tobias se brevi moriturum credens filium piis instruit monitis: eleemosynæ usum declarat, & de pecunia apud Gabelum deposita monet.*

Vers. 2.

AUDI FILI VERBA ORIS MEI] Egregiæ ὑποθῆκαι, quales boni patres dare solent liberis.

Vers. 7. AC NOLI AVERTERE FACIEM AB ULLO PAUPERE] In Græco est: καὶ μὴ ἀφέσῃ ἀπ' ἐμοῦ ὁ ἀδελφός σου ἐν τῷ πένητι ἀλλ' ἐμοὶ ἀποστραφήσεται. Idem reponitur infra 17. Locutio est Hebræorum, qui φάσωπον vocant eum, qui est præparcus, ut Sirachides XIV. & oculum sumunt pro animo, ut Matth. XX. 15.

De Eleemosyna conjuncta Pœnitentiæ.

QUod hic habetur: NON AVERTETUR A TE FACIES DOMINI: & postea v. 10. PRÆMIUM ENIM TIBI THESAURIZAS IN DIEM NECESSITATIS, *id eleemosynæ* tribuunt Papistæ, *& diem necessitatis* de mortis die intelligunt. Sed Canonica Scriptura nihil novit de *meritis nostris*, imo nos quicquam mereri posse negat, & omnia gratiæ divinæ tribuit *Rom. XI. 6.* Neque *dies necessitatis* est dies mortis, sed indigentiæ in hac vita. *Eleemosynam* vero disponere nos ad gratiam de *congruo*, ut hic Tirinus vult, merum est commentum. Quod ipse ei per se ac proxime tribuit cum fiat ex fide. Sed quomodo fides locum habere potest ante opera, hæc enim consequun-

sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum. Quod vero vers. 11. dicitur *Eleemosyna liberat a morte*, pariter non de *dispositione de congruo* accipi potest, nec de liberatione à morte æterna, sed si ad analogiam Scripturæ canonicæ revocandum, hoc sensu explicandum est, quod *Eleemosina per preces eorum, quibus exhibetur, non finat hominem prorsus perire in calamitatibus, Luc. XVI. 9.* Neque in *Græco* exemplari, quod non pauci *Pontificii* præferunt, habetur, quod eadem magnam præstet coram Deo fiduciam, sed quod δῶρον ἀγαθὸν *donum bonum sit omnibus facientibus eam coram altissimo*, v. 12.

Vers. 13.

ATTENDE TIBI FILI MI AB OMNI FORNICATIONE] Vide quæ dicta ad Matth. V. 27.

ET PRÆTER UXOREM TUAM NUNQUAM PATIARIS CRIMEN CIRE] Le. ab omni venere extra conjugem abstine. At in Græco est, μὲ λάβῃς γυναῖκα ἀλλοτρίαν. Quod sequitur in Græco, καὶ τὸ σπέρμα αὐτῶν πλησιόν σου γῆ, significat semen reditus in patriam piorum animis infixum ex Prophetis. In eo quod ibidem in Græco sequitur, ὁ ἀγχιστεὺς ἐλάττονος κρίνεται μεγάλου, per ἀγχιστέυτα intelligenda pignitia, ut diximus ad Luc. XVII. v. 10.

Vers. 16.

QUOD AB ALIO ODERIS FIERI TIBI, VIDE NE TU ALIQUANDO ALTERI FACIAS] Plus est, quod est in Evangelio, quod velletis vobis fieri, facite aliis. Marc. VII. 12. quod hic dicitur est תּוֹ לֹא תעשה, quod in Evangelio תּוֹ תעשה.

Reciprocantur hæc præcepta, *positivum* & *negativum*. *In negativo positivum* & in *positivo negativum* includitur. Non ergo sensu diviso, sed *composito* accipienda. Tendunt autem illa Grotiana eo, quod major perfectio in *Evangelio* requisita sit, quam sub V. T. aut in lege, quod est *Socinianum* & ex parte *Papisticum* commentum.

Vers. 18.

PANEM TUUM ET VINUM TUUM SUPER SEPULTURAM JUSTI CONSTITVE] Super sepulturam est, propter sepulturam, quomodo על Hebræum sæpe solet: id est, sepulto aliquo viro bono. Proximos ejus visitare, missis cibis & vino optimo. Vide Jeremiam XVI. 7. Nam apud sepulchra epulari & facere ἐπιτάφιος mos non fuit Hebræorum, sed aliarum gentium, cujus reliquias in Africa mansisse nos docet Augustinus ad sua usque tempora.

Fallitur ergo Tirinus, cum hunc morem Judæorum de *conviviis sepulchralibus* intelligit, atque inter alia etiam fingit, distributione ciborum inter pauperes ipsos credidisse aliquid impetrari auxilii vel relaxationem pœnarum purgatorii, quæ frivola & inepta sunt.

Vers. 20. ET OMNIA CONSILIA TVA IN IPSO PERMANEANT] In Græco: καὶ αἱ βουλαί σου ἐυοδωθήτωσαν, id est, prosperentur. Solet ita verti Hebræum צלח. Extat idem verbum infra V. vers. 24. Sir. XI. 16. XV. 10. XXVII. 14. XLI. 2. I. Macc. III. 6. IV. XIV. 36. XVI. 2. II. Macc. X. 7. 23. Sequitur in Græco: αὐτὸς ὁ κύριος δίδωσι πάντα τοῖς ἀγαθοῖς, καὶ ὃν δίδει ταπεινοῖ. Hesiodus: μὴ δὲ θρασύνου χαλεπῶς.

Vers. 21. CHIROGRAPHVM QVIDEM ILLIVS PENES ME HABEO] De quo supra I. 17.

---

*PARS POSTERIOR LIBRI.*

# GESTA TOBIÆ JUN.

## CAPUT V.

*Raphael adjungit se socium, & ducem Tobiæ, eique committitur filius à Patre, ac deploratur à matre.*

Vers. 8.

IN RAGES CIVITATE MEDORVM, QVÆ POSITA EST IN MONTE ECBATANIS] Hæc postrema in Græca non sunt: potest tamen mons intelligi pro montosa regione.

Vers. 16.

DE QVA DOMO, AVT DE QVA TRIBV ES TV?] In Græco: ἐκποίας φυλῆς εἶ ἐκποίας πατρῆς σύ ἐι. Prius est interrogare de tribu, deinde de familia, id est parte tribus, quam Græci Hebraizantes πατρίαν vocant. φυλὴ est שבט: πατρία משפחה. Vide quæ ad dictum locum Matth. I. 16. In Græco comiti promittitur supra victum drachma in diem. Vide Matth. XX. 9. nam drachma & denarius ferme in idem recidunt.

Vers. 18.

EGO SVM AZARIAS ANANIÆ MAGNI FILIVS] Videlicet corrigendus Græcus textus, in quo legitur, ἐγὼ τοῦ γόου Ἀζαρίου καὶ Ἀνανίου τοῦ μεγάλου, ut scribatur, ἐγὼ Ἀζαρίας τοῦ γοητὸς Ἀνανίου τοῦ μεγάλου. Exigit id locus infra VI. 8. VIII. 9. Azarias עזר יה, *auxilium Dei*. Ananias חנן יה, *gratia Dei*, à gratia auxilium.

*Falsitatis convincitur hic liber.*

VEritatem historicam hujus libri asseruit supra Grotius: at quo modo eum ea confisitere poterit *mendacium* hoc prolixum, Angelo Domini hic tributum. *Ego ab Azaria & Anania alio magno fratribus tuis genus duco.* Nam angeli genus ducunt ab hominibus, eorumque generis ratione fratres sunt? Etsi vero angeli quondam in humana forma apparuere, nunquam tamen professi sunt se ex certa familia, aut gente originem trahere, nunquam talibus mendaciis homines circumvenerunt. Nec id eorum veritati & sanctitati convenit. Nihil ergo est, quod *Serarius*, eique obstetricatus *Drusius* ad loca obscur. Gen. c. XLVII. excipiunt, *species rerum appellari de nominibus rerum*. Quia hic non est nuda appellatio, sed originis familiæ & gentis prolixa declaratio. Aliud est de alio aliquid dicere *juxta alterius judicium*: Aliud de se in prima persona aliquid narrare. Quod hic fit. Nullatenus ergo admitti id potest. Ita *Angeli* Gen. XIIX. se non profitentur homines vel viros, sed tales tantum videntur Abrahamo, & sic ab eo vocantur. Error ergo in Abrahamo, non in Angelis: At hic peccatum ab Angelo ipso se Israëlitam & quidem Azariam vocante. Deinde *aliud est Angelos videri homines*, aliud, *Angelos videri hos homines in individuo*. *Prius* habetur Genes. XIIX. *posterius* hic in libro Tobiæ. Et frustra supponunt Papistæ, Angelum sive vultum sive habitum, sive ingenium expressisse, quod dicitur, non docetur. Adde, causam dari non posse, cur ejus vultum vel habitum vel ingenium induerit potius quam alius cujusdam Israelitæ. Immo eorum indui potest vultus vel schema in gratiam aliorum qui noti sunt aliis. At hic neutri Tobiæ talis videri poterat Angelus, non juniori, ut patet, qui illum etiam Azariæ vultum (ex hypothesi) mentientem tamen ut ignotum compellat, nec seniori, quia obstabat illius cæcitas, & demum ex relatione Angeli discit illum esse Azariam. Neque excusari potest responsum Angeli, jejuna illa Grammaticatione *Raphaelem* Ebræis esse *remedium Dei*, Azariam *auxilium Dei*. Nec enim ii, qui vel idem prorsus nomen habent vel nomina quoad significationem cognata, ob id sibi possunt imponere nomina alia, vel sibi aliorum nomen præscribere. Quid quod ex contextu appareat, quæstionem Angelo isti proponi à Tobia de nomine *proprio*, *de familia & tribu*: Ad ista vero respondet personatus iste Angelus, se esse *Azariam filium Chananiæ magni*. Nec responsum id aliud quam genealogicum censetur à Tobia cap. V. 18. 19. 3. Non tantum ita se vocat ipse sed & assentitur Tobiæ, genus istud altius reperenti. Immo *cap. VII. 4.* Rehueli dicit una cum Tobia juniore *se esse è filiis Nephthali qui captivi sunt Ninives*, quod etymologice etiam cum *Hugone Cardinale* exponere,

est

est cum ratione insanire. An vero Angeli etiam transportati à Salmanassare in Assyriam? Recte i. taque *Frid. Spanhemius* Dispp. Th. D. II. p. 123. hæc latius exequens, *In libro Tobiæ Cap. IV. 5. seqq.* inquit, *Angelus Raphael fingitur velut historio λόγῳ μιχανῆς in pegmate indutus schemate mendaci. Dicit enim se apud Gabelem fratrem commoratum v. 7. & interrogatus à Tobia Seniore*, è qua tribu & familia orundus foret, *quod genus ei, unde domo esset v. 16. & 17. respondet secundum textum Græcum*, se ab Azaria & Anania magno fratribus Tobiæ genus ducere v. 18. *secundum versionem vulg.* se esse Azariam, Ananiæ magni filium. *Hoc schema Angeli Tobiam seniorem in errorem ducit, subjicit enim v. 19.* agnoscere se, ipsum bona & honesta progenie ortum, nosse enim se Ananiam, & Jonathanem esse Semei magni filios, & se una cum illis Hierosolymas ad adorandum profectum, ad decimas fructuum, & ad primogenita afferenda. Ista vero à *mendacio* vindicari nequeunt: vel enim comes ille Tobiæ Junioris Angelus Raphael fuit, & sic falsum est eum Azariam fuisse &c. vel fuit *Azarias*, & sic falsum est, illum fuisse Angelum Raphaelem. Tale autem quid in Scripturis divinis inauditum est, nec à mendacio absolvi potest. Qui de semetipso loquitur, sibique aliquid tribuit, ille certe non ex alterius, sed ex propria mente loquitur. Nec ob nudam formæ repræsentationem se illum dicere potest, quem repræsentat; in *dramatibus* vel *comœdiis* id contingere solet: non autem in *historiis*, aliud præterea est *occultare* aut *tacere quod verum*, aliud *profiteri, quod falsum est, illud* absque mendacio fieri potest, *hoc* non item. Nec commento illud effugere possunt, quod *mystice* verba Angeli intelligenda sint, quod Azarias sit *adjutor Dei*, Ananias *Dei gratia*, ut *Lyranus* exponit, nec non *Dionys. Carthus. Angelus se vocat filium Ananiæ, h. e. Dei, qui propterea vocatur Ananias, quod respondeat, h. e. clementer annuat precibus nostris, Azarias vero propterea, quod emissus esset ad opem ferendam Tobiæ.* Talis enim mystica explicatio omni caret exemplo. Et quid ea ad rem facit! Annon ita de allio quæsitus Angelus, respondisset de cepis, & Tobiæ quæstionem æquivoco responso eluisset? aut tacite alium sensum mente occultasset, quam verba aperte inferunt, quod contra legem sanctitatis ac veritatis est. *Non minus enim peccat contra veritatem, qui utitur verbis in alia significatione præter communem, etsi non directe dicat contra mentem, sed aliud significare velit, quam si directe contra mentem verbis ipsis utereur*, dicente *Pasquio* in I. secundæ disp. c. XXCII. CIV. Similis furfuris mendacium est. *C. VII.* Angelo tributum, *quod sit ex captivis Ninives*, quod itidem nullo pacto excusari potest.

Vers. 23. BACULUM SENECTUTIS NOSTRÆ TULISTI, ET TRANSMISISTI A NOBIS] In Græco: ἐβάστασας τὴν χηρείαν ἡμῶν ἐπὶ τὸ ἐπιποθητόν σου αὐτὸν καὶ ἐπαγγειλάμενος ἡμῖν. Nonne sustentaculum nobis erat nostra negotia gerens? Id enim significat Hebræis, ingredi & egredi coram aliquo Num. XXVII. 17. 1. Sam. XVIII. 12. Vide & Actor. 1, 21. Deut. XXVIII. 6. Ps. CXXI. 8.

Vers. 24. NUNQUAM FUISSET IPSA PECUNIA PRO QUA MISISTI EUM] In Græco: Ἀργύριον τῷ Ἀγαθίᾳ μὴ φθάνῃ, sensu minus commodo; forte scriptum fuerat: Ἀργύριον ἀφ' ἡμῶν μὴ φθάνῃ, non decuit pecuniam præferre filio.

Vers. 25. SUFFICIEBAT ENIM NOBIS PAUPERTAS NOSTRA] In Græco: ἀπὸ περιζώματος τῶν παιδίων ἡμῶν γένοιτο. Scriptum forte fuerat, τῶν παιδίων ἡμῶν, id est pauxillum quod habemus filio nostro maneat, περίζωμα est ramentum, res non magni pretii 1. Cor. IV. 13. Ita à Græcis quibusdam vertitur בְּנִי Jer. XXII. 28.

Vers. 26. NOLI FLERE] In Græco: μὴ λόγου ὄχι ἀδελφὴ, noli sollicita esse soror. Sic Hebræi vocabant conjuges suas, quod ex Abrahamo, Isaaco, Jacobo communem cum maritis originem ducerent. At Christiani, ideo quod eodem lavacro regenitæ sunt 1. Cor. IX. v. 5.

## CAPUT VI.

*Angeli hortatu Tobias piscem invadentem apprehendit, & exenterat; cor ejus, fel & jecur ad medicamenta reservans; & ad Raguelem divertit, ut Saram uxorem petat.*

Vers. 1.

JUXTA FLUVIUM TIGRIS] Qui à Ninive Adiabenen petit, quod iter est in Mediam euntibus

ECCE PISCIS IMMANIS] Forte Hippopotamus.

CEtus tantæ magnitudinis ad Tigrim flumen extra aquas se proripuisse fertur, ut Tobiam deglutire conatus fuerit, & tamen immediate subjicitur: *Tobiam prehendisse piscem ipsum, eumq. ad crepidinem vel marginem fluminis pertractum eviscerasse, & assatum Angelo comedisse, corde, hepate, & felle servatis in usus futuros, ex suggestione Angeli.* Idem itaque piscis cetus fuit, & non fuit, tantæ molis, ut extremum immineret discrimen Tobiæ, ne ei præda fieret, quem tamen ille statim branchiis arreptis prehensum in terram projicit, eviscerat, assat, & ipse cum comite deglutit, & in sua viscera condit. Ubi *contradictio in adjecto*, & oppositum in oppositio. Nec vero roboris extraordinarii Tobiæ collati vestigium ullum in textu; miraculum hic gratis fingitur, non probatur.

Vers. 6.

QUOUSQUE PERVENERUNT IN RAGES CIVITATEM MEDORUM] Etiam hic Græcus habet Ecbatana, & ex Græco Hebræus codex; vide supra III. 7.

Vers. 8. OMNE GENUS DÆMONIORUM] Græce: δαιμόνιόν ἐ πνεῦμα πονηρόν. Hebræi omnes morbos solent dæmonibus asscribere, quod dæmones Dei permissu utantur causis naturalibus. Vide quæ ad Matth. IV. 24.

Fabulam superstitiosam silentio transilit Grotius, sed quomodo tueri quis veritatem historicam libri cum *Judæis* & *Papistis* poterit, ne de canonica dicam autoritate, qui tantis fabulis scatet? Annon enim piscis cor, fel, & jecur pro ἀλεξιφάρμακον venditare adversus omne genus Dæmoniorum portentoso mendacio & superstitioni prophanæ simile est? siquidem teste Christo, scianus *dæmonia non ejici nisi jejunio & oratione Matth. XVII. 21.* Quomodo ergo omne genus Dæmoniorum fumo de corde aut jecore piscis pellatur? Et quomodo ita fugatur, ut nunquam revertatur: Magicum est remedijs corporeis vim ineffe contra impetum Dæmonum, qui Spiritus sunt, & à materiæ contagie omni alieni, quasi mediis id genus natura mere spiritualissimis esse posset, cum in operatione tali nec contractus dari possit corporeus, nec virtualis, adeoque nulla in Spiritus efficacia. Magorum vero & incantstorum est, sive characteribus, sive succis, sive exijs aut visceribus animalium, sive verbis, sive numeris, sive annulis sive aliis id genus ad Dæmones fugandos uti, nec enim nisi ex compacto exit Dæmon ad remedia id genus è corporibus, ut invadat animas, & eas saltem no periculosiori dementet.

*Fabula de alexipharmaco è pisce.*

Nec est, ut dicatur *fumum non* esse causam sed *signum* expellendi Dæmones. Si suffumigatio ista signum fuit, vel fuit *naturale*, vel fuit *supernaturale*; Non *naturale*, ut notum, quia sic non magis fumus ex corde & hepate certi piscis signum esse potest precum, quam quivis alius: Nec *supernatu-*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-801159-p0013-1

*turale*, quia ejus nec institutio dari potest nec fundamentum ullum, ut habet *Spanhemius*, l. c. Ex textu utique evidentissimum, effectum istum, h.e. fugationem dæmonum adscribi suffumigationi illi ut *causæ*, non ut *signo*, *cap. VI. 9. Cor & beparistud*, *si quem turbet dæmonium aut spiritus malus, ea adole coram viro aut muliere illa, ac minime turbabitur amplius*. Idem patet ex verbis sequentibus immediate: *Felle inunge hominem qui habet albuginesin oculis suis, ita curabitur*: Ut enim illitio oculorum felle istius piscis non intercessit albugini, vel illam curavit in ratione signi, sed in ratione causæ, quum nulla analogia detur inter utrumque, & verba Scripturæ differte loquantur non de signo, sed de remedio: sic suffumigatio prior eandem habet rationem in ordine ad effectum priorem. vid. *Luc. XI. 24.* Porro, quænam fuit illa fumi virtus an *naturalis*, an *supernaturalis*, an *mixta*? Non habent quod hic dicant Papistæ. Aliam omnino πανοπλίαν contra dæmonia, alia remedia Sp. S. docet *Eph. VI. 1. Petr. V. 8.* sed videatur de hisce prolixe *Dn. D. Klotz in Angelol. punct. XV.* Recte *B. Waltherus* in Offic. Bibl. p. 1144. *Consilium illud de fumo & felle non est divinum & cæleste, sed plane magicum & Rabbino-Judaicum, qui harum nugarum Doctores sunt alii, & inter se quoque exercitores superstitiosissimi, unde vicissim adducimur, ut Judæum aliquem rhapsodum fuisse libri hujus consarcinatorem putemus.*

Vers. 9. ET FEL VALET AD UNGENDOS OCULOS, IN QUIBUS FUERIT ALBUGO] Plinius XXXII. *Omnium piscium fluviatilium marinorumque adeps liquefactus oleo, admixto melle, oculorum claritati plurimum confert.*

Ut singulari casui cæcitas Tobiæ tribuenda, ita non naturali & ordinario aliquo remedio, sed singulari & extraordinario potius restituta fuisset ipsa sanitas: nec quid de omnibus piscibus perhibet Plinius, demum addiscere opus habuisset Tobias ab angelo, aut tanquam proprium huic pisci, quem *Hippopotamum* dicit Grotius, vindicari potuisset.

Vers. 12. TIBI DEBETUR OMNIS SUBSTANTIA EJUS, ET OPORTET TE EAM ACCIPERE CONJUGEM] *Sed oportet eam te accipere conjugem*: nam nisi accipias conjugem, etiam hæreditate excides. Vide quæ diximus ad Matthæi locum. Huic vero quod est τὸν ἀγχιστέα, אולי, fimile est jus לבעז, τῶν δικαίων: de quo vide Ruth III. & IV. & ibi dicta. In Hebræo hic de quo vide Ruth III. & IV. & ibi dicta. In Hebræo hic יורד משפט האחרון re jus est eam ducere, ut proximum. Quod autem in Græco additur, mortem debere qui non duxerit, non est ex lege, sed potest intelligi, à Deo sæpe immatura morte puniri eos, qui pupillas proximas deserunt.

Vers. 14. DÆMONIUM OCCIDIT ILLOS] Non addidit quod in Græco est ὅτι δαιμόνιον φιλεῖ αὐτὸν.

Recte *Iunius hæc Iudæorum fabulas non Scripturæ veritatem respere*, observat. *Nam certe non tantum est*, inquit, *otii à rebus suis dæmoniorum principi, ut neglecta perditione studeat amoribus & rivalem agat.* Neque existimandum est, ullum à dæmone cum Sara commercium habitum fuisse, quod hic fatetur *Menochius*, nam & animus castissimus erat, quod ille oderat & corpus attingere à DEO non permittebatur. Hoc ergo tantum accipit Menochius ut vulgo jactatum, non autem ut hic affirmatum. Sed bonus hæc Tobias, si vera hæc sunt, id credidit. Quod verba ipsa docent.

Vers. 15.

DEPONAM SENECTUTEM ILLORUM CUM TRISTITIA AD INFEROS] In Græco, εἰς τὸν τάφον αὐτῶν. & Gen. XLII. 39. ubi est in Hebræo שאולה, in Græco, εἰς ᾅδου.

Vers. 18. SICUT EQUUS ET MULUS] Nempe *fortis equus visæ semper adhinnit equæ.*

Vers. 19. INCENSO ICORE PISCIS] Non addidit quod in Græco est, λέπυρα ἰχθύων συναμμένα, Neque enim mos videtur fuisse extra Templum Deo sustitum facere, non magis quam sacrificium.

## CAPUT VII.

*Raguel petitam à Tobia filiam in uxorem ei tradidit, scriptisque conjugii tabulis nuptiæ celebrate.*

Vers. 1.

ET SUSCEPIT EOS RAGUEL CUM GAUDIO] In Græco additur: Σαῤῥὰ δὲ ὡς εἶπαν αὐτοῖς κηδεστὴν ἐποιήσατο αὐτὸν, id est, dixit illis χαίρει. Vox est rara: ventu.

Vers. 2. RAGUEL DIXIT ANNÆ UXORI SUÆ] In Græco, Ἔδνα ערבה.

CONSOBRINO MEO] ὡς συγγενῆ in Græco. At ea vox apud hos scriptores non tam stricte sumitur, quam apud Græcos elegantiores, sed comprehendit & ἐξαδελφὸν & ἀνεψιαδοῦν.

Vers. 7. ET DIXIT, BENEDICTIO SIT TIBI FILI MI] In Hebræo: יברך אותו, nempe ut majores natu minoribus facere solebant. Marc. X. 10.

VErba illa v. 3. quæ hi duo à Raguele interrogati responsi loco reddunt, *ex tribu Naphthali sumus, ex captivitate Ninive*, non angelo, sed Tobiæ tribuit *Tirinus*. Angelum tamen etiam ut personam gerebat Azariæ, ita respondere potuisse, censet, sed utrique hæc dixisse referuntur, non solus Tobias. Angelum vero hæc cum veritate respondere potuisse, cui persuadebit Jesuita? Nam talis personæ repræsentatio, qua quis originem & statum alium assumit, *comœdiis* convenit, non *historiis*.

Vers. 7. BONI ET OPTIMI VIRI FILIUS ES] Sic Philoctetes ad Neoptolemum apud Sophoclem:

εἰ φίλτατόν ποθ' πατρὸς
ἐφέστηκας πατρὸς ἔβλαστε γεγώς.

Et alius:

Tales blandæ compellationes simul incitamentum sunt juvenibus ad virtutem. Simile infra IX. 9.

Vers. 9. PRÆCEPIT RAGUEL OCCIDI ARIETEM] In Græco: καὶ ἔθυσαν κριὸν πρόβατον, ubi ἔθυσαν non est sacrificarunt (quod plerunque & ex origine significat, ab altero significatu antiquiore, quo θύειν est θυμοῦν, unde θυμὸς, & thus) sed quovis modo occiderunt, quomodo & Galli à Græcis Massilienses vocem acceptam usurpant. Sic idem verbum sumitur Matth. XXII. 4. Luc. XV. 23. 27. Joan. X. 10. Actor. X. 13. Sequitur in Græco ἤδειαν γὰρ ἐκείνην ἔτι ἀνδρὶ γήμαι. Verba sunt Raguelis Tobiam invitantis. Idem loquendi genus in Græco, Esth. I. 11. πᾶσιν γενέσθω ὃ βασιλεὺς, ubi in Hebræo טוב לב ביין.

Vers. 15.

SECUNDUM LEGEM MOSIS] κατὰ τὸν νόμον quod mox in eodem textu Græco explicatur, κατὰ τὸν νόμον Μωϋσέως. Sic Num. XXXV. 24. על חפשפטים κατὰ τὰ κριθέντα: secundum præcepta. Tota lex תורה, partes ejus משפטים.

Vers. 16. ET APPREHENDENS DEXTERAM FILIÆ SUÆ DEXTERÆ TOBIÆ TRADIDIT] Manum enim manui jungere societatis signum apud Hebræos, uti diximus tum alibi, tum ad Zach. XIV. 13. Summa autem societas in matrimonio. Etiam Romanis matrimonia quædam fiebant conventione in manum. In Græco sequitur: καὶ ἁπτόμενος τῆς χειρὸς τῆς παιδὸς αὐτοῦ. Duc domum dicerent Latini: maritus enim Dominus constituendi laris, Gen. XXIV. 60. 61. Pf. XLV. 16.

FECERUNT CONSCRIPTIONEM CONJUGII] τὰ προικῶα. Ita enim specialiter appellatur id instrumentum, quod hic generis nomine συγγραφὴν dixit scriptor hujus historiæ Græcus.

Cito consensum præbuêre parentes in nuptias filiæ ipsa adventus Tobiæ hora, quia meliorem sponsum nec sperare poterant, nec optare, & quia ex lege illi debebatur, ac imprimis ob *vim internam*, qua Deus mentem parentum ad eas nuptias probandas impellebat: dicente *Dionysio Carthusiano*.

Vers. 18. UT FRÆPARARET ALTERUM CUBICULUM] Nempe ne funesti loci conspectus Saram afficeret.

Vers. 19. ET INTRODUXIT ILLUC SARAM FILIAM SUAM] Nam novæ nuptæ apud Hebræos priores cubitum ducebantur Gen. XXIX. 23. Idem mos Romanis, Catullus in Epithalamio:

*Iam*

*Iam licet venias, marite:*
*Uxor in thalamo tibi est.*

## CAPUT VIII.

*Tobias thalamum ingressus partem jecoris piscis assat; & dæmonio à Raphaële ligato Tobias & Sara servantur incolumes: ideo gratius Deo actis lætum paratur convivium, & pro dote medietas assignatur bonorum.*

Vers. 2. DE CASSIDILI SUO] *Forte de cassiculo suo.* Cassiculum enim reticulum Festo, & in glossis.

ET RELIGAVIT ILLUD IN DESERTO SUPERIORIS ÆGYPTI] Ἔφυγεν εἰς τὰ ἀνώτατα τῆς Αἰγύπτου. In loca deserta ab omni humano cultu, arenosa & squalentia, ut loquitur Plinius, ubi Nili cursum describit v. 9. διέρχονται δὲ ἀνύδρων τόπων, Matth. XII. 43. Sequitur in Græco: ᾗ ὧδε αὐτὸ ὁ Ἀγγελος, id est impedit eum, ne cui noceret, Sic Apoc. IX. 24. XX. 2. Adde Matth. XII. 29.

*Tirinus refellitur.*

Trinius ex Græco colligit, *Tobiam primo Thymiama seu suaves odores adoleviſſe Deo*, sed hoc merito reprobat Grotius, quia *loco* illi non conveniebat sacrificium, nec *personæ* etiam Tobiæ. Deinde *cor* & *jecur piscis* impositum dicit *prunis, quæ ut odoratus est Asmodæus fugerit in Ægypti fines.* Ast dæmonem odoribus fugari & in loco aliquo alligari, meræ fabulæ sunt. Ideo ad *vim angelicam* se recipit Jesuita. Cæterum textus angelo quidem apprehensionem dæmonis tribuit, *fumo* autem & *odoribus fugationem* ejusdem adscribit: & c. VI. 8. Raphael personatus dixerat, *cordis fumum extricare omne genus dæmonum.* Ideo non intuitu fumi, sed *precum piarum* dæmonem fugisse ait. At in textu ad *jecoris impositionem* dæmonium religatum dicitur v. 2. & 3. ac postmodum demum v. 4. hortatus est Tobias virginem ad preces. Ineptum denique est, quod dicit Tirinus, *asseris Ægypti montibus coërcitum, retentum fuisse libidinum Regem.* Dæmonem enim nulli montes, quales & quanticunque sint, retinere ac coërcere valent. Confer. quæ *B. D. Kloz de Angelolatria puncto XV.* operose *de modo Dæmonas fugandi* adversus Papistas circa locum è Tobiæ libro disputat.

Vers. 9.

TU SCIS QUIA NON LVXVRIÆ CAVSA ACCIPIO UXOREM MEAM CONJUGEM, SED SOLA POSTERITATIS DILECTIONE.] In Græco: οὐ γὰρ διὰ πορνείαν ἐγὼ παραλαμβάνω τὴν ἀδελφήν μου ταύτην, ἀλλ' ἐν ἀληθείᾳ. Non cum ea cubitum eo ut cum scorto, sed ut cum ea cui fidem dedi. ἀλήθεια sæpe nostris scriptoribus est fides illa quæ hominum societatem conservat.

Vers. 10. DIXIT QVOQVE SARA: MISERERE NOBIS, ET CONSENESCAMUS AMBO PARITER SANI] In Græco hæc sunt verba Tobiæ ita scripta: ἐποίησεν ἔλεος μετ' ἐμοῦ καὶ συγκατατηρῆσαι. Sed melius sic legenda: ἐποίησεν ἐλέησας με ταύτῃ συγκατατηρῆσαι.

Vers. 19. SACRIFICIUM TIBI LAUDIS TUÆ] Laudes & gratias quas Deus pro sacrificiis accipit. Psalm. LXIX. 30. 31.

Vers. 23. UT DUAS HEBDOMADAS MORARETUR APUD SE] Dies nuptiales solebant esse septem, Gen. XXIX. 27. Judic. XIV. 13. Raguel ob ingens gaudium, & quia spes non erat post id videndi filiam generumque, numerum duplicavit.

Vers. 24. ET FECIT SCRIPTURAM] Testamentum.

## CAPUT IX.

*Raphaël Tobiæ rogatu ad Gabelem pergit: quem recepta pecunia ad Tobiæ nuptias adducit: ille autem Tobiæ, ac Saræ benedicit.*

Vers. 3. VADES IN RAGES.

UT conciliationem cum c. III. 6. instituat *Tirinus*, notat *totam illam regionem, etiam Ecbatanis, ubi Sara degebat, Rages ab antiquo vocatam; sed fuisse in eadem regione etiam civitatem hujus nominis in qua Gabel habitarit.* Verum hoc sine teste aut documento historico.

Vers. 6. ET RECEPIT AB EO OMNEM PECUNIAM] In Græco: ἐχρήσατο τὰ ὀφλήματα ἀπ' αὐτοῦ τάλαντα. *Accepit talenta obsignata.* Sic enim Jurisconsultus, Juvenalis quoque & Vegetius vocant sacculos in quibus est pecunia.

Vers. 10. DICATUR BENEDICTIO SUPER UXOREM TUAM] Id est, dicatur imposterum novis nuptiis felix sit ut Sara Tobiæ uxor. In Græco: ᾖ εὐλογητὸν Τωβίας τὸν γαμβρὸν αὐτοῦ. Sed olim scriptum videtur fuisse: ᾖ εὐλογητὸς (nempe Raguel) Τωβίου ἐστὶ γαμβρὸς αὐτοῦ, id est, abeuntibus bene precatus est. Nam & sic historiam refert Hieronymus.

Additur v. 12. CUM TIMORE DOMINI NUPTIARUM CONVIVIUM EXERCEBANT. Id præscripsit etiam Plato gentilis Philosophus l. VI. de legibus. *Impensa secundum divitias fiat. Bibere usque ad ebrietatem, nec alibi quidem unquam decet, neque vero tutum est. Maxime tamen connubio conjuncti, & cumprimis sponsus & sponsa, tunc mentis compotes esse debent, ut ex quam maxime moderatis generatio fiat, & solidus, stabilis ac quietus conceptus sit.*

## CAPUT X.

*Parentes Tobiæ longam ejus moram anxie queruntur, ille autem agre obtinet, ut à Raguele dimittatur, accepta dote, & uxore. Porro Raguel illis bene precando admonet filiam de officio matris-familias.*

Vers. 1.

QUARE MORATUR FILIUS MEUS, AUT QUARE DETENTUS EST IBI.] In Græco: μήποτε κατέχονται, *an confusus est?* Id est, an elusa ejus spes per Gabeli haredes? ut sequitur. Sic apud Hebræos בּוֹשׁ sumitur sæpissime.

Vers. 4. HEU, HEU ME FILI MI, UT QUID TE MISIMUS PEREGRINARI] Ex hoc loco bene Græcum textum correxêre viri eruditi, ut pro μίσει legatur οἰ μίσει.

V. 9. EGO NOVI, QUIA PATER MEUS, ET MATER MEA MODO DIES COMPUTANT.

*Peregrinationis hujus morum Semrius quadraginta duorum dierum fuisse putat:* quos ita computat: *Charra ut patet ex initio capitis sequentis est in medio itineris Ninivem inter & Rages, Charra autem Ninivem usque ex Semrio, & Saliano perveniri potest spatio trium dierum; ergo Tobias sexto die postquam domo discesserit pervenit ad Raguelem. His adde quatuor decim, quibus apud eum commoratus est, efficies viginti. In reditu cum multis familiæ impedimentis Charram usque undecim dies posuerint. Charra domum usque tres, qui omnes simul sunt quatuor, & triginta.* Ita Mendethius.

Vers. 11. IN FUERIS IN FUELLIS] Honesto ornatu. In Græco est σώμασι, quod de liberis corporibus dici solere notavimus in appendice ad loca quæ de Antichristo agunt, aut accipi solent.

Vers. 13. HONORARE SOCEROS] sic & in Græco, τοὺς πενθερούς, id est, socerum & socrum. Nam masculinum hic, ut sæpe apud Hebræos, est pro communi. Additur in Græco: αὐτοὶ γὰρ γονεῖς εἰσὶ σοί. Soceri patres vocantur. 1. Sam. XXIV. 12. Socrus matris loco est. Instit. de nuptiis. §. Socrum. Apud Homerum Andromacha:

Ἕκτωρ δὴ, πατὴρ ὸς, πότνια μήτηρ.

Sub finem capitis in Græco & Ebræo sic Tobiæ valedicit Edna Saræ mater: *Dominus cœli, frater dilecte, te tuis restituat: mihique concedat, ut filios tuos ex Sara filia mea videam, & coram Domino gaudeam. Ecce ego tibi filiam meam, quasi quoddam depositum committo, ne ulla eam afficias molestia.* Mox subditur: *Ipse vero Tobias postquam profectus est, Deo gratias agens, quod iter prosperum sibi dedisset: Ra-*

*quelemque & Ednam ejus uxorem benedicebat* (seu sancta omnia precabatur) *& pergebat, quod Niniven appropinquarent.*

## CAPUT XI.

*Relictis in itinere Sara reliquaq; familia, Tobias, & Raphaël præcedentes lete à parentibus Tobiæ excipiuntur; filio patris oculos felle piscis liniente, ille visum recipit: quapropter actis Deo gratiis, post adventum Saræ septem diebus læti epulantur.*

Vers. 1. CHARAN.

HEbraice *Acrim*. Unde non videtur esse illa Abrahami patria Geneseos XI. 31. quæ erat in Mesopotamia cis Tigrin. Nam hæc Tobiæ *Charan* sita erat trans Tigrin, inter *Ecbatanas Mediæ*, & *Niniven Assyriæ* urbem: & forte est *Chatra* de qua Ptolomæus. Hæc *Tirinæ*.

Vers. 3. PRÆCEDAMUS] Additur in Græco: πρὸ ἑτοιμάσωμεν τὸν οἶκον. Præparemus locum ubi recipiatur Sara & comitatus ejus.

V. 9. PRÆCUCURRIT CANIS] Memor veteris Domini, ut Argus in Odyssea.

V. 11. OSCULATUS EST EUM CUM UXORE SUA] In Græco mater dicit: ἄδυ σε πνεῦσαι. ἀπὸ τοῦ νῦν ἀπεδεύθημεν. Id est, nunc satis vixi, Simile plane illud Simeonis: Luc. II. 29.

Vers. 20. VENERUNTQUE ACHIOR ET NABATH CONSOBRINI TOBIÆ] In Græco: Ἀχιάχαρος τοῦ Ναασὲκ, pro quo viri eruditi conjiciunt legendum, ὁ ἦν Ναασὲκ, & infra quoque in Græco XIV. 10. pro Μαναασσὴς reponunt Ναασὲκ, ut Achiacharus fuerit binominis. Certe ἀνεψιὸς φ, quod sequitur, Achiacharo convenire apparet ex eo quod supra est, I. 24.

V. 21. ET PER SEPTEM DIES EPULANTES] Agentes reporta, quæ Græce hic minus proprie vocantur γάμους, proprie dicerentur ἐπαύλια, ut est in Glossis.

## CAPUT XII.

*Tobias cum filio de mercede Raphaëlis consultans, auditis quæ sibi ac filio præstiterat beneficiis, medietatem offert omnium, quæ attulerant: at ille postquam se angelum Dei declarasset, in cœlum elevatus, quo facto illi in terram ruentes Deum benedicunt.*

Vers. 1. QUID POSSUMUS DARE VIRO ISTI?] In Græco est: δώσομεν μισθὸν τῷ ἀνδρὶ τούτῳ τῷ συμπορευθέντι ἡμῖν περιθεῖναι αὐτῷ δόξ, id est, dare περιθεῖναι, ἐπίθετον, auctarium, additamentum, sive corollarium. Vide supra II. 20.

Vers. 6. CONFITEMINI EI!] In Græco additur: μεγαλυνύνει δίδοτε αὐτῷ, id est, majestatem ejus agnoscite ac prædicate.

Vers. 7. ETENIM SACRAMENTUM REGIS ABSCONDERE, BONUM EST: OPERA AUTEM DEI REVELARE ET CONFITERI, HONORIFICUM EST] Egregium est ἀντίθετον. Reges consilia sua in occulto habent, Deus sua vult patefacere. Additos principis sensus exquirere illicitum, ait Tacitus Annalium VI.

Vers. 9. QUONIAM ELEEMOSYNA A MORTE LIBERAT, ET IPSA PURGAT PECCATA.

QUamvis gnome ista ad sensum bonum trahatur à nonnullis, de *liberatione à morte temporali immatura*, quia Deus piis μακροβιότητα promisit, nec non de *declaratione purgationis* per metonymiam, *Eleemosyna purgat à peccato*, id est, *purgatum esse ostendit peccatum*: aut de *purgatione* non qua *peccatorum præteritorum condonationem*, sed qua *futurorum cautionem*, & pravitatis inhærentis averruncationem: de *deletione*, non quæ fit *redimendo*, sed quæ *immutando*. Vix tamen litera fert ejusmodi interpretationes, & fateri præstat, non convenire sententiam illam Scripturæ canonicæ, ut pote quæ soli Christi merito liberationem à morte, & purgationem peccati tribuit. Neque ad Canonem pertinere librum Tobiæ agnoscunt cum patribus *Hugo Victor. Lyranus, Antoninus, Abulensis, Cajetanus &c.* Interim *c. Miror distinct. I. de pœnit.* hoc ita exponitur: *Eleemosyna à morte liberat non utique illa morte, quam semel Christi sanguis extinxit, & à qua nos salutaris Baptismi, & Redemptoris nostri gratia liberavit, sed ab ea, quæ per delicta postmodum serpit.*

Vers. 12. EGO OBTULI ORATIONEM TUAM DOMINO] Angelis hoc munus offerendi preces tribuit liber Hebræus Chasidin & Apocalypsis VIII. 3. Nec aliter censuêre veteres Christiani. Tertullianus de Oratione: *Angelo adhuc orationis adstante.* Meminit & Hermes Pastore. Adde quæ diximus ad Eph. I. 10. Cyprianus locum hunc sic citat: *Ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectu claritatis Dei.*

Nihil Scriptura de hoc Angelorum officio. Quod solum à fabulis Ebræorum enatum. Nam locus Apoc. VIII. 3. de Christo agit, *mediatore*, & *sacerdote nostro*, non de angelo *creato*, ut exponunt *Augustinus, Primasius, Beda* & Haymo, & agnoscit quoque *Blasius de Viega*, ad Apoc. p. 340. Liber vero ille, qui *Pastoris* nomen habet, Apocryphus est, autore ipso Gelasio *c. sancta Romana, dist. XV.* Recte se hic habent Spanhemii rationes huic officio angelorum oppositæ p. 189. 1. *Quia preces aliorum Deo offerre est pars muneris Mediatorii, quod soli Dei Filio vindicat Scriptura, quippe qui unus est Mediator inter Deum & Homines, 1. Tim. II. 5.* 2. *Quia ille solus interpellat pro nobis ad dextram Dei, Rom. IIX. 35. qui nimirum solus* pro nobis mortuus est, suscitatus est, & est ad dextram Dei, *quæ prædicata ibidem connectuntur, & uni duntaxat subjecto competunt.* 3. *Quia illum solum advocatum habemus apud Patrem, 1. Joh. II. 1. qui solus est propitiatio pro peccatis nostris, ut immediate additur v. 2. prior itaque actus fundatur in posteriori, & qui posteriorem non exequitur, priori haud quaquam par esse potest.* 4. *Quia illum solum habemus Pontificem magnum qui penetravit cælos, Hebr. IV. 14. & ut præcursor ingressus est intra velum, Heb. VI. 20. qui propterea quod in æternum manens perpetuum habet sacerdotium, servare potest qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro eis, Heb. VII. 25.* 5. *Quia per illum tantum offerendum sacrificium laudis, qui sanctificavit populum per proprium sanguinem, & passus est extra portam. Ad Hebr. XIII. 12. 15.* 6. *Adde, sententiam, genios interpretum & porrittorum minere fungi, ut humana ad DEOS nimirum preces & sacrificia transmittant, Paganam esse, non Christianam. Vide* Platonem in *Sympofio.* Item: *Angeli creati nec omnipotentes sunt, nec omnisciI. E. non possunt offerre preces Sanctorum.* Antec. *patet*, Consequ. *probatur, quia oblatio precum Sanctorum* indefinite, *prout Angelus eam sibi tribuit & Angelis aliis secum v. 15. exigit eorum auditionem & cognitionem, nec enim ignota preces offerri possunt.* 2. *Quia Angeli creati non sunt καρδιογνῶσται, qui ergo possunt discernere preces sinceras ab hypocriticis, gratas Deo ab iis quæ ipsi exosæ;* Materiale *enim precum bonorum & malorum, ut patet, idem sæpe est:* Formale *vero, quod dant latet, diversum.* 3. *Quia velo mnes preces Deo offerunt, vel aliquas solum: si aliquas, debuêre ea determinari ab Angelo, nec indefinite efferri, immo causa nulla dari potest, cur quadam ab illis deferantur potius quam aliæ; si omnes, deferentur etiam preces à Sanctis mente & corde duntaxat conceptæ, quod absurdum, quæ tamen potissima preces sunt.* Formale *enim precum est cordis elevatio ad Deum, & actus tum* judicii *de Dei omnipotentia & bonitate, tum* voluntatis, *quæ se totum in solidum in Deum effundit, eidemque resignat, & fiduciam de Dei gratia habet.* 4. *Quia ille solus preces*

*nostras*

nostras deferre potest ad Deum, qui & imperitatem & imperfectionem precum nostrarum expiare & emendare potest: quod nullius Angeli creati est. Nec enim preces Deo gratæ esse possunt, quæ vel contaminatæ, vel imperfectæ, quippe qui nihil amare potest, nisi bonum, nihil probare nisi quod suum Characterem gerit, & suam imaginem. Quod itaque preces nostræ ascendant ad Deum, & Deo gratæ sint, hoc in solidum transferibendum est & Christi merito, & ejus intercessioni, quo utroque nomine Deo demum acceptæ esse possunt. Et sane preces deferre ad Deum, non est id Deo suggerere quod ipsi ignotum, vel id illi in memoriam revocare cujus non meminit, sed est valorem & dignitatem conciliare precibus nostris. Nec enim Deus Regum & Principum instar opus habet ministris, qui vel ἀκοαγνῶσαι sint, vel ὑπομνηματισαι vel ὑπομνηματογραφοι, à memoria, à libellis, supplicibus, vel referendarii, (quod nomen à Græcis barbaris in suam terminationem etiam traductum, & inter Ecclesiastica officia relatum fuit, ut patet ex Nov. 6. Justiniani & Codino.) Adeoque Angeli creati preces nostras ad Deum deferre non possunt; cognoscit sedere & surgere nostrum, qui intelligit cogitationes nostras è longinquo, qui omnium viarum nostrarum peritus est, & cujus Spiritus ubique locorum est, Psalm. 139. coram cujus conspectu etiam omnes res creatæ sint nudæ, patentes & velut τετραχηλισμεναι, ad Hebr. IV. 13. 5. Quia ille solus preces nostras ad Deum deferre potest, in cujus nomine Deum invocare possimus cum fiducia exauditionis, talis vero nemo prater Christum, Johan. XIV. 13. 6. Quia illi soli illi precum nostrarum oblatio competit, qui objectum esse potest nostræ invocationis, qualenulla creatura, tum quia id ἀγεωφορον, adeoq; ob defectum sive mandati, sive promissionis, sine fide: tum quia id ἀπρεπες ον, ob prohibitiones Scripturæ: tum quia id ἀλογον, eo quod natura creata non sit capax istarum proprietatum, quæ exiguntur ad constituendum objectum nostræ invocationis. Hisce confer quæ tradidimus T. IV. Syst. Theol. p. 162. seqq.

Vers. 15. VNVS EX SEPTEM QVI ADSTAMVS ANTE DOMINVM] Tanquam intentoris admissionis satrapæ. Vid. Apocal. I, 4. & quæ diximus ad Matth. XVIII. 10. Citat hunc locum Cyprianus hoc modo: *Ego enim sum Raphael unus ex septem angelis justis qui assistimus, & conversamur ante claritatem Dei.*

Apoc. I. 4. Locus Apoc. I. 4. quem *Menochius* etiam hic confert, nihil ad rem facit. Ibi enim nomine septem Spirituum μετωνυμικῶς autor donorum & gratiarum influentium in septem Asiaticas Ecclesias Spiritus S. indigitatur, utpote à quo solo gratiam & pacem precari licet, nou ab angelo, quum hic sit cultus latrias, soli Deo debitæ. Conf. *Spanhem. Part. II. Disp. p. 196.* & imprimis *B. D. Klotz de Angelolatria.* De fabula de septem Angelis præcipuis, & de hoc nostro loco ita judicat Fr. Junius: *Si unus hic locus exstaret ad revincendam libri istius impuritatem, mihi quidem satis futurus esset, nihil enim profecto in toto orbe terrarum magicum dici potest, aut hoc ex principiis Magiæ petitum est, quorum Doctores primarii ex India & Bactriana profecti cum Judæis suum virus communicaverunt: Nam statuunt illi Angelos horarios, diarios, & alios tali regionibus attributos, principes, ministros, &c. ex quibus Zoroastres Bactrianus, Menastor Indus, & alii scelerum concinnatores suas magicæ observationes elaboraverunt. Atque hoc quidem vitio Judæos fuisse non mediocriter inquinatos, ostendit Epiphanius tomo primo sui Panarii, ubi de Pharisæis agit, & ipsorum quoque libri, diurnaque observationes testantur, quibus diem Solis Raphaëli, diem Lunæ Gabrieli, diem Martis Sammaëli, diem Mercurii Michaëli, diem Jovis Tzidkiele, diem Veneris Hanaëli, diem Sabbati Kephrarjeli tribuunt, eosque Dominos statuunt totius administrationis in diem illum necessaria. Quamobrem ita statuimus, qui ex hoc libro veritatem petunt, aut se confirmaturos putant, eos perinde facere, atque si molem gravissimam statuminare velint arundine.* Vid. & *Cornel. Agrippa* l. II. de occult. Philos. c. 3. *Reuchlin.* l. III. Cabal. Scriptura divina non septem, sed millia millium, & decies centena millia Deo adstare, docet *Dan. VII. 14.* nec discrimen illud agnoscit inter angelos *adstantes & ministrantes*, de quo in Syst. Theol. T. IV. p. 83.

Vers. 19.

VIDEBAR QVIDEM VOBISCVM MANDVCABE ET BIBERE] Id est, non vertebantur cibi & potus in meam substantiam. Vide quæ dicta ad Matth. XXII. v. 30.

At angeli cum apparuêre in forma humana non tantum κατ' ὀφθαλμους, aut per *simulationem* manducarunt, sed *vere*; etsi non talis illa manducatio fuerit, qualis nostra est: ideoque nec hic veritati litat personatus Raphaëli, cum ait, *videbar vobiscum manducare:* neque talis simulatio convenit angelis.

SED EGO CIBO INVISIBILI ET POTV QVI AB HOMINIBVS VIDERI NON POTEST VTOR] Facio Dei mandatis. Vide Joan. IV. 34.

Vers. 21.

AB ASPECTV EORVM ABLATVS EST] ἀφανης ἐγενετο ἀπ' αὐτων, ut loquitur Lucas XXXII. 31.

## CAPUT XIII.

*Tobias Senior benedicit, ac gratias agit DEO, & universos ad id ipsum hortatur: vaticinatur quoque de restitutione, & magna felicitate futura Jerusalem.*

Vers. 2.

DEDVCIS AD INFEROS ET REDVCIS] Ex I. Sam. II. 6, ubi LXX. καταγει εις ᾅδου και ἀναγει.

Vers. 4.

QVONIAM IDEO DISPERSIT VOS INTER GENTES] In Græco: και συνελξει ὑμας εκ παντων των εθνων ὧν διεσπαρησαν ὑμας εκ αυτοις, id est, ὡς διεσπαρησαν ὑμας, more loquendi Hebraico. Sensus autem desumtus ex Deuter. XXX. 3.

Vers. 7.

QVONIAM OSTENDIT MAJESTATEM SVAM IN GENTEM PECCATRICEM] Melius in Græco: ὁ δεσποτης του ὑψιστου μεγαλωσυνην αὐτου ἐξηγειται ἀμαρτωλῳ, id est, Assyrius iste narro magna & miranda Dei facta, ut eos, si fieri posset, à falsis diis ad verum convertam.

De Latino ita habet Tirinus: In gentem peccatricem, *id est, in Judæos, qui in Deum peccarant, inquit S. Cyprianus. Sed malim exponere de Assyriis, quorum deleto exercitu in Judæa, & tyranno quoque Sennacherib recens enso filiorum è vivis sublato, Deus potentem majestatem suam manifeste declarat.*

Vers. 14.

NATIONES EX LONGINQVO AD TE VENIENT, ET MVNERA DEFERENTES ADORABVNT IN TE DOMINVM] Ex Psal. LXXVI. 9. XCVI. 7. 8. Es. XII. 19. Mich. IV. 2. Zach. VIII. 22.

Prædictiones hæ sunt non de gentibus ad templum Plejadum advolaturis, sed de vocatione gentium ad spiritualem Hierosolymam, ut ad loca ista ostendimus; de qua etiam hunc locum intelligit *Tirinus.*

Vers. 21.

PORTÆ JERUSALEM EX SAPHIRO ET SMARAGDO ÆDIFICABVNTVR, ET EXLAPIDE PRETIOSO OMNIS CIRCVITVS MVRORVM EJVS] Sumta ex Esa. LIV. II. 12. ubi à nobis dicta vide.

Hæc ad *terrenam* Hierosolymam trahi non pos-

unt, quemadmodum ad locum *Esa. LIV.* docuimus. De *cæleſti* ſimilia tradidit Johannes *Apoc. XXI. verſ. 8.*

Verſ. 22.

EX LAPIDE CANDIDO ET MVNDO] In Græco: ἐκ λίθου λευκοῦ καὶ καθαροῦ. Ita LXX, ſemper; legerunt enim טְהוֹר pro אַזְיָר, ut diximus ad 1. Reg. IX. 28.

ET PER VICOS EJUS ALLELUJA CANTABITUR] In Græco figuratius καὶ ἐξῶσι πάντες οἱ ἐν αὐτῇ Ἀλληλούϊα, id eſt, reſonabunt plateæ feſtis vocibus, הַלְלוּ יָהּ frequens eſt in Pſalmis. Retinent, ut alias quasdam Hebræas voces, Eccleſiæ Chriſtianæ. Apoc. XIX. 1. 3. 4. 6.

## CAPUT XIV.

*Tobias Senior moriturus, ſuos ad pietatem hortatur, utque ſepultis parentibus è Ninive migrent, quam evertendam, & Ieruſalem inſtaurandam prædicit, quod filius obſervans tandem ad ſoceros revertitur, ibique moritur.*

Verſ. 6.

PROPE ERIT INTERITUS NINIVE] Id eſt, ad paupertatem redigetur, quod factum eſſe per Nabuchodonoſorem, ſicuti in fine hujus libri in Græco dicitur, oſtendimus ad Nahumum.

NON ENIM EXCIDIT VERBUM DOMINI] Per Nahumum. Et forte in Græco pro Ἰωνᾶς ὁ προφήτης, legendum Ναοὺμ ὁ προφήτης, & infra rurſum, ὁ προφήτης Ναοὺμ.

DE hoc loco Tirinus: *Græce additur*, per Jonam *prædictum, diu ante Tobiam: nam Jonas prophetavit ſub Jeroboam filio Joas rege Iſrael, 4. Regum XIV. & tum minatus fuit & prædixit excidium* Ninive. *Sed Ninive pœnitentiam agentibus Deus tum pepercit, ultione in aliud tempus dilata. Nam relapſis iterum in priſtina ſcelera ſupervenit ultor Phul-Bel-Ochus, & multis poſt annis Deus iterum per alium Prophetam, nempe* Nahum, *prædixit & de novo minatus eſt iisdem excidium, puta ſub finem regni* Joathan *regis Juda. De caſu vero & reipſa tandem everſa fuit anno 13.* Joiæ *regis Judæ. Idque à* Nabuchodonoſore *ſenore, qui 25. anno patris ſui* Nabopallaſſaris *adhuc viventis & imperantis, nomine ipſius adverſus Niniven caput regni Aſſyriorum, una cum* Cyaxare, *ſeu potius* Cyaxaris *filio* Aſtyage, *expeditionem ſuſcepit: & urbe potitus, excidit illam & funditus evertit, ac monarchiam Aſſyriorum tranſtulit ad Chaldæos. Ita S. Hieron: cujus hæc ſunt verba:* Revera, quantum ad hiſtoriam tam Hebræas, quam Græcas pertinet, & maxime Herodotum; legimus, Niniven regnante apud Hebræos Joſia, apud Medos Aſtyage fuiſſe ſubverſam. *Nam Aſtyages jam tum regnabat una cum parente ſuo* Cyaxare, *cujus etiam nomine videtur bellum ipſum adminiſtraſſe: ſicut* Nabuchodonoſor, *ut dixi, nomine* Nabopallaſſaris *etiam parentis ſui. Similia habet etiam Euſebius in Chronico & alii. Quin & Joſephus ipſum pene annum everſæ* Ninivæ *digito demonſtrat, nam ait: At tempore Joathan regis Iuda, quo regnante* Nahum *Propheta prædixit excidium Ninivæ, usque ad tertium everſionem illius effluxiſſe annos centum quindecim. Et qui decimus tertius annus* Joſiæ *eſt præciſe centeſimus decimus quintus ab ultimo vel penultimo anno regni Iothan. Idem colligere licet ex annis vitæ Tobiæ junioris: nam ex v. 16. hujus capitis habemus, ipſum compleviſſe 99. annos vitæ: ſed in Græco additur, antequam moreretur, audiviſſe, deſtructam eſſe Niniven à* Nabuchodonoſore & Aſſuero, *ſeu* Cyaxare, *quem Græci vocant* Axvares. *Ergo Ninive exciſa videtur ultimo vitæ anno Tobiæ. Iam vero ab anno ſexto Ezechiæ regis Iuda, quo una cum patre & matre ſua puerulus ſexennis vel ſeptennis à Salmanaſar in Aſſyriam abductus, usque ad 13. annum Joſiæ, fluxerunt anni 93. quibus additi ſex anni infantilis ætatis ipſius ante captivitatem, complent numerum 99. annorum: ergo: Sed vide ſuſius hæc in Chronico noſtro.* Hæc Tirinus.

FRATRES NOSTRI QVI DISPERSI SUNT] Nonnulli ex decem tribubus qui ſe adiungent Judæ & Benjamini.

Verſ. 7.

ET DOMUS DEI QVÆ IN EA INCENSA EST, ITERVM REÆDIFICABITVR] In Græco: καὶ οἰκοδομηθήσεται τὸ ἱερὸν τοῦ θεοῦ ἐν αὐτῇ ὁ πᾶς χρόνος. Erit quidem Templum præclarum, non tamen parvoteri. Vide Aggæum II. 3. & dicta à nobis tum ibi, tum ad Ezech. XL. 2. Sequitur in Græco: ἕως ἂν πληρωθῶσιν καιροὶ τῶν αἰώνων, ubi *ἕως* impropriè ſumitur. Senſus enim eſt, *cum impleta fuerint longa tempora*, à Deo definita ſcilicet. Sequitur mox in Græco: καθὼς ἐλάλησαν περὶ αὐτῆς οἱ προφῆται, Eſaias ſcilicet, Jeremias, Ezechiel, Daniel, Joel, Michæas.

Quomodo hos omnes Prophetas reſpicere potuit Tobias, qui plerosque ætate anteceſſit: quod *de Ieremiâ, Ezechiele, ac Daniele* indubium. Cæterum dubium nonnulli nectunt è *Latino*, quaſi tradatur à Seniore Tobia incenſio templi, ut res geſta, & reædificatio futura prædicatur: ſed verba illa in Latino non id præciſe inferunt, quod tum jam incenſa fuerit domus Domini, quum ita accipi poſſint: *domum Dei, ubi incenſa fuerit, edificatum iri vicisſim.* In Græco utique expirat illa difficultas, ubi futurum habetur: *incendetur.* Quod etiam v. 6. obſervare eſt: Nam ubi Latinus habet, *Et fratres noſtri qui diſperſi ſunt*, in Græco eſt *diſpergentur.* Loquitur enim de Juda & Benjamin, cum quibus miſti multi Iſraëlitæ, ut obſervat *Menochius.* Sic etiam cap. XIII. 11. Jeruſalem CASTIGAVIT TE, in Græco eſt, *caſtigabit.*

Verſ. 8. ET RELINQVENT GENTES IDOLA SUA] Multi ex gentibus, Jer. III. 17. XVI. 19.

Verſ. 13. QVIA INIQVITAS EJUS FINEM DABIT EI] Quod hic in Græco ſequitur de Amante, quî Achiacharo malum moliens ipſe exitium invenit, ex hiſtoria de Mardochæo huc imprudenter translatum videtur à ſcriba aliquo Græco. Aſſuerus qui in Græco dicitur una cum Nabuchodonoſore cepiſſe Niniven, eſt, ut puto, rex Mediæ ſocer Nabuchodonoſori. Hebræi omnes reges quorum nomina propria non norunt, nomine valde communi Artaxerxes vocant. Vide quæ diximus ad initium Eſtheris.

Verſ. 16. NONAGINTA NOVEM.

In Græco ſunt *centum viginti ſeptem.* Utri ergo credendum? Latinum textum authenticum dicunt Papiſtæ, at is ſæpius exerravit à Græco, quem rectius habuiſſe obſervatum. Nonnunquam tamen Latinus commodior eſt. Videmus prorſus vacillare hiſtoricam veritatem: nulloque modo conſiſtere Canonicam libri autoritatem. Textus enim Originalis in Canonicis Scripturis conſervatus divinitus omnem difficultatem eximit, ubi translationes variant. Quæ hic eſt inexplicabilis. Atque hæc ad librum Tobiæ. *Deo ſoli ſit gloria, in ſempiterna ſecula! Amen.*

I. N. I.

I. N. I.

# ANNOTATA AD JUDITHEM.

## PRÆFATIO GROTIANA.

MVlti viri eruditi fudant, ut quæ hoc libro continentur, quæ ipsi revera ita gesta putarit, concilient cum historiis non dubitantis, quæ sunt aut in sacris, aut in Græcorum literis. Puto diu sudaturos, priusquam aut aliis, aut sibi satisfaciant; veriusque esse, ea quæ sunt in hoc libro esse ἀνυπαρκτα: Scriptum librum cum primum Antiochus illustris in Judæam venisset, Templo nondum per idolum polluto, in hoc ut Judæi spe divinæ liberationis confirmarentur. Nam יהודיות esse Judæam gentem nemo negaverit. Bethulia בית אלוה est Templum. Gladius inde egrediens sunt preces Sanctorum. Nabuchodonosor Hebræis sæpe diabolum significat, & Assyria fastum, ut notatum & Hieronymo. Diaboli instrumentum Antiochus, qui hic tecto nomine Holophernes, (id est, הלעבי נחש lictor serpentis, Chaldaice, id est, ut jam diximus, minister diaboli) Judæam formosam quidem (nam propterea apud Danielem ארעא dicitur) sed viduam, id est, ab omni auxilio destitutam subigere volebat. Sperabant pii, fore ut is Deo pœnas daret, quemadmodum dedit. Ioachim in Græco, aut, ut in Latino est, Eliakim, qui hic dicitur fuisse summus Sacerdos, Deum sustenturum significat. Ea spes homines Deo conjungit, quod opus Sacerdotis maxime. Vide I. Maccab. VII. 14. Cætera sunt ἐπεισοδιώδη, ornamenti causa addita, qualia in parabolis multa. Post reditum è Babylonia scriptum hunc librum facile videbit, qui cum cura leget Græca IV. 2. & quæ sunt V. v. 21. 22. Propius indicium temporis habes infra IX. 11. & 18. Extitit hæc narratio etiam Chaldaico sermone, in summa rei cum Græco congruens, in verbis & circumstantiis nonnullis non parum discrepans. Ex eo se versionem fecisse ait Hieronymus. De eo quod dixi cogitent pii & eruditi.

## ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

HOc judicium de præsenti libro non est novum, quemadmodum id venditat Grotius, sed à *B. Luthero* aliisque ante ipsum jam ita creditum, ac pariliter hæc nomina explicata. Etliche wollen (ita habet Megalandri præfatio) es sey keine Geschicht, sondern ein geistlich schön Gedichte, eines heiligen geistreichen Mannes, der darin habe wollen mahlen und fürbilden, deß gantzen jüdischen Volcks Glück und Sieg wider alle ihre Feinde von GOTT alle Zeit wunderbarlich verliehen. Solche Meynung gefällt mir fast wol, und denecke daß der Dichter wissentlich und mit Fleiß den Irrthumb der Gezeit und Namen drein gesetzet hat, den Leser zu vermahnen, daß ers vor ein solch geistlich heilig Gericht halten und verstehen solle. Und reimen sich hierzu die Namen außdermassen fein; denn Judith heißt Judea (das ist) das jüdische Volck, so eine keusche heilige Wittwe ist, das ist, GOttes Volck ist immer eine verlassene Wittwe, aber doch keusch und heilig im Wort GOTTES und rechtem Glauben, casteyet sich und betet. Holophernes heisset prophanus Dux vel Gubernator, heidnischer, gottloser oder unchristlicher Herr und Fürst, das sind alle Feinde des jüdischen Volcks. Bethulia, welche Stadt auch nirgend bekand ist, heisset eine Jungfrau, anzuzeigen, daß zu der Zeit die gläubigen frommen Jüden sind die reine Jungfrau gewest, ohne all Abgötterey und Unglauben, wie sie im Esaia und Jeremia genennet werden, dadurch sie auch unüberwindlich blieben sind, ob sie wol in Nöthen waren.

*B. Lutheri sententia de hoc libro.*

Und mag seyn, daß sie solch Gericht gespielet haben, wie man bey uns die Passion spielet, und andere heiligen Geschicht, damit sie ihr Volck und die Jugend lehrten, als in einem gemeinen Bilde oder Spiel, GOtt vertrauen, fromm seyn, und alle Hülffe und Trost von GOtt hoffen, in allen Nöthen, wider alle Feinde ꝛc.

Merito autem fatetur *Grotius*, *non congruere librum historiis non dubitatis*, quo pacto nervus incidatur non solum *autoritati* ejus *canonicæ* à Papistis juxta Concilium Tridentinum assertæ, sed etiam *veritati historicæ*. Non potest certe narratio hæc conciliari cum *Chronologia sacra*. Nam si *ante captivitatem* accidit, quomodo consistet, quod *c. V. 22.* in Græco textu, quem *correctorem* esse volunt *Bellarm.* & alii, asseritur, quod templum solo fuerit æquatum? & quænam *illa* est *captivitas*, quæ ibi etiam in Latino textu commemoratur? Si post *captivitatem* contigit, quod verba *Achoris c. V. 22.* innuunt, quomodo *bellum* describi potest *Nabuchodonosoris contra Arphaxad*, siquidem *Assyrii & Medi Regi Persarum tunc subjecti fuerint*; nec usquam legamus, *Reges Persarum Nabuchodonosoras* appellatos sive in sacra sive in prophana historia? *Stabilita Persarum Monarchia*, inquit Tirinus, ad c. II. v. 4. *quomodo vel sub Cambyse vel sub Xerxe, vel sub alio quopiam Rege induci potuissent Persæ, tunc rerum Domini & totius Orientis Monarchæ, ut rebelli uni Assyrio, nescio unde prorepenti Nabuchodonosori, junctis copiis adessent, ad imperium totius orbis ipsi parandum, sibi vero subtrahendum.*

*Veritas historiæ hujus restituitur.*

Falluntur autem *Papistæ*, qui *tempore Manassis* hæc accidisse ajunt ut pote *Bellarm.* & *Tirinus*, qui etiam allegat *Genebrardum, Canum, Pererium, Christ. à Castro, Serarium, Salianum, & Bonfrerium*. Non potuit magnus polyhistor Grotius hæc cum veritate historica conciliare, qui lubentissime causam agit Ecclesiæ Romano-Catholicæ. Si expeditio ista Holophernis, & ea, quæ eam excepêre, contigere temporibus Manassis, vel contigere *ante ejus captivitatem*, de qua sermo 2. Par. XXXIII. 11. vel *durante* ejus captivitate, vel post eam. At *Non ante captivitatem*, quia quum invasisset Holophernes Judæam, nulla Regis ullius mentio, sed Joiakimi duntaxat Sacerdotis Judith. III. 5. cujus auspiciis prærupta montium occupata, & omnia ad bellum sustinendum administrata fuere. Nihil vero absurdius, Rege & quidem idololatra, qualis Manasses fuit ante captivitatem, superstite, Sacerdotem talia moliri. An passus fuisset Manasses, cui sanguinem Dei cultorum fundere usus erat, sibi extorqueri jus Majestatis à Sacerdote? An Sacerdos talia vel aggredi ausus fuisset, vel exequi? Nec sane *civilia* vel *bellica* id genus negotia administrare Sacerdotum erat, sed Regum. Nec ad captivitatem usque Babylonicam, Regibus ad clavum Reipubl. sedentibus, talia à Sacerdotibus unquam occupata leguntur inter Judæos. Adde nullam *Joiakimi Sacerdotis summi* in catalogo Pontificum mentionem fieri, inde à Salomone usque ad captivitatem Babylonicam, quod liquet ex illa serie Pontificum, quam habemus *1. Paral. VI.* Vel itaq; catalogus ille, qui texitur *à vers. 10. ad 16.* hiulcus est, & aliqua sui parte truncus, quod absurdum, vel Joiakim iste ὑποδολιμαῖος est, & nequicquam in ordinem hunc

infartus. Quid? quod nec Josephus ullibi Pontificis istius circa tempora illa in Catalogo Pontificum, quem texit lib. XX. Antiq. 8. meminerit.

Nec vero dici potest, Historiam illam contigisse *durante captivitate Manassis, propter easdem causas*. Quum enim Manasses Babylonem captivus abductus, quod habetur *2. Par. XXXIII. 11.* adeoque gens Judaica Babyloniis obnoxia fuerit, cur contra eandem gentem expeditionem molitus Holophernes? Et qui tum ignotus esse poterat populus iste Holopherni, cujus Rex attinebatur carcere Babylone. Adde quod c. 5, 22. reversi jam dicantur Judæi *ex dispersione*. Cæterum Historiam illam contigisse post captivitatem Manassis verisimile non est. Equis enim credet Legatos Nebucadnezaris contumeliose habitos fuisse à Judæis, quod dicitur c. I. 11. qui non ita pridem potentiam Babyloniorum experti fuerant, in clade illa & strage, quam gravissimam ab iis passi erant sub Manasse. Porro *Pax* illa *profunda & diuturna*, quæ liberationem illam excepisse, & Judæis constitisse dicitur toto tempore vitæ Judithæ, & multis annis ab ejus excessu *Judith. XVI. 30.* cum Historia Judaica illorum temporum conciliari nequit. Dicitur enim Judith ætatem protraxisse ad centum & quinq; annos, v. 28. nec provectæ jam ætatis censeri potuit, quando pulchritudinis suæ fiducia vel lenocinio potius Holophernem aggressa fuit; At pauciores longe anni intercesserunt inter tempora ultima Manassis, & Josiæ cladem, de qua fermo *2. Paral. XXXV.* &c. Quod vero *Tirinus* cum *Genebrardo, Bellarmino* & aliis Pontificiis hanc historiam *decimo* circiter *Manassis anno* contigisse putant, non congruit relationi *Achioris c. V. 12.* de reditu è captivitate jam facto. Sed hoc sepositio, quomodo *decimo anno Manassis* hæc contigere, siquidem Manasses *duodecimo demum anno* Rex factus sit? Neq; ullatenus verisimile est, captivitatem Manassis in principium Regni ejus incidisse. Nam variis & adultis flagitiis Manasses jam iram Dei in se concitaverat, & per Prophetas varios diu monitus fuerat, antequam objiceretur violentiæ hostium suorum. Nec Regi vel puero, vel nondum maturæ ætatis, nec dum roborata potestate, licuisset flagitia omnia perpetrare, quæ narrantur ab eo patrata 2. Reg. XXI. Quum puer admodum regni gubernaculis admotus fuerit, & dubio procul ab iis recta fuerit ejus adolescentia, qui ab Ezechia pio patre ad id erant delegati, quippe qui puer adhuc regnare cœpit anno ætatis XII. 2. Reg. XXI. 1. An vero *puero* vel *adolescenti Regi* licuisset ita grassari? nec coërcitus fuisset iste impetus? Imo ne cadere quidem potuerat tam obfirmatus ad quævis flagitia animus in istam ætatem. Accedit, quod 2. Paral. XXXIII. 6. habeatur, *Manassem filios suos traduxisse per ignem*, quod utique nonnisi de *secundo genitis* intelligendum, Amore majore natu dubio procul in spem regni servato, qui tamen natus demum circa annum XXXIII. regni Manassis, quum viginti duorum annorum esset, quando regnare cœpit, ut habetur 2. Reg. XIX. Adde Manassem dici Hierosolyma repleviste sanguine 2 Reg. XVI. 21. ex quo putat illum diu admodum ibi grassatum fuisse. Vide B. Gerhard. Exeg. de Script. S. §. 193.

*Textus libri.* Conscriptus creditur liber primum Chaldaice, sed Chaldæus textus corruptus fuit, ex quo *Hieronymi* translatio facta, nec amplius extat: Præter *Græcam* autem, *Syriacam* editionem etiam Masius commemorat. Extat & à *Münstero* edita *Ebræa* translatio; Scriptor primus à nonnullis putatur *Jojakim* summus Pontifex. Cæterum Interpp. libri *Interpp.* hujus post Isidorum Hisp. sunt Serarius, Fevardentius & Celada. Partes *duæ: Prior* de successu Nebucadnezaris & Holophernis capp. septem priori- *Partitio* bus: *Altera* de successu Judith contra Holophernem capp. reliquis.

*PARS PRIMA.*

DE

## SVCCESSV NEBVCADNEZARIS ET HOLOPHERNIS.

## CAPUT I.

*Arphaxad constituit urbem Ecbatana, prælio superatur à Nebucadnezare; Qui dum reliquis quoque regnis inhiat, sed ab illis spernitur, indignatus id se ultum rum jurat.*

Vers. 1. ARPHAXAD ITAQUE REX MEDORUM.

DE hoc tacet *Grotius*, quia historiam non convenire videt. Pontificii Interpp. nomen *commune* esse volunt *Regum Medorum* & indigitari hic illum, quam Herodotus *Dejocem* appellat. Nonnulli cum *Beda* Arphaxad dicunt Arboalum quendam, quo auctore (quum Cyri apud Massagetas clades audita est) Medi in Regem Persarum rebellaverint. Per *Nebucadnezarem* ergo *Cambysem Persarum Regem* intelligunt. *Franc. Junio* est *Articarmis*, qui Media divisa regnum suum Ecbatanis confirmavit, ut eo propugnaculo fretus tum Dejoci Regi, tum irrumpentibus aliis hostibus obsisteret.

Vers. 5. NABUCHODONOSOR REX. *Quidam Nebucadnezar.*

Plerique hunc Regem *Persarum* faciunt. *Cambysem* esse vult *Eusebius* in Chronico, *Augustl.* l. XIX. de Civ. Dei c. XXVI. *Beda* libr. de sex. ætat. & è Pontificiis *Lyran.* in h. l. *Joh. Driedo* de Constitut. Ecclesiastica. l. I. c. 2. part. 3. juxta nonnullos est *Darius Hystaspis*, ut vult *Gerh. Mercator* in Chronol. & alii. Juxta *Sixtum Senens.* est *Assuerus filius Darii Hystaspis* l. IIX. Bibl. Sac. 2. Juxta *Severum Sulpitium* l. 2. Hist. Sac. est *Artaxerxes Ochus*. Verum nullus Persarum Rex *Nabuchodonosor* dictus est, nec diceretur, Rex Assyriorum, si Persarum Rex fuisset: neque vero Reges Persarum in *Ninive* sed in Babylone sedem suam habuere, ut taceamus, quod tam diu non regnarit *Cambyses*, ut hic habetur c. II. 1. Porro *Nabuchodonosorem* hunc alii *Chaldæorum* Monarcham faciunt, qui *Hierosolymam destruxit*, quem Genebrard. l. 2. Chronol. Ann. Mundi 3560. regni sui decimo tertio *Holofernem* in Judæam misisse, *anno decimo nono* reliquias Judæorum in Babyloniam transtulisse vult. Sed si ita res habet, qua veritatis specie asseritur hic, post Holofernem trucidatum per omnem ætatem Judithæ, quæ ex isto tempore ultra annos LX. protracta fuit, pacem in Judæa viguisse? *Bellarminus* l. 1. de verbo Dei c. 12. quem hic sequitur *Menochius* Nebucadnezarem hunc dicit intelligendum esse *Baladad Merodach*, qui fuit Rex Assyriorum. At Regem Merodach Baladad *Nabuchodonosorem* dictum esse, dicitur, non probatur. Nullum ejus documentum è sacris aut prophanis scriptoribus afferri potest. Liber Judith perpetuo hunc Regem Nabuchodonosarum vocitat, nunquam Merodach Baladat appellat; neque prius Reges Babylonii dici cœpere Nabuchodonosori nomine, (si nomen hoc commune evasit) quam post magnum illum & celebrem Nabuchodonosarum, qui posterior fuit *Manassis* temporibus. E qui tempore Merodach Bal Adan tam ignotus esse potuit, regnante Manasse, populus Iudaicus, ut c. 5, 1. dicitur: quum Merodach Baal Adan jam tempore Hiskiæ parentis Manassis magnam legationem miserit *2. Reg. XX. 12. Es. XXXIX. 1.* & Rex Manasses tempore isto expeditionis Holofernis aut capti-

captivus fuerit penes Regem Chaldæorum, aut jam è captivitate, quod mavult Bellarm. dimissus? *Jacob Tirinus* alium commentus est Nabuchodonosarum è Chaldaico sanguine Regum Babyloniis, qui casu aliquo in Assyriam dilapsus filius adoptivus, vel certe genere, aut alio aliquo modo Assar Haddoni Assyriorum tunc Monarchæ affinis, atque ita successor ejusdem in imperio evaserit & Regum Babyloniorum nomen Nabuchodonosar retinere voluerit. Sed hoc nomen Asser Haddanis tempore jam fuisse Regum Babyloniorum proprium doceri nequit: nec quæ Tirinus de isto suo Nebuchodonosare tradit, ullius probati Historici testimonio probare potuit. Et quomodo Assar Haddonis tempore post cladem exercitus parentis ejus Sennacheribi tam insignem in obsidione Hierosolymæ acceptam populus Judaicus adeo incognitus esse potuit, ut Holofernes Princeps militiæ Assyriorum memoratis omnibus Principibus Moab & Ducibus Ammon c. V. quærere necessum habuerit, *dicite mihi, quis est populus iste qui montana obsidet, aut qua & quales, & quantæ sint civitates eorum*, &c. *Frid. Spanhemius* part. II. Disp. Theol. p. 129. hoc etiam urget, quod in scriptis canonicis, ubi Historiam Manassis, prolixe & aliquot quidem locis, exequitur Sp. S. ne ullum quidem hujus belli & liberationis quæ eam excepit, vestigium reperiatur. At tam mira & tam inusitata populi per fœminam unam liberatio haud quaquam fuisset dissimulata, quum alia longe minora, quæ Manasse rerum potienre contigere, cum cura annotata fuerint. Adde quod è Scripturis certum sit, Assar Haddonem Sennacheribi filium ultimum Assyriorum Regem esse, neque ullus post ejusdem tempora alius commemoretur, etsi Petavius hunc τὸν Ἀλμωδάδιον l. X. de doctr. tempor. c. 3. invehere conetur. Successit, inquit Spanhem. p. 159. *ille Asarhaddon Senacheribo Patri anno period. Julianæ 4006. Olymp. XVIII. anno primo, anno XXI. Ezechiæ, circa quæ tempora Merodach-Baladan rerum potiebatur inter Babylonios, ut patet ex Esa. XXXVII. XXXIX. & XXXIX. Assyriorum v. Monarchiam destruxisse à Babyloniis secundum Vaticinium Soph. II. 13. circa illa tempora, colligi potest ex duobus Sacræ Scripturæ locis. 1. Ex Ezech. XXXI. 18. ubi Propheta dicit*, Deum tradidisse Assyriam in manum fortissimi gentium, *& cladem punicam Regis & gentis ejus prolixe exequitur, & exemplo ejus Pharaonem Ægypti Regem territum vult.* Esa. XXXI. 8. *Sic cap. XXXII. 2. &c. addit*, gladium Regis Babyloniæ invasurum Pharaonem & vastaturum fastum Ægypti, *& versu 22. memint denuo Assyrii & stragis, quam perpessus fuit, ab iisdem nimirum Babyloniis. 2. Idem colligitur ex Jerem. LV. 18. ubi Deus interminatur idem exitium Babyloniis, quod immiserat Assyriis*, Jer. 50. 18. Ecce ego animadvertam in Regem Babyloniæ & in terram ejus, quemadmodum animadverti in Regem Assyriæ. *Quum itaque tempore Merodachi Babyloniorum Regis vixerat ultimus Assyriorum Rex Asarhaddon, & non fuerit Rex potentior tunc temporis Babylonico, & Ægyptiis eadem clades denuntietur, quæ illata fuit Assyriis, denuntietur vero inferenda Ægyptiis à Babyloniis, nihil verisimilius, quam Asarhaddonem Assyrium oppressum fuisse à Merodacho Babylonio, quod & Torniello Chronologo celebri placet, idque probabile tunc factum fuisse, quando, occiso Sennacheribo Patre, contendit de imperio cum fratribus suis Adrumelech & Scharezer parricidis Esa. XXXV. vers. 45. Hinc disturbatis regni Assyriaci viribus, & fissa in partes potentia Assyriorum, in prædam cessere Babyloniis. Unde & Merodach Baladan cum Ezechia optime convenisse videmus. Esa. XXXVII. 38. ut qui eosdem hostes haberent Assyrios.* Adde probabiliter admodum colligi posse, tunc Assyriorum imperium subactum fuisse à Babyloniis, postquam gravissima illa strage & clade attriti fuissent Assyrii, quam pasti fuere in Judæa, centum & octoginta quinque millium hominum Esa. XXXVII. 36. Qua opportunitate fractis Assyriorum rebus & subsequuta fratrum de regno contentione, usi dubio procul Babyloniis sibi regnum Assyriacum subjecere. Ab eo enim tempore iidem Assyriorum & Babyloniorum Reges fuisse leguntur. Patet ergo, quod diximus, nullatenus hanc narrationem veræ historiæ convenire. Sed consentientem hic habemus Grotium.

Vers. 6. QVI APPELLATUR RAGAU] Ragiane, Ptolemæo in Media.

JADASON] Mons Jasonius Ptolemæo ibidem.

IN CAMPO ERIOCH] Orocana Ptolemæo.

REGIS ELIGORUM] In Græco mendose, Ἐλυμαίων, quo nomine etiam Medi intelligi solent Hebræis. Sequitur in Græco: ἐφ' ἁπαντᾶσθαι τὴν πολεμικὴν ἐξέδραν τοῖς παρεπιτιθεῖσι τῶν γειτόνων: id est venêre ei militatum, qui ad mare Hyrcanum habitant, ubi urbs Gelæ.

Vers. 8. IN CAMPO MAGNO ESDRELON] יזרעאל, quercetum. Nomen est non antiquum. Multa loca nomen habent incipiens à יזרע quod interdum σκιὰν, interdum ὕλην vertunt Græci. Arabes sic vocant loca viridia.

Vers. 9. ET AD OMNEM TERRAM JESSE] In Græco Γεσὶμ. Est pars Ægypti. Hebraice scribitur per גשן Gen. 47, 1. ubi LXX. Γεσὲμ nam ש & ס permutantur ut quod jam habuimus Esdrelon in Græco scribitur Ἐσδρηλών. Nominantur hic in Græco etiam Βατανέα, id est, Batanæa apud Tyrum & χωβὰς, quæ est Choba in Palmyrene, & Cades memorata Deut. 1, 44. 46. & Taphnæ & Tanis urbes Ægypti, de quibus egimus ad Esaiam XXX. 4. & Rameſſe, de qua Exodi 1, 11. Multa quoque alia in Græcis sunt, quæ in Latinis non apparent Ἐως τῶν ὁρίων τοῦ Δημ ὃ ἐστὶ δυσμὰς. Id est, ad Isthmum Arabicum. Πᾶς ὁ σύμμικτος ἐστὶν ἐν αὐτῇ est ערב qui infra ὁ ἐπήμικτος, supple ὄχλος. Vox enim illa Hebræa modo ἐπήμικτος, modo σύμμικτος & LXX. vertitur.

## CAPUT II.

*Holofernes à Nebucadnezare mittitur omnia regna & populos vastaturus; describitur potentia exercitus ejusdem, ob quem, locis multis impugnatis, timor universos invasit.*

Vers. 1.

UT DEFENDERET SE] Defendere posuit pro ulcisci, ἐκδικῆσαι. Ita eadem vox per κατεπάγουσι sumitur in Latina versione Rom. XII. 19. Loqui sic solebant Christiani. Tertullianus *de Patientia*: *Iam filebius defendatis, infamies; filuerius, onerabitis.* Statim se explicat: *quid mihi cum ultione?* Idem adversus Marcionem II. locum qui est Deuteron. XXII. 36. sic vertit: *mihi defensam. Ego defendam.* Et de Monogamia: *Absit dilabium iniquitates provocaverunt semel defensa quæ tacuisque fuerunt*; id est, vindicatæ.

Vers. 4. HOLOFERNEM] Est nomen Ponticum. Vide Appianum Syriacis.

Vers. 5. ET CONTRA EOS PRÆCIPUE QUI CONTEMSERVNT IMPERIUM MEUM] In Græco plus est: ἐποιήσατο μὲν γὰρ καὶ ἄλλους, quæ est solemnis formula postulantis deditionem. Herodotus in Darii Historia lib. VI. καλέων ὑμέας ἐπὶ δασμοφορίην καὶ ἐπὶ δῶρα. Habes idem loquendi genus in Hippocratis epistolio Clava & nona, & libro Polybii IX.

Vers. 8. OMNEMQUE SUAM EXPEDITIONEM FECIT PRÆIRE IN MULTITVDINE INNUMERABILIUM CAMELORUM, CVM HIS QVÆ EXERCITIBVS SVFFICERENT COPIOSE] In Græco est: καὶ ἐπλήθυνε καμήλους καὶ ὄνους εἰς τὰς παραγωγὰς αὐτῶν, ubi παραγωγὰς significat fœtinas. Ita enim vertunt LXX. מרוץ Exod. XL. 36. Num. X. 12. & שלל Deuteron. XX. 14.

Vers. 12.

VENIT AD MONTES MAGNOS ANGE QVI

SUNT IN SINISTRO CILICIÆ] Ange est in Arabia Ptolemæo. In Græco est, ὑπὲρ πρόσωπον τῆ πόλει Βεκτιλὸθ, ὑφ' ἑσπερίοις ὄντες ἀπὸ Βεκτιλὸθ, Bacta ille est Ptolemæo in Syria. Et Syria & Arabia sunt πλησίον τῆ ἐξ Ἀσσυρίων τῆ ἐπ' ἀριστερὰ τῆς ἄνω Κιλικίας, ad sinistram iis, qui ex Assyria Cilicium transeunt. Non exacte autem hic servatur locorum ordo, sed descriptio est πλημμελὴς, ut in libro μυθικῷ.

Vers. 13.

EFFREGIT AUTEM CIVITATEM OPINATISSIMAM MELOTH] Melitam urbem Cappadociæ à Semiramide conditam, ut vult Plinius VI. 3. At in Græco est: καὶ διέκλασεν τὸ φρὲ καὶ τὸ Λιδὲ, id est Afros & Lydos Ægyptiorum socios. Jer. XLVI. 9.

PRÆDAVITQUE OMNES FILIOS THARSIS] Id est, sub hasta vendidit. Græce: καὶ προσώπευσεν υἱοὺς πάντας Ταρσὶς, ubi ex Latino referendum Θαρσεῖς. Intelligit non Oceani accolas, quos alioqui vox illa notat, sed Cilicas, quorum urbs Tarsus, à quibus forte illi ad Oceanum venêre.

ET FILIOS ISMAEL QUI ERANT CONTRA FACIEM DESERTI, ET AD AUSTRVM TERRÆ CELLON] In Græco: καὶ υἱοὺς Ἰσραὴλ κατὰ πρόσωπον τῆ ἐρήμῳ πρὸς τότον τὸν χειμῶν. Desertum intellige Arabum solitudines & Chellon Palmyrenæ partem, quæ suprà χειμῶν in Græco, ut diximus.

Vers. 14.

A TORRENTE MAMBRÆ] In Græco: ἀπὸ τῆ χειμάῤῥω Λόμπρα. Intelligitur hic alveus Euphratis χειμάῤῥους, de quo diximus ad Ezech. I. 3. Λόμπρα eum Græci quidam vorant, unde Λόμπρας & transpositis literis Λόμπρας. In Latino fuerat, credo, *Abre*, unde imperiti scribæ fecêre, Mambræ, ex loco Gen. XIII. 18.

USQUE QUO PERVENTUM AD MARE] Ciliciam.

USQUE AD FINES JAPHETH] Legendum Japheth ex Jos. XVI. 2.

Vers. 16.

ET PRÆDAVIT OMNEM LOCUPLETATIONEM EORUM] In Græco: καὶ προσώπευσεν τὰς μιάδας αὐτῶν. Mandræ sunt septa, quibus claudunturarmenta & greges Soph. II. 6. Judic. VI. 2. Ezech. XXXIV. 14.

Quomodo Barbaram vocem, *prædavit*, excusset *Tirinus* è *Nævio*, *Ennio*, *Titinio* aliisque, Critici viderint, quibus id relinquimus.

Vers. 18.

ET CECIDIT TIMOR ILLIUS SUPER OMNES INHABITANTES TERRAM] Nempe τὸν παφόβον, ut habet Græcus, id est, mari & amnibus asitam. Nominat autem Græcus Scriptor post Tyrum & Sidonem Sur. Ocina, Jemnaam. Sur est Sura juxta Euphratem Pro. Jemnæo. Ocina est עכו, Judic. I. 31. Ace Plinio eadem quæ recentiori nomine Ptolemæis. Plinius V. 20. nam litera ι in hoc nomine, ut modo in Arbonai est παραγωγὴ recepto Syris more. Idem fit in Jemnaan: ea enim est Jamnis Plinio V. 13. Jamnitarum portus Ptolemæo in Palæstina.

## CAPUT III.

*Vniversa urbes, ac provincia territa tantis copiis, ultro se dedunt Holoferni, quarum lucos cum idolis & fanis destruxit, ut solus Nebucadnezar Deus habeatur.*

Vers. 1.

STRIÆ SOBAL] Samuelis Ptolemæo. Mutantur autem inter se β & μ, aut scribendo, aut etiam pronunciando, ut sæpe jam visum.

At Syriæ *Soba* commemoratur *1. Reg. XIV. 47. 2. Reg. IX. 5.* quam *Sophenem* Plinio, Straboni, ac Ptolemæo dici observat Tirinus. Quomodo vero cum *Syria* conjungitur *Lybia* procul à Syria, imo ultra Ægyptum in *Africa* sita?

Vers. 9.

CUM CORONIS] Utrin re læta.

Vers. 14.

APAMEAM] Urbs ad Narmalcham & Tigrim. Vide Ptolemæum. At in Græco est: καὶ ὧδε κατὰ πρόσωπον Ἐσδραήλων πλησίον τῆς Δοτεάας ἧ ἐστι πλησίον τῷ πεδίῳ τῷ μεγάλῳ τῷ Ἰεδράκ. De Esdrelon diximus supra I. 8. Δοτεάα est Δωθαΐμ. Gen. XXXVII. 17. & II. Reg. VI. 13. littera ω in fine omissa. Plene autem scribitur infra VII. 3. & in Græco VIII. 3. πρίων, id est Serra dicitur locus quivis, ubi juga sunt vertebrosa, quia ea ferræ speciem præferunt.

VENIT AD IDUMÆOS IN TERRAM GABAA] In Græco est: κατεστρά φησαν πάντας Ἰουδαίους τῷ Σκυθῶν πόλει. Gabaa nomen commune est omnibus locis editioribus. Scythopolis urbs Syriæ, memorata Plinio V. 18. Ptolemæo & Josepho.

Cur vero non similiter pro nomine proprio Γαββὰ haberi debeat? quum Gabe Plinio urbs sit instar regni?

## CAPUT IV.

*Israëlita Holofernem metuentes suasu Eliakim Sacerdotis muntant sese, ac jejuniis & præcibus humiliter auxilium DEI implorant.*

Vers. 3.

IN OMNEM SAMARIAM, PER CIRCUITUM USQUE JERICHO] In Græco plura hic loca nominantur. Βεθωρὼν, quæ est בית חורון, Josue XVI. 3. ubi in Græco: Βωθωρών. Deinde Βαλμὴν בעל מין. Pro χωβὲ legendum forte χωχβὲ, quia vicus Galilææ. Ἐσωὴ est חצור Josue XI. 10. ubi Græci Ἀσώρ.

Vers. 5.

SACERDOS ETIAM ELIAKIM SCRIPSIT AD UNIVERSOS] Signum est hoc scriptum hunc librum quo tempore principatus erat penes summos sacerdotes. In Græco hic nominatur præter Bethuliam, Βεττυλιάμ, quod videtur corruptum ex בית שמש 1. Sam. VI. 12. ubi Græci, Βαιθσαμύς. Syri pro שמש dicunt שמשתא: unde urbes Samosata, & in monte Arsamosata apud Tacitum. Hinc בית שמשתא Βαιθσαμόσθα.

*Bellarmin. Concilio Trident. contrariatur.*

ITa ex omnibus capitibus manifestum est, quantopere discrepet textus Græcus ac Latinus, quodque neuter pro sincero haberi possit, siquidem modo præferenda sit Latina, modo Græca versio, quamvis *Bellarm.* posthabito *Concilii Trident.* decreto, *Græcos Codices correctiores* esse fatea-tur. Hunc *Eliakim* Græcus textus vocat *Jojakim*. Nec quis sit Eliakim vel Jojakim ille Sacerdos, è scripturis Canonicis apparet. Bellarminus arripit Eliakimum qui tempore *Ezechiæ* multa nomine Regis expedivit, *2. Reg. XIIX.* & de quo prædictum *Es. XXII. 21.* quod fit futurus Pater habitantium in Jerusalem. At etsi hoc Manassis temporibus impletum, & Eliakim tempore captivitatis ipsius regnum adminiſtrarit, ac deinceps etiam ob fidelem adminiſtrationem in summa dignitate permanserit, non quadrat hoc præsenti narrationi. Nam *Eliakim* ille fuit in *Politico* munere constitutus, præsens autem Jojakim vel Eliakim *Sacerdos* fuit, quod non modo nomen sed & actiones ejus docent. Ideoque non temere conjicit Grotius, *scriptum hunc librum eo tempore quo Principatu penes summos Sacerdotes fuit. Serarii, Tirini, Menochii* conjectura, quod *Manasses Jerusalem* defendendam sumserit, reliquum vero regnum *summo Sacerdoti* propugnandum reliquerit, nullo nititur fundamento. Nec quisquam ejus nominis isto tempore sacerdotio præfuit, nec sacerdotium *temporis propugnatio regni* commissa fuit, neque ullo modo credibile fit, si *post Manassis reditum è captivitate* hæc gesta, quod populus Judaicus Regis Babylonii legatos tam contumelioſe tractarit & ignominioſe dimiserit, cujus & *potentiam* & *clementiam* expertus fuit.

Vers. 6. UBI ANGUSTUM ITER ESSE POTERAT INTER MONTES] Fauces ubi agre bini transibant, ait Græcus scriptor.

Vers. 9. INFANTES PROSTRAVERUNT SE CONTRA FACIEM TEMPLI] Pueri: παιδία, in Græco: Morsetat ubivis orantium vertere se templum versus.

Vers. 12. QVI AMALEC CONFIDENTEM IN VIRTUTE SVA, ET IN POTENTIA SVA, ET IN EXERCITV SVO, ET IN CLYPEIS SVIS, ET IN CVRRIBVS SVIS, ET IN EQVITIBVS SVIS, NON FERRO PVGNANDO, SED PRECIBVS SANCTIS ORANDO DEJECIT] Exod. XVII. 12.

Vers. 16.

Vers. 16.

HI QUI OFFEREBANT DOMINO HOLOCAUSTA] In Græco: περισῴζοντο τὴν ὁλοκάυτωσιν τῷ ὑπάρχοντι καὶ τὰς εὐχὰς καὶ τὰ ἐνύπια δόματα τῷ λαῷ. De holocausto jugi, sive quotidiano vide Exod. XXIX. 42. Num. XXVIII. 3. de votivo sacro Levit. XXVII. 9. de voluntario Levit. VII. 6.

ET ERAT CINIS SUPER CAPITA EORUM] in Græco: καὶ ἐνεπρόσθιοι τὰς κλιδόνας αὐτῶν. Cidarem in capite habebant omnes sacerdotes. Exod. XXVIII. 30. Flutarchus de Judæis agens. IV. Convivalium: ὁ ἱερεὺς μίτρᾳ χρᾶται.

## CAPUT V.

*Achior Ammonitarum Dux rogatus ab Holoferne de Judæis enarrat stupenda DEI opera circa istum populum, monetque ne temere contra illos pugnet: cui ob hoc omnes Holoferni Principes indignantur.*

Vers. 3.

DICITE MIHI QUIS SIT POPULUS ISTE.

*An hæc verba ignorantis, an vilipendentis?*

INepta est *Menochii* & *Tirini* glossa, hæc verba non *ignorantis*, sed *vilipendentis* esse. Nimirum videt non convenire suæ sententiæ, Holofernem ignorasse Manassem Regem Judæorum (qui captivus Babylonem deportatus erat) & populum Judæorum. Sed verba ipsa Holofernis: *Dicite mihi, quis sit ille populus, qui montana obtinet, aut quæ & quales & quantæ sint civitates eorum, quæ etiam sit virtus eorum, aut quæ sit multitudo eorum*, satis docent, quod de his omnibus informari voluerit, atque ideo Achior de omnibus prolixam ipsi informationem tradit: *si dignetur audire mi Domine, dicam veritatem in conspectu tuo de populo isto, qui in montanis habitat. Et non egredietur verbum falsum ex ore meo:* Illis ergo, qui cerebrum in calcaneo gerunt, persuadeat Tirinus istas Holofernis interrogationes non esse ignorantis, sed *militares interrogationes superbissimi ducis, mirantis, stupentis, irascentis, indignantis, & hostes vilipendentis.* Longe alia est ratio Pharaonicæ illius Exod. V. *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus?* & Nabalis, *2. Reg. XXV. Quis est David & quis filius ejus? & Nabuchodonosoris Dan. III. Quis est Deus qui eripiet vos de manu mea?*

Vers. 6.

POPULUS ISTE EX PROGENIE CHALDÆORUM EST] Inde enim primum venerat Abraham. Tacitus dixit Assyrios convenas solent autem sæpe apud longinquos confundi Assyriorum & Chaldæorum nomina. Lucanus:

*- - - mutisque superbam*
*Assyrii Babylona domos.*

Vers. 9.

ILLICQUE PER QUADRINGENTOS ANNOS SIC MULTIPLICATI SUNT] Additur in Græco: καὶ παρώκησαν ἐκεῖ μέχρις οὗ διεφθάρησαν, id est, donec male tractari cœpere. Ita enim sumitur, διαφθορὰ. Ezech. XIII. 22. Ecclesiast. I. 15. VII. 14. Sirach. XI. 35

Vers. 10.

CUMQUE GRAVARET EOS REX ÆGYPTI] In Græco: Κατασεῖσαι τὸν αὐτῶν. Eadem voce in hac eatiem re utitur Lucas Act. VII. 10. nempe ex loco Exodi I. vers. 10. ubi in Græco: δεῦτε δὴ κατασοφισώμεθα αὐτούς par sensus in illo Danielis: מחתם לו

IN LUTO ET LATERE SUBJUGASSET EOS] In Græco: καὶ ἐν πόνῳ καὶ ἐν πλίνθῳ ἐπαπήνωσεν αὐτούς, ubi primum est ἐν δὲ πόνῳ, pro ἐν πόνῳ πλίνθου. Deinde ἐπαπήνωσεν valet, κατεδούλωσε. Exod. I. 14.

Vers. 14.

DESERTA SINA MONTIS OCCUPAVERUNT] Justinus: *Montem Synan occupat.* In Græco est τὸ Σινὰ ὄρος Ἐλάδες ἔφυτο. Vide Deuter. I. 2.

Vers. 20.

DEINDE CHANANÆUM REGEM ET JEBUZÆUM, ET PHERÆÆUM ET HETHÆUM, ET HEVÆUM ET AMORRÆUM ET OMNES POTENTES IN HESEBON PROSTRAVERANT] In Græco post jebusæum sequitur, καὶ τὸν Συχέμ. Idem est quod Hevæi, Genes. XXXIV. 2.

Vers. 23.

NVPER AVTEM REVERSI AD DOMINVM DEVM SVVM EX DISPERSIONE QVA DISPERSI FVERANT ADVNITI SVNT] Vide quæ diximus ad initium hujus libri.

VBI SVNT SANCTA EORVM] Templum.

Hæc assatim testantur librum scriptum esse *post captivitatem Babylonicam* & reditum Judæorum ad patrios lares. Quid enim verbis istis Achioris luculentius est v. 21. *nam & ante hos annos, cum recessissent à via quam dederat ipsis Deus, ut ambularent in ea exterminati sunt prælio à multis nationibus, & plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum ex dispersione qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia. Et iterum: Possident Ierusalem, ubi sunt sancta eorum.* Vidit id probe *Grotius*, ideo Papistarum sententiam, quod hæc sit *vera historia*, deseruit. Frivolum autem est, quod *Cardinal. Bellarm.* hæc de *Manassis captivitate ac reversione ejus cum suis ex Babylone*, vel de *variis afflictionibus, & reversione ex iis locis, ad quæ fugiendo pervenerant*, explicanda judicat. Nam verba ipsa non de *particulari paucorum quorundam dispersione*, sed de *insigni populi captivitate* & versione *populi* è captivitate, non vero *Manassis* de cujus abductione non commemoratur *2. Paral. XXXIII.* quod plurimi cum ipso abducti sint in terram non suam, nec cum ipse rediit, quod reversi ex dispersione plurimi sint. Adde, quod in *Græco* textu ἡητῶς habeatur de *templo solo æquato*: ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἐδαφισμὸν, ἡ αἱ πόλεις αὐτῶν ὅπως ἐδήσονται. Quem nodum quum solvere non potuerit *Bellarminus*, secare voluit, ac vereba illa *supposititia* esse contendit propria ita cædens vineta, siquidem ipse fassus sit *Græcos codices esse correctiores. Tirinus templum in pavimentum factum*, id est, *conculcatum* dici ait, quod *subtractum cultui divino profano demonum vel idolorum latriæ conferatur sit.* Verum non loquitur textus de templi *profanatione*, sed ea, quæ cum captivitate populi conjuncta fuit, *desolatione*, unde etsi varie se torqueat Tirinus, quomodo *formaliter*, quomodo *metaphorice*, quomodo *physice & materialiter* templum tum dici potuerit *factum pavimentum*, imo *solo æquatum*, non tamen sibi ipsi, nedum aliis, glossis suis satisfacere potuit, quæ indignæ sunt, ut repetantur, tantum abest, ut refutatione merentur. Futilitate enim sua concidunt. Recte *Spanh.* p. 132. *Peccatur παρεξηγήσει phraseos, εἰς ἐδαφισμὸν ἐγενήθη, quasi ea profanatio duntaxat designetur, non subversio. Atqui aliud plane Græcorum filii docent, quibus phrases gemina εἰς ἐδαφισμὸν καταβαίνειν, vel καθαιρεῖν idem designant, quod ἐδαφίζειν seu solo æquare. Sic Hesychius ἐδαφισμὸς interpretatur κατάβασιν ἐδαφίσει, προσχέσει τῇ γῇ, ἐδαφίζησε εἰς ἐδαφισμὸν καταγέσησε. Sic* LXX. *Hebraum* שטח *vertunt ἐδαφίζειν & σωτερέειν. Sic* שטם *illis est ἐδαφίζειν & ἀδαιζειν & ἐρημοῦν. Adeoque falsum est, εἰς ἐδαφισμὸν fuisse redactum templum sub regibus prophanis ante excidium Babylonicum.* Vidit & *Tirinus* & *Menochius* de facta reversione textum loqui, quod proinde ad reductionem Manassis è vinculis trahunt. Sed observasse debebant conversionem indicari non *Manassis* sed *plurimorum qui in captivitatem abducti fuerant*; *Cum Manasse*

*An hæc agant de reversione & captivitate Babylonica, nec ne?*

*Manasse autem insignem aliquam multitudinem abductam esse, nusquam Scriptura Canonica docuit, quæ certe hoc judicium Dei non tacuisset.*

Vers. 24.

SI EST ALIQVA INIQVITAS EORVM] In Græco: ἀγνόημα, sed ea vocc etiam graviora crimina notari diximus ad Tob. III. 3.

Vers. 26. COGITABANT INTERFICERE EVM] συγκόψαι αὐτὸν, in Græco, id est discerpere.

## CAPUT VI.

*Iratus Holofernes Achiorem duci in Bethuliam jubet, ut ea devicta simul puniatur: ac servi à fundibularibus repulsi arbori eum alligant: quem solutum filii Israel consolantur, Deumque humiliter invocant.*

Vers. 2.

QVONIAM PROPHETASTI NOBIS] Male ominatus es.

Vers. 4.

ET PROBABIS QVONIAM NABVCHODONOSOR SIT DOMINVS VNIVERSÆ TERRÆ] Additur in Græco: ἢ ὑποστῇ αὐτὸς ὁ θεὸς αὐτῶν, ex verbis Rabsacis II. Regum XVIII. 34. 35. Sequitur in Græco: καὶ τὰ ὄρη αὐτῶν μεθυσθήσονται ἐν τῷ αἵματι αὐτῶν, ex Esaia XXXIV. 7. Mox dicitur dixisse Nabuchodonosor: ἐμὰ τακήσεται τὰ ῥήματά μου, id est omnia potius movebo, quam minæ meæ sint irritæ.

Vers. 6.

IPSE SIMVL VLTIONI SVBIACEAS] Plura hic sunt in Græco: primum dicitur, Ἀχιὼρ μισθωτὴ τῶν Ἀμμωνιτῶν, quasi dicat, homo mercede conducta, nullo affectu in res nostras; deinde ἐν ἡμέρᾳ ἀβδιλίας, id est hoc tempore, quo perfidia tua detecta est. Postea ἕως ἐπιγνῷς, id est, ubi ter rursum videro, inter hostes fugiet devictos. Ἐν μιᾷ τῶν πόλεων αὐτῶν, id est, aliqua urbe earum, quæ in montibus sitæ ob id invictas se putant; ἀνάβασις est מעלה. Vide supra in Græco IV. 5. infra hic VII. 11. I. Macc. III. 16.

Vers. 7.

*An Bethulia urbs detur?*

PRODUCERENT EUM IN BETHULIAM. *Bethuliam* civitatem *Galilææ* dicit Tirinus in tribu Zabulon, sita in monte, tribus leucis à Dethain versus Austrum, de qua cap. 3. vers. 14. itemque à Scythopoli versus septentrionem una leuca à Tiberiade versus Occidentem, & à Neocæsarea versus Orientem. Verum urbis hujus nulla vel in *Veteri* vel in *Novo Testamento* fit mentio, quum tamen in libro *Iosuæ* in describenda divisione terræ Canaan ne pagorum quidem nomina prætermittantur. Perfitimus ergo in sententia *B. Lutheri* primo allata. Nec abnuit *Grotius*. Si *Bethulia in tribu Zabulon* sita, qui ergo principem ibi agit Ozias de tribu Simeon. Divinationibus hæc aut conjecturis expedire vult Tirinus: *forte civitate jam pridem donatus: forte posti abductas decem tribus in Assyriam casu vel consilio (nam liberum cuique tunc erat, ubicumque vellet, sedem figere) eo delatus: forte etiam recens occasione belli hujus Holofernici Jerosolyma à Rege Manasse vel à Pontifice Eliakim Bethuliam submissus.* Sed quis non videt ipsi aquam hic hæsitle?

Vers. 11.

ERANT ILLIC PRINCIPES] Ἄρχοντες πόλεων iidem qui πρεσβύτεροι τῆς πόλεως infra XI. Vide Matth. IX. 18. Joh. III. 1. VII. 26. Act. III. 17. IV. 5.

ET IN CONSPECTV OMNIVM] Etiam populi quæ Ἐκκλησία hic dicitur in Græco: id est קהל.

Vers. 12.

QVI LOQVVTVS IPSE FVERAT AB HOLOFERNE INTERROGATVS] In Græco: τὰ ῥήματα τῆς συνεδρίας ἀληθείας, id est, quæ in illo militari Holophernis consessu dicta fuerant.

Vers. 15.

RESPICE AD NOSTRAM HVMILITATEM] Id est, ad fortunas nostras abjectas ac miseras. Confer Luc. I. 48.

ET FACIEM SANCTORUM TVORUM ATTENDE] Græce Ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸ πρόσωπον τῶν ἡγιασμένων, id est Sacerdotum & Nazaræorum.

Vers. 20.

SIMUL EXPLETO JEJUNIO REFECERUNT] In Græco: ἐπείσησε πόνον τοῖς περιοῦσιν, ex Hebræo משתה, quod convivium significat, sed à potu deducitur, ut Græcum συμπόσιον.

Vers. 21.

INTRA ECCLESIAM ORAVERUNT] Non est in Græco: *intra Ecclesiam*. Sensus est, in pleniſſimo conventu. Vide infra VII. 18. in Græco.

## CAPUT VII.

*Bethulia obsidetur, aqua ductus præciditur, à fontibus arcentur obsessi: qui siti nimia cruciati deditionem urgent, sed Ozias populo persuadet, ut ad quinque dies differatur.*

Vers. 2.

EQUITES VIGINTI DUO MILLIA] In Græco: ἱππέων χιλιάδες δεκαδύο, ut supra II. 7.

Et Cap. II. 7. adducta solum erunt 12000. Corrigendus ergo *Latinus* textus: cum Græco certe conciliari nequit, quem pro correctiori habet *Bellarminus*.

PRÆTER PRÆPARATIONES VIRORUM ILLORUM QUOS OCCUPAVERAT CAPTIVITAS] In Græco citiuscule: χωρὶς τῆς ἀπαρκευῆς καὶ τῶν ἀνδρῶν οἱ ὄντες πεζοὶ ἐν αὐτῇ constructione πρὸς τὸ συναιρόμενοι, quasi dixisset τῶν ἐκείνη.

Vers. 3. ET VENERUNT PER CREPEDINEM MONTIS] Crepedinem hic vocat radices montis, τὸν αὐλῶνα, ut est in Græco.

A LOCO QUI DICITUR BELMA] In Græco: Βελμάιν: Idem est locus qui supra IV. 3. בעל־מים vel בעל־מין.

USQVE AD CHELMON] Videamus an hæc vox in Græco restituenda sit, ut pro ἕως κυάμων legamus ἕως χιλμων.

Vers. 9. SED FILII AMMON ET MOAB ACCESSERUNT AB HOLOFERNEM] In Græco additur: καὶ οἱ ἐγκατοικοῦντες παραλίαν, id est Phœnices.

Vers. 10. ET CONSTITVIT PER GYRVM CENTENARIOS PER SINGVLOS FONTES] In Græco hic est: καὶ ἐπέστειλαν ἐξ ἀνδρῶν πρὸς ἑκατοντάρχου ἑκάστου ἐπὶτὴν Ἐκεβδὰ, ἢ ἐστι πλησίον χωρίου ἐπὶ τὴν χαμμὼμ Μοχμὶρ. In Græcis adeo corruptis, ut est hic liber difficile est locorum nomina restituere. Sed pro Ἐκεβδὰ videtur scribendum Ἐκεβῶν. Ea est Acrabatene memorata Plinio in descriptione Judææ V. 14. & Josepho sæpe. Chusi κώμη ad Jordanem, Mochmer vero Mezarma itidem ad Jordanem, quæ nomina habet Ptolemæus. Sequitur in Græco: πᾶσα συναγωγὴ Ἀσσὺρ, id est, totus exercitus, quomodo vox Hebræa קהל, & Græca συναγωγὴ sumuntur Ezech. XXVI. 7. XXVII. 27. 34. XXXII. 22. 23. XXXVIII. 4. 15. & alibi. Postea δότε ὑμῖν ἐν μέτρῳ ἰδίων αὐτῶν πᾶσι convenit cum aliarum gentium historiis, apud quas in obsessis oppidis aqua ad dimensum distribuita est.

Vers. 12. JVDICET DEVS INTER NOS ET TE] Desumtum ex hoc loco Exodi VI. 21. ubi in pari impatientiæ verba populus in Mosem prorumpit; nimirum adversa uni imputantur, ut in Agricola dixit Tacitus.

ET PROPTER HOC VENDIDIT NOS DEVS IN MANIBVS EORVM] Id est, quasi venditos tradidit: μεστυμιᾷ. Esa. L. 2. Deuteron. XXVIII. 68. Possea in Græco est ἐπεσύμις ante illa verba ὅτι μὴ ποιῆσῃ κατὰ τὰ ῥήματα τούτα ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ σήμερον. Deest enim, *cavendum est*: ut Genes. III. 27.

Vers. 20. AVT IN TVO FLAGELLO VINDICA INIQVITATES NOSTRAS] Quovis modo nos puni potius, quam istos finas de nobis triumphare.

*PARS ALTERA LIBRI.*

# DE SUCCESSU JUDITHÆ CONTRA HOLOFERNEM.

## CAPUT VIII.

*Judithæ stirps, & encomia, quæ principes nimis trepidantes objurgat, vacillantes confirmat, Patrum exemplo ad patientiam & divinæ opis implorationem hortatur, & bono animo omnes esse jubet.*

Vers. 1. FILII SIMEON, FILII RUBEN] Hæc omnia ὀνόματα habent, ex origine nominum; alioqui nullus Rubeni fuit filius Simeon. Ruben est contracte dictum pro רְאוּ בְעִנִי, *vidit* (Deus) *miseriam*. Genes. XXIX. 32. Ex ea Dei miseratione nascitur Simeon, obedientiam significans. Philo de Ebrietate: λογισμὸς ἐυθυμίας ὄνομα παράδοσιμα Ρεὼμ, Φιλωνίκου καὶ φιλομαθοῦς ἑτέρου, ὃν τοῖς Συμεὼν. ita & alia quæ hic sunt nomina suas ex origine habent Ebræi significationes.

Vers. 2. ET VIR EJUS FUIT MANASSES, QUI MORTUUS EST IN DIEBUS MESSIS HORDEACEÆ: INSTABAT ENIM SUPER ALLIGANTES MANIPULOS IN CAMPO, ET VENIT ÆSTUS SUPER CAPUT EJUS, ET MORTUUS EST] Obscurius: hoc enim significat Manasses (ut & Philo notavit de evigilante Noë), iterumque libro de coloniis) moritur flagrante cœlo: id est, per adversa fit ut excutiatur in hominibus oblivio rerum divinarum. Additur in Græco: τῆς φιλοκαλίας αὐτοῦ καὶ τῆς σπουδῆς αὐτοῦ, unde intelligimus Judithæ ob oculos nobis poni, tanquam ἐπιλεγόμενον. Vide quæ dicta ad Tobiam III. 18. V. 12. & Matth. I.

*Bellarm. Salianus, Menochius* mendosum faciunt textum, & verba illa *filii Ruben* pro suppositiis habent: siquidem nec *Gen. XLVI. 9.* neque *1. Par. V. 3.* inter filios Ruben ullus reperiatur, cui nomen *Simeoni*. Sed quomodo hoc cum textus *Latini αὐθεντίᾳ* convenit? Non improbanda *Grotii* sententia de ὑπονοίᾳ.

Vers. Ibid. INSTABAT ENIM SUPER ALLIGANTES] Aderat operi.

Vers. 3. ET SEPULTUS EST ILLIC] At in Græco: καὶ ἐθάφη αὐτὸς μετὰ τῶν πατέρων αὐτῶν ἐν τῷ ἀγρῷ τῷ ἀνὰ μέσον Δαιδὼν καὶ Βελαμών, ubi Δαιδὼν haud dubie est locus, qui supra *Datæa* III. 12. in Græco. Βελαμὼν autem idem qui Βελμὼν IV. 3. & Βελμαὶν VII. 3. in Græco: nimirum בַּעַל־מְעוֹן omisso ם five מ, varie enim talia pronuntiabantur, ac scribebantur.

Vers. 5. ET IN SUPERIORIBUS DOMUS] Bene vertit quisquis hic est Interpres illud ἐπὶ τῷ δώματι. vide de Act. X. 9.

Vers. 6. PRÆTER SABBATA ET NEOMENIAS ET FESTA DOMUS ISRAEL] In Græco uberius: χωρὶς τῶν σαββάτων καὶ σαββάτων καὶ νεομηνιῶν καὶ ἑορτῶν, καὶ χαρμοσύνων οἴκου Ἰσραήλ. Dies Sabbatorum, interlunio-rum & azymorum, & τῶν ἑβδομάδων sive Pentecostes & σκηνοπηγίας, omnes dies erant læti, ideoque ex sensu legis intelligebatur veritum iis diebus jejunare. Cautio diligentior addiderat περιοπτικὰ & προσοψώματα, nimirum in fe-pimentum (ut sapientes loquebantur) legis, ne quid prodiani luctus in animo restaret diebus gaudio dicatis. Ἑορτὴ nomen est generale, verum hic ponitur pro interlu-niis.

*Junius ad h. l. Hic locus*, inquit, *aperte ostendit librum hunc fuisse a Judæo aliquo concinnatum superstitionum amatore. Nam sanctis quidem erant Sabbatorum dies & neomenia solemnitatesque hilares ex lege, sed proxime antecedentes dies cum illis sanctificare Judaicum est: quemadmodum videmus hodie Judæos ne diebus festis vitium afferant, pridie toto tempore pomeridiano, tanquam si Deus hoc nomine in ære ipsorum futurus esset.*

Vers. 8. NEC ERAT QUI LOQUERETUR DE EA VERBUM MALUM] *Quæ casta est? de qua mentiri fama vereatur.*

Vers. 10. ET VENERUNT AD ILLAM] sicut enim Judices, ubi testimonium ab honestioribus matronis perhibendum est, ire ad earum domum solent.

Vers. 11. QUI TENTATIS DOMINUM] Hoc est, irritatis, ut sequitur.

Vers. 13. POSUISTIS VOS TEMPUS MISERATIONIS DOMINI] Non erat vestrum, tempus ipsi præscribere, quod piis adfuturum promisit. Si deditionem omnino vellet fieri, monuerat vos ut per Jeremiam. Sequitur in Græco: σὺ δὲ τοὺς θεοὺς οὐκ ἐπέστησας πάντα ταῦτα ἐργάσασθαι, nempe quando & quomodo liberare nos velit; αὐτὸς γὰρ τὴν ἐξετασιν ἐποιήσατο ἡμῶν διὰ σκληρότητα καὶ πάσιν ἡμῖν. Jus, ut dominus, habet constantiam nostram explorandi, & nos liberandi quocunque volet tempore: ὑμεῖς δὲ μὴ ἐκκρινάτε τοὺς θεοὺς Κυρίου τοῦ θεοῦ ἡμῶν, id est, nolite cum eo agere, tanquam cum debitore, quem pignoribus captis ut satisfaciat compellimus. Ita fas per eos in aliquo similes finitimum verbis exprimuntur.

Absolvere hoc factum *a noxa* vult Menochius. *Non videtur noxa, nec Dei tentatio tempus deditionis statuere, nisi intra illud feratur auxilium. Fortasse absurdum non esset dicere Judithæ ita pie sensisse*, inquit *Salianus*. Si ita *pie sensit* Judith, non utique improbanda ejus sententia ut prote *pia*, ideo fatetur *Menochius*, dici posse hic nomine *tentationis* intelligi *provocationem iræ divinæ ex defectu confidentiæ in Dei providentiam & bonitatem, in quo peccarunt Bethuliæ cives*, quos paverat tam multis divinis promissis, de divino auxilio piis sperando confirmari. Addit, *sic dici filios Israel in deserto tentasse Dominum, cum furgantes contra Mosen dicebant: Da nobis aquam ut bibamus.* At annon hoc peccatum gravissimum erat? Ponamus, *non dubitasse eos de divina potentia*, sed de *divina ergasse cura & providentia*; annon certum satis eos peccato grandi adversus Dominum prævaricatos esse iramque Dei gravissimam provocasse?

Vers. 15. NON ENIM QUASI HOMO SIC DEUS COMMINABITUR, NEQUE SICUT FILIUS HOMINIS AD IRAM INFLAMMABITUR] In Græco est: οὐ γὰρ ὡς ἄνθρωπος ὁ θεὸς ἀπειλήσει καὶ ὡς υἱὸς ἀνθρώπου θήσει τοῦτον, id est, Deus non ut homo minas terquet, aut ad judicium subeundum cogitur. Sequitur mox: καὶ οὐ μὴ ληφθῇ τοῦτο ἡμῖν ὡς ὀφλήσεται ἡ Ἰουδαία. Si non ait, in captivitatem agimur, ut majores nostri, jam periit nomen Judææ: ἡ δὲ σύμβασις πρόσκομμα, id est offendentur omnes conspectu nostri.

Vers. 23. SIC JACOB] In Græcis quæ sequuntur delenda est negatio, & verba sic legenda: ἐτηκάθετο ἐν τοῖς ἐπιτηδείοις καρδίας αὐτοῦ καὶ ἐν ἡμῖν ὃν ἐξέδειξεν, ἀλλ' ὡς ἐν πειρασμῷ μεγάλῳ τὰς κρίσεις αὐτοῦ: sicut corda illorum velut igne exploravit, sic & nos, quippe qui serio ipsum colimus, per hæc pericula non exitio destinat, sed paterne officii admonet.

Vers. 24. ORATE NOBIS] Addit textus Græcus: *ut imber cadat in cisternas.*

Vers. 25. EXTERMINATI SUNT AB EXTERMINATORE] Hæc non sunt in Græco. Ab exterminatore ἀπὸ ὀλοθρευτοῦ. I. Cor. X. 10. ὀλοθρευτὴς ad verbum est מַשְׁחִית, de quo in Tobia.

Vers. 32. CUM ABRA MEA] μετὰ τῆς Ἀβρᾶς μου. Abra proprie non ancillam significat, sed ingenuam cuimitem, extatque vox Græca non tantum apud LXX. ubi in Hebræo est נְעָרָה Gen. XXIV. 61. Exod. II. 5. Esth. II. 9. IV. 4. 15. sed & apud Menandrum. Est tamen origo Syriaca: חַבְרָה socia. Exstat in Chaldaico Exod. XI. 2. sed ufus posterior hoc nomen etiam ancillis honorationibus tribuit, qualem hanc scriptor hic facit infra XVI. 28.

Vers. 34. ET REVERTENTES ABIERUNT] In Græco est: ἀποστρέψαντες εἰς τὰς σκηνὰς, ab illo tempore quo in superiori domus parte Judith sibi fecisse narratur supra 4.

## CAPUT IX.

*Judith cinere & cilicio sese affligens orat Deum pro novo robore, quo prosternat Holofernem, & ab illius tyrannide patriam liberet.*

Vers. 1. ET INDUENS SE CILICIO POSUIT CINEREM SUPER CAPUT SUUM] In Græco male scribitur: ἐπίθετο σποδὸν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς, καὶ ἐγύμνωσεν τὸν σάκκον. Legendum, καὶ γυμνωσαμένη ἐνεδύσατο σάκκον. & γυμνωσαμένη est, exuta vestibus, illa nempe in qua senatores compellaverat.

ET

ET PROSTERNENS SE DOMINO] In Græco tempus designatur: Καὶ ἔτι ἔδειτι προσβεβλημένου εἰς ἱερατεῖον τοῦ θεοῦ τὸ πρόσωπον.

Vers. 2.

QUI DEDISTI ILLI GLADIUM IN DEFENSIONEM ALIENIGENARUM] Defensio est hic punitio, ut in loco Tertulliani de Monogamia, quem modo produximus. ἐπὶ τῇ δίκῃ τῶν ἀλλογενῶν in Græco, id est ad pœnam alienigenarum, vel vindictam in alienigenas. Non erat laudandum factum Simeonis, sed Deus justè punivit scortatorem.

*Anne Ecclesiæ Simeonis Deo hic tribuatur?*

MErito improbatur hæc oratio, qua *factum Simeonis* laudatur ac Deo tribuitur, quod utique *flagitiosum* erat: unde manifestum non posse hunc librum pro canonico haberi, siquidem in eo laudatur cædes contra fidem datam initumque pactum perpetrata, eademque impie Deo adscribitur; *Domine Deus Patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in vindictam alienigenarum:* ac de *Simeone & Levi* dicitur, quod *celaverint zelum divinum:* quorum vero sceleratum factum Scriptura divina non probat *Gen. XXXIV. 25.* imo datæ fidei violationem & crudelitatem istam maledictioni subjicit Patriarcha *Genes. XLIX. 5. Simeon & Levi vasa violentiæ gladii eorum, in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum & in voluntate sua enervaverunt bovem v. 7.* MALEDICTUS FUROR EORUM, *quia pertinax, &* INDIGNATIO EORUM *quia dura. Dividam eos in Iacob & dispergam eos in Israel.* Nec juvat Pontificios, *Lyran. & Menoch.* distinctio inter *zelum & modum zeli*, quasi *ille* tantum à Judith non *hic* laudetur, quia nec zelus nec modus zeli laudandus sed improbandus in hoc facinore, imo *furor & iniquitas* dicitur, ac *maledictionem* meretur Patriarchæ ipsius judicio. Ideoque non est zelus bonus & laudabilis à Spiritu Dei originem ducens, & ad Dei gloriam directus, sed *zelus pessimus & abominabilis è carnali vindictæ cupiditate* profectus, mandatis divinis, adeoque gloriæ Dei adversus, in quo multa occurrunt ἁμαρτήματα, utpote quod vindictam privatam exercuerint: gladium citra mandatum Dei strinxerint, homicidia patraverint, ob unius delictum in totam urbem grassati sint, deprædati sint non hostes, sed hospites à quibus benevole suscepti fuerant: datam fidem violarint, proselytis in fœdus Dei assumtis vim intulerint, parentem turbarint, eumque cum familia præsentissimo periculo exposuerint, nomenque divinum blasphemari fecerint. *Molitio ergo illa*, ut recte Spanhemius p. 160. *tota flagitiosa erat, & quoadrem & quoad modum rei, neque enim illorum erat, stuprum sorori suæ illatum ulcisci, vel religionis obtentu viam sibi facere ad scelus, vel cum Principe pro, integram civitatem in crimine istius societatem vocare & sanguine ac cadibus cruentare.* Nec *inspiratio divina* prætexi poterat, quippe quam ne ipsi quidem, qui se scelere illo obstrinxerant, prætexunt. Nec partem hujus facinoris duntaxat Dei Spiritus, vel aliquid in eo, sed totum facinus execratur per os Jacobi, & *molitionem* ipsam æque ac *executionem* ejus diserte detestatur. *Gen. XLIX. 5.* Eo ipso ergo gravissime peccavit Judith, quod flagitiosissimum facinus Deo adscripsit, & magnificis quidem verbis, quibus non tantum gladium tunc Simeoni à Deo porrectum testatur, verum etiam Deum in scelleris istius societatem per preces Simeonis & Levi vocatum contendit, & *cap. IX. 3.* eandem sibi à Deo felicitatem & benedictionem precatur. *ibid.* Qui vero ista ab animo Dei pleno, & à sancta fœmina, qualem depingit nobis author ille, proficisci possunt?

*Genes. XXXIV. 25. & XLIX. 5*

Notat *Tirinus* ipse in hoc facto multiplex peccatum *ad Gen. XXXIV. Primum imprudentia & demeritatis, cum adolescentes vix annorum viginti, inscio & invito patre rem tam arduam, tam periculosam in medio vicinorum hostium aggressi sint. Secundo injustitiæ & usurpationis juris alieni cum privatæ auctoritate, nullo justo titulo bellum moverunt, principe familiæ suæ nec probante, nec consulto, penes quem tamen unum illud jus erat. Tertio* perfidiæ & proditionis, *cum ulciscuntur injuriam jam à se condonatam & justa satisfactione abolitam, mutuoque fœdere, quin & connubio exterſam. Quarto* sacrilegii, *cum ad dolos & fraudes suas & injustam eadem abuuntur circumcisione re apud ipsos sacratissima. Quinto* crudelitatis & tyrannidis, *cum graviter lasos & afflictos, idque ex suggestione sua & in gratiam sui, jamque quasi moribundus, hostiliter invaserunt & jugularunt. Sexto* oppressionis innocentum: *neque enim solum raptorem ejusque familiam, sed omnes urbis masculos, etiam innoxios & omnium insciosjugularunt; pueros & fœminas captivas adduxerunt, agros & domos spoliarunt, greges prædati sint, mœnia suffoderunt. Unde & gravissime eos reprehendit Iacob, & moriturus etiam maledixit Gen. XLIX. 5.*

*Patratæ in facto Simeonis à Tirino notata.*

*Exceptio Tirini.*

Quod autem dicit Tirinus, *Deum usum zelo Simeonis & Levi, quemadmodum Tyrannis uti solet in aliis puniendis*, eo excusare non potest vel factum ipsorum, vel hæc facti commendatio, quia fateri necessum habet, quod *perfidi fuerint, & limites exceſerint justitiæ*, quodque *gravissime ipsi peccaverint.* Neque quicquam ad rem facit *obstetricum in Ægypto mendacium*: nam non commendatum fuit à Mose mendacium, sed quod *Deum timuerint*, à Juditha vero commendatur *impius Simeonis & Levi zelus* ceu zelus divinus: distinguendum itaque *justum Dei judicium* quod exercetur, cum Deus tyrannis utitur, ab *injusta actione hominum* quæ neque ratione *intentionis* neque ratione *modi exequutionis* ullatenus excusari potest; hic certe, judice ipso Tirino, multipliciter vitiosa.

QUI VIOLATORES EXSTITERUNT IN COINQUINATIONE SUA] Leginus in Græco: οἱ ἔλυσαν μίγμα πωρῶσιν εἰς μίασμα. Sed non est recepta locutio, λύειν μίγμα, ἀνάγειν μίγμα dicunt Hebræi, qui Græce ἐξαιρίζειν, idque de partu, non de concubitu. Præterea, si is esset hic sensus, male sequeretur: καὶ ἐγὼ μίσω αὐτοὺς μισῶ, id est עֹרְרֵהוּ אֲאֹרֵר. Omnino hujus libri scriptor legerat scriptores ex Græcis, ut qui & Titanum & Gigantum meminerat infra XVI. 8. & eorum exemplo scripserat ἔλυσαν μίγμα, zonam virgineam solverant, ut Catullus loquitur. Mutuus est Leandri:

Οὐ λύσιν λύσατο μίγμα.

Quod sequitur in Græco, καὶ ἔκλεισεν, significat, *non se abiit.* Mox: καὶ τὸν ἐρυμὸν αὐτῶν ἐβδέλυξατο τοῦ ἀπατηθῆναι εἰς δόμα; locutio est Poëtica; cubile enim decepti dicitur ubi homines decepti erant.

Vers. 5.

OMNES ENIM VIÆ TUÆ PARATÆ SUNT.] ἕτοιμοι, faciles tibi.

ET TUA JUDICIA IN TUA PROVIDENTIA POSUISTI] ἐν προγνώσει bene vertit: nam προγνωσις fere non nudam prænotionem, sed & directionem divinam significat.

ET DEJICERE GLADIO CORNU ALTARIS TUI] Vide Exodi XXVII. 2. Levit. IV. 7. 1. Reg. I. 50. Amos III. 14.

Vers. 12.

ET PERCUTIES EUM EX LABIIS CARITATIS MEÆ] Legit ἐκ χειλέων ἀγάπης, ubi nos non male habemus, χειλέων ἀπάτης. quod melius comprimit cum illis quæ in Græco præcesserunt, τὸν ἐρυμὸν, τὸν ἀπατηθῆναι. Sequitur in Græco: Σφαῦσον αὐτῶν τὸ ἀνάστημα ἐν χειρὶ θηλείας, ubi ἀνάστημα est status erectus, ut Zach. IX. 8. & infra XII. vers. 9.

Horren-

Horrendæ sunt & abominandæ preces, qui Judithæ tribuuntur, ut nempe Deus benedicat congestis mendaciis, & consutis dolis, quibus os sublinat Holoferni; percute servum per labia deceptionis meæ v. 15. utque instruatur ab ipso Deo strophis, & fraudibus δὸς λόγους μοι, καὶ ἀπάτην, *Da sermonem mihi & fallaciam*, v. 18. quæ quomodo excusabunt Papistæ Canonicam autoritatem huic scripto tribuentes. Petere enim à Deo, ut faveat deceptioni est Deum in societatem sceleris vocare, ut promoveat opus Satanæ, & innuere deceptionem aliquam Deo gratam esse posse: petere à Deo ut inspiret deceptionem est statuere, Deum esse posse auctorem peccati, h.e. Deum negare esse Deum.

## CAPUT X.

*Judith pulcherrime exornata exceditBethulia cum una ancilla, & ab exploratoribus deprehensa ducitur ad Holofernem, qui mox ejus forma capitur.*

Vers. 2.

ABSTULIT A SE CILICIUM] περιείλατο τὸν σάκκον, convolvit, ut rem seponendam.

ET UNXIT SE MYRRO OPTIMO] μύρῳ πανσῶ. *Adjicitur cinnamomo balaninum oleum, xylobalsamum, calamus, juncus, balsami semina, myrrha, mel odoratum; unguentorum hoc crassissimum*, Plinius 13.).

Vers. 4.

ET DISCRIMINAVIT CRINEM CAPITIS SUI] Latine admodum, nam inde & discriminale in Latino Isaiæ & Isidoro. Ovidius:

*Colligere incertos & in ordine ponere crines*
*Docta.*

Et alibi:

*Ponendis in mille modos præfecta capillis.*

IMPOSVIT MITRAM SUPER CAPUT SUUM] Est hic mitra capitis ornatus. Virgilius: *Caput Græca redimita mitella.*

ET INDUIT SE VESTIMENTIS JUCUNDITATIS SUÆ] Quæ opposita vestimentis lugubribus.

INDUITQUE SANDALIA PEDIBUS SUIS] Ex mollioris pellibus: ita enim moi erat diebus lætis.

ASSUMPSITQVE DEXTRALIOLA] In Græco distincte τὰς χλιδῶνας καὶ τὰ ψέλια, ut & in Græco Isaiæ 3, 19. χλιδὼν generale est nomen monilium; sed specialiter de iis dicitur monilibus quæ erant circa brachia. Itaque 2 Sam. 1, 10. ubi χλιδῶνας habent alii βραχιόλιον ponit Aquila: & Athenæus ex veteri Poeta dicit χλιδῶνας καὶ βραχιόνια. ψέλιον notum est esse armillas, quæ sunt περὶ τὰς καρπούς.

ET LILIA] Hæc de collo videntur pependisse.

ET INAURES ET ANNULOS] De inauribus feminarum Orientis, vid. Exod. 22, 23. Osex 3, 13. de annulis Esa. 3, 21.

NOn immerito Canonicæ autoritati libri Judithæ hoc obvertitur, quod autor fœminæ illi, quam ceu sanctam laudat, adscribat *cultum ejusmodi meretricium & ad merum lenocinium* compositum: siquidem & gentiles fœminæ honestatis studiosæ aucupia ejusmodi vultus & oculorum deretatæ non nisi cum velo prodiere. Adde quod Juditha de illis vultus sui illecebris & sandaliis suis, quibus rapuerit Holophernem, maximopere glorietur, c. 13, 21. c. 16, 18. quod *sanctitati* ejus minime congruit. Quod argumentum vindicatum ab exceptionibus videri poterit apud *Spanhem. p. 208.*

Vers. 5. ET ASCOPERAM VINI] In Græco: ἀσκοπωτῆνον Meminit Pollux lib. 10.

ET POLENTAM] ἀλφίτων in Græco. Sic dicitur etiam, quæ ex tritico est farina.

ET PALATHAS] παλάθη est ficuum massa, 1. Sam. 25, 18. 30, 11. 2. Reg. 4, 2. 16, 1. 20, 7. 1. Par. 12, 40. Martialis:

*Hæc tibi quæ torta semerunt condita meta*
*Si majora forent coctana, ficus erant.*

ET PANEM ET CASEUM] Legit in Græco: καὶ ἄρτους, καὶ τύρον, pro quo nos habemus, καὶ ἄρτοι καθαροί. Sequitur in Græco: καὶ περιέδησαν πάντα τὰ ἀγγεῖα αὐτῆς, καὶ ἐκύφωσεν ἐπ' αὐτῇ, id est, cætera vascula bene obvoluta imposuit in peram.

Vers. 13.

ITA UT NON CADAT VIR UNUS DE EXERCITU EJUS] In Græco: καὶ οὐ διαπορευθήσεται τῶν ἀνδρῶν αὐτοῦ σάρξ μία, id est, non defierabitur, quomodo διαφωνεῖ apud Hellenistas fumi diximus ad Exod. 24, 11.

Intercedunt hic iterum *mendacia Judithæ* autoritati libri *Canonicæ*, cum v. 12. deprehensa ab Assyriorum excubiis, & rogata unde veniret, aut quo tenderet, respondet, *filia sum Hebræorum, & à facie illorum fugio, quia futurum est, ut vobis dentur devorandi*: & porro v. 13. ait, *se venire, ut Holoferni verba veritatis annunciet, & viam ostendat ante faciem ejus, qua proficiscatur & potiatur tota regione montium, atque cuto & sine dispendio illius ex suis.* Quis hæc mendacia, impostura, fraudes & dolos excusabit? Quæ tamen autor refert non ἱστορικῶς tantum, sed ἐγκωμιαστικῶς, ad laudem istius fœminæ: quum ad vim hostium avertendam legitimis opus sit mediis, non ejusmodi fraudibus ac mendaciis.

QUI TAM DECORAS MULIERES HABENT, UT NON PRO HIS MERITO PUGNARE CONTRA EOS DEBEAMUS] Sic Græci apud Homerum, conspecta Helena:

Οὐ νέμεσις Τρῶας τε καὶ εὐκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοιῆδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.
Αἰνῶς ἀθανάτῃσι θεαῖς εἰς ὦπα ἔοικεν.

Additur hic in Græco: οἱ ἀφιξόντες ἐωσοῦντας καταφθεῖραι αὐτῶν πᾶσαν τὴν γῆν, nimirum omnes perducere potuerunt in suam amicitiam fœminarum illecebres.

Vers. 19. SEDENTEM IN CONOPÆO] ὑπὸ τῷ κωνωπείῳ. Horatius:

*Interque signa, turpe, militaria*
*Sol aspicit Conopeum.*

Alexandrinus maxime eo uti ait ibi Scholiastes.

## CAPUT XI.

*Judith ab Holoferne super causa fugæ suæ interrogata imponit illi, speciosam pollicens victoriam.*

Vers. 4.

SUME VERBA ANCILLÆ TUÆ] In Græco additur: λαλησάτω ἡ παιδίσκη σου κατὰ πρόσωπόν σου, id est, audiendam verbis meis præbe.

PERFECTAM REM FACIET DOMINVS TECVM] Additum in Græco: καὶ οὐ διαστρέψει ὁ κύριός μου τῶν ἐντεθυμημάτων αὐτῆς: non excidet cogitatis; respondet enim ἐντεθύμημα vocibus מצרף *Lexicographi*, & similibus.

Vers. 8. VT MANDAVERIT PER PROPHETAS SVOS AD POPVLVM, QVOD TRADAT EVM PRO PECCATIS SVIS] *Significabit se traditurum.* Sequitur hic in Græco: ἵνα μὴ γένηται ὁ κύριός μου ἐκβολὴ, καὶ ὄστρακον. Vbi ἐκβολὴ est, qui de re sperata dejicitur, ὃ ἐξω βεβλημένον interpretantur Lexicographi.

Vers. 11. DENIQVE HOC ORDINANT, VT INTERFICIANT PECORA SUA, ET BIBANT SANGVINEM EORVM] Quod haud dubie lege veritum. In Græco tamen nihil de sanguine, itaque pecora intellexit sues, & alia vetita.

Vers. 12. HÆC COGITAVERVNT IMPENDERE] κεκρίκασιν ἐξανιλῶσαι in Græco. Quid mirum, cum & David id in fame fecerit? sed finguntur ista dicta, ut derelictos à Deo Judæos crederet Holofernes, legis vim non intelligens. Additur mox in Græco: καὶ ἀπεστάλκασιν οἱ ἱερεῖς αὐτῶν, ὅτι καὶ οἱ ἐκεῖ κατοικοῦντες ἐποίησαν ταῦτα τοῖς μὴ τακτοῖς εἶναι αὐτοῖς καὶ πιεῖν. *Misernit Jerusalem, ut si qui ibi habitant assentiantur prædictis: in qui missi sunt ad referendum sanctas pertinaciam, simul id renunciatum fuerit effectum dent.* ὑπὲρ pro ἐπὶ, & καὶ bis abundat. Synedrium LXX. virorum jus habebat ἐξαιτήσεως solvendi quædam legis vinculo. Docet id Maimonides Ductore dubitantium, III. 41.

Vers. 15. ET NON LATRABIT VEL VNVS CANIS CONTRA TE] Proverbiale, ut Exod. 11, 7.

Vers. 16. HÆC MIHI DICTA SVNT PER PROVIDENTIAM DEI] Hinc apparet in Græco legendum: κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ, non κατὰ πρόγνωσιν μου. vide supra IX. 5.

Probari hoc nullatenus potest, quod fœmina ista, quam ceu *sanctam* introducit autor, mendaciis & strophis Holofernem adorta sit, & circumvenerit, ac talium autorem DEUM ipsum fecerit, ubi frustra est *Thomas II. 2. quæst. 110. art. 3. ad 3.* Judithæ

ditham laudari, *non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi*; Nam laudantur etiam illæ strophæ, quibus Holoferni impositi, imo adscribuntur illæ quoque divinæ inspirationi. Quam impietatem auget *Sepulveda* cum citante *Spanhemio*, pro excusandis mendaciis, justum Dei obvertit & lenocinia ad Deum auctorem refert. Non enim Deum, sed Diabolum ea agnoscunt auctorem Patrem mendacii. Joh. 8, 44.

Vana etiam est æquivocatio, qua Judictham juvare vult Tirinus v. g. circa v. 15. *Ego adducam te per mediam Ierusalem*, triumphabundum putavit Holofernes, sed triumphatum ac jugulatum intelligebat Judith, quod factum cum caput tyranni secum circumduxit. Item: *Et non latuvit vel unus eanis contra te*: puto jam mortuum, cum desines omnibus esse molestus. Quæ omnia tum forsan rectè se haberent, si vel æquivocationes Jesuiticæ probari possent, adversus quas alias diximus, vel Judictha in Scholis Jesuitarum ad ejusmodi deceptorias æquivocationes informata fuisset. Ecquis vero artes illas in pernitiem humani generis, & locietatis ac conversationis civilis excogitatas non detestaretur, non execraretur toto pectore!

Vers. 18. PLACUERUNT AUTEM OMNIA VERBA HÆC CORAM HOLOPHERNE] Græce: ἐναντίον ὁλοφέρνης. Hebraismus לְפְנֵי vel עַל־פְּנֵי post verba placendi significatum habentia.

Vers. 19. NON EST TALIS MULIER SUPER TERRAM] In Græco: οὐκ ἔστιν ὅμοια τῆς γυναικὸς. De hoc loquendi genere vide quæ ad Matth. 24, 31.

## CAPUT XII.

*Judith in locum thesaurorum Holofernis introducta facultatem obtinet propriis vescendi cibis, nocteque ad orationem egrediendi: quarto autem die in convivium inducta, coram Holoferne comedit & bibit, qui ejus concupiscentia ardens, vehementer inebriatur.*

Vers. 2.

NE VENIAT SUPER ME OFFENSIO] ἵνα μὴ γένηται σκάνδαλον: id est, ne hoc mihi causa sit ruinæ.

Vers. 7. ET BAPTIZABAT SE IN FONTE AQUÆ] In illo fonte, cujus mentio supra in Græco VII, 3. Lotio hæc non ex lege erat, sed ex speciali quorundam cura, ubi se precibus parabant. Nam & LXX. senes ait Aristeas ablutos antequam se sacræ lectioni darent. Potuit accedere & metus à contactu alienigenarum, ut Marci 7, 4. ubi dicta vide.

PRætextus hic religionis Judaicæ ritus videtur, ut absque suspicione nocturnis horis foras extra tentorium prorepere posset, quoties vellet ad fontem, adeoque libere per castras transire, observanre Tirino.

Vers. 10. ET DIXERAT AD VAGAO EUNUCHUM SUUM] Græci hic & infra βαγώαν. Plinius ita vocari Babylone ait Spadones XIII, 4. Ovidius Amorum II, 2.

*Quem penes est Dominam servandi cura Bagoi.*

Et communiter sumitur Βαγώας in additamentis ad Esther 3, 6. Curtius ut proprium ponit libro VI. *Bagoa singulari specie Spado*; ut & Plutarchus in Moralibus. Idem Plutarchus alterius Bagoæ meminit in libro de fortuna Alexandri, qui Darium ad regnum provexerit, de quo & Curtius: *In sedem Cyri beneficio Bagoæ castrati hominis admissus*. Alterius etiam in Eunucho Lucianus.

V. 14. OMNE QUODERIT ANTE OCULOS EJUS BONUM ET OPTIMVM FACIAM] Legit ἀρεστόν, ubi in Græco est ἀρεστὸν, πᾶν ὃ ἐστιν ὑπ' ὀφθαλμοῖς αὐτῶ ἀγαθὸν πεῖσω. Loquendi genus simile ei quod supra XI, 18.

## CAPUT XIII.

*Judith facta ad Deum oratione præscindit acinace caput ebrii Holofernis; quod ad concives Bethuliam deferens, eos ad gratiarum actionem hortatur, ipsa vero ab omnibus benedicitur, & Achior viso Holofernis capite obstupescit.*

Vers. 6.

ET LABIORVM MOTV IN SILENTIO DICENS] Mos enim Hebræis est, etiam cum silentium in precibus servant, labra tamen movere, quod nimis frigidas putent preces in solo cogitatu. Vide I. Sam. 1, 13.

Vers. 7. VT, SICVT PROMISISTI, IERVSALEM CIVITATEM TVAM ERIGES] In Græco: ὡς ὕψωσας Ἱερουσαλήμ. adsublimandam urbem Hierosolyma. Sequitur in Græco: καὶ ποιήσεις τὰ ἐντεύξεμά μου. De qua voce vide supra XI, 4.

Vers. 9. ET ABSTVLIT CONOPÆVM] Vide supra v. 19.

*Conopæum secundum Iunium est quidem illud, quod propter infesta animalcula adhiberi solet, quæ Græci appellant κώνωπας: sed hic potius accipiendum est insimum stratum, quo molliores virtutuntur in grabatis castrensibus: quod conopæum sine solo ligneo, aut alio sustentaculo columnis lecti & sponda appingitur. Quæ autem causa hoc fecerit vide infra vers. 19.* Sed si vera est historia, annon facile Judictha per Conopæi Holofernici eportationem per castra dignosci potuisset? Minus certe necessaria ejus abductio fuit, magis autem periculosa.

V. 14. VOCAVERUNT PRESBYTEROS CIVITATIS] De quibus supra VI, 10.

Vers. 24. UT NON RECEDAT LAUS TUA DE ORE HOMINUM] In Græco: ὑπομνήσθητε ἡ ὁδὸς ἐν ἀπὸ καρδίας ἀληθούσης, id est, memoria fiducia quam in Deo habuisti.

Vers. 26. ET DIXIT OMNIS POPULUS, FIAT FIAT] γένοιτο, γένοιτο, Hebraice, אָמֵן אָמֵן. Sic & infra XV, 12. Vide quæ dicta ad Matth. 5, 18. Quæ in Latino sequuntur hoc capite, ea in Græco sunt in capite sequenti.

Vers. 30. ET ADORAVIT EAM] Humiliter salutavit. Ita enim usurpari solere Græcum προσκυνεῖν, Latinum adorare, diximus ad Decalogum.

## CAPUT XIV.

*Judith salutare consilium subjicit, quomodo mors Holofernis sit publicanda. Achior religionem Israelitarum totam amplectitur. Israelitæ in castra hostium irruptionem faciunt. Holofernes magno suorum luctu, capite truncatus reperitur.*

Vers. 2.

SED QUASI IMPETUM FACIENTES, TVNC EXPLORATORES NECESSE EST VT FVGIANT] In Græco: καὶ ἐδόκουν αἰχμηροὶ ἐπ' αὐτὸν, ὡς καταβαίνοντες εἰς τὸ πέδιον ὑπὸ τὴν προφυλακὴν τῶν Ἀσσυρ. προφυλακαὶ, quos hic interpres vertit *exploratores*, magis proprie dicere poterat *præcubitores*: ita enim ex antiquis Scripturibus Festus: excubitores eosdem dixit Cæsar, belli Gallici libro VII. Sunt autem ii qui extra castra excubant, ut, si quid periculi intelligant, id nuncient.

Vers. 6. ET OMNIS SVCCESSIO GENERIS EJVS VSQVE IN HODIERNVM DIEM] Ostenditur magnus Ammonitæ fervor pro lege Dei, quod populo satis contempto se aggregaverit, in quo ipse posterique ejus nihil aliud quam Dei favorem sperare poterant, ab honoribus & connubiis exclusi. Vide Deuteron. 23, 3. In Græco est: καὶ προστεθῆναι αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον Ἰσραὴλ ἕως τῆς γενεᾶς ταύτης, locutione Hebraïs familiari, quæ posteritatem omnem nomine primi parentis comprehendit, quasi una persona essent.

DUbium hoc occurrit de *Achiore Ammonita*. Fuerunt enim Ammonitæ ex posteris Loth, qui verisimiliter una cum Abraham patruo suo circumcisus est; & constat *Arabes* ad quos *Ammonitæ* pertinent, æque ac *Phœnices, Chaldæos, Ægyptios, Æthiopes*, ac plerasque Orientales nationes circumcidi solere. Videatur *Origenes* ad Rom. 2. *Euseb.* lib. IX. de præpar. Evang. c. IV. *Cyrill.* lib. IX. contra Julianum. Si quis autem cum *Tirino* dicat, *apud*

*Dubium de circumcisione Achioris Ammonitæ.*

*apud posteros Loth hanc ceremoniam viguisse, successisse autem temporis Ammonitas uti à vero Dei cultu ita & ab hoc ritu defecisse*, mirum fuerit quomodo etiam istorum Patrum ætate, imo no stro quoque tempore penes gentes illas in usu sit?

Vers. 14. ET ELEVANS EUM, VIDENSQUE CADAVER JACENS SUPER TERRAM] In Græco καὶ ἄρας αὐτὸ ἰδὼν τὸ κρανίον ἐβεβυσμένον νεκρόν. Est autem κρανίον ὀδὸς τῆς ὄψεως τῆς σκοπιᾶς, ut nos docent Suidas, & Hesychius, apud quem male ὀδοῦς. Nimirum ponitur Judith non in lecto reliquisse corpus Holophernis, sed projecisse in solum & quidem longius a lecto. Vide supra 13. 9. ubi in Græco: καὶ ἀπεκόλλησε τὸ σῶμα αὐτῦ ἀπὸ τῆς ἐσχαρίδος

## CAPUT XV.

*Assyrii turpissime fugiunt & trucidantur. Castra per Israëlitas, diripiuntur. Sacerdos magnus Ierosolymitanus Bethuliam veniens, viduam Iudith celebrat, eique benedicit. Dividuntur spolia Assyriorum: & viduæ Iudith Holofernis divitiæ assignantur.*

Vers. 1.

FUGIT MENS] ἐξέστησαν. Quasi extra se fuêre ex admiratione. Frequens vox apud Interpretes Veteris Testamenti, & in Novo, ut Matth. 12, 23. Marci 2, 12. 5, 42. 6, 5. & alibi.

Vers. 2. ITA UT NULLUS LOQUERETUR CUM PROXIMO SUO] In Græco: καὶ οὐκ ἦν ἄνθρωπος μίαν κατὰ τὸ πρόσωπον ἐπιτρέπειν πλησίον αὐτῦ. Sibi quisque consulebat.

ET SEMITAS COLLIUM] In Græco additur: καὶ πᾶν βετυλίαν. Circum Bethuliam. Idem loquendi genus Matth. 6, 36. Luc. 9, 12. Rom. 15, 17. sic vertitur גְּבוּל, Jos. 6, 3. סְבִיב pluries in locis. Est alioqui vox ὄρεσι ἐν in hoc sensu etiam purioribus Græcis usurpata, ut Aristophani, Xenophonti, Aristoteli,

SED INCLINATO CAPITE] Legit ἐκλινόμενοι sed melius nus habemus, ἐκκλίνοντες, id est, effusa fuga.

Vers. 5. MISIT ITAQVE OZIAS NVNCIOS PER OMNES CIVITATES ET REGIONES ISRAEL] Vberius in Græco: εἰς Βετομασθὰμ καὶ Βεβὴ καὶ χωβὰ, καὶ χωλὰ, καὶ εἰς πᾶν ὅριον Ἰσραὴλ. Quod hic scribitur Betomasthaim idem est quod supra IV. 3 Βετομασθὰμ, nempe בֵּית־חוּשִׁים, ut ibi dictum. Et Chobai idem quod supra IV. 3. χωβὰ, id est, ut ibi conjecimus, Chocheba, χωλὰ idem esse videtur quod supra 1, 9. in Græco: χωβὲρ, & 11, 13. χωλὶ, Cholle in Palmyrene, ut illis locis diximus.

Loca illa sic reddidit *Junius: Et misit Ozias Esebtemonem & Bethbirem, Chobamque & Cholonem*, & de iis ita annotat: *Hæc locorum nomina ex conjectura restituere hoc modo visum est propter sequentes voces, & in omnem terminum &c. Nam tres his quidem vocibus termini videntur designari, quibus Assyrii poterant effugium sibi investigare: occidentis terminus hic nullus ponitur, quia mare omnem effugiendi spem fuisset ademturum. Sunt autem duo priora loca ad meridiem sita in tribu Iehudæ & Schimbonis: Choba vero ad Septentrionem est, Genes. 14, 15. Cholen denique Orientem versus, ubi Aulona Graci quoque scriptores statuerunt.*

Vers. 8. HI VERO QVI VICTORES REVERSI SVNT] In Græco: οἱ δὲ ἀπὸ Ἰσραὴλ ἀπεστράφησαν ἀπὸ τῆς κοπῆς. Sic Scriptor ad Hebræos ⁊ ι. ὁ σωσάντων Δεσποτῶν ὑποστρέψαντι ἀπὸ τῆς κοπῆς τῶν βασιλέων. In eadem historia Gen. 14, 17. ὑποστρέψαντος αὐτοῦ ἀπὸ τῆς κοπῆς, ubi in Hebræo הַכּוֹת, ut & Josue 10, 20. alibi sic vertitur נֶגֶף, ut Deuteron. 28, 25.

Vers. 9. CVM VNIVERSIS PRESBYTERIS SVIS] In Græco: καὶ ὁ ἡγούμενος τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, id est, senatus LXX. virorum, ut supra 11. 12. sic & 2. Macc. 1, 10. & non longe ab initio 3. Macc. & Act. 5, 21.

VT VIDERET IVDITH] In Græco est amplius: ἦλθον τὸ ὀπτασιάσασθαι τὰ ἀμφὶ αὐτὴν ὅτι ἐποίησεν ὁ θεὸς τῷ Ἰσραὴλ, id est, ut certherent de rebus actis.

V. 14. DEDERVNT IVDITH IN AVRO ET ARGENTO ET VESTIBVS ET GEMMIS] Nempe ἐξαίρετα, ut de præda Trojana agens loquitur Euripides

V. 16. CVM MVLIERIBVS ET VIRGINIBVS] In Græco hoc amplius: καὶ ἐποίησαν αὐτῇ χόρον ἐξ αὐτῶν, id est, in honorem ipsius choreas duxêre more Judaico 1. Sam 18, 6. est & in Græco: καὶ ἔπαιξε ὀρχησιν ἐν τοῖς χορεῖς αὐτῆς. Thyrsus ex Hebræo תִּרְצָה, Esa. 44. 14 Vocantur ſic rami frondosi, qui distinguuntur a ramis fructiferis, 2. Maccab. 10, 7. Veruque in usu Judæis latis temporibus, ut apparet Exod. 23, 40. Tacitus de Sacerdotibus Judæis: *Tibia tympanique continebant, hederis vellebantur.* Θυρσοφορίαι Judæorum celebrat Flutarchus in Sympoliacis, ubi & tubarum & tympanorum mentio. Sequitur in Græco: ἐγκρίνουσι τὴν ὁλκὰν αὐτῆ, & mox: μετὰ στεφάνων καὶ ὅπλων. Coronas in lætitia gestare imos non olarum tantum gentium, sed & Judæorum. Vnde Prov. 1, 9. 4, 7. Sir. 7, 50. Olea vero imprimis amata Hebræis, quod & frondem ferat & fructum, & quidem talem, unde ungantur reges & sacerdotes.

*De processionibus Papisticis.*

Probat Tirinus ex hoc ritu *processiones Papisticas* cum *vestibus, floribus, ramis, cereis*, fubinde & *armorum & chorearum pompa* institui solitas. Sed præterquam quod liber hic *apocryphus* sit, consuetudines & cæremonias Judaicas nihil facere ad N. Testamenti tempora, nec commendationem inde religioni Christianæ accedere, certum est. Non autem mirum Papistas ad *Iudaismum* in talibus provocare, eundemque imitari, in rebus religionis, siquidem ad ipsos etiam *gentiles* provocare soleant, eorumque ritus in multis suos faciant, quod imprimis *B. Nicol Hunnius in apostasia Rom. Ecclesiæ* egregie docuit. Quemadmodum etiam hic *Tirinus* ad gentiles provocare non dubitat, quod nempe *Bacchi consecrati fuerint thyrsi, teste Virgilio, Dionysio & aliis*, unde Proverbium: *Thyrsiger multi, Bacchi pauci.*

## CAPUT XVI.

*Epinicion canit Iudith. Populus holocausta offert Deo in gratiarum actionem pro tanta victoria. Iudith plena dierum moritur. Et dies victoriæ ipsius perpetuo celebrari jubetur.*

Vers. 2. IN TIMPANIS] Quorum usum apud Judæos etiam Taci o observat, ut jam diximus.

Vers. 3. QVI POSVIT CASTRA SVA IN MEDIO POPVLI SVI] In Græco: εἰς παρεμβολὰς ὁμοῦ λαῦ, id est, Deus populo suo est vice castrorum. Sed videtur Latinus interpres legisse ὅσι.

V. 5. AB AQVILONE] Eo ad Judæam situ, qui aliquid habet a Septentrione, alio tid ab ortu.

Vers. 8. NEC FILII TITAN] Vide quæ diximus supra 9. 2.

*Hæ voces Titanum & Gigantum*, ut recte monuit *Iunius, plane ostendunt hunc librum à recentiore aliquo auctore conscriptum esse: nusquam enim ſic loquitur in libris authenticis sanctus Dei Spiritus simplicissimus veritatis doctor.*

V. 9. IN EXVLTATIONE FILIORVM ISRAEL] In Græco: εἰς ἐν ὑψηλῷ τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ubi recitus legas ἀ Ἰσραὴλ.

V. 10. VNXIT FACIEM] Supra 10, 3.

V. 14. FILII PVELLARVM] Modo geniti ex novis nuptis.

V. 16. ADONAI DOMINE] In Græco: κύριε. Sed ita Hebræi Hellenistæ semper ubi in Hebræo scribitur יְהוָה, & legitur Adonai.

Vers. 17. DIXISTI, ET FACTA SVNT: MISISTI SPIRITVM TVVM ET CREATA SVNT] In Græco: καὶ κτισθήσονται. Ipse Spiritus mundum e tudi materia extruxit. Sumpta hæc ex Psalm. 33. 6.

ANTE FACIEM TVAM] Te adventante.

V. 20. IN DIE IVDICII] Cum tempus venerit quod Deo aptum videbitur penis exigendis,

Vers. 21. DABIT IGNEM ET VERMES IN CARNES EORVM, VT VRANTVR, ET SENTIANT VSQVE IN SEMPITERNVM] In Græco: δώσει πῦρ καὶ σκώληκας εἰς σάρκας αὐτῶν καὶ κλαύσονται ἐν αἰσθήσει ἕως αἰῶνος, id est, diu. Morbis eos vexabit diuturnis, qualis est febris ἑκτική, & verminatio. Hæc addita videntur post mortem Antiochi. Nam de eo scriptor 2. Macc. ἔπεσεν ἐπὶ τὸ σῶμα τῦ διοτρεφοῦς σκώληκας ἀπαζῆς, καὶ ζῶντος ἔτι ἐβύετο καὶ ἀλγηδόνες τὰς σάρκας αὐτὲ διαπίπτεσι. Vide Es. 38, 22. Sensum autem μυστικώτερον, quem ista habeant, disci potest ex Marc. 9, 44. & ibi annotatis. Vide & quæ ad finem Esaiæ.

*An hinc probentur ignis infernimaterialis & vermes corporei.*

Ex hoc loco Papistæ, *Serarius* & *Tirinus* aliique probare satagunt, *ignem inferni materialem fore & vermes corporeos*, sed liber hic *apocryphus* est, nullam autoritatem in probandis rebus fidei habens, neque necessium est, ut hæc de pœnis æternis intelligamus, cum accipi possint de temporalibus pœnis, uti Menochius alternative & dubitative explicat, *vel per ignem, & vermes metaphorice significantur vulnera, & morbi, qui homines veluti adurunt, & inflammant. Vel certe intelligitur ignis infernus, & vermis ille immortalis, quo damnati cruciantur.* Tirinus Jesuita ita habet: *Intelligi potest partim de metaphoricis, partim de proprie dictis igni & vermibus tum in hac tum in futura vita.* Sed in eodem loco verborum eorundem sensum & proprium & metaphoricum esse absurdum est. Et supponit inferno proprie dictum ignem esse, quem *communem* dicit *Theologorum sensum*, Theologos *Pontificios* intelligens, quibus nonnullos, sed paucos è Patribus addit: è nostris Theologis plerisque placet illud *Augustini* lib. XX. de Civ. Dei c. 16. *Cujusmodi sit ignis infernalis hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit.* De *vermibus* autem *corporeis* etsi pariter Tirinus rem certam esse censeat, idque è contrario *oblectatione* nempe *corporali sensuum externorum in beatis per suavissima mixta* probet, atque Patres nonnullos in eam sententiam alleget, non tamen verisimile est vermes corporeos æternos & immortales futuros, neque illa *oblectatio per corporales res mixtas quæ beatis tribuitur*, è Scripturis doceri potest, aut cum *consummatione rerum omnium* in fine mundi consistit. *Augustinus* certe lib. XXI. de Civ. Dei c. 9. rem in medio relinquit: *Eligat*, inquit, *quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, aut utrumque proprie corpori. Thomas* vero in addit. quæst. 97. art. 2. eos impugnat ex professo, qui vermes illas *proprie* accipi volunt. *Ambrosius* in fin. cap. XIV. Lucæ ut & *Gregor. Nyssenus* orat. Catech. cap. 40. nec non *Rabanus* lib. 2. in Ecclesiasten cap. 7. imo & *Innocent.* lib. 3. de contemptu mundi cap. 2. *improprie* vermem cum *Origine* lib. 2. περὶ ἀρχῶν cap. 11. de *sera scelerum pœnitentia* quæ *nunquam tormentis conscientiam afflictorum mordere cessabit*, interpretantur.

Vers. 23.

UNIVERSA VASA BELLICA] Id est, arma, τὰ σκεύη.

OBTULIT IN ANATHEMA OBLIVIONIS] Minime vero. Imo *oblationis*: id est, suspendit in Templo. Sic vox ἀνάθημα sumitur Luc. 21, 5.

Vers. 24.

ERAT AUTEM POPULUS JUCUNDUS SECUNDUM FACIEM SANCTORUM] In Græco: καὶ ἦν ὁ λαὸς ὑφορώμενος εἰς ἱερατεῖαν κατὰ πρόσωπον ἁγίων, id est, in subdialibus illis templum in conspectu habentibus. Ita vox ἅγια sumitur supra VIII. 17. & IX. 5.

Vers. 26.

CASTITAS ADJUNCTA] Vide Lucam 2, 37. & ibi dicta.

Vers. 27.

ERAT AUTEM DIEBUS FESTIS PROCEDENS] Ut Paschate. Vide I. Sam. 1, 3. Luc. 2, 41.

Vers. 28.

ET DIMISIT ABRAM SUAM LIBERAM] Vide quæ diximus supra 8, 26.

ET SEPULTA EST AC DEFUNCTA CUM VIRO SUO] In Græco: καὶ ἐθάφησαν αὐτὴν ἐν τῷ σπηλαίῳ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς Μανασσῆ. In specubus Judæorum sepulchra, Joan. 11, 38. Multos conjuges cum conjugibus suis sepeliri voluisse, ex inscriptionibus apparet.

Vers. 29.

DIEBUS SEPTEM] Quod tempus frequentatum in luctu propinquorum. Sirach 22, 13. Sequitur in Græco: διῆλθε τὰ ὑπάρχοντα αὐτῆς πρὸ τοῦ ἀποθανεῖν αὐτὸν, ἅπασι τοῖς ἐγγίζουσι τῷ γένει αὐτῆς. Reliquit bona quæ habebat, partim propinquis mariti à quo bona acceperat, ut gratiam ei redderet in iis qui ipsi viro carissimi fuerant, partim iis quos ipsa carissimos ob sui sanguinis propinquitatem habebat. Omnia officia explevit, tum in reddenda gratia, tum in conferendo beneficio. Vide quæ diximus libro 2. de jure belli VII. 9. 10.

Contigisse cædem Holofernis secundum *Latinum textum* anno XI. *secundum Græcum* anno XVI. *regni Manassis*, ait cum *Bellarmino Tirinus*, *ex quo supervixerit Judith annis sexaginta quinque, ac res Israeliticæ quietæ manserint toties exinde septuagintæ tribus vel septuaginta octo annis nempe usque ad mortem Josiæ Regis Juda.* Sed concilient primum Papistæ textum *Græcum* cum *Latino*, aut cui primæ deferendæ sint decretum Papale obtineant, nisi pro Latino id jam latum esse credant. Deinde vero quomodo *Manassis captivitas* ad priores ejus annos referri potest, ita ut per quadraginta circiter annos acta pœnitentia censeatur pietati deditus fuisse? nam si hoc, qui fit, ut Manasse jam defuncto post tot laudabiles regiminis annos Deus causam Babylonicæ captivitatis ad peccata Manassis potius quam ad scelera filii Ammon referat, quæ captivitati Babylonicæ priora erant 2. Reg. 14, 3. Jer. 15, 3. vel ad peccata Achazi, qui sedecim annis continuis impie regnavit, 2. Reg. 16, 2. Porro si Manasses ante illud bellum Holofernis à rege Chaldæorum captus fuit, quomodo id, *quinam populus Judæorum esset, quemque ducem haberet*, Holoferni adeo ignotum esse potuit, uti cap. 5. refertur. Si in tempora Manassis hæc hostilis invasio incidit, qui factum, quod in libris Regum & Paralipomenon, ubi historia Manassis bis descripta extat, ne obscura quidem mentio gravissimi istius belli & victoriæ tam admiranda facta sit!

Vers. 31.

DIES AUTEM VICTORIÆ EJUS FESTIVITATIS AB HEBRÆIS IN NUMERO SANCTORUM DIERUM ACCIPITUR ET COLITUR A JUDÆIS IN PRÆSENTEM DIEM] Nempe dies ἐγκαινίων sive φώτων: de quo vide dicta ad Joan. 10, 22. Hoc firmat ea quæ diximus ad hujus libri initium. Nam alioqui Judithæ diem frustra apud Judæos quæras.

Iterum ergo vacillat fides historiæ, & veritas libri hujus, cum nusquam de tali festivitate Judæis hoc liberationis die propria, utcunque audacter eam cum solemni processione cap. XV. descripta quotannis celebrari consuevisse asseveret *Tirinus*, in historia vel *sacra* vel *profana* aut vola aut vestigium reperiatur! Sed hæc ad librum istum sufficiant. *DEO qui solus est veritas & cujus unius verbum veritas est, in qua sanctificamur, sit honor & gloria, Amen.*

I. N. I.

I. N. I.

# ANNOTATA AD ESTHERIS ADDITAMENTA.

## PRÆLOQUIUM GROTII.

ET hæc & Baruchi sub nomine liber, & hymnus trium amicorum Danielis, Rhetorica sunt exercitia priorum Hellenistarum, qui ornandis veris historiis ea scripsêre quæ illis temporibus probabiliter fieri, dici aut scribi potuerant, quales & in Maccabaicis epistolæ sunt nonnullæ. Hæc libris addita, aut injecta, quia nihil mali continebant auctoritatem cum tempore acceperunt. Hæc additamenta videntur esse opus Prosely-

*De autoritate horum additamentorum.*

ti. Facile acquiescere possemus Grotiano judicio, nisi suspecta esset illa lacinia de *autoritate libro cum tempore conciliata*. Ea enim autoritas vel *divina* est, qualem Pontificii juxta *Concilium Tridentinum* asserunt, etsi nonnulli ex iisdem saniores hac in parte sint, & *additamenta libri Esther*, de quibus nunc speciatim agendum est, extra canonem ponant, utpote *Dionysius Carthusianus, Hugo Cardinalis, Nicolaus Lyranus, Thomas de Vio, Cajetanus, Benedictus Arias Montanus, Johannes Driedo, Sixtus Senensis*, & alii; vel autoritas *Ecclesiastica*: quod nempe majorem postmodum in Ecclesia adepta sint autoritatem quoad lectionem publicam ad ædificationem fidelium: de quo mentem suam hic non exposuit Grotius, in annotatis vero ad consultat. Cassandri ita de his habet: *Additamenta ad Estherem etiam post Synodum Tridentinam abdicat Senensis, & idem puto alios facere de additamentis ad Danielem, præsertim cum Latini codices, ad quos Tridentina nos remittit, variant. Canos etiam de Baruchi libro putat sine culpa hæreseos posse dubitari locorum Theologicorum II. 9.* Sed nec *Bulla Sixti V. & Clementis VIII.* editioni Bibliorum præfixa patitur ea in dubium revocari, nec etiam *decretum Tridentinum*, utpote quod anathemate ferit eum, *qui libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Catholica Ecclesia legi solent, & in vulgata Latina editione habentur*, pro sacris & Canonicis non susceperit. Si ergo *Senensis*, aut alius quis hæc additamenta pro Canonicis scripturis non habet, non potest effugere illud anathema, nisi illud habeat pro bruto fulmine. Autoritas etiam illa, quam ita obtinent, interprete *Hieronymo, ut utilia habeantur ad ædificationem plebis, non ad dogmatum fidei autoritatem confirmandam*, excludit eadem à Canone, nam ita revera *Canonicæ* autoritatis non sunt, quia non possunt esse fidei nostræ *regula*, unde nec divina habenda sunt, nec à Spiritu S. dictata.

*Bellarmino* vero, *Gretsero*, & aliis pro divina & Canonica eorum autoritate pugnantibus obstat, quod non profecta sint à *Propheta*, sed ab aliis inserta, vel adjecta, ut agnoscit *Grotius*: *Lyranus*, & *Sixtus Senensis Josepho* ea tribuunt, qui utique Propheta non fuit: & quum cxi. i. mentio fiat *Ptolomæi & Cleopatræ*, quos post *Artaxerxem* vixisse constat, quomodo pro *Propheticis* haberi possunt, siquidem fatente *Bellarm.* post tempora Artaxerxis Longimani, & Esdræ non scripti sint aliqui *libri Prophetici, lib. 1. de Verb. Dei c. 17.* Adde, quod additamenta hæc scripta non sint *sermone Prophetico*, h. e. *Ebrao*, sed *Græco*; hodie certe nusquam habeantur Ebræo sermone; at si *Canonicæ* essent, non passa utique fuissent divina providentia textum originalem interire, nec si pertinerent quædam ad *initium* libri *Esther* Canonici, quædam ad *medium*, quædam ad *finem*, uti *Bellarm.* vult, credibile est, admissuram fuisse divinam παράλειψιν, ut exciderint quædam ex *initio, medio & fine* textus *originalis & authentici*, scriptumque Canonicum in textu originali ita mutilum & mancum relinqueretur in Ecclesia, ut taceamus, quod quædam in his additamentis aperte *falsa*, quædam cum *Canonico* libro *Esther* pugnantia occurrunt, de quibus *suo loco monebitur*. *Sixtus Senensis l. 1. Bibl. sect. 3.* cum *Hieronymo* habet ea pro *laceris appendicibus & pamphlis additamentis ab incognito quodam autore temere appositis, & utcunque insutis*. *Objectiunculis* Bellarmini contrariis satisfecit *B. Gerhardus* in Exegesi Artic. de Script. S. §. 205. seqq. Disperci itaque possunt additamenta hæc in *initialia, media, & finilia* juxta *Germanicum textum*: sed quia *pulgatam Latinam* editionem sequutus est *Grotius*, ejusdem etiam insitemus ordini, juxta quem præmittuntur quæ assuta sunt capiti X. & cætera latis confuse subjunguntur.

## CAPUT X.

*Somnii Mardochæi declaratio de reducto Iudæorum populo in libertatem.*

Vers. 5.

NEC EORVM QVICQVAM IRRITVM FVIT] In Græco: οὐδὲ γὰρ παρέλθει κατ' αὐτῶν λόγος: ubi λόγος est res vel minima, דבר: παρέλθειν autem est eventu carere, ut Matth. 5. 18.

NOtanda hic inconvenientia collocationis in vulgata, quod *somnii declaratio* præmittatur ipsi *somnio*; utpote quod *cap. seq.* demum subjungitur.

*Bellarminus* observat septem illa capita libri Esther, quæ sunt postrema in editione vulgata Latina, *non esse revera postrema, sed quædam eorum pertinere ad initium libri, ut cap. XI. & XII. quædam ad medium ut cap. XIII. XIV. XV. XVI. quædam ad finem, ut cap. X.* Ita vero manifestum est, confundere Bellarminum cum *capite caudam, ventrem cum pedibus*, idemque judicium esse de collocatione in vulgata.

Vers. 6.

PARVVS FONS QVI CREVIT IN FLVVIVM ET IN LVCEM, SOLEMQVE CONVERSVS EST, ET IN AQVAS PLVRIMAS REDVNDAVIT, ESTHER EST, QVAM REX ACCEPIT VXOREM, ET VOLVIT ESSE REGINAM] Flumen terram irrigans vitam hominis significat, exundans vero, gaudium, ex Ægyptiorum disciplina, referente Achmete: Sol vero, eodem teste, regem significat.

Vers. 7.

DVO AVTEM DRACONES: EGO SVM ET AMAN] Idem Achmetes: οἱ δράκοντες οὗτοι ἐγώ εἰμι καὶ ὁ Ἀμὰν ὁ χρηματιστής.

Vers. 9.

ET FECIT SIGNA MAGNA ATQVE PORTENTA INTER GENTES] τὰ σημεῖα καὶ τὰ τέρατα τὰ μέγαλα. Sic vocantur non tantum, quæ rerum naturam immutant, sed & ea, quæ subitam atque miram habent rerum περιστασιν.

Vers. 10.

ET DVAS SORTES ESSE PRÆCEPIT, VNAM POPVLI DEI, ET ALTERAM CVNCTARVM GENTIVM] Allusio ad factum Amani unde dies Purim nomen accepit, Esth. 3, 7. Sicut Aman fecit sortes, ita Deus sortes duas habet dispositas, exitii pro gentibus a-

liis, salutis pro Judæis: sed eas suis temporibus dispensat. Non dissimile illud Homeri:

Καὶ τότε δὴ ἔπειτα πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα.
Ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
Τὸν μὲν Ἀχιλλῆος, τὸν δὲ Ἕκτορος ἱπποδάμοιο.
Ἔκλα δ' μετὰ λάῳσι· τότε δ' Ἕκτορος ἅψατο μοῖρα.

V. 12. ET MISERTVS EST HÆREDITATIS SVÆ] In Græco: καὶ ἐλεήσατε τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ, id est, approbavit populi sui causam ut religionem sequentis à Deo traditam.

V. 13. IN MENSE ADAR QVARTA DECIMA ET QVINTA DECIMA DIE EJVSDEM MENSIS] Quæ Μαρδοχαϊκὴ ἡμέρα. Macc. 15, 37. vulgo dies מָרְדֳּכָי, id est, fortium, olim etiam Amanea, ut diximus ad Esth. 3, 7. Discimus autem & hinc & ex Maccabaica historia, præter festos dies à Deo institutos, aliquos potuisse institui à populo. Vid. ad Joan. 10, 22.

## CAPUT XI.

*Somnium Mardochei.*

Vers. 1. REGNANTIBVS PTOLEMÆO ET CLEOPATRA] Dubitatur quis hic fuerit Ptolemæus: nam & nomen id commune Ægypti Regibus, & Cleopatras uxores multi habuerunt. Accedo de Philadelpho hæc accipientibus.

ITa & *Francisc. Junius*. Jesuitæ tamen, quos libenter sequitur Grotius, utpote *Pererius* lib. XIII. in Daniel. *Tirinus* & *Menochius* in h. l. putant hunc fuisse *Ptolemæum Philometorem* Sextum ab Alexandro M. Ægypti Regem. Unde cum post tempora *Alexandri M.* hæc assuta sint (quicunque tandem ille Ptolemæus sit) manifestum est, additamentum hoc à nullo Prophetarum, qui pridem isto seculo defierant, profectum esse, adeoque minime haberi posse pro *Canonico*.

HANC EPISTOLAM PHVRIM] In Græcis multis φρουρά: sed legendum φωρί, פּוּרִים quod idem est cum פּוּרִים. Diximus ad Esther 3, 6. & epistolæ nomine intelligi totam historiam à Mardochæo scriptam transmissamque ad Judæos qui in Ægypto erant. Inde allatum exemplar à Dositheo, versumque in linguam Græcam à Lysimacho. Hanc versionem secuti LXX. annotationem hanc in fine libri sui posuere. Cætera quæ leguntur, cum his non cohærent, sed pariter cum iis quæ deinde sequentur, additamenta sunt seorsum posita, quod & Hieronymus nos docet.

Intercedunt & hæc *autoritati libri Canonicæ*, ut haud obscure id fatetur Grotius; Neque talia non cohærentia Spiritui S. autori tribui possunt, qui non confusionis sed ordinis autor est.

Vers. 2. ANNO SECUNDO.

Hoc cum *Canonico* Esther pugnat. Nam in eo *cap. 11. 16.* referuntur illa ad *annum septimum Assveri*. Quam inepte autem hæc conciliet *Bellarm.* vid. apud *B. Gerhard.* in Exeg. §. 201. Inter somnium Mardochæi, & insidias Eunuchorum intervallum *unius* tantum *diei* fuit, non quinque annorum, si qua fides huic supplemento habenda. Sic confunditur etiam *Artaxerxes* cum *Ahasvero*. Nam Estheræ maritus non *Artaxerxes* fuit, sed *Ahasverus* juxta librum Esther Canonicum. Quem vero Ahasverum non *Artaxerxem Longimanum* fuisse, sed Darium Hystaspida in *Chronico sacro* docuimus, agnoscitque *Tirinus*.

Vers. eod. FILIVS JAIRI] Vide Esth. 2, 5.

Vers. 4. QUÆ TRANSTULERAT NOBUCHODONOSOR.

Si Mardochæus ex eorum numero erat, quos Nebucadnezar cum Jechonia Rege transtulerat, & usque ad tempora *Artaxerxis Longimani* supervixit, quæ *Bellarmini* est sententia, Ahasverum Artaxerxem μακρόχειρα constituentis, quum 2. Reg. 24, 16. Nebucadnezar non pueros, sed *viros robustos, fortes & bellatores deportasse* dicatur, si tum Mardochæus 30. annorum fuit, & inter translationem in captivitatem, & tempora Artaxerxis intercessere 165. anni, quod assumit Bellarminus, oportet temporibus Artaxerxis Mardochæum fuisse 95. annorum: qualem decrepitum & capularem senem ad aulicum ministerium adhuc assumtum fuisse, & res sanctas gessisse nullo modo verisimile fit. Si vero dicatur in libro Canonico Esther c. 2, 6. pariter haberi de Mardochæo, quod translatus fuerit de Jerusalem, respondet *B. Gerhardus* id non de Mardochæo, sed de *proavo* ejus *Kis* de stirpe Jemini, ibidem dici.

Vers. 6. DVO DRACONES] vide X. 7.

Inconveniens omnino est, quod se *Mardochæus* non minus ac Amanem *Draconi* conferat: nam comparatio illa cum Dracone in Scripturis Canonicis semper in *malam partem* sumitur.

## CAPUT XII.

*Manifestatio insidiarum Eunuchorum in regem à Mardochæo ex secundo capite repetita.*

Vers. 2. CVM BAGATHA ET THARA] Vid. II. 21.

Vers. 5. DATIS EI PRO DELATIONE MUNERIBUS.

AT qui nulla data fuisse tunc Mardochæo munera è *c. 6. Esth.* manifestum est. Quæ irreconciliabilis est αὐτιλογία. Et introducitur hic Mardochæus ceu dignitate aliqua jam in aula Regis conspicuus; qui vero libro Esth. c. 2, 11. ante nuptias Regis cum Esthere privatus fuit, aulæque incognitus.

Vers. 6. BVGÆVS] Βαγαῖος idem est quod Βαγώας, de qua voce vide Judith 12, 11. proprie ita dicti eunuchi: sed cœpit vox proferri latius ad aulicos omnes. Sic & vox Eunuchorum usurpatur in Latina versione, Esth. 1, 8. 8, 9.

Alii vocem pro nomine proprio habent *Bugæum* dictum pro *Agagæo*, ut est *Esth. 3, 1.* utpote *Tirinus* & *Menochius*. In Bibliis regiis habetur *Ugæus*. Ita in his laciniis corrupta sunt etiam notissima nomina.

V. eod. PRO DUOBUS EUNUCHIS.

Non ob Eunuchos, sed ob Hamani à Mardochæo denegatum honorem ipsi Hamanem insidiatum esse, Esth. 3, 5. docemur.

## CAPUT XIII.

*Exemplar epistolæ regiæ, quam misit Aman ad principes provinciarum super cæde Judæorum, & Mardochæi oratio pro eorum liberatione.*

Vers. 4 POPVLVM ESSE DISPERSVM, QVI NOVIS VTERETVR LEGIBVS, ET CONTRA OMNIVM GENTIVM CONSVETVDINEM FACIENS, REGVM IVSSA CONTEMNERET] Sumptum ex verbis Amani, Esth. 3, 8. ubi cæca vide.

Vers. 6. QVARTA DECIMA DIE DVODECIMI MENSIS] Imo *decima tertia*. Esth. 9, 1. & in his ipsis additamentis XVI. 20. Error ex numerorum notis ortus.

IN Scripturis vero Canonicis nullos uspiam à Spiritu S. autore vel divina Providentia conservatrice admissos, aut permissos esse errores, sive in numeris, sive in aliis ad textum sacrum pertinentibus, alias docuimus. Nec consistere tale sphalma cum *integritate* ac *puritate* textus sacri & Canonis divini ultro liquet. *Admisso* enim *semel in hoc fastigium errore aliquo*, quænam supererit *S. literarum certitudo*, uti in simili concludit *S. Augustinus*.

Vers. 14. SED TIMVI NE HONOREM DEI MEI TRANSFERREM AD HOMINEM, ET NE QVENQVAM ADORAREM EXCEPTO DEO MEO.] Qui hæc addiderunt, ad Græcum potius morem, quam ad judaicum respexere. Nam apud Judæos nulla erat, quamvis submissa, corporis flexio Deo soli reservata: neque reges tantum, sed & regibus minores solebant apud eos προσκυνεῖσθαι. Apud Græcos mos erat alius.

Si ad *Græcum morem* respexit autor, verisimile non est *Ebraum* aut *Prophetam* ipsum fuisse. Cæterum non haberi hanc orationem *in Ebræo*, & *apud nullum penitus Interpretum reperiri*, Hieronymus observavit. Honorem autem istum divinum

& re-

& religiosum intelligi, quem expetebat Aman è *cap. 3.* constare Tirinus & Menochius arbitrantur. Neque aliter vi supplementi hujus possunt. At in *Canonico Esther* non dicitur, quod Aman pro Deo adorari voluerit, sed erat hic *civilis*, præcipuus tamen honor, quem ex singulari & heroico instinctu Mardochæus impio Amani denegavit.

V.16. SORTI ET FUNICULO TUO] Funiculo enim dividebatur terra in partes, ipsæ deinde partes sorte assignabantur; hinc & funiculus & sors pro re cujusque propria.

## CAPUT XIV.

### *Plangit Esther, Deum in Spiritu humilitatis obsecrans.*

Vers. 2. CINERE ET STERCORE IMPLEVIT CAPUT] Id est luto. Job. 30, 19. Ezech. 27, 30.

PLanctus hic Esther & oratio ad Deum subjungitur in Græco orationi Mardochæi post c. 4.

CRINIUM LACERATIONE COMPLEVIT] In Græco: ἔπλησε τρυφερῆτι τριχῶν λύσεως, id est, tortilibus suis crinibus, cincinnis nimirum, quos sibi evulserat.

Vers. 4. PERICULUM MEUM IN MANIBUS MEIS EST] μετωπεῖα. periculum, id est, vita periclitans. In manibus dicitur esse, id quod facile elabi potest. Psal. 119, 109.

Vers. 7. COLUIMUS ENIM DEOS EORUM] Majores nostri ante tempora Nabuchodonosori. Liberi sibi tribuunt quæ sunt Parentum, quasi una essent persona.

Vers. 8. ROBUR MANUUM SUARUM IDOLORUM POTENTIÆ DEPUTANTES] In Græco: ἰσχὺς κακὸς, (sed Latinus legit ἰδωλων melius) τὰς χεῖρας ἐκείνων ἐπὶ τὰς χεῖρας τῶν ἰδώλων αὐτῶν. Sicut homines fœderatam contrahunt manibus junctis Lev. 5, 21. Jer. 50, 15. 1. Macc. 11, 50. pari modo ipsi Diis se obstrinxere manus simulachrum tangendo.

ATQUE EXTINGUERE GLORIAM TEMPLI ET ALTARIS TUI] Quæ scilicet antecedentium Persarum regum beneficio erant restituta.

Vers. 10. ET LAUDENT IDOLORUM FORTITUDINEM] Bene sensum expressit: In Græco est: οὐκ ἀρετὰς μετεῶν. Μάτοια sunt idola, Zach. 11, 17. & alibi. ἀρετὴ vero hic sunt vires. Ita id nomen sumitur Abac. 3, 3. Zach. 6, 13. 1. Petr. 1, 3.

Vers. 11. HIS QUI NON SUNT] In Græco τοῖς μὴ οὖσι, i. e. Dijs non veris, sed falsis, 1. Cor. 8, 4. collato loco Gal. 4, 8.

ET EUM QUI IN NOS COEPIT SÆVIRE DISPERDE] τὸν ἐν ἀρχῇ ἐπ' ἡμᾶς παραδειγματίσαντα, eum qui prior nos lacessivit exemplum fac. Est id verbum in Græca versione, Num. 25, 4. Jer. 13, 22. Matth. 1, 19. pro quo παδειγματίζειν dicitur Nehem. 3, 6.

Vers. 13. ET IN CONSPECTU LEONIS] Id est, regis, ut 2. Tim. 4, 17. Vide quæ allata à nobis ad locum Apocalypseos 17, 10. & in appendice ad eundem locum.

Quem hic *leonem* dixit supplementum, ejus faciem contra *cap. 15, 17.* χαρακτῆρα μεστὴν γενναιότητος *plenam* indicavit; quomodo hæc conciliandi, nisi dicatur forte, quod Regi palpum mendacio obtruserit.

Vers. 16. TU SCIS NECESSITATEM MEAM] Miseriam, sic ἀνάγκη sumitur Tob. 3, 6. Baruch. 6, 27. & in 3. Macc. & Luc. 21, 23.

QUOD ABOMINER SIGNUM SUPERBLÆ] ὑπερφανείας medium habet sensum, ut patet Amos 8, 7. hi magnificentiam significat; ejus signum diadema, de quo Esth. 2, 17. Hæc ut & de Trinocli continentia apud Tobiam, videntur à Christiano aliquo addita.

QUASI PANNUM MENSTRUATÆ] Rem aspectu fœdam, Isa. 64, 6. in Græco & Latino.

V. 17. ET NON BIBERIM VINUM LIBAMINUM] Quod diis gentium conferatum erat parte ejus libata. Virgilius: *Libabant patrios Baccho.* Vid. Dan. 1, 8. Hebræi id vocant יין נסיך. Ejus eadem ratio, quæ τῶν εἰδωλοθύτων.

## CAPUT XV.

### *Mandante Mardocheo intrat Esther ad Regem, vultu illius exterrita.*

Vers. 10. ET ARDENTIBUS OCULIS FUROREM PECTORIS INDICASSE.

SÆvum aspectum hæc testantur; at in genuina Estheræ Historia *c. 5, 2. Rex benigne* dicitur intuitus Reginam, idque in primo statim ingressu; unde frustra *Gretserus* distinctione *temporis* hanc ἀντίφασιν tollere nititur. Nimis enim manifesta est.

Vers. 11. HIS VERBIS BLANDIEBATUR] Bene expressit Hellenisticum illud, παρεκάλει αὐτὸν λέγουσα 1. Macc. 1, 31. 5, 18. 6, 10. 27. 10, 3. 47. Respondet Hebræo, שבועת, Jer. 12, 6. & שקרים Mich. 7, 3. Jer. 9, 8.

V. 12. EGO SUM FRATER TUUS] Quasi frater. Ita te amo, quasi sanguine essem proximus. Vide Cant. 8, 1.

Recte *Spanhemius* narrationem quæ hic instituitur totam *Dramaticam* esse docet. *Esther enim ibi introducitur velut in scenam ancillarum* (ὡς περιφερομένη) *innixa, & aliam pone se trahens, quæ syrma sua vestis substensum ferret; dicitur ibidem fuisse ἐρυθριῶσα, ob præstantiam formæ suæ, & Regem furibundo prorsus aspectu eam fuisse intuitum, inde Estheram in deliquium animi prolapsam, Regem totum jam modo efferatum & vestigio non placidum tantum redditum, sed & anxium è throno desiliisse, Estheram amplexatum, & verbis istis erectum invisse,* Ego sum frater tuus, *sceptrumque aureum cervici illius imposuisse. Nec dum tamen Estheram restituerat, sed adhuc præ formidine concidisse. Ista omnia confecta plane esse & amilia, lectori attento patebit, præsertim si ea contulerit cum iis, quæ à Canonico scriptore de accessu isto Estheræ ad Ahasverum referuntur cap. V. 4.* Hactenus Spanhemius.

V. 13. NON ENIM PRO TE, SED PRO OMNIBVS LEX HÆC CONSTITVTA EST) In Græco: κοινὸν τὸ πρόσταγμα ἡμῶν ἐστι, quasi dicat, omnia nobis sunt communia, etiam edicta, quæ facio, quasi tua habenda sunt; non utin te scripta. Augusta licet legibus soluta non est, principes tamen eadem illi privilegia tribuunt, quæ ipsi habent, ait Ulpianus L. Princeps. D. de Legibus.

V. 16. VIDI TE DOMINE VT ANGELVM DEI] Loquendi genus Hebraicum, quod modo ad benitatem refertur, ut 1. Sam. 29, 9. modo ad Sapientiam, ut 2. Sam 23, 17. modo ad potestatem ut 2. Sam. 19, 27. hic vero ad majestatem.

Impium hoc judicio *Spanhemii* p. 231. est, quod *Esthra Regi impio & profano dicere fingitur, se ipsum vidisse ὡς ἄγγελον Θεοῦ. Locus illis allegatis cum Angelo Dei,* inquit, *confertur David, Rex pius, & Deitimens. Quid vero hoc ad hominem profanum & impium, qualis fuit Rex iste?* Et an ille, quem leonem prius vocat Esther, statim in Angelum Dei nova μεταμορφώσει conversus fuit? Hoc quidem scenæ aptius & theatro, quam Spiritui sancto.

## CAPUT XVI.

### *Asveri Epistola pro Iudæorum salute cum inimicorum suorum interemptione.*

V. 1. REX MAGNVS ARTAXERXES] Floridus est hujus Epistolæ Character, & homiem Græcum redulet, Macedonibus ut videtur minus amicum.

Characteres isti bini itidem derogant auctoritati Additamentorum *Canonicæ.* Nam non à *Græcis*, sed *Ebræis* profecti sunt libri V. T. Canonici, nec in *gratiam* vel *odium* ullius personæ aut gentis quicquam pronunciant, sed quod res est. Recte autem alii judicant, diploma hoc æque ac superius aliorum, quæ à Persarum Regibus emanarunt characterem minime referre, quod ipsa collatio docet.

AB INDIA VSQVE AD ÆTHIOPIAM] Et Indorum & Æthiopum quosdam sub Persico fuisse imperio discimus ex Herodoto Thalia.

V. 2. IN IPSOS QVI DEDERVNT MOLIVNTVR INSIDIAS] In Græco: τοὺς ἐπὶ τοῦτο ὑπηρέτας ἐπιχειροῦντας ἀνελεῖν. Ὑπηρέτης titulus regum & imperatorum, ut ostendimus ad Luc. 22, 25. respondet Hebræo בריחים, quod proprie significat ὑπηρέτας, sed ἄρχοντες verti solet, ex usu frequente vocis.

Vers. 6. VT EOS QVI CREDITA SIBI OFFICIA DILIGENTER OBSERVANT, ET ITA CVNCTA AGVNT, VT OMNIVM LAVDE DIGNI SINT, MENDACIORVM CVNICVLIS CONENTVR SVBVERTERE] Græca hic lectio sluera non est: πεφώκασι δὲ πρὸ ποδὸς τῶν ἐπὶ ἐξουσίας τεταγμένων, τοῦ συγχεῖσθαι χαρίζειν φίλοις τὰ πράγματα παραμυθίᾳ μεγάλων ἀμάρτων ἀξίους κατασκευάσαι, περιῤῥαλα συμβουλίας αἰτησαμένους, τὰ τῶν κακοβούλως ψεύδει παραλογισμῷ παραληγομένων τὸν τῶν ἀρίστων ἀκέραιον ὑγιησμένον. Legendum enim videtur: ἀξίους μεγάλης ἁμαρτίας ἀποδεικνύειν. Deinde παραλογισμῷ. *Saepe sinos in magna potestatibus conficiunt, & qualibus credita sint amicorum negotia desperatio patris honoris repertos sanguine innocente,* (i. e. falso crimine) *in grassissimos*

calamitate; induit, præsit ingenii circumventione mendaci decipiens simplicem dominantium bonitatem. ἀξυμία μετωχῆς, id est, alii qui desperant se talium honorum participes posse fieri. Abstractum, ut dici solet, pro concreto. Αἶσα δ' ὄνος per metonymiam calumniam, capitalem significat. Deutero. 27,25. Jer. 2,34.

Vers. 7.

QUÆ RES ET EX VETERIBUS PROBATUR HISTORIIS] In Græco: σκοπεῖν δὲ ἔξεστιν ἐκ τοῦτο ἐκ τῶν παλαιοτέρων ἱστοριῶν ὡς παρεδώκασιν: ubi omnino legendum παραδόθησαν, tradita accepimus. Solent enim Græci formare passiva etiam eo sensu, quem activa cum Dativo habent; sic ἀδοῦναι dicunt Græci, quod Horatius Latine imitatus dixit, invideor. Ita παραδίδωμι est, tradidi, accepimus, קִבַּלְנוּ.

Vers. 10.

IN ANIMO ET GENTE MACEDO] In Estheris libro dicitur fuisse de stirpe Agag, ac proinde Amalecita, ut ibi diximus.

Πόρρω δὲ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ἐμάτευε. Id est, Macedonum & Amalecitarum. Non ausim affirmare scriptum fuisse Ἀμαλεκιτῶν, & infra 9. Ἀμαλεκίτης. Illud certum est, Persis parum notos fuisse Macedones Estheris tempore.

Manifestus ergo hic est error, nec cum *veritate Historica* in gratiam revocari potest: nimirum *Agagius* h. e. *Amalekita* fuit Haman secundum indubitatam Estheræ historiam: & hic *Macedo* fuisse fingitur, quæ nulla arte, ac ne *Grotiana* quidem, nedum Jesuitica conciliari possunt.

Vers. 14. ET REGNUM PERSARUM TRANSFERRET IN MACEDONES.

Quomodo vero id præsumi poterat Macedones tum valde obscuros in comparatione ad potentissimum Monarcham Persarum Ahasverum, quem Darium Hystaspida facit Tirinus, talia vel tentaturos, aut Judæorum exterminio, & nece ipsius Estheræ, & Mardochæi per Hamanem tantam Monarchiam everturos iri. Nemini enim ignotum est, quam obscurum fuerit regnum Macedonicum usque ad *Philippi Patris Alexandri M.* tempora, quæ à *Darii Hystaspidis* ætate per bina ferme sæcula absunt. *Atque hæc una ratio, judice Franc. Junio, satis futura est, ex omnium historiarum testimonio sumta, quod hujus Regis tempore, ac vix post annos centum fuit aliqua vel mediocris inter Græcos mentio Macedonum cum Persis congredientium.*

Vers. 15.

JUSTIS UTENTES LEGIBUS] Sunt sane tales Mosis leges, etiam Strabone teste, & multa inde sumpsêre Phœnices, à Phœnicibus Attici, ab Atticis Romani. Bene Josephus altero contra Appionem: οὐκοῦν ἐστὶν ἡμῖν φρονεῖν, ὅτι πρὸ πάντων ἐνόμισεν, ἐπὶ δὲ τοῖς πρὸς δικαιοσύνην, καὶ τὴν ἐν τοῖς πόνοις καρτερίαν, καὶ θνητὸν περιφρονεῖν, μᾶλλον κεκμῆκεν ἐγκρατὴς τῶν νόμων.

Vers. 16.

ET FILIUS ALTISSIMI ET MAXIMI, SEMPERQUE VIVENTIS DEI] Hæc dicere melius convenit Græco proselyto, quam regi Persæ.

Vers. 17. UNDE HAS LITERAS QUAS SUB NOMINE NOSTRO ILLE DIREXERAT SCIATIS ESSE IRRITAS.

Repugnat hoc aperte iis quæ cap. VIII. 8. lib. Esther habentur, reiscripta regia talia non potuisse revocari vel rescindi. Nec vero per revocatorias priorum literarum Regis quales hæ in fictitio additamento sunt, consultum fuit saluti Judæorum. Sed per ejusmodi literas ad Judæos nomine Regis perscriptas quibus facultas concedebatur Judæis, ut se tuerentur ab insidiis & vehementia hostium teste libro Esther Canonico cap. 8.

Vers. 18.

ET OMNIS COGNATIO EJUS] In Græco sunt: ἡ πανοικία, est & vox apud Herodotum aliquoties. Usurpant & LXX. Genes. L. 22. Hic mos diu manssit Persis. Ammianus lib. XXIII. leges Persarum describens, illas etiam memorat, per quas ob noxam unius omnis propinquitas peribat.

Vers. 19. UT LICEAT JUDÆIS VTI LEGIBUS SUIS] Id est, ut ob ritus quos habent proprios nemo illis molestiam exhibeat. Sic Antiochus Magnus Judæis, si qui in Babyloniam migrare vellent, concedit νόμοις χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις. Iosephus Antiq. XII. 3. Agrippa Cæsaris Augusti nomine Judæis in Ionia concedit: ἐν τοῖς ἰδίοις διαλεκτῷ χρῆσθαι. Iosephus XVI. 5.

Vers. 22. INTER CÆTEROS FESTOS DIES] In Græco: ἐν ταῖς ἐπωνύμοις κλήροις ἑορταῖς. puto scriptum fuisse olim. ἐν ταῖς ἐπωνύμοις κλήροις ἑορταῖς, id est, in Festo, quod à sortibus Purim nominatur.

Vers. 24. VT NON SOLVM HOMINIBVS, SED ETIAM BESTIIS IN VIA SIT] Loquendi genus frequens apud Prophetas, Ierem. 9, 10. 12, 4. 23, 10. 36, 29. 50, 3. 62. Ezech. 14, 13. 17. 16, 21. 25, 13. 29, 8. 11. 32, 13. Sophon. 1, 3.

Atque hæc etiam de additamentis Estheræ. *DEO soli sit laus, honor, & gloria in sempiterna sæcula, Amen.*

---

*I. N. J.*

# ANNOTATA AD LIBRUM SAPIENTIÆ SALOMONIS.

## *PRÆLOQUIUM GROTII.*

Est hoc opus Hebræi hominis, complectens hortamenta ad Sapientiam, qualia Salomon, rex sapientissimus, dictare potuisset. Vixit, qui hoc fecit, post tempora Esdræ, ante tempora Simeonis Pontificis, ideoque præponitur libro Sirachidæ. Eum librum nactus Christianus aliquis Græce non indoctus in Græcum vertit, libero nec ineleganti dicendi genere, & Christiana quædam commodis locis addidit, quod & libro Sirachidæ, quem dixi, evenit, sed in Latino huic magis quam in ipso Græco: nonquod nesciam post Esdram explicatius proponi cœpisse patientiam piorum, judicium universale, vitam æternam, supplicia gehennæ, sed quia locutiones quædam magis Evangelium sapiunt, quam vetustiora tempora.

*Autor operis non est Salomo.*

DE *auctore* hujus operis, quod ad negativam, quod is non sit *Salomo*, recte sentit *Grotius*; meritoque à *Clichtovæo*, *Sixto Senensi*, & *Bellarmino*, ac *Tirino* (licet non eadem ratione) *Salomoni* id tribuentibus discedit, habetq; in eo ὁμωνύμως ex antiquitate *Hieronymum* præfat. in libr. Salom. qui *fertur*, inquit, *& alius, qui à Syracide scriptus est, Salomonis; & adhuc alius ψευδεπιγράφων, qui Sapientia Salomonis inscribitur*; nec non *S. Augustinum* lib. XVII. de Civ. Dei c. 20. *Alii vero duo, quorum unus Sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo. Non autem esse ipsius non dubitant Doctiores*: & è recentioribus *Ludovicum Vivem* in comm. ad h. l. Augustin. *Lyranum, Driedonem*, l. 1. de script. Eccl. c. 4. *Iob. Capistran.* in præf. Specul. Cleric. aliosque. *Menochius* id in dubio relinquit: *Auctor hujus libri incertus est; sententiæ quidem Salomonis esse creduntur, sed alium quempiam illas in scriptum redegisse.* Nec ii qui è vetustate librum Sapientiæ nomine Salomonis citant quandoque, id aliter accipiendum, quam uti jam indicavit *Augustinus*: neque *Eusebius* l. IV. Hist. c. 22. in textu Græco de Sapientiæ libro aliud docet, sed de *Salomonis Proverbiis* ibi agit, eumque *librum præclaræ Sapientia refertum* dicit

dicit. *S. Augustinus* credidit quidem aliquando, quod autor sit *Jesus filius Sirach*, sed postmodum retractavit id *l. 2. Retr. c. 4.* nec tamen vel ipse, vel alii Doctores antiqui Salomoni eundem aperte adscripserunt, etsi id prætendunt *Christ. à Castro, Jac. Ryterus, Joh. Lorinus, & Jac. Tirinus.* Quod autem Grotius *ante tempora Simeonis Pontificis* librum hunc concinnatum dicit, *post Esdræ tempora*, in eo partim assensum meretur, partim non meretur. Certum est scriptum esse post tempora Esdræ: atque ideo etiam *autoritas divina & Canonica* scripti hujus nulla est: utpote, quod post *Prophetarum* tempora scriptum, nec à Prophetavel viro

*De tempore conscripti libri.* Θεοπνεύστῳ profectum, unde extra Canonem ab *Origene* apud Euseb. l. VI. c. 24. *Athanasio* in Synopsi, *Epiphanio* de mens. & ponderib. *Cyrillo* in Catech. illumin. IV. *Damasceno* l. IV. Orth. fid. c. 18. collocatur, æque ut ab *Hieronymo* præfat. in Proverb. non dissentre *Tirino*, quemadmodum & *Augustinus* l. 1. de prædest. sanct. c. 14. testatur, *reclamatum fuisse à multis piis, & Catholicis fratribus negantibus librum hunc esse Canonicum.* Neque in Canone eum constituit Epistola *Melitonis* ad Onesimum, cujus verba παροιμίαι ἢ σοφίαι, non duos libros inferunt, sed eundem Proverbiorum librum *Sapientiam* per appositionem designant: quia *Eusebio* teste l. IV. c. 22. *Omnes veteres appellarunt Proverbia* Σοφίαι παιδευτου unde recte redduntur à *Rufino*, *Proverbia, quæ & Sapientia*, quemadmodum & *Amphilochius* in Jambis ad Seleuc. Inter Canonica opuscula Concil. Constantinop. Trullani apud Gratian. *C. Quoniam distinct. XVI.* *Quinque*, inquit, *versibus scripti sunt, Job, Psalmi, tres Salomonis, Proverbia Sapientia, Ecclesiastes Cantica.*

Id vero minus certum, imo vero haud consentaneum est, quod *ante tempora Simeonis Pontificis* scriptus sit liber Sapientiæ; quem à *Philone* scriptum *Lyranus* & *Bonaventura* dicunt, qui Apostolorum temporibus fuit. De quo *Ludov. Vives* l. 5. *Liber Sapientiæ creditur Philonis Judæi Alexandrini, qui vixit temporibus Apostolorum, quibus & amicus fuit, tantain Græco sermone facundia, ut de illo Græci dixerint,* ἢ Φίλων πλατονίζει, ἢ Πλάτων Φιλονίζει. Non desunt quidem, qui *Philonem* alium *Seniorem*, qui annis fere 170. ante Christi adventum floruit, autorem faciant, utpote *Genebrard. & Bellarmin.* qui unum ex LXXII. interpp. hunc Philonem dicunt: Sed illis adversari *Josephum*, dum *seniorem Philonem non inter Judæos, sed inter Ethnicos Historicos recenseat* l. 1. *contra Appion.* observavit jam *Sixtus Senensis* l. 1. *Bibl. sect. 2.* Et quum agnoscat Grotius, *Christiana quædam reperiri in hoc libro, ac locutiones quasdam in eodem magis sapere Evangelium, quam antiquiora tempora*, cur potius inserta illa ab interprete, quam

*De textu originali.* profecta ab autore statuit, non parum ita suspectum reddens totum librum, siquidem *Ebræus*, quem originarium credit, textus non habeatur. Quapropter cum aliis potius eruditissimis viris statuendum, *Græco sermone* primum conscriptum fuisse librum, non Ebræo idiomate: quem *Græcam redolere Eloquentiam* pronunciat *Hieronymus*, & quum ejus *peritissimus* fuerit Philo, teste in Catalogo *Hieronymo*, qui Apostolorum vixit temporibus, à Philone librum adornatum esse: cujus rei argumentum non tantum *Eloquentia Græca*, *occasio*, *scopus*, *& summa libri*, sed & *contenta nonnulla specialia* præbent, minime obscurum aut proletarium. Jam à *tempore Hieronymi non extare Hebraice, sed solum Græce* agnoscit *Tirinus*; etsi *Ebraice olim scriptum*, sed citra solidum fundamentum, quod nec è testimonio *Isidor.* de offic. l. 1. c. 12. nedum ex autoritate *Josuitæ Castrii* (alios non allegat *Tirinus*) peti posse quilibet videt, asseveret. Quæ vero de *patientia piorum*, de *judicio universali*, de *vita æterna*, de *pœna infernali* ante Esdram minus cognitis ὡς ἐν παρόδῳ ingerit Grotius, matæologiæ *Arminianæ* ac *Sociniane* affinia, plus vice simplici à nobis profligata sunt, neque vel *fidei veterum* vel *revelationi & gratiæ divinæ*, quæ priscis temporibus ita defuerit Ecclesiæ, ullatenus conveniunt.

*De occasione & scopo libri.* *Occasionem* itaque, ac *scopum* libri quod attinet, videtur inde *Philoni* data à Φοβερᾷ, quod *Cajo Caligulæ* Romæ simulacro aureo culto, etiam *Hierosolymis*, ut coleretur, effigies ejus in *templum* inferenda esset, nequicquam id per *Philonem* deprecantibus Judæis, in *terrorem impiorum & Tyrannorum & solatium fidelium* hoc scriptum à *Philone* concinnatum sit, quo de monuit etiam *B. Lutherus* noster in *præfat. Germanica*; adeoque contineat *explicationem primi præcepti* de *Deo timendo, & fiducia in Deo collocanda:* cujus gratia celebratur hic *sapientia Verbi Dei*, & ex adverso damnatur *cultus idololatriæ*, ejusdemque *pœna* sistitur, ut & *cujusvis impietatis*, & imprimis *Tyrannidis*, ac de *officio suo* commonentur *Principes & Magnates.*

Sic *analoga* admodum sunt iis, quæ *Philo l. 1. de allegor. legis* in verba illa Mosis *exibat fluvius ex Eden*, habet *fluvius est virtus generalis, quatuor capita sunt virtutes, ex Eden*, id est, *sapientia Dei effluentes*, quæ in hoc libro leguntur c. VIII. 7. cum *virtutes divinæ in quatuor species* dividuntur, *quæ ab uno fonte redundent*, nimirum à *sapientia Dei.* Et existimat *Galatinus* de arcan. Cath. verit. l. 1. c. 4. quod *Salomo in Proverbiis ænigmatice & universaliter de Christo futurum prædixerat, hoc Philonem in libro Sapientiæ docere impletum:* eoque accommodat, quod *cap. 2. & 3.* de justo dicitur. Quod de Christo etiam explicant *Lyranus*, *Dionysius Carthusianus*, *Rupertus Holkat*, & è Jesuitis *Lorinus*, *Menochius*, *Tirinus*, ut & *Iansenius*, nec non è nostris *B. Dn. D. Dieterico* in Conc. X. super h. libr. & *B. Dn. D. Waltherus* in præfat. dedicator. Concionum in Epistol. ad Ebr. p. 4. seqq. In quam sententiam allegat Tirinus *Tertullianum* l. 3. adv. Marcion. c. 22. *Cyprianum* lib. 2. c. Jud. c. 14. *Cyrillum Alex.* in Esa. 58. & 59. *Hieronymum* in Es. 3. *auctorem oper. imperfect.* hom. 43. *Augustinum* de Civ. Dei c. 20. & consonare *fere reliquos Patres* ad cap. 2. v. 13. annotat.

*Summa libri.* Continet hic liber juxta *Athanasium in Synopsi* & *Menochium*, *doctrinam justitiæ, atque institutionem tum pravorum, tum integrorum virorum, & prophetiam de Christo;* præterea *disputationem de nonnullis naturæ partibus: reprehensionem idololatriæ, narrationem ac prædicationem operum mirificorum; quæ Deus in gratiam populi sui operari dignatus est.*

*Partitio.* *Tirinus* tres partes hujus libri cum Edero, Lorino & Castrio constituit: *Primam* usque ad c. VII. *exhortationem ad zelum & amorem Sapientiæ. Alteram* c. VII. IIX. IX. *explicationem originis sapientiæ. Tertiam* reliquis capp. *enarrationem effectuum, & fructuum sapientiæ.* Quæ partitio retineri poterat, utpote non incommoda. Parte *prima* exhortatoria primum *invitatio* ipsorum *Magistratuum* ad veram Sapientiam occurrit, c. 1. *illustrata* contraria opinione *Epicureorum* & infidelium c. 2. & *confirmata* utriusque sortis tum justorum, tum injustorum & impiorum inter se comparata felicitate & infelicitate, c. 3. etiamsi *illis steriles* sint, & immatura morte abripiantur, hi fœcundi, & μακρόβιοι c. 4. cum

Coro-

θρηνητικῶς deplorationis *impiorum* in altero feculo beatitudinis fidelium, propriæque infelicitatis, c.v. & *objurgatione Tyrannorum*, ac commonefactione ad amplectendam Sapientiam in verbo Dei propositam c. VI. In altera parte *Didactica* de origine sapientiæ 1. *Precibus* eam impetrandam esse docetur, & ceu donum dignissimum merito expeti c. VII. & VIII. & *formula precum* adducitur c. IX. In tertia parte, quæ *Epanetica*, & commendatoria est, primum *Patriarcharum* laudantur Exempla, qui per sapientiam salutem adepti, c. X. tum *Ebræorum* in exitu ex Ægypto, cum oppositione Ægyptiorum, & supplicium horum ipsorum, c. XI. nec non *Cananæorum* c. XII. ut & *idololatrarum quorumvis*; unde de *cultu siderum*, aliarumque creaturarum Dei, itemque *statuarum* ab hominibus formatarum c. XIII. & de *origine*, *fœdisque fructibus*, *idolatriæ* c. XIV. utpote veræ sapientiæ maxime oppositæ, *collatione* facta *honestatis divinæ* erga sapientiæ verique Dei cultores, & justitiæ, ac severitatis adversus *insanientes idololatras*, c. XII. quæ illustratur commemoratione *supplicium* Ægyptiis, & *beneficiorum* Israëlitis exhibitorum c. XVI. ut & *diversitate plagarum*, quo ad *infideles* & *fideles*: ubi imprimis de *tenebris Ægyptiacis* c. XVII. & *occisione primogenitorum* c. XIIX. deq; *interitu Ægyptiorum in mari rubro*, & *libertione gloriosa* Israelitarum, c. XIX. ut oppolita juxta se posita mutuo se illustrent, studiumque sapientiæ eo magis commendent. Superest, ut de Interpretibus aliquid adhuc adjiciamus; qui præter *Bedam* è nostris sunt *Selneccerus*, *B. Cunr. Dietericus*, *Höschelius*, *Hemmingius*, è Pontificiis *Robert. Holkoth*, *Jansenius*, *Serarius*, *Lorinus*, *Corn. à Lapide*, *Tirinus* item, & *Menochius*.

*Interpretes.*

## *PARS I. EXHORTATORIA.*

## AD AMOREM SAPIENTIÆ. CAPUT I.

*Reges & Magistratu invitantur ad Sapientiam, quæ veram docet justitiam, ut se illi sinceros ac simplices præstent auditores, quum nihil sit, quod Deus magis oderit, quam corsimulatum, os mendax, & obmurmurans, ac opera prava, & injusta, quibus homines mortem, quam Deus minime fecit, neque intendit sibi propria culpa accersiverunt.*

Vers. 1. SENTITE DE DOMINO IN BONITATE] ἐν ἀγαθότητι. Hebraïsmus pro *bene sentite*; credite omnisciun, omnipotentem, justum, bonum.

ITa cum *Nannio Tirinus*, quem ut alias non raro sequutus est Grotius.

Vers. 2. QUI NON TENTANT DEUM] Tentare Deum hic dicuntur, qui Deo non confidunt.

PROBATA AUTEM VIRTUS CORRIPIT INSIPIENTES] Potentia autem Dei experimentum sui dans, stultos convincit: Stultos, id est, providentiam negantes, ut Psalm. 14, 1.

Vers. 5. SANCTUS ENIM SPIRITUS DISCIPLINÆ] Multas admodum significationes habet in Hebræo רוח, quod Græce πνεῦμα, Latine Spiritus vertitur. Hoc loco, ut versus sequens ostendit, & alibi infra 7.7. & 9.6.18. ipsa illa animi constitutio, quæ sapientia dicitur, vocatur πνεῦμα, quomodo πνεῦμα πραότητος dicitur 1. Cor. 4. 21. Gal. 3, 2. Clem. Alexand. lib. de Prophetia, πνεύματα appellat τὰς ποιότητας τῆς ψυχῆς.

Cur vero non significatu famosiori de Spiritu S. accipi possit? ut explicat *Tirinus*, q. d. qui ad Gymnasium sapientiæ accedit non simplici, aut vero, sed ficto animo, tentandi potius, quam discendi, vel proficiendi gratia, non instruetur ab hoc magistro sapientiæ Spiritu S. De Spiritu S. enim agi è v. 7. liquet, quem etiam de eodem interpretatus est ipse Grotius. Quod autem de Spiritu S. dicitur ἐλεγχθήσεται, refelletur, *indigne tractabitur*, adeoque fugabitur, accipiendum ut illud Apostoli *Eph. 4. 30. Nolite contristari Spir. S. Menochius* vocem illam ἐλεγχθήσεται reddit *offendetur*, qualis sit S. S. i. e. *quam abhorreat à dolis, & iniquitate, idq; per inflictas fidelibus peccatorum pœnas.*

Vers. 6. RENUM ILLIUS TESTIS EST DEUS] Id est, cupiditatum, quas renum nomine significant Hebræi. Psal. 7, 10. Jerem. 9, 20. 17, 10. 20, 12.

Vers. 7. QUONIAM SPIRITUS DOMINI REPLEVIT ORBEM TERRARUM] Sicut hominis Spiritus per omne corpus homini se extendit, ita Dei Spiritus per orbem universum: ac proinde sicut hominis spiritus sentit, si quæ pars doleat, ita Dei Spiritus ea quæ in mundo aguntur. Athenagoras: Διὰ τοῦ πνεύματος πάντα συνέχεσθαι, qui & hoc πνεῦμα διὰ τῆς ὅλης οὐσίας vocat ἕκαστον τῶν ὑποκειμένων πνεῦμα θεῖον. Theophilus Antiochenus: ἡ πᾶσα κτίσις περίκειται ὑπὸ πνεύματος θεοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ περιέχον τὸν τοῦ κτίσεως περιέχεται ὑπὸ τῆς χειρὸς θεοῦ. Clementi hic Spiritus dicitur, ὁ θεῖος πνευματικὸς τόνος. Contra Marcionem libro IV. disputans Tertullianus ait: *A quo Spiritum sanctum postulem? A quo nec mundialia Spiritus præstatur?*

ET HOC QUOD CONTINET OMNIA, SCIENTIAM HABET VOCIS] τὸ συνέχον τὰ πάντα, γνῶσιν ἔχει φωνῆς. Philemon:

\- - - - ὁ δὲ παρὼν ἀπαντ' ἐγχορεῖ.
Πάντ' ἐξ ἀνάγκης οἶδε· πανταχοῦ παρών.

Hoc etiam de Spiritu S. accipit *Augustin. Ep. 57. ad Dardan. c. 5.* ut probet Spiritum S. ubique esse, annuitque *Tirinus*. *Antecedens* certe de Spiritu S. aperte agit; neque aliena ab hoc sensu sunt, quæ attulit proxime *Grotius*. *Menochius* ad illa, SCIENTIAM HABET VOCIS, id est, *Spiritus, qui est ubique ignorare non potest, quæ quis loquitur, quamvis occulte & submissa voce loquatur, aut etiam in corde.*

Vers. 8. NEQUE PRÆTERIBIT ILLUM CORRIPIENS] JUDICIUM] οὐδὲ μὴ παρελθοντα αὐτὸν ὑπερχόντα ἡ Δίκη: Eutip.

Οὕτοι προσελθὼν ἡ Δίκη σε πάσεται
Παίουσι πρὸς ἅπαρ, οὐδὲ τῶν ἄλλων βραχύν,
Τὸν δόλιον, ἀλλὰ στίγα δ' βραδεῖ ποδὶ
Στείχουσα μαρψίως τοὺς κακὸς ἀεὶ ἕρπουσιν.

*Vindicta* intelligitur *redarguens*, & impunitum peccatum non permittens. Recte *B. Luther.* das Recht so ihn straffen soll.

Vers. 9. IN COGITATIONIBUS ENIM IMPII INTERROGATIO ERIT] Id est: Inquiret Deus etiam in cogitata. Vox διαβούλιον est apud Polybium, apud Interpp. V. T. sæpe.

Vers. 10. AURIS ZELI AUDIT OMNIA] Id est, Deo omnia acriter scrutantis, ut mariti Zelotypi solent.

V. 11. QUÆ NIHIL PRODEST.

Est μείωσις. Minus enim dicitur, quam significatur: *Quæ multum noxia est.*

IN VACUUM NON IBIT. Non evadet divinam ultionem.

V. 12. NE ZELETIS MORTEM] ζῆλος est cum studio sectari, Sic dicuntur ζηλωταὶ τόμου. Actor. 21, 20. Dei, 22, 3. Spirituum, 1. Cor. 14, 12. bonorum operum, Tit. 2, 14.

Sensus est, nolite sectari ea quæ mortem afferunt.

V. 13. QUONIAM DEUS MORTEM NON FECIT] Palam est intelligi mortem, quam & Chaldæus V.T. Interpres & Apocalypsis secundam vocant. Nam alioquin certum est, animantia à Deo morti addicta? hominem vero ita creatum ut mori posset. Hoc pertinet & quod præcessit: *Os quod mentitur occidit animam.*

Qui vero hoc palam esset! Deus certe nec *mortem æternam* fecit, nec *temporalem*. *Animantia bruta* huc non faciunt, ubi de *homine* sermo est: quē vero ita creatum esse, *ut mori posset*, cum *Augustino* quidem agnoscimus, *immortalem* tamen etiam cum eodem ita profitemur, *ut poterit non mori*: utq; in ipso, prout à Deo conditus est nihil fuerit, quod ad mortē eum disponeret, nihil corruptionis, nihil mortalitatis, mors enim, & quicquid mortalitatis est per peccatū introducta sunt, non per *creationē* in homine locum habuere. Fuit quidem homo immunis à morte in statu integritatis non *absolute*, sed *hypothetice*, quoad usq; non peccaret. *Nec eo modo, quo Angelos condiderat Deus ita condidit & homines, ut etiamsi peccassent mori omnino non possent: sed ita ut per sumptos obedientiæ munere sine interventu mortis angelica immortalitas & beata æternitas sequeretur, inobedientes a. mortis plecteret damnatione justissima*, ut habet *Aug.* l. 13. de Civ. Dei c. 1. Interim secundum eundem Hipponens. Episc. c. 15. l. c. CONSTAT INTER CHRISTIANOS *veraciter CATHOLICAM tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortē non lege naturæ, qua NULLAM MORTEM homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati; quoniam peccatum vindicans dixit Deus homini, in quo tunc omnes eramus*: Terra es, & in terram ibis. Hæc si negavit Grotius apparet eum cum Pelagianis & Socin. negasse,

Catho-

*Catholicam fidem veraciter* non tenuit, Augustini judicio.

Vers. 14.

CREAVIT ENIM VT ESSENT OMNIA] Id est, omnes homines, quos creare Deus dicitur, quoties concipiuntur, Joh. 16, 10. Sic Ephes. 1, 10. τὰ πάντα, id est, τοὺς ἀνθρώπους, & πάσῃ τῇ κτίσει, id est, omni homini, Marci 16, 15. Creavit ut essent, id est, ut æternum vivant. Hinc colligas διαμονὴν τῶν ψυχῶν, quæ Hebræis הִשְׁאִירוּ נֶפֶשׁ.

SANABILES FECIT NATIONES OMNES TERRARVM] In Græco: νῦν σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου. Natura hominum Dei bonitate talis est, ut apta reddi possit ad salutem æternam. κόσμῳ, id est, humanum genus, ut Joan. 3, 16. γένεσις, id est, natura, Jac. 1, 23. 3, 6.

ET NON EST IN ILLIS MEDICAMENTUM EXTERMINII] Nihil est tale in animi humani natura cur necessario interire debeat, sicut homo interit sumpto veneno.

*Corruptele* hæ verborum luce clariorum affines sunt *Socinianorum* detorsionibus. Non de *creatione*, qua impropriè creari dicuntur homines, quando *concipiuntur*, sed de *prima & propriè dicta creatione* hic agitur, nec de *fine* creationis, quod ad æternam vitam conditus homo sit, loquitur Sapiens, sed de *qualitate* hominis conditi, quod *sine corruptione*, vel *dispositione ad interitum*, & εἰς τὸ μὴ εἶναι, vel ita conditus sit, *ut fuerit immortalis, & immunis à causis & principiis internis destructivis*: nec de eo sermo est, quod *natura hominum* talis sit, ut *apta reddi possit ad salutem æternam*, qualem ἰκανότητα hominis post lapsum tribuit Pelagianizans *Grotius*, ubi homo non magis *aptus ad salutem* censeri potest, quam *mortuus ad vitam*: quia vere in peccatis mortuus est; nec quicquam certius est, quam quod in homine id post lapsum sit, ob quod necessario interire ipsum oporteat, quod est ipsummet *peccatum*; quia ἦμεν φύσει *natura sumus filii iræ*, Eph. 2, 3. & *quicquid ex carne natum est, caro est*, Joh. 3, 5. De homine vero hic agitur, qualis à Deo conditus est, quod sc. conditus non ut moreretur, vel εἰς τὸ μὴ εἶναι, aut *mortalis natura* fuerit per ipsummet *creationem*, sed ut σωτήρια *conservandi vim habentes essent generationes mundi* & εἰς τὸ εἶναι, *ut perpetuo essent* vel *immortales existerent, & immunes à morte*, utpote quam Deus *nullo modo* fecit: adeoq; ita conditus est homo, ut non fuerit in ipso φάρμακον ἐλέθρου *venenum* ullum *perditionis*, vel mortiferum. Vox enim φαρμάκου est *mediæ* significationis, & accipi hic eam in sequiorem partem cum addita ἐλέθρου vox, tum *antecedentia* luculenter docent, neq; id diffitentur Grotius aut Pontificii interpretes, etsi immortalitati primi hominis non satis æqui sint Papistæ, *Medicamentum exterminii*: Græce φάρμακον ἐλέθρου *venenum perditionis*, habet *Menochius*; qui etiam ea quæ sequuntur in eum sensum interpretatur: NEC INFERORUM REGNUM IN TERRA; *Grace ἐστ ἀτε ἐν ὃδ βασιλειον ὅπι γῆς*, neque orci aut inferni regia est super terram; *sc. à Deo facta: nam per hominis peccatum mors regnum suum in mundo stabuit*. Et v. 15. JUSTITIA ENIM PERPETUA EST ET IMMORTALIS, id est, *si homo justitiam originalem conservasset, immortalis fuisset*. Similiter & *Tirinus*: *Salutares* seu salubres *fecit generationes*, id est, *primordia mundi*, seu *res natas, vel genitas in mundo*, q. d. *res omnes ut primum natæ, vel productæ sunt in mundo, fuerunt salutifera, & salubres. Tales enim creavit Deus. Ita S. Hieronym. in c. 12 Zachar.* NON EST IN ILLIS à prima eorum origine MEDICAMENTUM EXTERMINII; Græce *pharmacum exitiosum*, id est, *venenum Lethiferum*, ut *S. Hieronymus* (l. c.) exponit. Sensus est; *Neque mortem, neque quicquam mortiferum in actu secundo productum a Deo fuisse, sed solius hominis vitio in orbem invectum esse. Cuncta enim quæ fecerat Deus erant valde bona.*

NEC INFERORUM REGNUM fuit IN TERRA,

Græce, *nec Orci* vel inferni, *regia*, seu palatium, fuit *super terram*, q. d. *Deus non fuit causa quod infernus & infernales dæmones habeant tam amplam potestatem & quasi regnum super terram: sed id fecit culpa hominum, qui suis scelleribus eos ex Orco propria illorum arce ad se evocarunt. Nam ex quo prævaricatus est Adam, Orcus & orci incolæ dæmones suam regiam statuerunt in terra, & homines sibi subjecerunt protestati, à qua aliquin erant immunes.*

Ad v. 5. JUSTITIA ENIM *primæva, seu originalis, in qua primi homines creati sunt à Deo*, PERPETUA EST ET IMMORTALIS) *Cum natura sua & quantum ex se: tum effectu suo, quia perpetuæ & immortalis vitæ causa erat homini, nec permisisset possessorem sium venire sub imperium diaboli, vel mortis, vel inferni, nisi ille peccando se ultro ipsorum potestati subjecisset.* Hæc Tirinus.

Quod vero *Socinus* excipit libr. de statu homin. prim. p. 201. *Etiamsi Deus hominem ab initio mortalem creaverit, tamen ejus* MORTALITATIS *nulla ratione auctor proprie dicendus est, cum ea mortalitas ex natura materiæ, ex qua creatus homo fuit NECESSARIO proveniat*, in eo contradictioni tantum se involvit: Siquidem Deus non *hominis* tantum, sed & *materiæ, ex qua homo creatus*, auctor & conditor sit. Si ergo illa *per se* hoc laboravit vitio, ut formato etiam ex eadem corpore humano, inspiratâque eidem *immortali anima*, *necessario* ex ea provenerit mortalitas vi naturæ ejusdem, utique necessario etiam *Deus auctor mortalitatis* istius statuendus erit. *Causa* enim *causæ* inessentialiter & necessariò connexa est etiam *causa causati*. Quod autem ad *similæ*, quod adhibet Socinus, *si lutum illud ex quo statuam fictor effinxit, loqui posset, num quid fragilitatis suæ, cujus causa in materia, ex qua constat, residet, eum auctorem faceret?* Illud valde est dissimile. Quia luto inducit quidem *formam* fictor, *lutum* autem ipsum non facit. Porro si cum *corruptibilitate* & *mortalitate* conditus fuisset homo, quomodo *valde bonus* conditus diceretur, *Genes. 1, 31.* quomodo יָשָׁר *rectus, perfectus & integer* fuisset, quod de ipso affirmatur *Eccl. VII. ult.* quia *ut materia Phaleucis, sic & mors est malum, quod per seipsum Deo displicet*, fatente *Socino* l. c. p. 202. & ad *integritatem* ac *perfectionem corporis humani* id omnino requisitum fuerit, ut nulla prorsus δυσκρασία laboraret, unde etiam ante peccatum non erat miserum, aut morbis obnoxium, sed ea demum in pœnam peccati sunt inflicta, *Gen. 3, 17.*

NEC INFERORUM REGNUM IN TERRA] Non dedit Deus τῷ ᾅδῃ, id est, τῷ ἀφανισμῷ, jus illud, ut omnes hominum animi ei subjaceant, quomodo populus suo regi. Hic, γῆ, ut modo κόσμῳ, est genus humanum, ut Matth. 6, 16. Luc. 2, 14.

Vers. 15.

JUSTITIA ENIM PERPETUA EST, ET IMMORTALIS] δικαιοσύνη δὲ ἀθάνατός ἐστι. Est ἐπεξήγησις. Justitia causam datam mortalitati. Epicharmus eodem sensu:

Ἐνταῦθα τὰν ἰὼν πτῶσιν, ὦ πάππα γ' οὐδὲν πικρὸν
Κατθανεῖν, ἀλλ' τὸ πτῆσιν ἄμαχον κἀπ' ἐρήμου.

Antisthenis dictum: ἐλευθέρως ἀθανατίζειν ἐστὶν ἐν ζωῇ ἐνστένειν καὶ δικαίως.

Vers. 16.

Vers. 16. IMPII VERO MANIBVS ET VERBIS ACCERSIVERVNT ILLAM] Mortem, ut diximus, secundam verbis mendacibus & factis injustis sibi accersunt. Antipho: ἀεὶ γὰρ τὰ τῶν παρανόων τοῖς τὸν θάνατον αὐτοῖς ἐπὶ τῆς ἐλπίδος, ὅπερ ἐστὶ μέγιστον ἀνθρώποις τὸ βίᾳ ἀγαγὸν, αὐτὸς αὐτὸν ἀποστερῶν.

ET ÆSTIMANTES ILLAM AMICAM DEFLVXERVNT] Hæc ficta intelligenda quomodo supra καὶ ξυνθῆκαι τῷ θανάτῳ. Amare enim pœnam dicuntur, qui studiose ea agunt, quibus pœna connexa est. Sic Prov. 8, 36. Jerem. 8, 3. Vide quæ diximus libro 2. de Jure Belli & Pacis XX. 2. & in Annotatis ad eum locum.

ET SPONSIONES FOSVERVNT AD ILLAM] συνθήκαι ἔθεντο πρὸς αὐτὸν, quasi contractu facto se ei obligarunt.

QVONIAM DIGNI SVNT QVI SINT EX PARTE ILLIVS] Nihil melius meretur.

Multa in his iterum desideranda. Primo quod non attendit Grotius, de *creatione* prima hic sermonem esse, cum inferorum regni auctor Deus esse negatur, quia hoc non à Deo est per creationem, sed à *Diabolo* per *seductionem*. Deinde *regno inferorum omnes omnino homines* subjacent non quidem à *creatione divina*, sed à *defectione à DEO*, quia in Adamo omnes peccarunt. Tertio quod post lapsum nunc *omnes hominum animi* τῷ ᾅδῃ *non subjaceant*, non *culpæ defectui* adscribendum, quia nulla hic διαφορὰ, *omnes* enim *peccavimus, & destituimur gloria Dei* Rom. 3, 23. neque viribus hominis, aut liberi arbitrii, quia post lapsum nulla fuisset ante gratiam arbitrii libertas, nulla virium spiritualium facultas, *servi* enim peccati sumus *2. Petr. 2, 19.* sed *gratia reparationis & conversionis divinæ*, quæ ob Christum & in Christo nobis obtingit unice hoc accepto ferendum Eph. 2, 4. seqq. Col. 1, 14. Quarto unde docebitur τῷ ᾅδῃ idem esse, quod τῷ ἀφανισμῷ. Quinto quænam cogit necessitas ut voce γῆ non *terram*, sed *humanum genus* intelligamus, quod *Matth. 6, 10. Luc. 2, 14.* ita designari non apparet, quum illic etiam propriè accipi possit de terra ipsa. Nam nec in *universa terra regnum inferorum* locum habuit per creationem, & terræ redditam esse pacem per incarnationem Filii Dei celebrant Angeli; (etsi eadem hominibus qui in terra sunt obtingat,) quemadmodum gloriam Dei in *excelsis*, vel *cælis* itidem deprædicant: opponentes cœlos non humano generi, sed *terræ*: & *voluntas* Dei fit *in terris* ab hominibus, sicut eadem *in cælis* fit ab Angelis & spiritibus justorum perfectorum. Sexto *justitia immortalis* dicitur, non quod *justitia nostra propria* post lapsum *immortalitatem* consequamur, sed quod *justitia originalis* homini concreata vere immortalis fuerit, & cum immortalitate hominis conjuncta, si non defecisset homo à Deo: Erat enim *justitia & immortalitas* ipsi *naturalis* in statu integritatis, ut T. IV. Syst. Theolog. evicimus. Septimo *cum impii manibus & verbis mortem sibi accersisse*, *Deum* autem *eam non fecisse*, autor Sapientiæ docet, mortem non esse à *Deo creatore*, cujus *opera omnia*, quæ fecit *valde bona* fuere *Gen. 1, 31.* sed ab *impietate*, *a Diabolo seductore* invecta testatur, uti ex *historia lapsus* constat. Non autem de eo agit, quomodo *post lapsum*, nedum *postquam redemtum à Christo est genus humanum*, mortem sibi accersant homines, cui per lapsum & post lapsum τῇ Φύσει obnoxii sunt, quia per peccatum mors introducta est; *liberato* autem *per Christum* à morte *genere humano*, per *infidelitatem* morti obnoxii sunt, qui Christi redemtionem non applicant sibi per fidem, sed reprobant per ἀπιστίαν: quibus non tantum *æterna* mors, sed etiam mors *corporalis* in *pœnam* cedit, quum contra fideles à *morte æterna* immunes sint, *corporalis* autem *mors* non *supplicium* ipsis sit, sed *beneficium*, quo *corpus* requiem consequitur olim refusitandum ad gloriam, *anima* vero transfertur in cœlestem beatitudinem, *Apoc. 14, 13.* Octavo *amarunt* homines *mortem* præ vita, & immortalitate in qua conditi à Deo erant, cum defecerunt à Deo, atque ita *quasi contractu facto se eidem obligarunt*: quia transgressioni legis sanctæ erat mors *Gen. 2, 17.* & per peccatum facti sunt morti obnoxii. *Stipendium* enim *peccati mors est*, *Rom. 6, 21.* & per *unius inobedientiam condemnatio venit super omnes*, Rom. 5, 18. *per unum hominem peccatum in mundum venit*, *& per peccatum mors* v. 12. Nono itaque *digni facti sunt morte homines*, per apostasiam à Deo, & transgressionem legis divinæ, utpote qua mortem meruere, qui immunes à morte esse poterant, siquidem *Diaboli invidia mors introiverit in orbem terrarum*, ut hæc explicat Sapiens c. 2, 24. quum *Deus hominem non mortalem creavit*, *sed inexterminabilem*, *& ad imaginem similitudinis suæ fecerit illum.*

## CAPUT II.

*Impii vitæ futuræ spem non habentes, aut in se extinguentes, id pro summo bono habent, frui hujus vitæ voluptatibus, nec religio est impiis opprimere pauperes justos, siquidem etiam impii Iudæi ipsum metuit Filium Dei, cujus disciplinam & vitam contrariam ferre non poterant, circumvenerint, & ad mortem condemnarint, nescientes mysteria Dei: quum contra Deus hominem ad imaginem suam & immortalem condiderit, ac per invidiam Diaboli mors invecta sit, quem imitantur impii.*

Vers. 1.

DIXERVNT ENIM COGITANTES APVD SE NON RECTE] Cogitationes impiorum, Eccles. 9. & 1. Cor. 15, 32.

ET NON EST REFRIGERIVM IN FINE HOMINIS] In Græco: ἀνάψυξις ἐστιν. Mors est quiddam immedicabile.

Sic etiam *Osorius*, *Jansenius*, *Tirinus*.

ET NON EST QVI AGNITVS SIT REVERSVS AB INFERIS] Vnde certi esse possimus de statu animorum post mortem, Luc. 16, 30.

Vers. 2. QVIA EX NIHILO NATI SVMVS] In Græco: αὐτοσχέδιος γεγενήμεθα, ubi αὐτοσχέδιος est, sine ulla divina providentia. Quod Curtius libro V. dixit *forte & temere*.

ET POSTHAC ERIMVS TANQVAM NON FVERIMVS] Seneca:

*Quæris quo jaceas post obitum loco?*
*Quo non nata jacent.*

QVONIAM FVMVS FLATVS EST IN NARIBVS NOSTRIS] Nimirum sicut Varro definiebat animam esse aërem conceptum ore, deferefactum in pulmone, repefactum in corde, diffusum in corpus. Ex hac sententia nomen habet animus, quasi ἀνεμος. Et

ET SERMO SCINTILLÆ AD COMMOVENDVM COR NOSTRVM] Græce: λόγος σπινθὴρ ἐν κινήσει καρδίας ἡμῶν, *ratio nostra ipsi scintillæ excitatæ, ubi cor movetur.* Sic ait Empedocles:

Αἷμα γὰρ ἀνθρώπου περικαρδίου ἐστὶν ἔρεθισμα.

Vers. 3. QVIA EXSTINCTVS CINIS ERIT CORPVS NOSTRVM] In cineres vertetur.

ET TRANSIBIT VITA NOSTRA TANQVAM VESTIGIVM NVBIS, ET SICVT NEBVLA DISSOLVETVR] In Græco: καὶ τὸ πνεῦμα ἡμῶν διαχυθήσεται ὡς χαῦνος ἀήρ. Cum existiment tales homines nihil ab alio aëre differre animum, non mirum est, si & eum e corpore exeuntem huc illuc dispergi existiment. Seneca:

- - - *cum profugo spiritus hausit*
*Permissus nebulæ cessit in æthera.*

Huc tendit & epigramma Diogenis Laërtii de Anaxarcho.

Vers. 4. ET NOMEN NOSTRVM OBLIVIONEM ACCIPIET PER TEMPVS] Ipsa etiam memoria pereat, sæculorum lapsibus.

Vers. 5. VMBRÆ ENIM TRANSITVS EST TEMPVS NOSTRVM] Pindarus: σκιᾶς ἄνθρωπος.

ET

ET NON EST REVERSIO FINIS NOSTRI] Bene vertit quod est in Græco: ἀνακαυσιμὸς; nam ἀνακαυ-ζειν est retrogredi, ut II. Macc. XIV. 44.

QUONIAM CONSIGNATA EST] Id est, *ctelusus est reditus*. Seneca dixit vias irremeabiles. Propertius: *solida stant adamante viæ*.

Vers. 6. ET UTAMUR CREATURA TANQUAM IN JUVENTUTE CELERITER] Legit κτίσει. Et sic habent codices Græci quidam: alii melius ut puto, κτίσει. Sensus est: vivamus senes, ut viximus juvenes. Juvenes bonis paternis tanquam alienis non parcunt; nec nos nostris rebus parcamus: nam & hæ brevierunt alterius, nisi utimur.

Vers. 7. VINO PRETIOSO ET UNGUENTIS NOS IMPLEAMUS] Sic Anacreon:

Ἐμὲ μέλπειν, ὡς ἔτι ζῶ,
Μόνον, βόδεα δὶ κρᾶτα
Πλέκειν.

Item:

Τὰ βόδα τὸ τῶν ἐρώτων
Μύρον, Διονύσου.

Causam addit: quam & hic habuimus:

Τροχὸς ἁρματ' ἡμῶν γὰρ οἶα
Βίοτος τρέχει κυλιόμενος.

Et Horatius cum dixisset:

*Nunc decet & viridi nitidum caput impedire myrto,*
*Aut flore, terræ quem ferunt, solutæ.*

Addit,

*Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,*
*Regumque turres.*

Et alibi:

*Hic vina & unguenta, & nimium breves*
*Flores amanæ ferre jube rosæ.*

Sequitur:

*Omnes eodem cogimur, omnium*
*Versatur urna.*

Vers. 7. ET NON PRÆTEREAT FLOS TEMPORIS] Ἀνθος ὥρης, id est, ver, tempus aptissimum voluptatibus:

*Omnia jam florent jam formosissimus annus.*

Vers. 8. CORONEMUS NOS ROSIS ANTEQUAM MARCESCANT] Ex uno cætera intellige. Occasionem voluptatum rapiamus. Plinius XXI. *Natum flores odorem que in diem gignt, magna, ut palam est admonitione hominum, quæ spectatissime florent, celerime marcescere.* In Epigrammate Græco:

Ἀνθος γὰρ ῥόδον ἐστὶ καλὸν ἔαρος ἐν χρόνοις ἐν λαχόντα·
Τῶτο δ' ἐμὲ φύσιος, ἐξαμερῆ, ὁ χρόνος.

NULLUM PRATUM SIT, QUOD NON PERTRANSEAT LUXURIA NOSTRA] Abest in nostris codicibus: sed Interpres haud dubie in suis invenit.

Vers. 9. NEMO VESTRUM EXSORS SIT LUXURIÆ NOSTRÆ] ἄμοιρος. Est ἀπροσωπία proprie arrogantia, quomodo in Glossis vertitur.

QUONIAM HÆC EST PARS NOSTRA, ET HÆC EST SORS] Ut Sardanapalus:

Ταῦτ' ἔχω ὅσ' ἔπιον καὶ ἐδόντων μὲν ἐφρόντισα.
Τερπνὰ δ' ἔδων. τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖ ἀλίασται.

Vers. 11. SIT AUTEM FORTITUDO NOSTRA LEX JUSTITIÆ] Idem quod ait Lucanus:

*--- mensuraque juris*
*Vis erat.*

QUOD ENIM INFIRMUM EST INUTILE INVENITUR] Nimirum ut Athenienses dicebant apud Thucydidem: δυνατὰ οἱ περιόντες παράσχωμεν, καὶ οἱ ἀδύνατοι συγχωρῶσι.

Imbecillitas patet maximis insidiis.

Vers. 13. FILIUM DEI SE NOMINAT] Vide Matth. XXVII. 43. Joan. XIX. 7. Hoc & sequentia ita possunt generaliter intelligi, ut tamen in Jesum Christum speciatim directa videri possint.

Non improbanda videtur hæc explicatio, quia (1.) Non ut in antecedentibus de *justis, viduis, & senibus pluraliter* loquitur, sed *singulariter* cum articulo demonstrativo τὸν δίκαιον v. 12. (2.) de eo agit, qui se *Filium Dei* nominat, & *Deum Patrem* suum esse peculiariter professus est. Quod impii ferre non potuerint. Quod de *Judæis* constat ex Historia Evangelica (3.) de eo, qui convicit impios etiam de *impiis cogitationibus* v. 13. Quod solum Filio Dei Christo Jesu convenit, qui noverat cogitationes cordis. (4.) Verba introducuntur quibus sarcastice illuserunt Judæi Filio Dei, cum in Cruce penderet v. 18. (5.) Judæis imprimis convenit illa *cæcitas*, & excæcatio, de qua v. 21. nec non *ignorantia mysteriorum Dei* v. 22. Conf. *Ioh. XII. 40. 1. Cor. 2. 8.* Suffragia *Patrum*, & *aliorum Doctorum* pro hac sententia adduximus in *Præloquio*. Adde quæ ad *v. 16. 17. 19. 20. 22. 23.* Grotius observat: unde plura argumenta colligi possunt pro hac explicatione, utpote à *contumeliis*, & *tormentis*, quibus Christus affectus, à *turpissima morte*, supplicio *crucis*, &c. Neque temere alii observarunt *verbum* ἐνεδρεύσωμεν δίκαιον quod *Luc. XI. 53.* itidem de Judæis occurrit Christo insidiantibus, & *causam insidiarum* adversus Chi istum, vers. 12. *quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis & diffamat in nos peccatæ disciplina nostræ.* Quod à Christo factum justissime *Matth. V. VI. VII. XXIII. Ioh. VII. IIX. IX. X.* nec non querelam v. 15. *gravis etiam est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius.* Conf. *Matth. XV. 14. c. XXIII. 25. 26. 27. 28. Luc. XV. 1.* ut & præconium de noviss mis & *beatitudine justorum* v. 16. Conf. *Matth. XXV. 46. Ioh. V. 24. 28. 29. Menochius* observat & SCIENTIAM DEI, quam ἐπαγγέλλεται profitetur justus ille se habere v. 13. quia Christus dixit: *Mea doctrina non est mea sed ejus qui misit me Joh. IIX. 16. & omnia, quæ audivi à Patre meo nota feci vobis c. XV. 15.* Conf. *Matth. XI. 27.*

Vers. 15. GRAVIS EST ETIAM NOBIS AD VIDENDUM, QUIA DISSIMILIS EST ALIIS VITA ILLIUS] Capito in Thrasæam, & ei similes ad Neronem: *Rigidi & tristes, quotibi lasciviam exprobrent.* Livii illud libro XXV. non longe abit: *Nulla ingenia tam prona ad invidiam sunt, quam eorum, qui genus & fortunam suam animis non æquant, quia virtutem & bonum alienum oderunt.*

ET IMMUTATÆ SUNT VIÆ EJUS] ἐξηλλαγμένοι, id est, discordes. Sic Græci scriptores optimi ἐξηλλαγμένα sæpe vocant ea, quæ sunt inusitata.

Vers. 16. ET PRÆFERT NOVISSIMA JUSTORUM] Sumptum, sed μυστικῶ sensu, ex dicto Balaami, Num. XXIII. v. 14.

ET GLORIATUR PATREM SE HABERE DEUM] Joan. V. 18.

Vers. 17. VIDEAMUS ERGO, SI SERMONES ILLIUS VERI SINT, ET TENTEMUS QUÆ VENTURA SUNT ILLI, ET SCIEMUS QUÆ BRUNT NOVISSIMA EJUS] Matth. XXVII. 40. Marc. XV. 31, 32. Luc. XXIII. 35.

Vers. 19. CONTUMELIA ET TORMENTO INTERROGEMUS EUM, UT SCIAMUS REVERENTIAM EJUS, ET PROBEMUS PATIENTIAM ILLIUS] Pro interrogemus, in Græco est ἐξετάσωμεν, exploremus, & pro reverentiam, ἐπιείκειαν, quod vertipotest leniteram. Hæc quoque in Dominum Jesum optime conveniunt; Contumeliæ sunt, sputa & alapæ: tormenta, corona spinea & virgæ.

Vers. 20. MORTE TURPISSIMA CONTEMNEMUS EUM] Ba est haud dubie mors crucis, servile supplicium.

ERIT ENIM EI RESPECTUS EX SERMONIBUS ILLIUS] in Græco: ἔσται γὰρ αὐτῶ ἡ ἐπισκοπὴ ἐν λόγοις σου. *Erit enim illi visitatio* (id est, divina protectio) *pro verbis ipsius*, id est, si verba sunt quæ dixit, פקדה quod ἐπισκοπὴν vertitur, modo vindictam, modo tutelam ac beneficia significat.

Vers. 22. ET NESCIERUNT SACRAMENTA DEI] Consilium Dei in perducendo Christo, deinde & Christianis, per crucem in gloriam, quod diu etiam Angelos latuit. I. Petr. I. 12. vide & Rom. XVI. 25. Eph. I. 9. Coloss. I. 26. II. 2.

NEQVE MERCEDEM SPERAVERUNT JUSTIÆ] Post resurrectionem.

NEC JUDICAVERUNT HONOREM SANCTARUM ANIMARUM] Vide Luc. XXIII. 43.

Vers. 23. QUONIAM DEUS CREAVIT HOMINEM INEXTERMINABILEM] In Græco: ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, in spem immortalitatis creavit, id est, nasci quemque fecit.

Non de nativitate cujus vis sed de prima *creatione* primi hominis agitur, qui ἐπ' ἀφθαρσίᾳ *in incorruptibilitate*, non vero tantum in *spem incorrupti-*

*corruptibilitatis* conditus est: quemque Deus ad *similitudinis suæ imaginem* fecit *Gen. I. 26.* Hæc enim Mosis verba respici non negat Grotius, etsi *mysticam interpretationem* eorum hic tradi asserat. Atqui Moses non de *hominum quorumvis nativitate*, sed de *Adami creatione* egit: neque creatio Adami ad imaginem DEI sensu mystico (si sensus mysticus admittendus foret) importat *nativitatem aliorum hominum ad imaginem Dei*, utpote qui post lapsum non ad *imaginem Dei concreatam*, sed *ad imaginem Adami per peccatum contractam* progenerantur *Iob. III. 5.* & natura filii iræ sunt *Ephes. II. 3.* Quod vero Grotius *imaginem* Dei locat in *dominio*, Mosi non convenit, qui *dominium* ejus *consequens* facit, nedum Paulo, qui longe aliter imaginem Dei explicat *Col. III. 10. Eph. IV. 24.* Cæterum σωθήσεται non male observat Tirinus, *nec judicati erunt*, id est, nec æstimarunt, ut par erat, *honorem animarum sanctarum*, Græce *futurum præmium animarum in culpa tarum.* Causa tantæ cæcitatis est impius, eo quod non credant immortalitatem animarum: Quin & quoad corpus *Deus creavit hominem inexterminabilem*, id est, *immortalem.*

ET AD IMAGINEM SIMILITUDINIS SUÆ FECIT ILLUM] Mystica interpretatio verborum Mosis de Adamo. Tunc dominium Adamus habuit, non tamen in omnia Paradisi, sed olim habebit plenissimum, nulla re excepta. Apoc. V. 10. XXII. 25. Vide & Rom. VIII. 22.

Vers. 24. INVIDIA AUTEM DIABOLI] Quem sub serpentis figura Moses intelligi voluit.

Imo qui sub serpentis habitu latuit. Gen. III.

MORS INTROIVIT IN ORBEM TERRARUM] Mors prima per Adami culpam, mors autem secunda per singulorum impietatem, injustitiam & falsimonias, ut ex supradictis intelligi potest.

IMITANTUR AUTEM ILLUM QUI SUNT EX PARTE ILLIUS] In Græco: πειράζουσι δὲ αὐτὸν, οἱ τῆς ἐκείνου μερίδος ὄντες. Id est, *irritant illum*, (scilicet mortem contra se) *qui ad partem ejus* (id est, mortis) *pertinent:* qui digni sunt morte secunda, hi illam, hostem inevitabilem, in se irritant. Irritant dixit, quod supra attrahere & advocare. I. 12. 16. Ad partem mortis pertinent qui eam merentur. I. 16.

Per *Adami culpam* non tantum *mors corporalis*, sed imprimis *mors infernalis* contracta est: quod autem nunc post *redemtionem Christi*, & *destructionem mortis*, & inferni, condemnationi obnoxii fiant plerique, infidelitati eorum adscribendum est: *Qui in Filium Dei credit, non judicatur: qui autem non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei Iob. III. 18.* Alii πειράζουσιν explicant, *experiuntur:* Ita Menochius: *Experiuntur mortem hi qui sunt partis illius*, Diaboli scil. Simplicissime autem accipiunt plerique de *Diabolo*, quod illum seu *imitentur*, ut in Latino est, seu *tentent*, & *provocent*, ut in *Græco* habetur, qui *partis* ejus sunt; invidi æque, infidiosi, malevoli, & cæteras virtutes Diaboli imitantes. Eum enim habens *ultorem*, cujus sequi *partes* hic placuit: quum in partes suas vocet non ob *commodum* ipsorum, sed *ob exitium æternum* ὁ ἀνθρωποκτόνος.

## CAPUT III.

*Felicitas justorum, qui in hac vita ab impiis contempti, tentationibus à DEO probati fuerunt: & impiorum infelicitas, quorum etiam posteri maledicti: unde præfertur piorum sterilitas fœcundæ multitudini impiorum, & adulteris exterminium, ignominia & condemnatio denunciatur, seminique eorum successus denegatur.*

Vers. 1. JUSTORUM AUTEM ANIMÆ IN MANU DEI SUNT] Ipsa Christi locutio. Luc. XXIII. 46.

IMo etiam Davidis in persona Christi eadem Prophetice efferentis Psalm. XXX. 7.

ET NON TANGET ILLOS TORMENTUM MORTIS] In Græco simpliciter: οὐχ ἅψεται αὐτῶν βάσανος, tormentum illud felicet, cui etiam ante tempus judicii universalis subjectæ sunt impiorum animæ. Luc. XVI. 23.

Vers. 2. VISI SUNT OCULIS INSIPIENTIUM MORI] In Græco: τεθνάναι, id est, periisse etiam quod animam attinet.

ET ÆSTIMATA EST AFFLICTIO EXITUS ILLORUM] In Græco: κάκωσις, id est, miseria. Putantur esse miseri, eo quod moriuntur.

Vers. 3. ET QUOD A NOBIS EST ITER EXTERMINII] In Græco: καὶ τὸ ἀφ' ἡμῶν πορεία, σώτερμα. Abitus animarum piorum ex rebus humanis, putatur esse dissipatio. σώτερμα hic idem est quod διαφθορὰ & διασκεδάζεσθαι, Supra II. 3. 4.

Σώτερμα contritio dicitur translatione ducta à vasis testaceis, quæ semel comminuta nulla ratione refici possunt, notante *Menochio.*

ILLI AUTEM SUNT IN PACE] In requie, ut solent loqui Hebræi, vide quæ dicta ad Luc. XXIII. 43. requiescunt à laboribus suis, Apoc. XIV. 13. veniat pax Es. LVII. 2. de mortuo loquens: ubi dicta vide.

Vers. 4. ET SI CORAM HOMINIBUS TORMENTA PASSI SUNT] Ut Apostoli.

SPES ILLORUM IMMORTALITATE PLENA EST] Id est, consolantur se spe resurrectionis, & vitæ nunquam defituræ.

Vers. 5. IN PAUCIS VEXATI] Id est, ad modicum tempus.

IN MULTIS BENE DISPONENTUR] in Græco: μεγάλα εὐεργετήσονται, magna accipient beneficia.

QUONIAM DEUS TENTAVIT EOS] Exploravit adversis eorum constantiam.

ET INVENIT ILLOS DIGNOS SE] id est, dignos qui aliquando secum sint; Vide 1. Joh. III. 2. dignos intellige ex benigna æstimatione, ut Act. XIII. 46. Apoc. III. 4. XVI. 6.

Dignos imprimis *gratiæ divinæ operatione*, quæ nos sola dignos efficit, Luc. XXI. 36. Conf. Luc. XVII. 10. Rom. IIX. 18. *Ad cœlestis Hierusalem consortium non ascendet, nisi qui toto corde profitetur, non proprii operis sed divini esse muneris, quod ascendit*; ut habetur in libro Epigramm. Prosperi n. 31.

Vers. 6. TANQUAM AURUM IN FORNACE PROBAVIT ILLOS] Conf. Zach. XIII. 9. Mal. III. 3.

ET QUASI HOLOCAUSTI HOSTIAM ACCEPIT ILLOS] Obedientia ipsorum usque ad mortem, gratior Deo fuit omni holocausto. Philipp. II. 17.

ET IN TEMPORE ERIT RESPECTUS ILLORUM] In Græco: καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἀναλάμψουσι. *In tempore visitationis suæ* (id est, ubi Deus ipsorum meminerit) *fulgebunt.* Matth. XIII. 43.

Vers. 7. ET TANQUAM SCINTILLÆ IN ARUNDINETO DISCURRENT] Velocitatem habebunt majorem quam ignis in stipula: corpora enim eorum erunt cœlestia, qualia quæ sunt, celerime moventur. Ignis in stipula, proverbiale. Zach. XII. 6.

Addimus *Augustini* sententiam Serm. CXLVII. de tempore: *Credere debemus talia corpora nos habituros, ut ubi velimus, quando voluerimus, simus.* Cui consonat illud *Anselmi* libr. de similitudin. c. 51. *Velocitas tanta nos comitabitur, ut ipsis Angelis Dei æque celeres simus, qui è cælo ad terras & è converso dicto citius diluduntur.* Designatur autem non tantum agilitas corporis glorificati, sed etiam claritas ejusdem, de qua 1. Cor. XV. 41. *Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*, inquit Sapiens. Fulgebunt sicut splendor firmamenti *Dan. XII. 3.* In Græco hic est ἐν καλάμῃ in *stipula*, quæ sc. igne flagrat.

Vers. 8. JUDICABUNT NATIONES ET DOMINABUNTUR POPULIS] Apoc. II. 26. 27. Matth. XIX. 28.

Conf. 1. Cor. VI. 2.

ET REGNABIT DOMINUS ILLORUM IN PERPETUUM.

FETUUM] Utrex regum, Apoc. XIX. 6. 1. Cor. XV. v. 24.

Vers. 9. QUONIAM DONUM ET PAX EST ELECTIS EJUS.] In Græco: ὅτι χάρις καὶ εἰρήνη ἐν τοῖς ἐκλογοῖς αὐτοῦ, κρίσις αὐτοῦ ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ: ubi vide mus eosdem esse ἐκλογοὺς & ἐκλεκτούς. Hebræo enim more bis idem sensus repetitur. Vide quæ ad Matth. XX. 16.

Vers. 11. ET VACUA EST SPES ILLORUM] Transit de numero in numerum, ut sæpe fit, ubi de hominum generibus agitur.

V. 12. MULIERES EORUM INSENSATÆ SUNT] ἄφρονες. Propter maritorum ἀφροσύνη, quæ fœminæ imitantur, aut ulciscuntur.

ET NEQUISSIMI FILII ILLORUM] Propter pravam institutionem. Juvenalis:

*Plurima sunt, Fuscine, & fama digna finistra,*
*Et mitidæ maculam haturam fugentia vobis,*
*Quæ monstrantque pueris, traduntque parentes.*

Vers. 13. MALEDICTA CREATURA EORUM] γένεσις in Græco, quo naturam significari diximus I. 14. Natura eorum depravatissima erit. Solent enim etiam naturaliter in prolem transfundi parentum vitia.

Alii *Execrabilis* est *generatio* seu *progenies*, utpote ex adulterio procreata.

FELIX EST STERILIS ET INCOINQUINATA, QUÆ NESCIVIT THORUM IN DELICTO] Apud Hebræos steriliras opprobrium erat; vide quæ ad Luc. I. 7. 36. ait autem hic scriptor multo fœliciores esse steriles, quæ thalami castimoniam servant, quam illas, quæ fœcundæ quidem sunt, sed sæpe ex adulterino semine, aut certe de quo conceperint nescire.

HABEBIT FRUCTUM IN RESPECTIONE ANIMARUM SANCTARUM] ἐν ἐπισκοπῇ, id est, in judicio universali, ut supra VI. fructum habebunt, id est, præmia sobole meliora.

Vers. 14. ET SPADO QUI NON OPERATUS EST PER MANUS SUAS INIQUITATEM, NEC COGITAVIT ADVERSUS DEUM NEQUISSIMA] Applicatio mystica loci Esa. LVI. 4. Felices prædicat prædicat præmachis pios spadones, qui & factis malis (quæ manuum nomine indicant Hebræi) & cogitatis abstinuere. Solet dici de eunuchis:

*..... amatores esse mulierum maximos:*

*Sed nihil potesse*

Et rursum illud Martialis:

*Cum sene communem vexat spado Didymus Æglen.*

Et Juvenalis illud:

*Sunt quæ eunuchi imbelles ac mollia semper*
*Oscula dederint, & desperatio barbæ,*
*Et quod abortivo non essepluma*

Et quæ hæc sequuntur ejus ætatis plura.

Ex hac Grotiana explicatione *comparativa felicitate spadonum piorum præ machis* fœtilibus apparet, quam inepte hæc trahantur à Tirino & aliis Papistis ad *clericos* & *religiosos cælibes*, quos spadones Evangelicos vocant, quum nusquam in Evangelio clericis demandatus sit cælibatus, & plerumque cælibatus ille coactus sit impurissimus, & cum scortationibus fœdis conjunctus. Respicitur autem hic imprimis locus Deut. XXIII. 1. ubi *spadones* excludebantur à communione.

DABITUR ENIM ILLI FIDEI DONUM ELECTUM] Donum fidei, id est, donum propriæ, vitæ æternæ.

ET SORS IN TEMPLO DEI ACCEPTISSIMA] Honoratus locus in illo æterno Dei templo. Erit κλῆρος ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ, ut dicitur Apoc. III. 12.

Vers. 15. ET QUÆ NON CONCIDIT RADIX SAPIENTIÆ] ἀδιάπτωτος ἡ ῥίζα τῆς φρονήσεως. Φρόνησιν vocat pietatem, quæ vera & solida prudentia est; eam comparat radici tali, quæ non modo non deficit, sed fructum ad cœlum usque mittit.

Vers. 16. FILII AUTEM ADULTERORUM IN CONSUMMATIONE ERUNT, ET AB INIQUO THORO SEMEN EXTERMINABITUR] Deus sæpe adulteris aut posteritatem negat, aut datis felicem. Multæ domus regno ob adulteria exciderunt. ἀτέλεστα sunt, quæ ad maturitatem non perveniunt: ἀβασίλευτα dicuntur non modo quæ intereunt, sed & quæ jacent sine honore. Euripides Phœnissis:

Οὐ γὰρ ἥμαχαλὸν, ἃ πεσ' ἄφω κλόνῳ,
Οὐδ' αἱ μὴ τέκνωσι σώζουσ', μᾶλλ' ὁ λόχευμα
Μίσημα πατρός.

Vers. 17. ET SI QUIDEM LONGÆ VITÆ ERUNT] Nempe illi μοιχοὶ adulteri; nam de prole, ipsorum tantum causa, egerat.

IN NIHILUM COMPUTABUNTUR] Malam formam secum circumferent.

Ovid. *Metam.* ἀμόρφοις ἔσται, ἐμοῦ κακὸν ἔθλον.

ET SINE HONORE ERIT NOVISSIMA SENECTUS ILLORUM] Quamdiu vivent, sequetur eos hæc macula. Nam, ut Mosonius dicebat, *abit voluptas, manet infamia.* Et Theano, ab alieni viri complexu, ajebat nunquam puram fieri mulierem.

Vers. 18. ET SI CELERIUS DEFUNCTI FUERINT, NON HABEBUNT SPEM] Vitæ melioris.

NEC IN DIE AGNITIONIS ALLOCUTIONEM] ἐν ἡμέρᾳ διαγνώσεως παραμυθίαν. *Nec solatium in tempore judicii*, universalis scilicet.

Vers. 19. NATIONIS ENIM INIQUÆ DIRÆ SUNT CONSUMMATIONES] γενεὰ hic vocat non familiam, sed rerum hominum genus, ut Matth. XVII. 4. XVII. 17. Marc. IX. 19. Luc. XI. 24. Act. II. 40. σκολιὰ τὰ τέλη, miseri exitus.

Ob inferni pœnas exitus sequentes. Conf. *Syr. XXI. 11. Prov. IIX. 27. 1. Cor. VI. 9. Gal. V. 19. 21. Apoc. XXI. 8.*

## CAPUT IV.

*Conferuntur steriles virtuti dediti cum fœcundis mœchis: nec non justi immatura morte obeuntes cum injustis longævis, & exponitur finis ac consilium Dei præmaturos illorum subductionis, cum infelicitate impiorum, etiamsi vita longinqua fruantur.*

Vers. 1.

O QUAM PULCRA EST CASTA GENERATIO CUM CLARITATE] In Græco: κρείσσων ἀτεκνία μετ' ἀρετῆς. *Melius est esse sine liberis, & cum virtute:* nempe, quam liberos adulterio ferre: de quare præcellit sermo.

IMMORTALIS ENIM EST MEMORIA ILLIUS] nempe ἀρετῆς, virtutis.

ET APUD DEUM NOTA EST] Qui præmia reddet futur. sæculi. Nisi ferre est approbare, ut Psalm. I. 6. Matth. VII 23.

ET APUD HOMINES] Nam, ut ait Euripides:

Ὅστις λόγων τῶν ὀρθίων
Ἀνθρῶν ἀθρήσειν χρεών.
Καὶ σῶφρονεῖν δοκεῖ μάλιστα.

DE *castitate* vel *casta generatione* hæc explicat Tirinus, ut & *Menochius*. Sed hic melius se habet interpretatio Grotii referentis pronomen ad ἀρετήν: in Græco enim non habetur *casta generatio*, nec aliud nomen ad quod referri possit: unde frustra torquet sese *Tirinus* circa v. 2. qua ratione *castitas seu casta generatio nota sit*, id est, probetur etiam *apud homines*, latim non impudicos; quia sc. *præsentem* mirantur, fulpiciunt, imitari conantur. *Cum se eduxerit è vita*, vel oculis, id est, absentem *desiderant*, & requirunt: Et *in perpetuum*, in omnem æternitatem victrix *coronata triumphat*, adipiscens insigne & multiplex *præmium incoinquinatorum* certaminum seu agonum & præliorum periculosissimorum castitatis. De virtute hæc accipit Grotius in genere, non de casta generatione, aut castitate in specie. Sub illo tamen genere castitatem comprehendi, per se liquet.

Vers. 2.

CUM PRÆSENS EST, IMITANTUR ILLAM] Habet enim virtus miras *suasiones*.

ET DESIDERANT EAM, CUM SE EDUXERIT] *Sublatam ex oculis quærimus:*

ait Horatius.

ET IN PERPETUUM CORONATA TRIUMPHAT] Coronata a Deo. Jac. I. 12. I. Petr. V. 4. Apoc. II. 10.

INCOINQUINATORUM CERTAMINUM PRÆ-

PRÆMIUM VINCENS] τὸν τῶν ἀμιάντων ἆθλον ἀγῶνα νικήσασα. Ita enim habet editio Sixtina: postquam in certamine vicit. Sicut Petrus dicto jam loco ad amarantum florem alludit, ita hic scriptor hoc loco ad lapidem amiantum, cujus ea est natura, ut non modo veneficiis omnibus resistat, sed & igne nihil deperdat. Plinius XXXVI. 19. Dioscorides V. 148. ἀγῶνες ἀμίαντοι sunt certamina contra omne vitiorum genus, Hebr. VII. 26. Jac. I. 27. ab his qui se servavêre, virgines dicuntur in Apocalypsi.

Vers. 3.

MULTIGENA AUTEM IMPIORUM MULTITUDO NON ERIT UTILIS] Quamvis multi sunt, non subsistent.

ET SPURIA VITULAMINA NON DABUNT RADICES ALTAS] μοσχεύματα, quod hic vitulamina vertit, Theophrasto aliisque rei rusticæ scriptoribus sunt propagines, sive stolones. Ex adulterio nati non modo apud Hebræos, sed & aliis in locis ad honores non admittebantur.

Vulgatum excusat, sed temere *Menochius*, quod verbum novum à μόχθος. *vitulus* invenerit, & *Tirinus* quod à stolida vituli vitulatione stolones illos vitulamina transtulerit. Sed rectius fecissent Jesuitæ, si hic ignorantiam vulgati ingenue agnovissent.

Vers. 4.

A VENTO COMMOVEBUNTUR] Ad injurias facile parent, quia familiam, aquæ defendantur, nullam habent.

Vers. 5. RAMI INCONSUMMATI] ἀτέλεστοι, ut supra III. 16.

ET ACERBI AD MANDUCANDUM] Nemo eos sibi vult adsciscere.

Vers. 6. EX INIQUIS ENIM SOMNIS FILII QUI NASCUNTUR] Honeste congressum viri & mulieris somnum dixit, ut Plautus, *propter dormias*.

IN INTERROGATIONE SUA] ἐν ἐξετασμῷ αὐτῶν, ubi scilicet genus eorum examinandum est, sicut heris ler in mandandis honoribus.

Vers. 7. JUSTUS AUTEM SI MORTE PRÆOCUPATUS FUERIT] Etiamsi immatura morte obeat; quod sub legis statu non eveniebat, nisi raro, ob causas graves, & ipsis morientibus utiles, ut in Josia. Sed hæc, ut dixi, Evangelium magis redolent.

Cur vero hic tempora V. T. opponit nostris? Nam utrobique piis μακαριότης promissa est. Cur beatitudinis revelationem ad scripta N.T. restringit: sub Evangelii nomine, cujus notitia non fugiebat pios veteres, utpote qui spe ejusdem miserias hujus vitæ solabantur, exemplo Patriarcharum, Davidis, Jobi, Danielis. Sed hæc *Pelagio-Sotiniana* sæpius notavimus in Grotio.

IN REFRIGERIO ERIT] Sic Latini vocant statum, justorum post mortem ante resurrectionem. In Græco est hic, ὁ ἀναπαύσει. Hebræi dicerent בְּמְנוּחָה. Vide quæ ad Luc. XXIII. 43. Sumptum ex Isaiæ LVII. *requiescat in cubili suo*; sed sensu à corpore ad animum translato.

De illis vid. quæ ad locum Lucæ in Annot. Anti-Grot. diximus. Patet autem hinc vanum esse ignem purgatorium Papistarum, in quo nec quies est, nec refrigerium. Quod enim Tirinus è *Carthusiano* refrigerii causa adducit *certitudinem salutis, suffragia vivorum & consolationes angelorum*, in flammis purgatorii, quibus animæ ustulantur non perfecte expurgatæ, uti fingunt Papistæ, nullum præbere potest refrigerium: quia *certitudinem salutis* ne quidem in Ecclesia habuere justificati (secundum Papistas) nedum in flammis purgatorii habere possunt, pœnis & *damni* & *sensus* obnoxii: neque *suffragia vivorum pro mortuis* vel *mandato*, vel *promisso* divino, vel probato *exemplo* in Scripturis Canonicis nituntur, etsi vivi pro aliis vivis intercedere debeant: nec *consolationes ab angelis* suggeri possunt, *in purgatorio*, qui non in purgatorio sunt, sed in cœlis. *Semper* enim *vident faciem Patris in cœlis. Matth. XIIX. 10.* Angeli mali vel Diaboli in inferno sunt, non boni: sed illi non solantur, verum torquent, & flammis inferni ustulant, quos in potestate sua habent.

Vers. 8. SENECTUS ENIM VENERABILIS] Senectutem intelligit mores sene dignos, id est, graves.

Hi quidem conjuncti esse debent cum senectute, non tamen hic ipsa Senectus sunt.

NEQUE ANNORUM NUMERO COMPUTATA] Seneca de brevitate vitæ: *Vita non quamdiu, sed quam bene acta refert.* Chrysippus dixerat: ἀγαθὸς ὁ χρόνος ὃς ἂν αὐξει τὴν φρόνησιν. Cicero autem III. de finibus: *Stoicis non videtur optabilior, nec magis expetenda vita, si sit longa, quam si sit brevis.*

Vers. 9.

CANI AUTEM SUNT SENSUS HOMINIS] πολιὰ δέ ἐστι φρένες ἀνθρώποις. Pari sensu Menander:

Οὐχ αἱ τρίχες πιστεύουσι τὴν νεανικὴ φρονῆσι,
ἀλλ' ἃ τρόπος ἑκάστου ἐστὶν φύσεως γέρων.

Si autem prudentia & integritas vitæ à senibus absit, non *senes*, sed *pueri* habendi etiamsi centum annorum sint. *Es. LXV. 20.*

Vers. 10.

PLACENS DEO FACTUS DILECTUS ET VIVENS INTER PECCATORES TRANSLATUS EST] Græce: εὐάρεστος γενόμενος τῷ Θεῷ ἠγαπήθη, καὶ ζῶν μεταξὺ ἁμαρτωλῶν μετετέθη, id est, qui ita vixit, quomodo Deo placebat, dilectus à Deo, à peccatoribus, quibuscum vivebat, translatus est. Græcum est dictum: Οὐ γὰρ ἐθελοῦσιν ἀποδύσασθαι τὸν μετετέθη est sumptum de historia Enochi, Gen. V. 24. ubi in Græco: εὐηρέστησεν Ἐνὼχ τῷ Θεῷ, καὶ οὐχ εὑρίσκετο, ὅτι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός. Scriptor ad Hebræos XI. 5. εὐηρεστηκέναι τῷ θεῷ ἐδέδακται καὶ οὐχ εὑρίσκετο, ὅτι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός. Non longe abit illud Isaiæ LVII. 1. ἀπὸ προσώπου ἀδικίας ἦρται ὁ δίκαιος.

Jansenius cum Ambrosio orat, de obitu fratris sup. Ps. XL. & XLV. hunc locum ad literam exponit de Enocho: sed rectius *Cyprianus* l. de mortal. c. 8. *Augustin.* l. de prædestin. Sanctor. c. 14. Illique Patres hæc cuicunque justo, præmatura morte subtracto adaptant, quibus cum Grotio accedit *Tirinus*. Menochius, *videtur*, inquit, *loqui de Enoch, de quo dicitur in libro Ecclesiastici cap. XLIV. 16.* Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, *vel certe ad illius historiam respexisse, quæ habetur Genes. V.*

Vers. 11.

RAPTUS EST, NE MALITIA MUTARET INTELLECTUM EJUS AUT NE FICTIO DECIPERET ANIMUM ILLIUS] Malitia, id est, mala exempla. Fictio, προφάσεις, quibus ea, quæ non honesta sunt, quædam honesti vestiuntur specie. In consolatione super morte juvenum non solet hoc omitti: Innocens erat, sed potuerat corrumpi tam pravo seculo. Seneca ad Marciam: *Cogita animi mille labes; neque enim recta ingenia, qualem in adolescentia sinem sui fecerunt, eadem in senectutem pervenerunt; sed interversa plerumque sunt: aut sera cog. sædier luxuria invasit, & coëgit deboneſtare ſpecioſa principia; aut in sanguinem ventremq; projectis summa illis curarum fuit, quid esset, quid biberent.* Postea: *Facilius ad superos iter est, animis cito ab humana conversatione dimissis: minus enim facis ponderisque traxerunt: antequam obduceretur, & altius terrena conciperent, liberati, levioresad originem suam revolant, & facilius quicquid ipsi illud, absoluti transfluunt.*

Vers. 12.

FASCINATIO ENIM NUGACITATIS OBSCURAT BONA] βασκανία γὰρ φαύλότητος ἀμαυροῖ καλά. *Fascinatio enim vilitorum obscurat honesta.* Id est, efficit ne honesta, qualia sunt conspiciantur. Φαυλότης omne vitium Græcis; βασκανίαν inter alia est oculis imponere, præstigias facere.

ET INCONSTANTIA CONCUPISCENTIÆ TRANSVERTIT SENSUM SINE MALITIA] In Græco: ἡδονὴ ἐπιθυμίας μετασκευάζει νόημα: id est, *mentem probam transversam agit vertigo cupidinis*: nimirum accedentibus malis mas istris.

Φόβητρον ἡδονὴ κακοῦ. *Impetus concupiscentiæ, quo agimur & vertimur* notatur voce Græca, uti ejus emphasin exprimit Menochius: qui τὸ μεθύειν & ἐξαλλᾶσθαι explicat h. m. *erui, effodit, scrutatur, immutat, & evertit, ut solent metalla cum effodiuntur.*

Vers. 13.

CONSUMMATUS IN BREVI EXPLEVIT TEM-

TEMPORA MULTA] Satus diu vixit, qui vixit bene. τελειωθεὶς hic dicitur qui se eorum dedit virtuti exutis vitiis. Vide quæ ad Matth. V. 48. Simile illud Martialis:

*Dum numerat palmas credidit esse Senem.*

Seneca: *Non est vita major quæ longior.*

Vers. 14.

PLACITA ENIM ERAT DEO ANIMA ILLIUS, PROPTER HOC PROPERAVIT EDUCERE ILLUM DE MEDIO INIQUITATUM] Bene supplesit ἦν ἀρεστὴ, quæ est in Græco: διὸ τοῦτο ἔσπευσεν ἐκ μέσου σωτηρίας.

POPULI AUTEM VIDENTES ET NON INTELLIGENTES] Id est, videntes non intelligebant unde hoc accideret. Isa. LVII. 1.

Vers. 15.

QUONIAM GRATIA DEI ET MISERICORDIA EST IN SANCTOS EJUS ET RESPECTUS IN ELECTOS EJUS] Non cogitabant hoc ipsum (nempe mortem ante seniles annos) *esse gratiam & misericordiam Dei in sanctos suos, & beneficium in electos.* Rursum iidem Sancti & electi ut supra III. 9. & ἐπισκοπὴ pro beneficio.

Oculis sc. benignis vel gratiæ respicit eos Deus, eorumque peculiarem habet rationem.

Vers. 16.

CONDEMNAT AUTEM JUSTUS MORTUUS VIVOS IMPIOS, ET JUVENTUS CELERIUS CONSUMMATA LONGAM VITAM INJUSTI] Hic iterum τελειοῦται eo sensu, quomodo τελειωθεὶς Condemnat autem fuit comparatione, ut viri Ninives, Matth. XII, 41. Ile juvenis ad tam eximiam virtutem pervenerat: vobis tanto plus fuit temporis ad proficiendum & minus profecistis.

Vers. 17.

ET NON INTELLIGENT QUID COGITAVERIT DE ILLO DEUS] In Græco non est ἐβουλεύσατο, sed ἐβουλεύσατο, illi scilicet impii non recordantur qualia adversus pium consilia ceperint, nempe ad eum depravandum.

ET QUARE MUNIERIT ILLUM DOMINUS] ἐφύλαξεν, in tuto posuerit.

Vers. 18.

VIDEBUNT ET CONTEMNENT EUM] Futurum pro præterito, more Hebræo: *Vident eum mortuum & contemnunt*: putantes, ut in proverbio est, canem vivum præstare leoni mortuo.

ILLOS AUTEM DOMINUS IRRIDEBIT] Alium illorum impiorum exitum prævidens, ut sequitur.

Vers. 19.

QUONIAM DISRUMPET ILLOS INFLATOS SINE VOCE] ὅτι ῥήξει αὐτοὺς ἀφώνους πνεύσας, *ubi illos præcipites datos* (de alta fortuna) *hoc interclusa ruperit.* Id est, animum à corpore distraxerit.

Alii *disrumpet sine voce*, id est, *conteret, perdet non habentes quid dicant, aut conquerantur*: vel etiam *ut loqui non possint, vel non audeant, præconfusione, & conscientia scelerum.* Et videtur oppositio haberi cap. sequ. V. 1. ἐν παῤῥησίᾳ πολλῇ *cum multa fiducia, & loquendi libertate.*

ET COMMOVEBIT ILLOS A FUNDAMENTIS] *Commoverit eos:* id est, vita simul omnibusque rebus adamatis privaverit.

ET USQUE AD SUPREMUM DESOLABUNTUR] Erunt perpetuo sine auxilio ac solatio.

ET ERUNT GEMENTES] ἀδώδιμος, in dolore: oppositum id ei quod de justi statu dixerat, supra III. 1.

ET MEMORIA ILLORUM PERIBIT] Nullam post se laudem reliquent: oppositum id ei quod de justo supra habuimus I.

Vers. 20.

VENIENT IN COGITATIONE PECCATORUM SUORUM TIMIDI] Cum summo metu (pœnarum scilicet) reminiscentur suorum criminum. Vide quæ ad Luc. XVI. 23. & sequent.

ET TRADUCENT ILLOS EX ADVERSO INIQUITATES IPSORUM] παραστήσονται αὐτοὺς ἐξ ἐναντίας τὰ ἁμαρτήματα αὐτῶν. *Peccata sua ipsos convincent ex adverso:* id est, contra stantia, ut testes in judicio solent.

Non erit tunc opus aliena vel accusatione vel testificatione ut convincantur impii. Conscientia erit pro mille testibus, & ipsa flagitia q. ex adverso stantia illos redarguent.

## CAPUT V.

*Impii in altero sæculo admirabuntur piorum beatitudinem, nimis autem sero suam deplorabunt & detestabuntur stultitatem. Deus respicit justos: impios autem horribiliter disperdit.*

Vers. 1.

TUM STABUNT JUSTI IN MAGNA CONSTANTIA] Justi, id est, justorum animæ, ut apparet ex eis, quæ infra 14. 17. 18. Solent autem animæ totius hominis nomen occupare σωματικῶς, ut diximus ad indicatum jam Lucæ locum. In Græco: τότε στήσεται ἐν παῤῥησίᾳ πολλῇ ὁ δίκαιος, erit in magna libertate. Nam παῤῥησία, quamvis ex origine libertatem in dicendo significet, solet tamen & ad alia transferri. Vide Joan. VII. vers. 4.

ADVERSUS EOS QUI SE ANGUSTIAVERUNT] In statu longe alio.

ET QUI ABSTULERUNT LABORES EORUM.

QUi contempserunt, atque irritos facere conati sunt eorum sanctos labores, atque pios conatus. Καὶ τῶν κόπων αὐτῶν τῆς πόνους αὐτῶν. Qui enim per fidem in Christum justitiam & salutem adipiscuntur, magna cum lætitia & alacritate in Domini apparebunt, & impium mundum judicabunt & condemnabunt. *1. Cor. VI. 2.* De judicibus iniquis & tyrannis hæc maxime agere Tirinus putat, allegans *Auguſt.* Ep. L. *Bonavent. Dionyſ.* & *Lyranum.*

Vers. 2.

VIDENTES TURBABUNTUR] Videntes, id est cognoscentes impiæ animæ statum piarum. Solent, quæ corporum sunt, ad animum transferri, ut ostendimus ad dictum locum. Sic videre dicuntur animæ quæ cognoscunt, attribuuntur eis lingua, digiti & alia.

ET MIRABUNTUR IN SUBITATIONE INSPERATÆ SALUTIS] καὶ ἐκστήσονται ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας. *Obstupescent ob salutem tam insperatam quæ sibi contingit.*

Vers. 3.

POENITENTIAM AGENTES] Serani, & inutilem.

ET IN SIMILITUDINEM IMPROPERII] καὶ εἰς παραβολὴν ὀνειδισμοῦ, id est, in dictenum. Sic מָשָׁל sumitur 2. Paralip. VII, 20. Psalm. XLIV. 15. Jerem. XXIV. 9. Mich. II. 4.

Vers. 7.

VIAS DIFFICILES] In Græco: ὁδοιπορήσαμεν σκληρὰς ἀβάτους, vias invias, id est, extra legem, ut oftendunt sequentia.

Vers. 9.

TANQUAM UMBRA] Æschylus:

*Τὸ γὰρ θρέψαντι σκιὰν ἐφιεμένοις θρασεῖς*
*Καὶ πτεροῦσθαι μᾶλλον ἐκπαγῆναι σκιᾷ.*

Sophocles:

*Ἀλλ' ἐσμὲν οἷ περ σκιὰ καὶ μηδέν.*

ET TANQUAM NUNTIUS PERCURRENS] Id est nuntiatio: ἀγγελία.

Vers. 10.

TANQUAM NAVIS, QUÆ PERTRANSIT FLUCTUANTEM AQUAM, CUJUS CUM PRÆTERIERIT NON EST VESTIGIUM INVENIRE] Proverb. XXX. 19.

Vers. 11.

AUT TANQUAM AVIS, QUÆ TRANSVOLAT IN AERE, CUJUS NULLUM INVENITUR ARGUMENTUM ITINERIS] Via aquilæ in cœlo, ait idem Proverbiorum locus.

Vers. 12.

AUT TANQUAM SAGITTA EMISSA] ὡς βέλος πεμφθέν.

DIVISUS AER CONTINUO IN SE RECLUSUS EST] Legitur in Græco: τμηθεὶς ὁ ἀὴρ εὐθὺς εἰς ἑαυτὸν ἀνελύθη, Sed legendum ἀνελλύθη, *in se redit.*

Vers. 13.

IN MALIGNITATE AUTEM NOSTRA CONSUMPTI SUMUS] Vitam omnem consumsimus male agendo.

TALIA DIXERUNT IN INFERNO HI QUI PECCAVERUNT] Hæc in Græco non sunt: sed ad connectenda quæ sequuntur sunt addita. Infernus est, ſtatus animarum post mortem ante resurrectionem.

Cur vero tantum ante resurrectionem? Annon post resurrectionem etiam in inferno erunt damnati? aut ubi alias? Cur tantum animarum ſtatus constituitur, infernus, annon etiam corpora in inferno patientur? Imo vero querelæ illæ & lamentationes æternæ erunt: æque uti beatorum gaudia æterna sunt in cœlis. v. 16.

Vers. 15.

TANQUAM LANUGO EST, QUÆ A VENTO TOLLITUR] Tanquam pappi. Vide Psalm. I. 4.

TANQUAM SPUMA GRACILIS QUÆ A PROCELLA DISPERGITUR] In Græco: ὡς πάχνη, ut pruina.

ET TANQUAM FUMUS] κατὰ σκιά, Æschylus dicto jam loco.

ET TANQUAM MEMORIA HOSPITIS UNIUS DIEI PRÆTEREUNTIS] ὡς μνεία καταλύτης μονοημέρου παρόδευσε. Sicut abit memoria hospitis, quem nunquam nisi uno die vidimus.

Vers. 16.

JUSTI AUTEM IN PERPETUUM VIVENT] Vita æterna.

ET APUD DOMINUM EST MERCES EORUM] Repoſita silicet, quæ eos exſpectet, Apocalypsis XXII. v. 12.

ET COGITATIO ILLORUM APUD ALTISSIMUM] ἡ φροντὶς αὐτῶν. Deus curam illorum semper habet.

Vers. 17.

IDEO ACCIPIENT REGNUM DECORIS] Nempe post resurrectionem, Apoc. I. 6.

Etsi post resurrectionem id consequantur justi anima & corpore, quatenus corpus animæ vicissim unitum, & glorificatum ad cœlestis regni communionem, & fruitionem admittitur: 2. Tim. IV. 8. animæ tamen eorum ſtatim post excessum in regno cœlesti sunt, exemplo latronis converſi *Luc. XXIII. 42. 43.* cum Christo *Phil. I. 23.* apud Dominum *2. Cor. V. 8.* & coronas cœlestes portant. *Ap. IV. 10.*

ET DIADEMA SPECIEI] Id est, ſpeciosum: Διάδημα τῆς καλλονῆς. Jac. I. 12. I. Pet. V. 4. Apoc. II. 10. IV. 4. IX. 7. XII, 1.

De diademate vid. *Joh. Steph.* in 1. Macc. I. *Præadum* in Ezech. c. XXI. *Rhodig.* l. XVI. c. 10. *Alex. ab Alex.* l. 1. c. 28. *Briſſon.* l. 1. de regn. Perſar. *Gyrald.* Syntagm. XVII.

DEXTERA SUA TEGET EOS, ET BRACHIO SANCTO SUO DEFENDET ILLOS] Ne quid ſit, quod ipſis nocere poſſit.

In hac vita tuetur Dominos ſuos, nec quiſquam eos rapere poteſt è manu ejus *Iob. X. 29.*

Vers. 18.

ACCIPIET ARMATURAM ZELUS ILLIUS] Absoluto sermone de piis, retrogreditur ad deſcribendas pœnas, quas de impiis Deus ſumet in judicio universali, quæ pœnæ deſcribuntur per res hujus ſeculi, ut nobis notiores,

Vers. 20.

ET TANQUAM BENE CURVATO ARCU NUBIUM EXTERMINABUNTUR] Arcu nubium, id est, emiſſo è nubibus. Sic Virgilius:

*... arcum intendit hic Apollo*
*Deſuper.*

Vers. 23.

ET A PETROSA IRA] ἐκ πετροβόλου θυμοῦ, ex ira saxa jaciente. πετρόβολος hic adjectivum, alioquin ſubſtantive ponitur pro balista, I. Sam. XIV. 14.

Vers. 24.

CONTRA ILLOS STABIT SPIRITUS VIRTUTIS] Dei, Sic Matth. XXVI. 64. ἐκ δεξιῶν δυνάμεως. id est, ad dextram Dei.

TANQUAM TURBO VENTI DIVIDET ILLOS] Longe à ſe segregabit. II. Theſſ. I. 9.

ET AD EREMUM INIQUITAS PERDUCET OMNEM TERRAM INIQVITATIS ILLORVM, ET MALIGNITAS EVERTET SEDES POTENTIUM] Scelera impiorum causa erunt cur non modo regna omnia mundi hujus intereant, ſed & mundus ipſe conflagret. De regnis vide Coloſſ. II, 15. de terra 2. Pet. III. v. 7.

Non est, quod à ſenſu literali diſcedamus, & ad pœnas impiorum in *judicio* universali, aut cum Tirino ad pœnas & mala quibus impii tum tempore Anti-Chriſti, tum tempore conflagrationis & everſionis mundi afficiuntur, hæc abripimus. Quæ de pœnis ſeculi hujus impios manentibus κατὰ τὸ ῥηθὲν agunt. Adverſus quos Deus ſeſe *juſtitia armare* ſolet ad vindictam, *& iram ſuam acuere*, ut hoſtes Eccleſiæ & fidelium confodiat. Contra eos *pugnare orbis terrarum* dicitur, quia nihil tutum impiis in orbe: neque aberrat fulmen ab iis, in quos divinitus est directum, ut veluti à bene curvato arcu è denſitate nubium ejiciuntur fulmina, & ad locum illum inſiliunt, in quem deſtinata sunt. Similiter à *petroſa*, vel potius ſaxa jaciente *plenæ* vel copioſæ grandines in hoſtes Domini mittuntur *Apoc. XVI. 21.* excandeſcit in illos aqua maris, ut eosdem obruat: *& flumina concurrent duriter* (vehementer & velociter) ut impios opprimant. Contra illos ſtat ſpiritus virtutis, id est, ventus vehementiſſimus exurgit, Deo jubente, & tanquam turbo disjicit illos. Non ergo ad ſegregationem quæ ſiet per *adventum Domini 2. Theſſ. I. 9.* pertinent. Quanquam vero non ſingula ita in omnibus implentur; tamen alii hoc alii iſto modo puniuntur, docetque experientia miſere hoſtes Eccleſiæ perire, & divinitus everti, ut memoria etiam eorum ſæpe deleta ſit. Ideoque impiorum interitum patienter expectemus. Denique ſi in hoc ſeculo non experiuntur juſtitiam vindicem, certo experturi ſunt in futuro ſeculo.

Verſum poſtremum, quem B. Lutherus ad ſequens caput refert, eoque pertinere B. Oſiander judicat, non ad conflagrationem mundi in die noviſſimo, ſed ad terrarum, & provinciarum & regnorum, vel imperiorum everſionem, cujus causa est iniquitas & malignitas imperantium, ſpectat: q. d. *impii gubernatores ſua injuſtitia, tyrannide & crudelitate vaſtant totas nationes.*

*Et ideo deturbat eos quoque dominus de ſolio ſuo.*

CAPUT VI.

## CAPUT VI.

*Primum objurgat Reges & Magistratus, quod officium non faciant, sed potestate sua abutantur: Deinde vero hortatur eos ad amplectendam veram in Verbo Dei propositam Sapientiam, eamque egregie commendat.*

Vers. 1. MELIOR EST SAPIENTIA QVAM VIRES, ET VIR PRVDENS QVAM FORTIS] Non est in Græco. Sententia non mala est, sed præcedentibus & subsequentibus minus conveniens.

Vers. 2. AUDITE ERGO REGES ET INTELLIGITE, DISCITE JVDICES FINIVM TERRÆ] Quando Deus omnium, etiam regum & principum judex aliquando futurus est, videre quid agatis.

Vers. 4. DATA EST A DOMINO POTESTAS VOBIS] Rom. XIII. 1. Irenæus: *Cujus justa homines nascuntur, hujus justa & regni constituuntur, apti iis qui in illis temporibus ab ipsis regnantur.* Clemens: τὸν ἐκτιθέμενον φυλάττει, ἐπὶ δὲ, ὅτι κυρίως ἐστὶν ἡ χειροτονία.

*Quod Magistratus sunt*, inquit Chrysost. homil. XXIII. in Epist. ad Rom. XIII. *quod hi quidem imperant, isti vero parent, quod non simpliciter ac temere cuncta feruntur, nec populi fluctuum instar huc atque illuc circumaguntur, divinæ Sapientiæ opus esse dico.* Quo facit *Eusebii* dictum Eusebio l. IX. præpar. Evang. c. 1. laudatum: ὁ δίκαια δεῖ φερεγγυᾶσθαι τινὶ τὸ ἄρχειν.

Vers. 5. QVONIAM CVM ESSETIS MINISTRI REGNI ILLIVS] Rom. XIII. 4.

Vers. 7. EXIGVO ENIM CONCEDITVR MISERICORDIA] Et puta cui inopi & exuli legem discendi non fuit copia: Luc. XII. 48. ὁ δὲ μὴ γνοὺς ποήσας δὲ ἄξια πληγῶν, δαρήσεται ὀλίγας.

Imo oppositio fit non inter *ignoranter*, & *scienter* peccantes, sed inter *minores*, & *potentiores*: *omne* enim *animi vitium tanto conspectius in se, quanto qui peccat, major habetur*: vel inter humiles ex infirmitate quadam labentes, & magnates proterve potentia sua abutentes, & tyrannidem in inferiores exercentes, nec se corrigi patientes. *Ps. LXXIII. 6. seqq. Es. XXXIII. 1.*

POTENTES AVTEM POTENTER TORMENTA PATIENTVR] Lucæ dicto loco: παντὶ δὲ ᾧ ἐδόθη πολὺ, πολὺ ζητηθήσεται παρ' αὐτῷ.

Vers. 8. QVONIAM PVSILLUM ET MAGNUM IPSE FECIT] Intellige de formatione fœtus, ut supra I. 4. II. 23.

ET ÆQVALITER CURA EST ILLI DE OMNIBUS] id est, non distinguit curam suam pro sublimi aut humili vitæ statu, sed pro virtutibus & vitiis.

Vers. 9. VT DISCATIS SAPIENTIAM] Pietatem & optimos mores: Hæc enim Hebræis חָכְמָה & דֵּעָה & similibus nominibus appellantur. Optime. Illa enim præcipuo loco habenda, quæ ad finem præcipuum ducunt.

Vers. 10. QUI ENIM CUSTODIERINT JUSTIAM JUSTE JUDICABUNTUR] id est, qui & recta & recte, id est, pio animi proposito fecerint, ii ut justi à Deo tractabuntur. Est hic σύνδεσμος, quod alibi δικαιοῦσθαι.

Rectius alii: *Qui piam doctrinam sancte custodierint, seu observaverint, sancti reputabuntur, & qui eam probe didicerint, bene habebunt, atque subsistent.*

Vers. 13. CLARA EST ET QUÆ NUNQUAM MARCESCIT SAPIENTIA] Qui fructus de se edit æternos.

FACILE VIDETUR AB HIS QUI DILIGUNT EAM] Verissimum Joan. VII. 17. Deut. XXX. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Rom. X. 6. 7. 8. 9.

Vers. 14. PRÆOCCUPAT QUI SE CONCUPISCUNT] Basilius: μόνον δίδοται τοῖς ὅτοις σπουδαστά.

Vers. 16. COGITARE ERGO DE ILLA SENSUS EST CONSUMMATUS] Nulla est cupiditas justior.

Vers. 17. DIGNOS SEIPSA CIRCUIT QUÆRENS] Ultro se offert Prov. IX.

Vers. 20. CUSTODITIO AUTEM LEGUM CONSUMMATIO INCORRUPTIONIS EST] Id est summa pars puritatis humanæ ἀφθαρσίας enim hoc loco ad vitæ præsentis tempus optime referas, ut Ephes. VI. 4. Tit. II. 7. Exigunt id sequentia,

INCORRVPTIO AUTEM FACIT ESSE PROXIMUM DEO] 1. Joan. III. 1. 2.

Hæc ita recte B. Oliander: *Custoditio legum consummatio incorruptionis est*, id est, qui sequitur ductum Verbi Dei, is quam proxime ad perfectionem & innocentiam vitæ accedit, quanta quidem in hominem, qui adhuc in hoc seculo vivit, cadere potest: *incorruptio autem facit esse proximum Deo:* hic Deo charus est, & acceptus, atque dilectus Dei Filius, ac hæres vitæ æternæ, qui (juxta Verbi Dei præscriptum) ducit vitam innocentem.

Vers. 21. CONCUPISCENTIA IGITUR SAPIENTIÆ DEDUCIT AD REGNUM PERPETUUM] Illud perpetuum hic in Græco non est, sed recte est additum ex eo quod sequitur.

*Nescitis cupidi arcium*
*Regnum quo jaceat loco.*

Si vultis in æternum regnare, bene vivite, bene regnate.

*Pulchrum eminere est inter illustres viros,*
*Consulere patriæ, parcere afflictis, sera*
*Cede abstinere: tempus atque ira date,*
*Orbi quietem, sæculo pacem suo.*
*Hæc summa virtus, petitur hoc cælum via.*

Vers. 24. QVID EST AVTEM SAPIENTIA] Quæ ejus natura sit.

ET QVEMADMODVM FACTA] Vide ortum habeat, hoc est quod jam dicet, ab initio nativitatis.

Illud *ab initio nativitatis* rectius redditur ab *initio Creationis*. Dominus enim verbum suum statim a condito mundo revelavit.

REFERAM] Nempe duobus quæ sequuntur capitibus.

Vers. 25. NEQVE CVM INVIDIA TABESCENTE ITER HABEBO: QVONIAM TALIS HOMO NON ERIT PARTICEPS SAPIENTIÆ] Non amat Deus talentum defodientem. Matth. XXV. 25. 26.

Q. d. Non faciam, quod homines invidi solent, qui scientias ab aliis occultant ex mera invidia, ut ipsi soli sapere videantur. DEUS enim invidis dona sua, quæ tam habuerant, aufert, quando videlicet illis ad ipsius gloriam & proximi Salutem uti nolunt.

Vers. 26. MVLTITVDO AVTEM SAPIENTIUM SANITAS EST ORBIS TERRARVM] Salustius: *Ego ita comperio, omnia regna, civitates, nationes, neque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos Vera consilia valuerunt.*

ET REX SAPIENS STABILIMENTVM POPVLI EST] Id est, vere ἔμψυχος, ἔμπρακτος νόμος. quippe

*Rex dolet honesta, nemo non eadem dolet.*

-- ἀρετῶν δὲ μέλει ὑπ' ἀνδρῶν,

ait Homerus, postquam descripserat Regem ἀμύμονα καὶ θεοειδέα.

Ideo in Magistratibus diligendis requiritur *Deut. I. 13.* ut tales qui *Sapientes* sint, & *intelligentes* eligantur: & *timentes Deum*, Ex. XIIX. 21. Sine enim timore Domini nulla est vera Sapientia. *Ps. CXI. 10. Prov. I. 7. Eccl. I. 16.* Et Regibus commendatus est liber legis vel Scripturæ divinæ *Deut. XVII. 18. Conf. Ps. II. 10. 11. Ps. CXIX. 24. Decet, ô beate*, inquit Plato, *qui rebus maximis præsit, cum prudentia præditum esse maxima.*

---

*PARS II. DIDACTICA.*

*DE*

# ORIGINE SAPIENTIÆ.

## CAPUT VII.

*Autor (sub persona Salomonis) docet, quanti sit facienda vera Sapientia: & quod precibus eadem à Deo impetretur: ac commendat porro illam copiosius.*

Vers. 1. SUM QUIDEM ET EGO MORTALIS HOMO SIMILIS OMNIBUS.

ALiis fcilicet quoad mortalitatem, admiranda tamen donata Sapientia. Loquitur *in persona Salomonis*. Sed cave inde cum Papistis concludas autorem esse Salomonem. Prodidit enim seipsum *c. XV. 14.* cum de *inimicis populo suo dominantibus* egit: quales nullos fuisse tempore regni Salomonici notissimum est. Et quis ignorat, sæpe alienam personam induere autores: Salvianus ad Ecclesiam Catholicam scripsit sub nomine Timothei ratione hac reddita: *ne autoritatem salubrius scriptis personæ suæ parvitas derogaret, cum omnia dicta tanti æstimentur quanti qui dixit. Intererit multum*, ait Horatius, *servumne loquatur an herus.* Philo principes monere voluit. Videtur ergo Salomonem loquentem voluisse ideo introducere, ut majorem autoritatem conciliaret, utpote qui & Rex fuit, & Sapientiæ nomine celebratissimus.

Vers. 1od.

ET EX GENERE TERRENO ILLIVS QVI PRIVS FACTVS EST] Puto scripsisse interpretem, *qui primus factus est*: πρωτοπλάστ. Græcus autem voce γηγενὴς expressit originem terreni Adami, nam אדם est terra. Sic Latinis homo ab humo.

*Q. d. Originem duco a primo mortalium parente, neque Sapientiam illam meam à natura, sed ex dono cælesti habeo.*

Vers. 2.

ET IN VENTRE MATRIS FIGVRATVS SVM] ἐν κοιλίᾳ μητρὸς ἐπλάσθην, effigiatus sum. κατεπλάσθη liceat dicere cum Jerem. I. 5. nam & Galenus vim illam fœtus formatricem διαπλαστικὴν vocat. Uterum Macrobius vocat, formandi hominis moneram.

DECEM MENSIVM TEMPORE] Sic Virgilius: *Matri longa decem tulerunt fastidia menses.* Vbi Servius: *Matres decimo nascuntur menses, fœmina nono.* nempe ἐπὶ τὸ πλεῖον.

COAGVLATVS SVM IN SANGVINE] Vox valde efficax, παγεὶς ἐν αἵματι ex materno sanguine sc. Job. X. 10. eodem verbo utitur: ἔπηξάς δὲ με ὥσπερ τυρόν: & Plinius coaguli vocabulo in re eadem. Locum ejus ad illa Jobi adduximus.

EX SEMINE HOMINIS] ἐκ μιᾶς βασιλ. utest in Græco Epigrammate.

ET DELECTAMENTO SOMNI CONVENIENTE] καὶ ὕδατος ὕπνου συμπλοκῇ. Explicatio est ejus quod præcessit. Somnus hic sumitur ut supra IV. 6.

Vers. 3. ET EGO NATVS ACCEPI COMMVNEM AEREM] In Græco: κἀγὼ δὲ γενόμενος ἴσον ἅπασι κοινὸν ἠέρα πέπνυμαι. Philemon.

Σὺ γάρ τις εἶ σὺ, εἴτε μοι παίζεις τίς,
Σὺ λαλεῖς ἐν ἀνθρώποισι ἢ κενὸς φθόγγος εἶ,
Τὸ δ' ὅλον περιπατεῖς, ἢ τοῦ αὐτοῦ πέπνυμαι
Ἐτέοις συνιέναι;

ET IN SIMILITER FACTAM DECIDI TERRAM] Papinius:

*-- tellure cadentem*
*Excepi.*

ET PRIMAM VOCEM SIMILEM OMNIBVS EMISI PLORANS] διακριθὲν γενέσιμον.

Vers. 4. IN INVOLVMENTIS NVTRITVS SVM] ἐν σπαργάνοις. fasciis, vide Luc. II. 7.

Vers. 5. NEMO ENIM EX REGIBVS ALIVD HABVIT NATIVITATIS INITIVM] Id est, nec regibus quidem. Paria sunt initia & fines.

Vers. 7. SPIRITVS SAPIENTIÆ] Vide I. 5. Sapientiæ nomine hic pietatem maxime intelligi.

Vers. 8. ET PRÆPOSVI ILLAM REGIBVS ET SEDIBVS, ET DIVITIAS NIHIL ESSE DVXI IN COMPARATIONE ILLIVS: NEC COMPARAVI ILLI LAPIDEM PRETIOSVM: QVONIAM OMNE AVRVM IN COMPARATIONE ILLIVS ARENA EST EXIGVA, ET TANQVAM LVTVM ÆSTIMABITVR ARGENTVM IN CONSPECTV ILLIVS] Similia habes Prov. VIII. 10, 11. Poeta vetus:

Οὐκ ἐστὶ σοφίας κρεῖσσα τιμιώτερον.

Alter.

Σοφία δὲ πλοῦτε κτῆμα τιμιώτερον.

Adde quæ Matth. XIII. 44. 45. & illud Senecæ:

*Mens regnum bona possidet.*

Vers. 20. SVPER SALVTEM] Sanitatem, ὑγίειαν,

--- πρὸ γὰρ εὐφροσύνης ὑγιείη,
Κρεῖσσον τὸ δ' ἐσθλαστερῷ ὁρμηθῆναι.

ait Euripides. Et alius:

Βέλτιόν ἐστι σῶμα γ' ἢ ψυχὴν νοσεῖν.

QVONIAM INEXTINGVIBILE EST NOMEN ILLIVS] Sophocles:

Ἀρετὴν βέβαιον δ' ἐσθλὸς ὢν κτήσοις μόνος.

Euripides:

Ἀ δὲ ἀρετὰ πρὸ θανόντι λάμπει.

Et alibi:

Ἀρετὴ δὲ κἂν ἀποθάνῃς σε ἀπόλυτος.

Vers. 11. ET INNVMERABILIS HONESTAS PER MANVS ILLIVS] Solet hic interpres πλοῦτον vertere verbo honestatis. Pietas Evangelica promissa non habet divitiarum: evenit tamen ut eam sequatur hominum benevolentia, & inde opes non modicæ.

Cur non habeat promissa necessarium divitiarum? quum regnum Dei quærentibus cætera omnia adjicienda sint? *Matth. VI. 33.* Adde *1. Tim. IV. 8.* & confer Matth. XXVII. 57. Luc. XIX. 2. Divitiæ ut impedimenta sunt improbis, ita adjumenta virtutum sunt piis. Dicente Ambrosio l. IIX. in Luc. XIIX.

Vers. 12. ET IGNORABAM QVONIAM HORVM OMNIVM MATER EST] Tanta bona nec speraveram, nec optaveram.

Vers. 14. PARTICIPES FACTI SVNT AMICITIÆ DEI] In Græco: πρὸς θεὸς ἐσπλάντο φιλίαν, *contraxerunt amicitiam.*

Vers. 15. PRÆSVMERE DIGNA HORVM QVÆ MIHI DANTVR] ἐνθυμεῖσθαι, cogitare.

ET SAPIENTIVM EMENDATOR] Qui etiam Sapientissimos multa, quotidie docet.

Vers. 16. IN MANV ENIM ILLIVS ET NOS ET SERMONES NOSTRI, ET OMNIS SAPIENTIA] Potest nobis ubi vult & sermonis & mentis usum adimere.

Vers. 17. VT SCIAM DISPOSITIONEM ORBIS TERRARVM] Doctrinam בראשית.

ET VIRTVTES ELEMENTORVM] Aquæ & terræ & lucis. Ex aqua enim aer & cœlum, aves & pisces: ex terra, fata, arbores, animantia: ex luce astra.

Vers. 18. INITIVM ET CONSVMMATIONEM ET MEDIETATEM TEMPORVM] Initium, autumnus: consummatio, æstas: media, hyems & ver.

VICISSITVDINEM PERMVTATIONES, ET CONSVMMATIONES TEMPORVM] Legit non τρόπων ἀλλαγὰς, sed τροπῶν, τροπαὶ sunt temporum cardines, æquinoctia & solstitia.

Vers. 19. ANNI CVRSVS] Quomodo cum Solis cursu luna cursus æquandus sit. Magna pars studii eorum, qui in Synedrio erant.

STELLARVM DISPOSITIONES] Septem quæ vaga dicuntur sidera, significata per septem Templi lampadas: & deinde τῶν ἀπλανῶν significata per cæteras lychni partes.

Vers. 20. NATVRAS ANIMALIVM] Animantium generationem, partes, earumque usum, egregia divinæ Sapientiæ documenta.

ET IRAS BESTIARVM] θυμὸς θηρίων, id est, quosvis affectus. Ita enim θυμὸς sæpe sumunt Iudæi Hellenistæ.

VIM VENTORVM] Vt peltitentiam Euri illis locis: Austri vehementiam.

ET COGITATIONES HOMINVM] Semina, ἐνθυμήσεις καὶ διαλογισμούς. Sic Ulysses:

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

DIFFERENTIAM VIRGVLTORVM] In Græco: φυτῶν, quo nomine arbores & frutices intelliguntur, a cedro ad hyssopum, id est, a maximis ad infima.

ET VIRTVTES RADICVM] Herbarum vim medicam. Radicum enim nomen Hebræi etiam de herbis usurpant.

Vers. 21. OMNIVM ENIM ARTIFEX DOCVIT ME SAPIENTIA] Sapientiam intelligit eam quæ contingit hominibus, Dei munere, omnium artium repertricem: sed ut dixi, in Sapientia præcipue pietatem comprehendit; cætera ei velut ornamentum accedunt. Ideo postquam dixit:

Vers. 22. EST ENIM IN ILLA SPIRITVS INTELLIGENTIÆ] πνεῦμα νοερὸν, vis intelligens: addit ἅγιον.

VNICVS, MVLTIPLEX] μονογενὲς, πολυμερές. Vnum ortum habens à Deo; sed late diffusa.

Vers. 23.

OMNEM HABENS VIRTVTEM] παντοδύναμον, quod intelligendum pro humanæ capacitatis modo.

ET

ET QUI CAPIAT OMNES SPIRITUS: INTELLIGIBILIS, MUNDUS, SUBTILIS] legitur Græco τὸ νοερὸν, καθαρὸν, λεπτότατον, tibi nos habemus τὸ νοερὸν, καθαρὸν, λεπτότατον, melius, ni fallor, ut sensus sit, non tantum res visui subjectas, sed & Angelos à sapientibus, humano tamen modo, cognosci.

Vers. 24. PROPTER SUAM MUNDITIAM] Puritate sua: mentis enim, cujus perfectio est Sapientia, ea est natura, quæ ab omni concretione terrena absit longissime. ἀμιγὴς, ut ait Aristoteles.

Vers. 25. VAPOR EST ENIM VIRTUTIS DEI] Ita à Deo venit, ut fumus bene olens ab aromatibus templi. Vapor אֵדִי, עֵין, Levit. XVI, 17. Ezech. VIII. 11.

EMANATIO QUÆDAM EST CLARITATIS OMNIPOTENTIS DEI SINCERA] ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης. Hebræi dicunt; צַחַח כְּבוֹד, ut rivus à fluvio.

Vers. 26. CANDOR EST ENIM LUCIS ÆTERNÆ] In Græco: ἀπαύγασμα, id est, quasi παράθημα. Hanc vocem sensu eminentissimo de Christo usurpat divinus ad Hebræos scriptor I, 3. Philo de somniis: καθάπερ γὰρ τὸν αὐτόπλιον αὐγὴ οἱ ἥλιοι, οἱ μὲ δυνάμενοι τὸν ἥλιον αὐτὸν ἰδεῖν ὄψεσι, καὶ τὰς περὶ αὐτὸν ἀστραπὰς ἀδιαίρετους, οἱς αὐτὸς ἐκόσμησεν, ὅταν καὶ τὸν τῶν ὅλων ἐκκοπὰ, τὸν ἄγγελον αὐτοῦ λόγον, ὡς αὐτὸν κατανοήσουν.

ET SPECULUM SINE MACULA DEI MAJESTATIS] ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον vocat speculum non mentiens, qualia sunt plana, non media depressa, non elata, non aversa, non obliqua. Vide Plinium XXXII. 9. καλὸς est quodvis virium.

ET IMAGO BONITATIS ILLIUS] Hoc quoque nomen sublimissimo sensu Christo tribuit Paulus II. Cor. IV. 4. I. Colossi. I. 15. Philo περὶ μυστηρίων λέγων θεὸν εἶναι κόσμου ὅλου, ὃν ἄνθρωπος ὁ λόγος ἐδημιούργησε.

Vers. 27. ET CUM SIT UNA OMNIA POTEST] Unum ἐνεργῶν est mens, omnia δυνάμει.

ET IN SE PERMANENS OMNIA INNOVAT] Veritatis æternæ semper eædem sunt, sed diversis rebus applicantur: ἐκ τοῦ καθ' ἕκα πρὸς τὸ κατὰ μέρος.

ET PER NATIONES IN ANIMAS SANCTAS SE TRANSFERT] κατὰ γενεὰς, id est, per ætates diversas.

AMICOS DEI ET PROPHETAS CONSTITUIT] Raro sub veteri fœdere prophetiæ donum contingebat, nisi iis, qui divinis בְּרִית, id est, τοῖς φοβουμένοις, & id סֹדִי, id est, τοῖς μετὰ τὰ φυτικὰ essent instituti; cui rei serviebant Prophetarum Scholæ. Ideo quod de Amoso evenit mirum erat, & quædam Evangelicæ gratiæ anticipatio.

Vers. 30. SAPIENTIAM AUTEM NON VINCIT MALITIA] κακία, id est, res adversæ, ut Matth. VI. 24. Adversa nosti, cujus præcessit mentio, comparantur. Est Sapientia δεύτερος φιλόδικος, ut loquitur Pindarus.

*De quanam Sapientia, de quo Spiritu hic agatur?*

Explicant hæc Papistæ *Tirinus, Menochius*, & alii de *Sapientia*, prout *abstrahit à creata*, ut loquuntur, *& increata*. Quod v. 22. dicitur, *est in Sapientia Spiritus intelligentiæ* sanctus, (Gr. intelligens) *unicus* (Gr. unigenitus) *hoc proprium*, inquit Tirinus, *videtur increatæ Sapientiæ seu Filio Dei in divinis, cui jam incarnato* S. Ambrosius l. de incarn. sacr. c. X. Augustinus I. IV. de Trinit. cap. 20. *& alii veteres patres hæc & sequencomia contra Arianos appropriant. Sed ut alibi dixi* (Initio 1. cap. Proverb.) *Sapientia hic in libris generaliter fere sumitur ut communis est creatæ, & increatæ: quædam tamen magis propriè sint in creata, quam creatæ, v. g. omnem habere virtutem*, Græce esse omnipotentem, *OMNES capere Spiritus*, Græce permeare, seu penetrare omnes Spiritus, *puta angelicos, & humanos, quia creavit, & conservat in suo esse*; Sed si prædicata quædam de Sapientia *increata* hypostatica, Dei Filio sonant, quædam de *Verbo Dei* πρεφορικῶς, (quod non satis commode creatum dicitur) vel *Sapientia* ibi *revelata*, qui fit, quod unum subjectum tantum hic reperiatur, de quo *tam diversa prædicata efferuntur?* Certe *abstractiva* illa & *formalis* significatio locum non habet, ubi determinatio fit à *prædicatis* ad certam *materialem* significationem: Neq; possunt *abstractivæ* voces in *defectu ad specialia significatum copulative* conjungi, h. m. Sapientia est increata, & habet attributa Deo propria, eademque creata etiam est: uti Tirinus vult: sed *disjunctive* illa efferenda essent, h. m. Sapientia vel increata est, vel creata: uti non possum dicere, *animal est irrationale, idemq; enim rationale est*, sed h. m. *animal aliud est rationale, aliud irrationale*. Hic autem autor mere *copulativo* sensu effert omnia. Quod quum videat Tirinus, solicitus est, quomodo ista *sensu commodo Sapientiæ*, quam ita vocat, *creatæ* applicentur, si nempe dicatur *omnia in rebus humanis posse, omnes indoles & propensiones penetrare*. Quæ etiam de Sapientia revelata, quam è verbo Dei habemus, Grotius expositi. Præstare tamen videtur explicatio aliorum qua de Sapientia *hypostatica à Filio Dei*, in qua est Spiritus ille intelligentiæ h. e. Spiritus S. quem variis Epithetis describit autor, hic locus accipitur: sic tamen ut illa, de *Spiritu*, quod sit *omnipotens, omnia prospiciens, capiens seu* observans & dijudicans *omnes Spiritus*, non de Sapientia hic intelligantur, sed de *Spiritu Sancto*, prout aperte discriminantur *Sapientia, in qua Spiritus est*, & ipse *Spiritus*, qui in Sapientia est: quæ deinceps describitur, quod sit *vapor virtutis Dei, & ἀπαύγασμα lucis æternæ &c.* Quo pacto *Bonaventuram, Cantacuzenum, Hugonem, Lyranum, Olcott* (lect. XCI.) *Carthusianum*, ut & S. *Ambrosium* l. III. de S. S. cap. 19. ista de S. S. tertia in Trinitate persona accipere Tirinus ipse observat. *Cum enim cum veteribus omnibus*, ut is habet h. l. *per Sapientiam intelligant Filium, & recte, dicunt consequenter in Filio esse, & à Filio procedere Spiritum intelligentiæ &c.* Ita ad v. 25. *Vapor*, inquit, *est virtutis, seu potentia generativa*, (Filius Dei) *respectu Patris cælestis, quia instar vaporis est respectu aquæ, unde evaporat, id est, est Patri consubstantialis*, ubi tamen *B. Ostander*, & ex eo *B. Gerhardus* in Exeg. de Script. S. §. 21. observat, *loqui autorem de Sapientia Dei hic &* in cap. seq. IX. *ad eum modum, ut quadam ad Filium Dei, qui est æternum Dei Verbum, per quod omnia creata sunt, quædam vero ad verbum ministeriale referri queant: eamque diversarum rerum commixtionem ostendere hunc librum non esse in Canonicis Scriptis*. Quæ proinde hactenus solum probanda quatenus Canonicis scriptis consonant, vel ad sensum sanum revocanda sunt.

Quæ de dono Prophetiæ sub veteri fœdere dato ad v. 27. Grotius, Rabbinica Judæorum nugamenta sunt, omni fundamento destituta.

## CAPUT VIII.

*Commendat ulterius autor (in persona Salomonis) Sapientiam Verbi Dei, & hortatur, ut eam cupide amplectamur: Eandem autem à Deo impetrari docet.*

Vers. 1.

ATTINGIT ERGO A FINE AD FINEM FORTITER, ET DISPONIT OMNIA SUAVITER] Bene cohæret cum præcedentibus: quia adversis non mutatur, ideo constanter ab initio ad finem usque se sustinet, omniaque sua utiliter ordinat. Id enim est χρηστῶς.

RECtius hæc conveniunt Sapientiæ hypostaticæ, nec de Sapientiæ hominis constantia, sed de Filii Dei divina, suaviqi providentia agunt, quæ se à fine mundi uno ad alterum porrigit, & omnia utiliter disponit. *Bernhardus* l. de grat. & lib. arb. & serm. de VII. don. S. S. *à summo cælo usque ad infimas partes terræ; à summo angelo usque ad infimum vermiculum, ab ortu creaturæ usque ad finem ejusdem*

Vers. 2. HANC AMAVI] ut φιλεσοφῶν.

Imo ut φιλοθεάλογος vel potius χριστόφιλος, quia Sapientia illa est Christus. Conf. Prov. IIX.

ET

ET QUÆSIVI SPONSAM MIHI EAM ASSUMERE ET AMATOR FACTUS SUM FORMÆ ILLIUS] Simile illud Aristotelis in hymno virtutis:

Σὰς περὶ παρθένε μορφὰς
Καλὸν Ἕλλησι ζηλωτὸς ἐν Ἕλλασι πόνος.

Vers. 3. GENEROSITATEM ILLIUS GLORIFICAT, CONTUBERNIUM HABENS DEI] In Græco: εὐγένειαν δοξάζει συναύλιον θεὸς ἔχουσα. *Nobilitatem* (hominis) *decorat, quippe cum Deo conviviens.*

DOCTRIX ENIM EST DEI DISCIPLINÆ ET ELECTRIX OPERUM ILLIUS] In Græco: μύστις γάρ ἐστι τῆς θεοῦ ἐπιστήμης καὶ αἱρετὶς τῶν ἔργων αὐτοῦ. *Initiatrix enim est arcanis divinæ scientiæ, & fidatrix est operum Dei.* Vox illa μύστις, cujus & masculinum infra habebimus, ostendit hujus libri interpretem fuisse non imperitum elegantiæ Græcæ.

Vers. 5. QUID SAPIENTIA LOCUPLETIUS] Vide supra VII. 8. 9.

QUÆ OPERATUR OMNIA] Supra VII. 21.

Vers. 6.

SI AUTEM SENSUS OPERATUR, QUIS HORUM, QUÆ SUNT MAGIS EST QUAM ILLA ARTIFEX? ] *Quod si prudentia* (φρόνησις, idem significans quod σοφία) *operatur* (omnia nempe, quod præcessit) *quis inter omnes artifices illa major?* Cæteri singulas artes callent: ab illa artes sunt omnes.

Vers. 7. LABORES HUJUS MAGNAS HABENT VIRTUTES] *Virtutes eundæ sunt effectæ hujus*, nempe Sapientiæ. Vera enim Sapientia, cujus præcipua pars est Dei hominisque cognitio, omnes ex se virtutes gignit, quarum generalissimæ, & ad quas cæteræ ἀναλόγως referri possunt, sunt prudentia in consiliis capiendis, fortitudo circa pericula, temperantia circa voluptates, justitia in Societate.

Vers. 8. ET SI MULTITUDINEM SCIENTIÆ DESIDERAT QUIS] Bene ad sensum vertit; nam Græcum πολυπειρία latius hic sumitur, quam fert origo vocis, ut ostendunt sequentia.

SCIT PRÆTERITA ET DE FUTURIS ÆSTIMAT] Euripides:

τὰ θεῖα γὰρ
τάδ' οὐκ ἐκεῖ μάθοντα πάντ' ἐπίσταται.

In Græco pro præterita est ἀρχαῖα. Sic Homerus:

παλαιά τε πολλά τε ἰδυῖα.

Ennius:

*Multa tenens, antiqua, sepulta, vetusta.*

SCIT VERSUTIAS SERMONUM] ἐφευρέσεις, id est, τὰς ὑπαγωγάς.

ET DISSOLUTIONES ARGUMENTORUM] λύσεις ἐπιχειρημάτων, id est, Sophisticarum argumentationum: τὰ διαλεκτικά.

*Osiander* hæc de *Sapientia Verbi Dei* explicat pleraque. Sapientia enim in verbo Dei revelata vera, & solidas, minimeque fucatas virtutes docet, & in iis rebus elaborare jubet, quæ veris laudibus dignæ sunt: *sobrietatem* nempe vel potius *temperantiam, & prudentiam, & justitiam, & virtutem*, cujus *fortitudinem*, quæ sunt quatuor virtutes cardinales. *(Etsi enim vera pietas non absolvitur his quatuor virtutibus sed plura requiruntur (ut dilectio Dei, patientia sub cruce) de quibus homines Ethnici aut nihil norant, aut diversum sentiebant [ut de vindicta privata] tamen in prædictis virtutibus sectandis, non decet hominem Christianum ethnico esse deteriorem.* Et, si multitudinem scientiæ desiderat quis: scit præterita & de futuris æstimat, i. e. *Sapientia docet, quomodo Dominus ab initio Ecclesiam gubernaverit atque conservaverit, & ex iis, quæ jam evenerunt, etiam de futuris judicare possit. Sacræ enim literæ, dum gubernationem Dei in rebus præteritis docent, etiam de eventuris rebus conjecturas minime fallaces nobis monstrant.*) Scit *autem Sapientia etiam* versutias sermonum & dissolutiones argumentorum: *novit ænigmata & mysteria in rebus divinis proposita explicare. (Quæ enim in uno Scripturæ loco obscurius dicuntur, in altero clarius explicantur. Et quæ hominibus in Scriptura male exercitatis mera ænigmata videntur, ea homini pio, & Scripturam scienti plana & intellectu facilia sunt.)* Hactenus *Osiander*. Interim non abs re nonnulli *paganam illam virtutum distinctionem* norant: è qua *Spanhemius* inter alia Philonem libri autorem esse colligit disp. Theol. part. II. p. 274.

Vers. eod. SIGNA ET MONSTRA SCIT ANTEQUAM FIANT] Prædicit deliquia Solis & Lunæ, quæ homines pro portentis habent.

ET EVENTUS TEMPORUM ET SÆCULORUM] Terræ motus, pestilentiam, sterilitatem ex siderum positu.

Vers. 9.

ET ERIT ALLOCUTIO COGITATIONIS ET TÆDII MEI] παράκλησις φρονήσεως καὶ λύπης. Allocutio, id est, solatium, quomodo alloquia etiam Horatius dixit.

Vers. 11. ET ACUTUS INVENIAR IN JUDICIO] Bene hoc dictum in persona Salomonis. Vide 1. Reg. III. 16.

Vers. 12.

TACENTEM ME SUSTINEBUNT] id est expectabunt, περιμενοῦσι.

*Conticuêre omnes, intentique ora tenebant.*

Vide his similia Jobi XXIX. 9. & sequentibus.

Osiandri hæc est paraphrasis: id est: *notum est hominibus piis, ex illa divina Sapientia, quæ prodigia eventura sint, & quid significent, & quales eventus posteà sint consecuturi. Est enim non hoc ethnicorum more prodigia superstitiose observanda & interpretanda sunt; tamen ea non prorsus sunt contemnenda. Secundum verbum Dei autem judicemus, quod sint signa appropinquantis diei novissimi. Juxta illud, His fieri incipientibus respicite & levate capita vestra: quoniam appropinquat redemtio vestra, Luc. 12.*

Vers. 13. PRÆTEREA HABEO PER HANC IMMORTALITATEM] Deo dante. Vide infra 17.

Vers. 15. TIMEBUNT ME AUDIENTES REGES HORRENDI] In Græco: τύραννοι φρικτοὶ, nempe Syri, Palæstini, Amalecitæ, qui omnes Salomonis tempore nihil ausi movere.

IN MULTITUDINE VIDEBOR BONUS, ET IN BELLO FORTIS] *In multitudine* ἐν πλήθει, id est, in publicis conventibus. Sensus idem qui in illo versu Homerico.

Ἀμφότεροι βουλεύειν τ' ἀγορεύειν, κρατερός τ' αἰχμητὴς.

Vers. 19. PUER AUTEM ERAM INGENIOSUS] Bonæ indolis, εὐφυὴς.

ET SORTITUS SUM ANIMAM BONAM] Ex sententia eorum, qui animas dari putant in ipso conceptu.

Vers. 20.

ET CUM ESSEM MAGIS BONUS, VENI AD CORPUS COINQUINATUM] μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν ἐλθὼν εἰς σῶμα ἀμίαντον, μᾶλλον δὲ ἐπὶ νοτᾷ ἐπιπολῆς σποδοῦ. Cogitemus an hoc velit dicere: Si vera est sententia, περὶ τῆς προϋπάρξεως τῶν ψυχῶν (multi enim Hebræi eam sententiam hauserant, ut diximus Joan. IX. 2.) cum essem ego bonus, (nam Hebræis nonnullis, ut & Pythagoricis animus est homo totus, corpus nihil nisi σκεῦος) corpus mihi affingnatum est optimæ κράσεως, sine notabili vitio naturali. Panegyricus dictus Theodosio Imperatori: *Sive enim divinus ille animus venturus in corpus dignum prius metatur hospitium sive cum venerit, fingit habitaculum pro habitu suo.* Hanc sententiam περὶ τῆς τῶν ψυχῶν προϋπάρξεως, Synesius ne Episcopus quidem factus deposuit, ut ex epistolis ejus apparet. Augustinus suas hac de re dubitationes explicat libro primo & quarto de libero arbitrio, & epistola CXX.

Quicquid de mente Synesii sit, hanc sententiam Autori hæsisse, non necessum est, ut dicamus. Osiander ita hic habet: Et cum essem magis bonus, *rectius; cum bene educatus essem*: veni ad corpus coinquinatum: id est, *conservavi corpus meum ab inquinatione scelerum. (Hæc verba non docent, quod anima (qualis hodie post lapsum Ade propagatur) sit bona aut pura, & quod homines vivere queant sine omni prorsus inquinatione peccati. Sed hoc dicere voluit autor: Esse in animis hominum quandam virtutum semina, quæ bona educatione excitari possint, & quod bona educatio plurimum possit, ne homines (præsertim adolescentes & juvenes) flagitiis atq; sceleribus contaminentur:*

quæ

*qua in re plurimum quidem peccant parentes, qui liberos suos nec bene educant, nec de bonis præceptoribus illis prosiciunt. Secus fecit David Rex & Propheta: qui filium suum Salomonem tradidit Prophetæ Nathan educandum, 2. Sam. XII. cap. Ofiandr.* εὐσφωνε habet Tirinus: *mihi ex hac sententia hauriri posse, quod saveat errori Origenis animas ante corpora præexitisse, has bonas, illas malas, apud* Auguſt. l. VII. in Gen. c. 17. *quia Salomon hic supponit se fuisse* ingenioſum, *Græce* bene natum, ſeu natura optima præditum, *imo in virtute parum profecisse, at tum demum se eo devenisse, ut corpus haberet mundum, nempe ad id opitulante tum idolo innata, tum vigilantia, & institutione piissimorum parentum, & pædagogi sui Nathan Prophetæ.* Sic & *Castrius* & *Lorinus* in h. l. ubi etiam docent ex hoc loco colligi non poſſe, nec conſentaneum eſſe, quod *Lombardus* & *Bonaventura* in 2. diſt. 31. tradunt, *animam unam in se, & secundum se esse aliam perfectiorem substantialiter, intra latitudinem tamen ejusdem speciei per solas differentias individuales.* Nam diverſitas indolis & ingenii non arguit niſi organa corporea melius, aut deterius affecta.

Verſ. 21.

ET UT SCIVI QUONIAM ALITER NON POSSEM ESSE CONTINENS, NISI DEUS DET ] In Græco: γνῶς δὲ ὅτι ἐκ ἄλλου τινὸς ἐγκρατὴς, εἰμὴ ὁ θεὸς δῷ. *Cum scirem me non aliter compotem posse fieri,* (nempe Sapientiæ, de qua ſupra actum eſt) *quam Deo munere.* ἐγκρατὴς hoc ipſo ſenſu ſumitur Sirachidæ VI. 28. & XV. 1.

ET DEPRECATUS SUM ILLUM ] Nempe illis verbis, qui potius eo ſenſu qui exhibetur capitibus jam ſequuturis, in quibus egregiæ ad Deum preces ſimul cum Dei laudibus piisque meditationibus peruriliter miſcentur. Et vel ob hoc multum iis debemus, qui nobis hunc librum conſervarunt.

## CAPUT IX.

*Introducitur Salomo orans pro Sapientia adipiscenda, eaque oratione docetur, quantopere necessaria sit Gubernatori Sapientia.*

Verſ. 1. DEUS PATRUM MEORUM.

ORationem hanc pro obtinenda Sapientia usque ad finem libri protendi *Tirinus* cenſet: Cur ergo idem Jeſuita in hoc cap. IX. partem ſecundam libri finit, & in cap. X. tertiam partem incipit? *Jacobus Salianus* cum aliis quibusdam eandem eſſe orationem hanc putat cum ea quæ *Salomoni* tribuitur *1. Reg. III. 9. & ſeqq.* Sed diverſitas ex ipſa collatione patet. Neque vero ad illam in *1. Reg. III.* pertinet pericope de *ædificando templo*: ut alia taceam. Cæterum autor etſi hic ſe *Salomonem* fingat, parum ſui memor fuiſſe videtur, nec tueri ſchema ſuum, quam ea ingerat, quæ arguunt eundem Salomone aliquot ad minimum ſeculis inferiorem eſſe, ac recentiorem: utpote cum meminit ἀθλητῶν, ἀγώνων, & ἐπιφανοφορείας, quæ longe poſt tempora Salomonis demum inter Græcos in uſu eſſe ceperunt.

Verſ. eod. QUI FECISTI OMNIA VERBO TUO] Gen. I. 3. & ſeqq. Pſ. XXXIII. 9. Joh. I. 3.

De verbo hypoſtatico hoc accipiendum eſſe ex illorum dictorum collatione patet.

Verſ. 2. UT DOMINARETUR CREATURÆ QUÆ A TE FACTA EST] Gen. I. 28.

Hoc Dominium conveniebat homini in ſtatu integritatis, quo de T. IV. Syſt. Theol. aſſatim actum.

Verſ. 4.

DA MIHI SEDIUM TUARUM ASSISTRICEM SAPIENTIAM] Scripſit puto *Aſſiſtricem*, παρεδρον. Latine potuit dicere aſſeſſorem: nam ejus ſoni verbalia etiam feminino aptantur generi, ut dea ſponſor apud Ovidium. Sæpe pii Scriptores de ſapientia loquuntur ita generaliter ut & divinam & humanam ſub eodem nomine comprehendant. Vide Prov. VIII.

Nuſpiam ſcriptores *Canonici* confundunt Sapientiam *divinam & humanam*, utpote quæ maxime diſtinguuntur. *Prov. VIII.* de Sapientia *hypoſtatica* ſermonem eſſe in autor. adſtum locum monuimus.

NOLI ME REPROBARE A PUERIS TUIS] Noli me excludere ex eorum numero, quos tu doces, atque inſtituis.

Verſ. 5. FILIUS ANCILLÆ TUÆ] Pſ. LXXXVI. 16.

Verſ. 7. ALTARE, SIMILITUDINEM TABERNACULI SANCTI TUI, QUOD PRÆPARASTI AB INITIO] Deeſt δ. Vult enim à Salomone ſtructum & *altare*, & *ſanctum ſanctorum*, quod imago eſt cœli illius inconſpicui ut interpretatur Scriptor ad Hebræos IIX. 5. Philo de vita Moſis: τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἅπερ ἐστὶ τυπικὴ ἀπεικὼ νοητῶν. Joſeph. III. 6. τὸ μὲν γὰρ τρίτον ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ τῶν ἁγίων ὁ ἀρχιερεὺς εἰσῄει μόνος, ἐκ ἐξὸν ἦν τοῖς ἄλλοις εἰσιέναι τοῦτο δὲ ἐκάλουν ἅγια ἁγίων. Præparaſti, nempe pris, ut Matth. XXV. 34. Ebr. XI. 10.

Ita juvari poſſet autor: non item prout alii comuniter explicant de *templo Salomonico* ſimilitudinem tabernaculi Moſaici referente. Non enim ad *formam tabernaculi fœderis* ſub eductionem ex Ægypto præparati, adornatum fuit templum Salomonicum. Oſiander conjectat aliudi ſorte ad tabernaculum, quod Dominus Moſi in monte oſtendit, priusquam materiale tabernaculum exſtrueretur Exod. XXV. Ebr. IIX. Sed non deſignatur hic ſimilitudo tabernaculi Moſaici cujus prototypon in monte Moſi monſtratum, ſed ſermo eſt de templo vel potius ſancto ſanctorum in templo. Ideo præferenda Interpretatio Grotiana.

Verſ. 9.

ET TECUM SAPIENTIA TUA] Prov. IIX. 30. 1. Joh. I. 1. ubi dicta vide.

Dicta illa de Filio DEI agunt: Locus certe *Joh. I. 1. de verbo, quod caro factum est* loquitur: Cui ſi parallelus eſt proverbiorum locus, aliter quam de Sapientia hypoſtatica explicari non poteſt: quem tamen cum Ebræis quibusdam longe aliter ibi expoſuit Grotius. Ita ſibi conſtat in ἑρμηνεύσει S. literarum. In præſenti loco *Sapientiam hypoſtaticam* itidem intelligat, neceſſum eſt, quum loca de eadem agentia conferat, & locum imprimis Johanneum de Chriſto parallelum noſtro faciat. Alii tamen plerique de Sapientia nobis cum communicata accipiunt, quæ per proſopopœiam introducatur: Etſi nonnulli ſtuctuent, nonnulli autorem hic iterum Sapientiam hypoſtaticam cum verbi divini Sapientia, quam nobis donat & communicat Deus, confundere credant. Cæterum non eſt nobis dubium, quæ *hic ſequuntur usque ad finem capitis decimi & initium undecimi v. 1. 2. 3.* ubi de Sapientia agere ceſſat, & Deum Patrem compellat, adeoque ita orationem ſuam continuat, de Sapientia hypoſtatica dextre explicari poſſe omnia. Et annuere videtur *Tirinus* ad verſ. 19. Nam uti antea tributum illi fuit opus creationis, ubi & per *verbum*, per quod creata ſunt omnia, & per *Sapientiam* per quam homo conditus eſt v. 1. & 2. Filium Dei intelligi poſſe non diffitetur *Grotius*, ita nunc cum Patre *ſemper eſſe* dicitur, quemadmodum Johannes de *verbo* ait, *quod fuerit* ab æterno *apud Deum* c. I. 1. & *novisse omnia opera DEI, & adfuisse tunc cum orbem terrarum faceret* (quod pariter Salomo de Sapientia *hypoſtatica* affirmat c. IIX. 29.) & miſſio illa Sapientiæ absq; proſopopœia proprie quia nulla cogit neceſſitas, rectius accipitur de *hypoſtatica Sapientia: Mitti* enim perſonæ eſt, adde quod mitti dicatur, *ut no-*

*Prov. IIX. 30.*

*De Sapientia hypoſtatica hoc accipienda eſſe, docetur.*

*nobiscum sit, & nobiscum laboret*, quæ itidem personæ sunt. Porro tribuitur Sapientiæ opus *Salvationis* v. 19. seqq. cap. X. quo de *Tirinus*: quod PER SAPIENTIAM SANATI SUNT homines; Græce *Conservati*, seu *salvati salute non modo corporali, sed & spirituali. Christus enim æterna Patris Sapientia. Agnus est occisus ab Origine mundi* (Ap. XIII. 8.) *tollens omnia omnium hominum peccata* (Joh. I. 29.) *nec quisquam nisi per fidem in Christum* (1. Tim. II. 5.) *unquam salvari potuit, ut docet S. Augustinus* (l. XIIX. de Civ. Dei c. 47.) *& alii Patres. Et Salomon plurimis mox exemplis initio seq. cap. id demonstrat, sicut & Paulus c. XI. ad Hebr.* Hæc Tirinus. Ulterius vindicatur Sapientiæ *custodia Adami*, ut & *eductio è delicto*, vel liberatio à peccato c. X. 1. 2. quæ personalia sunt opera, Filio Dei Salvatori nostro propria, qui per Prot-Evangelium eundem è peccato eduxit (Gen. III. 15.) & *Concessio virtutis continendi omnia* v. 2. Huic convenit etiam, quod *ab ea* (per incredulitatem) *recesserit Cain v. 3. & terræ deletæ* per diluvium Salvatio v. 4. *Eheu ceu justi agnitio*, & gratiosa conservatio à pœnali linguarum confusione v. 5. ut *Augustinus & Contzeuzenus*, vel *Abrahami*, ut plerique alii interpretantur, *liberatio* ab idololatria: Huic convenit sortis illius in misericordia vel visceribus filii, qui per affectum erga filium à constantia in obsequio erga Deum se vinci aut abduci minime passus est, custoditio v. 5. Huic *justi* (Lothi) *fugientis v. 7. & omnium, qui se observant*, a doloribus *liberatio* v. 9. Huic *justi* (Jacobi) *profugi à fratris ira deductio per vias certas, & ostensio regni Dei* (Genes. XXIIX.) *& donatio scientiæ sanctorum, benedictio in laboribus, & assistentia* ac defensio gratiosa, & *colluctatio* cum eodem, ac victoriæ concessio (Gen. XXXII.) quæ omnia Sapientiæ hypostaticæ propria esse, negari temere non potest. Similiter conveniunt eidem, quæ præstitisse sapientia dicitur *Josepho*, v. 13. quod *justum venditum non deseruerit sed a peccatoribus liberarit, quod illi septrum regni dederit & potentiam, ac mendaces offenderit, qui macularunt illum* v. 13. 14. & quæ *populo Israëlitico*, quod nempe *populum justum liberavit à nationibus, quæ illum deprimebant* (Conf. Ex. III. 2. & ibi dicta) Nec alienum à Sapientia hypostatica est, quod *Sapientia* hic dicitur *intrasse in animam Mosis* (Servi Dei) uti è *Iob. XIV. 23. Ephes. III. 17.* constat. Denique dubium nullum est, cætera Sapientiæ hypostaticæ propria esse quæ hic de Sapientia prædicantur, utpote quod *justis reddiderit mercedem laborum suorum* (Conf. *Exod. III. 2. 21.*) quod *deduxerit illos in via mirabili* (Conf. *Ex. XIV. 22. c. XXIII. 20.*) quod *aperuerit os mutorum & linguas infantium fecerit disertas* (Conf. *Ex. IV. XI. Marc. VII. 37.*) quod *direxerit opera* (Israëlitarum) *in manibus Prophetæ sancti* (Mosis) cap. XI. 1. Conf. *Esa. LXIII. 9. 1. Cor. X. 4. 9.* Nihil, inquam, effertur hic de Sapientia, quod non quam optime Filio Dei conveniat: pleraque etiam rectius illi, quam Sapientiæ ἀνυπόστατῳ competunt: & quid necesse est ad figuras recurrere, quum recte omnia se habent secundum literam, *citra prosopopœiam*.

Vers. eod.

QVID ESSET PLACITUM OCVLIS TUIS] Id est, *tibi*. Locutio Hebræa.

ET QVID DIRECTUM IN PRÆCEPTIS TVIS] Quæ ratio optime implendi tibi destinata.

Vers. 19. MITTE ILLAM DE COELIS SANCTIS TVIS] שלח, πέμψον, ἀπόστειλον, ἐξαπόστειλον. Deus dicitur bona malave quæ hominibus quocunque modo provenirunt.

ET MECVM LABORET] Multa cogitatione inquirat.

Vers. 13. QVIS ENIM HOMINVM POTERIT SCIRE CONSILIA DE, AVT QVIS POTERIT COGITARE, QVID VELIT DEVS?] Nisi Deo revelante, scilicet. Oprat donum Prophetiæ. Confer. Est. XL. 13. 14. Rom. XI. 34. 1. Cor. 2, 16. & quæ infra 18.

Hæc non de *dono Prophetiæ* præcise, sed de cognitione eorum, quæ ad consilia Dei imprimis de salute, & ad voluntatem Dei revelatam pertinent, quæ nemo sine revelatione Dei cognoscere potest Matth. XI. 27. ut hic è v. 17. 18. constat: quæ tamen hic *mediata est*, per Scripturam non *immediata* more *Prophetarum*. Illa v. τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ quæ solus *Spiritus* scrutatur *1. Cor. 2, 10.* & ἀνεξερεύνητα illa καὶ ἀνεξιχνίαστα quæ in Deo abscondita sunt *Rom. XI. 34. Esa. XL. 13. 14. 1. Cor. II. 16.* neque cognita ulli sunt, neque cognitu nobis sunt necessaria. Porro *multa cogitatione inquirere* quomodo Sapientiæ hypostaticæ convenit? *Nobiscum autem laborat*, cum nos juvat in laboribus: non quod *parilis* labor ejus sit: Sed quia concurrit tanquam causa princeps cum media, vel secunda: vel nobis auxilio & informatione sua subvenit.

Vers. 14.

COGITATIONES ENIM MORTALIVM TIMIDÆ] Id est, *incertæ*, quod explicat vox sequens ἐπισφαλεῖς.

Vers. 15. CORPVS ENIM QVOD CORRVMPITVR AGGRAVAT ANIMAM] Corpus animum prægravat, est & apud Horatium. Virgilius:

*— quantum non noxia corpora tardant.*
*Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.*

Idem corpus quod corrumpitur, quod, membra moribunda Virgilio: Papinio fragilis usus corporis.

ET TERRENA HABITATIO DEPRIMIT SENSVM MVLTA COGITANTEM] τὸ γεῶδες σκῆνος, in Græco. Pythagoricum est corpus vocare σκῆνος. Euryfus, aut, ut alii volunt, Ecphantes Pythagoricus de homine: τὸ σκῆνος τοῦτο ἡμῖν ὁμοιοῖ. Aristoxenus itidem Pythagoricus: ὅτι τὸ σκῆνος χρέος, πᾶσι τοῖς τεθνεῶσιν ὁμοίως. Pythagoricos in hac locutione imitatur Plato Axiocho. Eodem modo loquitur liber Cabalisticus Zoar, & Paulus 2. Cor. V. v. 14.

*Terrenum habitaculum degravat mentem multis curis distractam*: nempe *non sinens illam libere intendi divinis, & cum Deo versari*, ut habet *Philo Carpathius* in Cantic. Hoc autem non eo trahendum, *quasi solum corpus peccato originali sit infectum, animæ vero pura, atque à peccato aliena*. Totus enim homo corruptus est, & si anima esset integra, corpus nunquam peccaret. Dicit enim Scriptura: *Videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra* Gen. VI. & Joh. III. *Quicquid ex carne natum est, caro est.*

Vers. 19. PER SAPIENTIAM SANATI SVNT] ἐσώθησαν. à vitiis purgati sunt.

QVICVNQVE PLACVERVNT TIBI DOMINE A PRINCIPIO] Hoc in Græco non est. Sensus est: per Sapientiam purgatos qui unquam ab initio mundi purgati fuêre. Simile loquendi genus in Apoc. XIII. 8. ubi dicta vide.

Hoc vero Sapientiæ Hypostaticæ proprium est. Conf. *Act. XV. 10. 11. 1. Joh. I. 7. c. II. 2. Ebr. IX. 15. c. XIII. 8.*

## CAPUT X.

*Exemplis Patriarcharum demonstrat, veteres salutem adeptos per Sapientiam, quæ à protoplasto Adamo ad Mosen usq; adducit.*

Vers. 1.

HÆC ILLVM QVI PRIMVS FORMATVS EST A DEO] πρωτόπλαστον, quem πρωτόγονον, dixit Philo Byblius, nec aliter hymni Orphici, & Schola Pythagoræ.

Vers. 2.

ET EDVXIT ILLVM E DELICTO SVO] Nempe sanans per Sapientiam. Pendent enim hæc à capite præcedente.

SApientia ipsa eduxisse Adamum dicitur, vel eripuisse è delicto, quod factum à Filio Dei est per *Redemtionem & conversionem* per Prot-Evangelium *Gen. III. 15.* Unde Tatianus, & Rupertus Adamo salutem abrogantes refelluntur: quam cæteri Patres οἰκονομικῶς ei tribuunt.

Vers. eod. ET DEDIT ILLI VIRTUTEM CONTINENDI OMNIA] *dominandi omnibus rebus.* Adamus majore quidem molestia quam ante peccatum, tamen. Dominii reliquias retinuit. De quare diximus ad quartum librum de veritate religionis Christianæ ex Euripide & Antiphonte.

Vers. 2. AB HAC] Sapientia.

INJUSTUS] Cain.

Vers 4. PROPTER QUEM] διὸ: sed quidam codices Græci habent, δι' ὃ, id est, propter hoc, nempe quod terra non illo tantum sed & similibus multis sceleribus esset inquinata.

Res eodem recidit. Quia nomiuato Caino posteritas ejusdem impia includitur, cui ille ad impietatem Dux & autor fuit. Horum enim scelera, & impœnitentia causam diluvii præbuerunt Gen. VI.

SANAVIT ITERUM SAPIENTIA] Pietas Noæ.

En Vertumnum! Prius per Sapientiam Filium Dei intellexit: jam pietatem Noæ eadem notari in ejusdem Sapientiæ elogio asserit. Atà Filio Dei salvatum fuisse Noam justum Siracides docet, quod factum non ob pietatem, sed per fidem in semen benedictum ex Ebr. XI. 7. novimus.

PER CONTEMTIBILE LIGNUM JUSTUM GUBERNANS] Illa causa fuit cur in aquis servatus ad terram perveniret ligno exiguo:

*--- digitis à morte remotus*
*Quatuor aut septem.* (Hymno Ῥώμης:

ἐυτελὲς exiguum sæpe Græcis: & κυβερνᾶν servare. Sic in

Σὺ δ' ἀσφαλέσι κυβέρνησας
Ἀστοῖς λαοὺς.

Lucretius ad Venerem:

*Quæ quoniam rerum naturam sola gubernas.*

Revera fuit lignum contemtibile respectu munitissimarum arcium, & urbium ad tantam illuvionem aquarum arcendam, ut *Chrysost. Ambros. & August.* monent: idemque passim per orbem ab incredulis & impiis contemnebantur.

Vers. 5. HÆC ET IN CONSENSU NEQUITIÆ, CUM SE NATIONES CONTULISSENT] Cum Chaldæi gentesque vicinæ prolapsæ essent ad idololatriam.

SCIVIT JUSTUM] Legit γνοὺς: Sed Sixtina editio habet ἔσῳσε. Justus propterea Abrahami cognomentum, quia ingentem in Deum fiduciam habuit: quæ res justissima est. Vide quæ attulimus ad Jacobum.

ET CONSERVAVIT SINE QUERELA DEO] ἀμεμπτον τῷ θεῷ. Effecit, ut Deus de eo nihil quereretur, obedientia ejus contentus.

ET IN FILII MISERICORDIA FORTEM CUSTODIVIT] τῷ ἐπὶ τέκνοις σπλάγχνοις ἰσχυρὸν εφύλαξεν. *Effecit ut fortis*, id est, constans, *esset tunc cum filii miseratione commoveretur.* Sapientia præstitit ne caritatem Dei justibus præferret.

Diversos Patriarchas nonnulli respici censent: *justum* nempe *Eberum* in γλωττοσυγχύσει Babylonica sine querela criminis & consequenter à pœnali confusione linguarum servatum, quia in ejus familia remansit lingua primæva, Ebræa: & fortem Abrahamum, in immolatione filii probatum. Sed facile annuimus Abrahamum etiam hic per justum designari, in quo fere consentiunt Patres, aliique Interpp. quem sciv it Filius Dei, cum nationes in idololatriam conspirassent, eripere, ac porro *sine querela conservare*: h. e. sine crimine querelam divinam merente.

Vers. 6. HÆC JUSTUM A PEREUNTIBUS IMPIIS LIBERAVIT FUGIENTEM] Justi vocabulo Lothus appellatur etiam II. Pet. II. 7. & merito, si cum illis comparetur quos inter vivebat.

DESCENDENTE IGNE IN PENTAPOLIM] Sic recte dicitur regio illa in qua Sodoma, Gomorra, Adama, Sebolm, Segor, Genes. XIV. & XIX. Deuteron. XXIX. 23. Pentapolim Judaicam solent hanc appellare Christiani ad discrimen Cyrenaïcæ.



Vers. 7. ET INCERTO TEMPORE FRUCTUS HABENTES ARBORES] ἀτελέσι ὁμως καρποφορίαις φυτὰ ἰ*mani specie fructum præferentes arbores.* Tacitus de iis locis: *Cuncta sponte edita aut manu sata, sive herbâ tenui, aut flore, seu solitam in speciem adolêrint, arva & maniplos vehit in tantum fœcundi.* Solitus de iisdem: *Apud quæ pomum, quod gignitur, habitat licet specium maturitatis, mandi tamen non potest; nam sulphureum intrinsecus favillaciamo ambitus tantum extimæ cutis cohibet, quæ vel levi pressa tactu fumum exhalat, & fatiscit in vagum pulverem.*

ET INCREDIBILIS ANIMÆ MEMORIA STANS FIGMENTUM SALIS] Recte vertas: *incredulæ animæ:* ἀπίστου, deinde *columna salis* στήλη. Sic Gen. XIX. 26. στῆλη ἁλός. Sic & Josephus: εἰς στήλην ἅλὸς, qui eam ad suæ tempora mansisse, & à se conspectam memorat. Bene autem animam incredulam refert salis columna; nam ut sal infrugiferum, ita & fiduciæ in Deum expers anima.

Justus dicitur Loth non ob justitiam inhærentem ac propriam, sed ob justitiam fidei imputatam: eadem nempe ratione, uti Noah τῆ κατ' πίστιν δικαιοσυνῆς ἐγένετο κληρονόμος, Ebr. XI. 7. De historia vid. quæ ad Genes. supra & in commentar. ad Gen. XIX. diximus.

Vers. 10. HÆC PROFUGUM IRÆ FRATRIS JUSTUM] Jacobum אישׁ תם, id est, ἄπλαστος, sive ἁπλοῦς Gen. XXV. 27. Vide quæ ad Johannem I. 47.

DEDUXIT PER VIAS RECTAS] in Mesopotamiam tuto deduxit.

ET OSTENDIT ILLI REGUM DEI] Dei providentiam circa pios. Gen. XXVIII. 12. 13.

Non tantum de providentia Dei informatus ibi est, sed cum cœlum apertum vidit Jacob, & scalam è cœlo in terram pertingentem, regnum Deo ostensum eidem, & aditus in regnum Dei per Christum scala illa adumbratum Joh. I. v. ult. Alii de regno Dei Messiam erigendo explicant.

ET DEDIT ILLI SCIENTIAM SANCTORUM] Loci sancti ubi Deus solemniter invocari vellet illo tempore, unde loco nomen Bethelis, Gen. XXVIII. 17. 22. XXXI. v. 13.

*Scientia Sanctorum* est potius illa, quæ Sanctis propria est, quam de locis sanctis *Prov. XXX. 3. Matth. XI. 25. I. Cor. II. 10. Eph. III. 18.* quam dedit ipsi Sapientia hypostatica h. e. ductiorem reddidit ac magis magisque confirmavit Jacobo Patriarchæ hac visione, & Concione ad ipsum habita.

HONESTAVIT ILLUM IN LABORIBUS, ET COMPLEVIT LABORES ILLIUS] In Græco: ἐυπόνησεν αὐτὸν ἐν μόχθοις καὶ ἐπλήρωσε τοὺς πόνους αὐτοῦ. Hebraismus, pro quo usitato sermone diceres: *Ditem tum fecit in mediis laboribus, & quidem tanto magis, quanto magis intendebat labores ejus.* Gen. XXX. 27. 30.

IN FRAUDE CIRCUMVENIENTIUM ILLUM ADFUIT ILLI; ET HONESTUM FECIT ILLUM] Honestum, id est divitem. Ita enim loquitur hic interpres. πλουσίαν hic intelligitur Labanis. Genes. XXXI. 38. 40. 41. 42.

Vers. 12. ET CERTAMEN FORTE DEDIT ILLI UT VINCERET] Genes. XXXII. 25.

Vers. 13. HÆC VENDITUM JUSTUM NON DERELIQUIT] Josephum innocentem à fratribus venditum, Gen. XXXVII. 26. Pf. CV. 17.

SED A PECCATORIBUS LIBERAVIT EUM] ἐξ ἁμαρτίας, id est, à reatu. Nam Hebræorum mos est quemvis reatum etiam sine causa vocare חטא, vel אשם.

Cur vero non intelligamus ipsos peccatores, fratres nempe Josephi gravissime in ipsum peccantes, è quorum manibus liberatus est. Genes. XLII. 21. Quanquam non nesciam plerosq; de uxore Potipharis accipere, deq; ipso Potiphare, & aliis in ipsis judicibus. Sed ordo narrationis repugnat: quia sequitur descensus cum Josepho in foveam, qui non posterior est, sed antecessit liberationem.

DESCENDITQVE CVM ILLO IN FOVEAM] id est, in carcerem, λάκκος, Genes. XLI. 14. ubi Josephus narratur eductus è carcere, in Hebræo est בארׄ, quod alibi fere semper λάκκος, ibi ὀχύρωμα verterunt Græci. Et בור בית Exodi XII. 29. vertitur λάκκος, ubi carcerem posuit Latinus.

Vers. 14. DONEC AFFERRET ILLI SCEPTRUM REGNI] τὸ σκῆπτρον τῆς βασιλείας. Hebræi omnes

magnas potestates regni nomine, & eis fungentes regum vocabulo sæpe appellant, ut vidimus compluribus in locis. Sic & mox 16.

ET POTENTIAM ADVERSUS EOS QUI EUM DEPRIMEBANT] In Græco: καὶ ἰσχύσεως τυραννούντων αὐτῶν: *Imperium in eos qui ipsum opprimebant*: fratres suos, uxorem Potipharis, & alios. Est hic participium præsens pro præterito, & casus secundus in sensu objecti. Imperium opprimentium, id est, in oppressores.

ET DEDIT ILLI CLARITATEM ÆTERNAM] Nomen gloriosum perpetuo mansurum.

Vers. 15. ET SEMEN SINE QUERELA] Nempe comparatione Ægyptiorum, qui idololatræ.

Vix meretur hoc nominis populus Israëliticus, nisi ad certum tempus. Quam enim non fuerit sine querela, & quam proclivis fuerit etiam in ipsam idololatriam, ex historia notissimum est non minus acto; divinis querelis frequentissimis. Quod etiam Canonicæ autoritati libri opponunt nostrates.

Vers. 16. INTRAVIT IN ANIMAM SERVI DEI] Animavit Mosen, qui eximie servus Dei dicitur Jos. I. 1. Ps. CV. 26. Heb. III 5.

Vers. 17. IN VELAMENTO DIEI] εἰς σκέπην ἡμέρας. De die eos protexit ab æstu per nubem. Sic σκιὴν sumitur Sirachi XXXIV. 18. Ps. CV. 38. ubi de eadem nube agitur, in Græco est: διεπέτασεν νεφέλην εἰς σκέπην αὐτοῖς.

Vers. 19. ET EX ALTITUDINE INFERORUM EDUXIT ILLOS] In Græco: ἐκ βυθοῦ πόντου ἀνήγαγεν ἄνυδρε. *Fecit ut ex profundo pelagi ebullirent illi*: nempe Israëlitæ. Sic ἐξέβρασε sumitur II. Macc. I. 12. Sic רֹק quod plerumque vertitur per σκορπίζω, ἐξαπλόω, & voces similes, Nahumi III. 2. vertitur ἀναβράσσων, & קלל alibi ἐξάπλωσιν vertitur, alibi ἀναζωπύρωσιν.

IDEO JUSTI TULERUNT SPOLIA IMPIORUM] Exod. XII. 36.

Vers. 20. ET DECANTAVERUNT, DOMINE, SANCTUM NOMEN TUUM] Hymno illo qui extat. Exod. XV.

Vers. 21. SAPIENTIA APERUITOS MUTORUM] Qui præ metu mutire ausi non erant.

ET LINGUAS INFANTIUM FECIT DISERTAS] τεκνίων, id est, puerorum, qui simul cum parentibus cecinêre. Vide Ps. VIII. 3. Matth. XXI. 16.

Possunt etiam νήπιοι intelligi eo sensu quo dicti sunt Matth. XI. 25.

## CAPUT XI.

*Amplificatur beneficium quo Sapientia Ebræos in exitu ex Ægypto affecit, collatione supplicium, quibus vexavit Ægyptios.*

Vers. 1. IN MANIBUS PROPHETÆ SANCTI] Per Mosem, qui summus Propheta erat ante Messiæ tempora. Num. XII. 6.

Vers. 3. STETERUNT CONTRA HOSTES] Amorrhæos, Basanitas, Amalecitas.

Vers. 4. STETERUNT, ET INVOCAVERUNT TE] Exod. XVII. 2. Num. XX. 2.

Vers. 5. INIMICI ILLORUM] Ægyptii, ut ostendunt sequentia.

A Quis in sanguinem conversis Ægyptii puniti sunt. Exod. VII. 17. 20. 21. Aquis puris & salubribus Israëlitæ recreati sunt. *ibid. & c. XV. 25.*

Vers. 8. QUI CUM MINUERENTUR] Non est hoc in Græco, sed connectendo melius sensui additum ab interprete. Ægyptii imminuti sunt numero, quia Hebræorum numerum imminuerant.

IN TRADUCTIONE INFANTIUM OCCISORUM] *In pœnam præcepti occidentis infantes.* Sic & infra XVII. 7. XVIII. 5. Syrach. XVI. 13.

Merito sanguineis aquis puniebantur Ægyptii, qui aquas sanguine infantum (seu morte) rubricarunt. Ex. I.

Vers. 10. CUM ENIM TENTATI SUNT] Siti, Israëlitæ scilicet.

ET QUIDEM CUM MISERICORDIA DISCIPLINAM ACCIPIENTES] Ad breve tempus sitim passi.

QUEMADMODUM CUM IRA JUDICATI IMPII TORMENTA PATERENTUR] *passi essent*, ἰδασανίζοντο, Ægyptii scilicet.

Vers. 11.

INTERROGANS CONDEMNASTI] In Græco: κατεδικάζου ἐξέτασις; id est, damnatos torsisti. Quod multis in locis de reis per tormenta quæstiones haberi solent, ideo ἐξετάζειν sumitur pro torquere. Vide Actor. XXII. 24. & 29.

Vers. 14. PER SUA TORMENTA BENE SECUM AGI] *Bene cum illis agi*: cum Israëlitis scilicet: quia sitis eorum sublevabatur: cum Ægyptii siti perirent. Sensus idem qui supra 6.

Vers. 15. QUEM ENIM IN EXPOSITIONE PRAVA PROJECTUM DERISERUNT] In Græco: ἀκήρατοι γλαυκίζοντες, *pro deplorato habuêre insultantes*. Vertitur per ἀπεπτῶν, Hebræum טֹהַ.

Expositionem pravam de impia & crudeli projectione in Nilum alii convenientius exposuisse videntur.

Vers. 16. COLEBANT MULTOS SERPENTES, ET BESTIAS SUPERVACUAS] *Animantia bilia.* ἰοτελῆ, ut canes. De Ægyptiis Philo in Legatione: οἱ κύνας καὶ λύκους καὶ λέοντας, καὶ κροκοδείλους, καὶ ἄλλα πολλὰ ζῷα καὶ ἐνύδρα καὶ χερσαῖα, καὶ πτηνὰ διαπλανῶντες, ὑπὲρ ὧν ὠμοῖ, καὶ ἰοβόλα, καὶ ταῦτα πάσαι λύσσητοι ἱδρυνται. Tertullianus adversus Marcionem II. *Ægyptius olim reus Deo fuerat gentilis idolatriæ, Ibin & crocodilum citius colens, quam Deum bibium.*

Vers. 18. EX MATERIA INVISA] ἐξ ἀνάγκης ὕλης, ex informi materia, id est, rudi indigestaque mole, ut Ovidius expressit, תֹּהוּ וָבֹהוּ, Gen. I. 2.

Vers. 19. AUT NOVI GENERIS, IRA PLENAS IGNOTAS BESTIAS] Bene vertit, τεκτόνες θυμῷ πλήρεις θῆρας ἀγνώστους.

AUT VAPOREM IGNIUM SPIRANTES] Utilli, *Quorum terribilis Spiritus ignis erat.*

AUT FUMI ODOREM PRÆFERENTES] ἢ βρόμον πνεόντων καπνῶ, id est, *fœtorem præsum à fumo.* Sic ἔρευγε usurpant interpretes, Job. VI. 7. & quidam Joel. II. 20. Sic quod apud Dioscoridem est βρομώδες id virus redolens vertit Plinius.

Vers. 21. UNO SPIRITU POTERANT OCCIDI] *Uno flatu.* Id enim hic valet ἑνὶ πνεύματι, & est Proverbiale. Plautus:

*Cujus tu legiones dissipâsti Spiritu,*
*Quasi ventus folia, aut periculum tectorium.*

SED OMNIA IN MENSURA ET NUMERO ET PONDERE DISPOSUISTI] Plato dicebat Deum γεωμετρεῖν.

Explicat qua rem præsentem disertius Tirinus metaphoram ceu desumtam ab humanis negotiationibus in quibus justitia servatur dati & accepti mensurando, numerando & ponderando. *Hanc*, inquit, *justitiam quam in omni re perpetuo servat, etiam in pœnis Ægyptio infligendis servavit. v. g. numerum, decem infligendo plagas, non plures, nec paucores: mensuram: culpis proportione sua pœnas commensurando: pondus, destinando pœnas ad finem à Deo præscriptum, ut divina potentia, justitia, majestas passim innotesceret.* Hæc Tirinus laudans in eam sententiam Augustinum l. IV. de Genes. c. 3. & Thomam I. p. q. 5. a. 5.

Vers. 23. TANQUAM MOMENTUM STATERÆ] Ut scrupulum, rem leviſſimam.

ῥοπὴ secundum Menochium significat h. l. minimum aliquem scrupulum, aut granum, quod in alteram lancem immitti solet, cum aurificis statera aliquid examinatur; *Tirino* est *devergentia* vel *inclinatio*, leviſſima se. *Hugoni* lingula stateræ, cujus rectitudine indicatur æqualitas ponderum. Indicatur autem non tam dependentia rerum omnium à Domino, & instabilitas vel inconstantia, quam exiguitas, & impotentia respectu Dei creatoris. Quantillum est, quod lancem è jugo seu librili suspensam cogit in unum latus nonnihil devergere? Conf. Ei. XL. 12. 15. 17.

Vers. 24. MISERERIS OMNIUM, QUIA OMNIA POTES] Differs pœnam, certus, ubi voles, semper tibi puniendi fore potestatem.

Vers. 25. DILIGIS ENIM OMNIA QUÆ SUNT] Hic etiam τὰ ὄντα πάντα accipiendum de hominibus ostendunt sequentia. Vide quæ diximus supra I. 14.

Vers 26. AUT QUOD A TE VOCATUM NON ESSET CONSERVARETUR] Vocare, est imperare, ut Psalm. XLVII. 4. quomodo maneret quippiam, nisi ruid manere juberes?

Quomodo Deus vocet, Paulus docuit *Rom. IV. 17.*

Vocare

*Vocat ea, quæ non sunt, ut sint. Vocare & dicere* Dei idem, quod *creare & facere*. Nisi faceret, aut conservaret Deus, quomodoquid existeret, aut permaneret.

Vers. 27. PARCIS AUTEM OMNIBUS] Diu, in spem resipiscentiæ.

QUONIAM TUA SUNT] Nemo rex mediocri prudentia animi causa subditos suos perdet.

Jejunum hoc nimis. Nos Dei sumus creatione, redemtione, regeneratione, adoptione. Ideo δεσπότης noster dicitur: atque inde parcit nobis, & misereturnostri ὁ Φιλόψυχος: qui amat animas, rectius animam, id est, vitam.

## CAPUT XII.

*Docetur quanta clementia, & lenitate Deus Cananæos sustinuerit, in quibus deinde justitiam propter impiam pertinaciam ostendit, & ex Longanimitate Divina pœnitentibus consolatio proponitur: Alias autem justa Dei judicia adversus inimicos sisuntur.*

Vers. 1. O QUAM BONUS ET SUAVIS EST, DOMINE, SPIRITUS TUUS IN OMNIBUS] In Græco: τὸ γὰρ ἄφθαρτόν σου πνεῦμα ἐστὶ ἐν πᾶσι. *Nam Spiritus tuus incorruptus est in omnibus*, id est, ille Spiritus quem insensitis hominibus, datus illis est in spem immortalitatis. Supra II. 23.

I Deo parcit Deus, ideo amator vitæ est, quia nos ad vitam incorruptibilem creavit, atq; ejus causa Spiritum suum ἄφθαρτον nobis concessit: quod non de Spiritu humano, anima scilicet nostra, sed de divino Spiritu, cujus virtute nos regeneramur & conservamur ad æternam vitam accipiendum.

Vers. 2. PARTIBUS CORRIPIS] κατ' ὀλίγον ἐλέγχεις, *paulatim corripis*, id est lente, cum magna patientia.

CREDANT IN TE DOMINE] Tibi confidant. Est autem μετωνυμία, pro confidendo obediant.

Non opus est sensu metonymico. Perspicuus enim est proprius. Id circo enim non perdit statim, sed corripit paulatim Dominus, & in quibus peccant, de iis admonet, ut relicta per veram pœnitentiam malitia in Domino confidant. Quam fiduciam sequuntur quidem fructus novæ obedientiæ, non tamen cum ipsa confidentia, uti à Socinianis, & Arminianis fit, confundi debent.

Vers. 3. ILLOS ENIM ANTIQUOS INHABITANTES TERRÆ SANCTÆ TVÆ] Diserte describit mores Cananæorum, Amorrhæorum, & vicinarum gentium.

Vers. 4. PER MEDICAMINA] ἰάσεις φαρμακειῶν. Id nomen apud Interpretes Veteris Testamenti pro artibus magicis sumitur. Vide Esaiæ XLVII. & 9. & φαρμακὸς ponitur modo pro חֹבֵר, quod alibi vertitur ἐπαοιδός, modo pro כַּשָּׁף, vel מְכַשֵּׁף.

ET SACRIFICIA INJVSTA] Cruenta sacra, & pro remedio scelus, ut Justinus: sacrilegium verius quam sacrum, ut Curtius. Vide quæ de Phœnicum more plurima attulimus ad Deut. XVIII. 10.

V. 5. ET COMESTORES VISCERVM HOMINVM] Nam de victimis edi solebat.

Vers. 6. ET DEVORATORES SANGVINIS A MEDIO SACRAMENTO TVO, ET AVCTORES PARENTES ANIMARVM INAVXILIATARVM] Legit hic interpres in Græco: ἐκ μέσου μυσηρίου σου: deinde αὐθέντας, quod interfectores significat, vertit *auctores*. In Sixtina editione est, ἐκ μέσου μυσαθέντος σου. In aliis ἐκ μέσου μύσας διὰ σου. Legendum videtur: ἐκ μέσου μύσας θεσμὸν, *ex scelerato assiatu impios*. nam μυσὸς idem quod μυσαρὸς, teste Hesychio.

Vers. 7. VT DIGNAM PERCIPERENT PEREGRINATIONEM PVERORVM DEI, QVÆ TIBI OMNIVM CARIOR EST TERRA] Ex Græco: *Vt terra quæ tibi omnium est carissima, acciperet dignam* (se) *colonam filiorum*, nempe Dei.

Receptas lectiones ita interpretantur, quod *carnem filiorum suorum è medio sacrificiorum*, quibus illos offerre solebant Cananæi *devorarint*, *sanguinemque ipsorum biberint*: quo de tamen S. literæ *Canonicæ* nihil tradidere. *Tarinus* per *sacramentum* juramentum intelligit in fœderibus interponi solitum mediante hausta sanguinis filiorum, quos dæmonis immolarunt. Sed in textu Græco nihil de *juramento* habetur. Cæterum oblatio filiorum ex καλοζηλίᾳ exempli Abrahami videtur orta, vel potius in ignominiam seminis benedicti Deo offerendi à Diabolo inspirata fuit.

Vers. 8. ET MISISTI ANTECESSORES EXERCITUS TUI VESPAS] Exod. XXIII. 28. Deuter. VII. 20. Jos. XXIV. 12.

Vers. 10. PARTIBUS JUDICANS] κρίνων δὲ κατὰ ὀλίγον, id est, paulatim puniens, ut supra 2.

NON IGNORAS QUONIAM NEQUAM EST NATIO IPSORUM, ET NATURALIS MALITIA IPSORUM, ET QUONIAM NON POTERAT COGITATIO ILLORUM IN PERPETUUM. SEMEN ENIM ERAT MALEDICTUM AB INITIO] Sensus est: cum à pessimo parente Chamo traherent originem, pravique illi mores in naturam ipsis verterent, fieri non poterat (aliter nempe quam per flagra talia, de quibus cœpit dicere) ut se in melius mutarent. Ita complendus hic sensus ex præcedentibus. Nam non omnes illos homines omnibus modis fuisse insanabiles apparet, & Rahabæ & Gabaonitarum exemplo.

Vers. 12. QUIS ENIM DICET TIBI, QUID FECISTI?] *Cur me ita traclasti?* τίμε ἐποίησας ὅτι; Rom. IX. 20. ubi accusativus est pro Dativo, more Græco. Sic Matth. XXVII. 22. τίν ποιήσω ὑμῖν; Luc. XV. 19. ποίησόν με ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου. Sic Matth. V. 44. in antiquis exemplaribus: καλῶς ποιοῦσι τοὺς μισοῦντας. Nemo jus habet Deum ad rationes vocandi, ubi facta apparet: sed eo præsertim non sunt comminiscenda, quæ vobis in mentem veniunt, & in justissima quæque Deo tribuenda; quod ipsum damnat hic scriptor infra 14.

Vers. 13. VT OSTENDAS] Tanquam superiori, aut pari.

Vers. 14. NEQUE REX NEQUE TYRANNUS IN CONSPECTU TUO INQUIRENT DE HIS, QUOS PERDIDISTI] In Græco: οὔτε βασιλεὺς ἢ τύραννος ἀντοφθαλμήσει σοὶ περὶ ὧν ἐκόλασας: *Nemo rex aut tyrannus contra steri audeat, ob eos quos punisti.* ἀντοφθαλμεῖν vox bene Græca, & Polybio præsertim frequens.

Vers. 16. VIRTUS ENIM TUA JUSTITIÆ INITIUM EST] Multi homines ideo injurias inferunt quod memant ne ipsi accipiant injuriam. Hoc abs te Deus abest longissime. Plurimas injurias à metu proficisci plurimis sapientum dictis ostendimus libro II. de jure Belli & Pacis cap. I. §. 8. in annotatis ad eum locum.

ET OB HOC QUOD OMNIUM DOMINUS ES, OMNIBUS TE PARCERE FACIS] Puto scripsisse interpretem: *Et hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facit.* Ita enim in Græco, & sensus idem qui supra XI. 27.

Vers. 17. VIRTUTEM ENIM OSTENDIS TU, QUI NON CREDERES ESSE IN VIRTUTE CONSUMMATUS, ET HORUM QUI NESCIUNT AUDACIAM TRADUCIS] Legit ὅτι τοῖς μὴ εἰδόσι, pro quo nos ἐν τοῖς εἰδόσι: melius fane, ut fic legatur locus: ἰσχὺς γὰρ ἐκδικήσεως ἀπέδειξεν ἐπὶ δυνάμεως τελειότητι, τοῖς μὴ ἐπιστεῦσι σὲ ἔχειν. Sensus autem sit: *Is qui non creditur robur posse ostendere summis viribus convincit audaciam ignorantium.* De homine loquitur: Et opponitur huic dicto directe quod sequitur: Σὺ δὲ δεσπόζων ἰσχύος, ἐν ἐπιεικείᾳ κρίνεις. Nihil properas cum de viribus tuis non sit dubitare.

Vers. 19. QUONIAM OPORTET JUSTUM ESSE ET HUMANUM] Id est, jus lenitate temperandum.

Vers. 20. ET DEBITOS MORTI] Ob gravissima crimina de quibus egit supra.

CUM TANTA CRUCIASTI ATTENTIONE] μετὰ τοσαύτης ἐπιμελείας κρίσεως: *tam circumspecte castigasti.* Sic Paulus: πάγχυ ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ. Rom. IX. 22.

Vers. 21. CUM QUANTA DILIGENTIA JUDICASTI FILIOS TUOS] *Judicare* id est, judicare soles; nam est ἀόριστος in Græco. Est ἀκρίβεια hic idem, quod modo σφοδρότης, non jus summum, ut aliquando sumitur τὸ ἀκριβὲς, sed id, quod cum magna fit cura, rebus & temporibus sollicite expensis.

QUORUM PARENTIBUS JURAMENTA ET CONVENTIONES DEDISTI BONARUM PROMISSIONUM] Nempe de stupe nunquam penitus delenda, sed expectanda ejus pœnitentia: quo respicit Paulus Roman. XI. 24. Hoc Deus aliis gentibus non præstitit.

V. 22. CUM ERGO DAS NOBIS DISCIPLINAM] Puto scripsisse Interpretem: *cum ergo de nobis disciplinam.* Non enim tempus defignatur, sed ostenditur Deus multo lenius egere cum Israelitis, quam cum indololatris, ut explicant sequentia 24.

Vers. 23. PER HÆC QUÆ COLUERUNT] Redit ad id, quod supra dixerat XI. 16. In Græco: διὰ τοῦτων ἐβασάνισας βδελυγματα, ubi βδελύγματα dicuntur, non

ex Ægyptiorum sensu, sed ex eo quod revera erant: solent enim Hebræi sic appellare Gentium numina.

Vers. 24. DEOS ÆSTIMANTES HÆC QUÆ IN ANIMALIBUS SUNT SUPERVACUA] Θεοὺς ὑπολαμβάνοντες τὰ πρὸς ζῶσι τῶν ἀλόγων ἄτιμα. *Pro Diis habentes illo animantium, quæ ab inimicis contemptui habentur.* Nempe quia Hebræis nocere non poterant. Locutio illa, ἄτιμα τῶν ἀλόγων est qualis διδοὺς τῷ θεῷ & similia quæ alibi observavimus, ubi genitivus Latine per ablativum additâ à præpositione redditur.

V. 25. PROPTER HOC TANQUAM PUERIS INSENSATIS JUDICIUM IN DERISUM DEDISTI.

*Initio levioribus pœnis* (ita παρὰ ϕρᾶζε Ofiander noster) *in eos animadvertisti, ut iporum stoliditas fieret manifesta & derideretur.* In *Græco* pulcra est paronomasia, inter παιδὶ & ἐμπαιγμὸν q. d. *ridiculos ridicule iracastis, cum pueris pueriliter lusisti*, sed ut satis pœnas sentirent castigando eos per vespas, crabrones, muscas, & similia animalcula qui pueriliter vilia & contemta animalcula pro diis colueRant: quemadmodum *Tirinus* explicat: Quo pacto respicitur *Exod. XXIII. 28. Deut. VII. 20. Jos. XXIV. 12.* ubi vespæ, crabrones, aliaque animalcula volantia intelliguntur juxta *Osorium, Jansenium, Castrium, & Lorinon*, etsi *Augustinus, Lyranus & Hugo* ea impropriè accipiant de *rumoribus* nempe *volantibus*, & timoribus acribus. Sed qui ad *Ægyptiorum plagas* hic redire autorem putant, quod *Osiandro* placuit hæc ad *ranas, pediculos*, & alia animalcula quibus Ægyptii ante eductionem Israelitarum afflicti fuêre, referunt.

*Ex. XXIII. 28.*

Vers. 26. DIGNUM DEI JUDICIUM EXPERTI SUNT] Legit rectius πειράζοντες, non, ut nos habemus, πειράσαντες. Præsens pro præterito, ut sæpe.

Vers. 27. DEUM AGNOVERUNT VERUM] Id est, senserunt: animo enim non agnoverunt, ut ostendit id quod statim sequitur, ideo eos esse damnatos, id est interfectione deletos. Sic ידע Hebræis sæpe est sentire experiri.

## CAPUT XIII.

*Gravissime reprehenduntur, qui vel sydera, vel alias Dei creaturas pro diis colunt: Salsissime autem irridentur, qui statuas, manibus hominum fabricatas adorant.*

V. 1. VANI AUTEM SUNT OMNES HOMINES IN QUIBUS NON SUBEST SCIENTIA DEI] In Græco est amplius: μάταιοι μὲν γὰρ πάντες ἄνθρωποι ϕύσει, οἷς παρὴν θεοῦ ἀγνωσία, ubi ϕύσει non tantum significat, ut alicubi, id quod reapse est, sed quod plane inolevit animo. Sic περιουσιαστικὰ dicuntur & vitia & virtutes, quæ altas in animo radices egêre. Congruit autem hic sermo cum eo qui est ad Rom. I. nam quanquam magnifice dicunt quidam, honestum perse expetendum, tanta tamen est in animos vis eorum quæ conspiciunus, ut nisi adsit de divina providentia, & quidem sacta hominum repensante, persuasio, simulq; leges quædam quæ in rectam viam homines dirigant, fieri non possit quin extra orbitam evagentur, & quidem sæpe graviter, ut Stoici in ἀφετικοτάτας prolapsi, ut Romani nihil injustum arbitrantes, quo imperium ipsis crescerèt, & luxus sui sustentandi causa exponentes liberos, & gaudentes temere in arena effuso sanguine, quasi id ad virtutem esset incitamentum. Nam ut vaga est hominum ratio, ubi affectus, & blandientes affectibus mores accesserè, facile reperit rebus pravis velamenta, obitatque sibi, donec plane obsurdescat. Vanos ergo dicit eos, qui Dei & providentiæ ipsius cognitionem non sollicite cusodiunt, sed de ea re sententias cujusque permittunt arbitratui, quo nihil potest reperiri, non jam dico bonis moribus, sed & reipublicæ exitiosius.

Si secundum Scripturæ Canonem illud Φύσει explicandum non tantum per consuetudinem acquisita, sed ab ipsa *procreatione* connata vanitas intelligenda *Job. III. 5. Eph. II. 3.* Non autem tantum *perfectione de divina hominum, eaq; remuneratrice providentia*, sed *fide* opus est in Christum, ut ea præstemus, quæ Deo grata sunt, quum sine fide impossibile sit Deo placere *Ebr. XI. 6. Rom. XIV. 22.*

Vers. 2. AUT IGNEM] Qui Deus Fortis Ægyptiis idem ϕῶς. (runt.

AUT SPIRITUM] Id est aërem, quem Junonem vocaAUT CITATUM AEREM] Commotum, id est, ventum, Boreas, Eurus, Zephyrus, Auster, dii multis gentibus.

AUT GYRUM STELLARUM] κύκλον ἄστρων, congeriem aliquem stellarum, quam ἀστεισμὸν Græci vocant, ut Virginem, Geminos, Plejadas.

AUT NIMIAM AQUAM] Hymnus Θαλάσσης, & alter Θαλασσῆς est in Orphicis. Eodem referuntur aliis nominibus Nereus, Neptunus, Amphitrite, Salacia, Phorcys, Triton, Nereides.

AUT SOLEM ET LUNAM] Quorum cultus latissime per totum orbem patuit variis sub nominibus. In oriente sub nominibus בעלת שמין & בעל שמין, Per *ignem* Vulcanum, per *Spiritum* Jovem, per *citatum aërem* Junonem, per *gyrum stellarum* Zodiacum, per *aquam violentam* Thetim & Neptunum, per *Solem* Phœbum, per *Lunam* Dianam Tirinus intelligit. Vid. *Cicero* l. 1. de Nat. *Macrobius* l. 1. Saturnal. c. 15. & 1. in somn. Scipion. c. 17. *Arnob.* l. III. contra Gentes, *Euseb.* l. III. de præpar. Evang. c. 2. *August.* l. IV. de Civ. Dei. c. 10.

Vers. 3. SPECIEI ENIM GENERATOR HÆC OMNIA CONSTITUIT] *Speciei*, id est, pulchritudinis. τῦ κάλλους in Græco.

Vers. 4. AUT SI VIRTUTEM ET OPERA EORUM MIRATI SUNT] Vim & effectus.

Vers. 6. MINOR EST QUERELA] Minus accusandi videntur, qui astra & ingentes mundi partes coluêre, quam qui suam et ipsi figmenta.

Vers. 8. ITERUM AUTEM NEC HIS DEBET IGNOSCI] *Attamen ne hi quidem plene veniam merentur.* Culpa est minor, sed culpa.

Vers. 9. UT POSSENT ÆSTIMARE SÆCULUM] עולם, id est, mundum. Ita enim loquuntur Hebræi.

QUOMODO HUJUS MUNDI DOMINUM NON FACILIUS INVENERUNT] Mundus ipse loquitur, teste Plotino, Deus me fecit. Facilius est ex summa ita bene congruente agnoscere unum ejus summæ opificem, quam omnes naturæ partes cognoscere, astrorum cursus, causas ventorum & maris æstum, & terræ motum, & eorum, quæ μετέωρα dicuntur, animantium naturam, generationem, partes, earum; usum, arborum, herbarumq; & metallorum, gemmarum, lapidum proprietates, quæ vel singula immensi sunt laboris.

Vers. 10. ET INTER MORTUOS SPES ILLORUM EST] *In mortuis spes illorum est.* Habent fiduciam in simulachris, nihilq; agere valentibus. Idem sensus Jer. X. 14.

AUT LAPIDEM INUTILEM OPUS MANUS ANTIQUÆ] Marmor efficitum à Phidia, Praxitele, Myrone, aut Lysippo.

Vers. 11. FABRICET VAS UTILE IN CONVERSATIONEM VITÆ] Horatius:

*Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum*
*Maluit esse Deum.*

Confer huic dissertationi similem apud Esaiam XLIV. 13. & sequentibus.

Vers. 12. RELIQUIIS AUTEM EJUS OPERIS AD PRÆPARATIONEM ESCÆ ABUTATUR] In alimentum fuci.

Vers. 13. LIGNUM CURVUM, ET VERTICIBUS PLENUM] Tortuosum & nodosum.

PER VANITATEM SUAM] Per otium.

Vers. 14. PERLINIENS RUBRICA, ET RUBICUNDUM FACIENS FUCO] μίλτῳ, id est minio. ϕύκει, id est, alga rubente, qui proprie fucus ex Græco, unde nomen latinis fusum ad omnia formæ mendacia. Arnobius libro VI. de simulachris: *miro oblita minio.*

NEQUE OPERIBUS ATTENDENTES AGNOVERUNT Etsi QUI EST ARTIFEX] Servit hic locus interpretando ei, qui est ad Rom. I. 20. Zaleucus in legum primordio: τὸν κατασκεύασαντα τὸν κόσμον, καὶ τὸν ϑεὸν πάντας πρῶτον πεπεῖσθαι χρὴ ὡς ὑπάρξει ὅλως ἄνευ, καὶ ἀναδέξονται ἐπ' ἐμοῦ, καὶ τοῦ κόσμου, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ διακειμένων, τὸ τάξιν. ἃ γὰρ τύχαις διὰ ἀλόγιστον ἐστὶ διαπράττειν ἄνευ διανοίας ἐνδείκνυται. Cicero de natura Deorum: *Sic Philosophi debuerunt, si forte eos primus aspectus mundi perturbaverit, postea cum vidissent motus ejus finitos & æquabiles, omniaq; nata ordinibus moderata, immutabilia, constantia, intelligere inesse aliquem non solum habitatorem, in hac cœlesti ac divina domo, sed etiam rectorem ac moderatorem, & tanquam architectum tanti operis, tantiq; muneris.* Idem de Haruspicum responsis: *Etenim quæ est tam vecors, qui aut cum susperexerit in cœlum deos esse non sentiat, & ea quæ tanta mente fiunt, ut hic quisquam arte ulla ordinem rerum ac necessitatem persequi possit, casu fieri putet, aut, cum deos intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum imperium esse natum, & auctum, & retentum?*

AUT IGNEM] Qui Deus Fortis Ægyptiis idem ϕῶς.

AUT SPIRITUM] Id est aërem, quem Junonem vocaAUT CITATUM AEREM] Commotum, id est, ventum, Boreas, Eurus, Zephyrus, Auster, dii multis gentibus.

AUT GYRUM STELLARUM] κύκλον ἄστρων, congeriem aliquem stellarum, quam ἀστεισμὸν Græci vocant, ut Virginem, Geminos, Plejadas.

AUT NIMIAM AQUAM] Hymnus Θαλάσσης, & alter Θαλασσῆς est in Orphicis. Eodem referuntur aliis nominibus Nereus, Neptunus, Amphitrite, Salacia, Phorcys, Triton, Nereides.

AUT SOLEM ET LUNAM] Quorum cultus latissime per totum orbem patuit variis sub nominibus. In oriente sub nominibus בעלת שמין & בעל שמין, Per *ignem* Vulcanum, per *Spiritum* Jovem, per *citatum aërem* Junonem, per *gyrum stellarum* Zodiacum, per *aquam violentam* Thetim & Neptunum, per *Solem* Phœbum, per *Lunam* Dianam Tirinus intelligit. Vid. *Cicero* l. 1. de Nat. *Macrobius* l. 1. Saturnal. c. 15. & 1. in somn. Scipion. c. 17. *Arnob.* l. III. contra Gentes, *Euseb.* l. III. de præpar. Evang. c. 2. *August.* l. IV. de Civ. Dei. c. 10.

Vers. 3. SPECIEI ENIM GENERATOR HÆC OMNIA CONSTITUIT] *Speciei*, id est, pulchritudinis. τῦ κάλλους in Græco.

Vers. 4. AUT SI VIRTUTEM ET OPERA EORUM MIRATI SUNT] Vim & effectus.

Vers. 6. MINOR EST QUERELA] Minus accusandi videntur, qui astra & ingentes mundi partes coluêre, quam qui suam et ipsi figmenta.

Vers. 8. ITERUM AUTEM NEC HIS DEBET IGNOSCI] *Attamen ne hi quidem plene veniam merentur.* Culpa est minor, sed culpa.

Vers. 9. UT POSSENT ÆSTIMARE SÆCULUM] עולם, id est, mundum. Ita enim loquuntur Hebræi.

QUOMODO HUJUS MUNDI DOMINUM NON FACILIUS INVENERUNT] Mundus ipse loquitur, teste Plotino, Deus me fecit. Facilius est ex summa ita bene congruente agnoscere unum ejus summæ opificem, quam omnes naturæ partes cognoscere, astrorum cursus, causas ventorum & maris æstum, & terræ motum, & eorum, quæ μετέωρα dicuntur, animantium naturam, generationem, partes, earum; usum, arborum, herbarumq; & metallorum, gemmarum, lapidum proprietates, quæ vel singula immensi sunt laboris.

Vers. 10. ET INTER MORTUOS SPES ILLORUM EST] *In mortuis spes illorum est.* Habent fiduciam in simulachris, nihilq; agere valentibus. Idem sensus Jer. X. 14.

AUT LAPIDEM INUTILEM OPUS MANUS ANTIQUÆ] Marmor efficitum à Phidia, Praxitele, Myrone, aut Lysippo.

Vers. 11. FABRICET VAS UTILE IN CONVERSATIONEM VITÆ] Horatius:

*Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum*
*Maluit esse Deum.*

Confer huic dissertationi similem apud Esaiam XLIV. 13. & sequentibus.

Vers. 12. RELIQUIIS AUTEM EJUS OPERIS AD PRÆPARATIONEM ESCÆ ABUTATUR] In alimentum fuci.

Vers. 13. LIGNUM CURVUM, ET VERTICIBUS PLENUM] Tortuosum & nodosum.

PER VANITATEM SUAM] Per otium.

Vers. 14. PERLINIENS RUBRICA, ET RUBICUNDUM FACIENS FUCO] μίλτῳ, id est minio. ϕύκει, id est, alga rubente, qui proprie fucus ex Græco, unde nomen latinis fusum ad omnia formæ mendacia. Arnobius libro VI. de simulachris: *miro oblita minio.*

Vers. 15. ET FACIAT EI DIGNAM HABITATIONEM] Basm. *Es. XLVI. 7.*

Loco *habitationis* alii *recessum* seu *sacrarium*, vulgo, *Nicho*, id est, *aediculam, cui idolum imponitur*, intelligunt; ut *Tirinus*. Qui cum ex his, ex quae *c. XV. & Baruch. VI.* dicuntur *Calcinum* mendacii arguit, quod *gentiles* dixerit *non adorasse ligneas, vel lapideas statuas, sed in statuis verum Deum*, ut sc. *idololatriam Papisticam* quadantenus palliet, cum in statuis Deum se adorare, non ipsas statuas religiose colere ajunt; meminisse debebat, quod ad *Psal. CXIII. Augustinus* damnârit etiam eos, qui dixere, *nec simulacrum, nec damonium colo, sed per effigiem corporalem illius rei signum intueor, quam colere debeo*: quodque saniores Ethnici nonnulli protestati pariter sint se *in statuis vel imaginibus summum Deum colere, non ipsas statuas*: Ita *Maximus Tyrius* serm. XXIIX. Ethnicorum nomine asseverat: *Sanctum primum maximum Deum, creatorem omnium & conservatorem, à se in simulacris ex auro, argento & ebore factis coli*; & notum est distichon à Sabellico relatum Æn. IIX. l.8. apud Bellarm. ipsum cap. XXI. de imaginibus sanctis etsi id ipse non probarit: Neque diffitetur *Martinus Peresius* p. 5. de tradit. ex Act. XVII. *multa apud gentiles fuisse idola quae tantum beneficiorem Deum repraesentarint*, atque Ethnicos ipsos dixisse, dicere certe potuisse, *Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa: Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa.* Quod licet idola fibi praestruxerint animus tamen fuerit solum vero Deo cultum exhibere, *Joh. Ferus* ad Act. XVII. & *Catech. Rom.* c.11. p.2. de primo praec. cum *Cajetano* in 3. Thom. q.25. act. 3. agnoscunt.

Vers. eod. ET CONFIRMANS FERRO] Annectens parieti.

Vers. 17. ET DE NUPTIIS VOTUM FACIENS INQUIRIT] Inquirit non est in Graeco, sed προσευχόμενος cohaeret cum sequentibus.

*Invocans* sc. *idolum* illud, ut felix & fortunatum matrimonium concedat.

## CAPUT XIV.

*Pergit invehendo in idololatriam, novo adducto exemplo navigantium, qua occasione divinam Sapientiam in inveniendo, & gubernando navigio commendat: initium cultus idolorum describit, & quanta hinc in mundum invecta mala.*

Vers. 1. FRAGILIUS LIGNUM INVOCAT] Neptunum ex ligno.

Vers. 3. DEDISTI ET IN MARI VIAM] ὁδὸν διὰ θαλάσσης, ut saepe Poëtae Graeci.

Vers. 4. ETIAMSI SINE ARTE ALIQUIS ADEAT MARE] Nandi ignarus.

Vers. 5. EXIGUO LIGNO CREDUNT HOMINES ANIMAS SUAS] Juvenalis.

*— — tenui animam committe, dolato*
*Confisus ligno.*

TRANSEUNTES MARE PER RATEM] σχεδία. Ulpianus L. 1. D. de Exercit. *Navem accipere debemus, sive maritimam, sive fluviatilem, sive in aliquo stagno navigat, sive schedia sit.* Interpres Odysseae σχεδίαν τὴν εἰκαίαν κατὰ σχεδὸν ἁπάντων τῶν λέγει. Nec aliter Suidas.

Vers. 6. CUM PERIRENT SUPERBI GIGANTES] Cabiri, גבורים Gen. VI. 4.

SPES ORBIS TERRARUM] Octo homines, Deucalion ad Pyrrham apud Ovidium:

*Terrarum quascunque videmt occasus & ortus,*
*Nos duo turba sumus.*

Deinde: *Nunc genus in nobis restat mortale duobus.*

REMISIT SÆCULO SEMEN NATIVITATIS] *Reliquit*, ἀπέλιπεν, reliquit liberos unde orti homines caeteri.

Vers. 7. PER QUOD FIT JUSTITIA] Per quod exercentur commercia licita.

Vers. 11. PROPTER HOC ET IDOLIS NATIONUM NON BRIT RESPECTUS] Legit: ἐπικοπὴ οὐκ ἔσται. Nos autem habemus ἐπικοπὴ ἔσται, id est, Deus vindictam exercebit etiam in idola impietatis instrumenta. Vide Es. XLVI. 1. Jer. XLVI. 25. XLIV. 3. Os. VIII. 5. Am. Nimirum puniuntur idola eo modo quo possunt, *materiali* poena non *formali*, utpote cum *ligneae materia* igne destruitur &c. Et vaticinium hoc esse nonnulli putant confringendorum, & omni decore efficiendorum à Christianis idolorum.

Vers. 12. INITIUM ENIM FORNICATIONIS EST EXQUISITIO IDOLORUM] Verissimum. Nam foedissima quaeque in deorum lucris peragebantur, ut ostendimus ad Levit. XIX. 29. Adde 1. Reg. XIV. 24. XV. 12. XXII. 47. 2. Reg. XXIII. 7. Praeterea natrabantur adulteria Jovis, Neptuni, Apollinis, Veneris, aliorumque deorum & dearum, & sic fiebant miseris & religiosa delicta, ut ait Cyprianus. Chaerea apud Terentium:

*— — animus gaudebat mihi*
*Deum sese in hominem convertisse, atq; per alienas regulas*
*Fucum factum mulieri: venisse per implubium clanculum.*
*At quem Deum! qui templa caeli summa sonitu concutit.*
*Ego homuncio hoc non facerem?*

Vide infra 27.

Vers. 13. NEQUE ENIM ERANT AB INITIO] Creato primum homine.

NEQUE ERUNT IN PERPETUUM] Delebuntur enim per Messiam.

Vers. 14. SUPERVACUITAS ENIM HOMINUM ADVENIT IN ORBEM TERRARUM] In Graeco ματαιόδοξία est. Id significat inanis gloriolae studium. Philipp. 2, 3. Gal. 5, 26.

ET IDEO BREVIS ILLORUM FINIS EST INVENTUS] In Graeco: συνέλογισεν αὐτοῖς τὸ τέλος ἐυτυχῆσαι, id est, cogitavit Deus brevi illorum finem facere, quia scilicet nullum in veritate fundamentum habent, talia autem Deus amat evellere, Matth. XV. 13.

Vers. 15. ACERBO ENIM LUCTU DOLENS PATER, CITO SIBI RAPTI FILII FECIT IMAGINEM] Hanc originem idolorum tradiderat in libris antiquitatum Diophantus Lacedaemonius, allata Syrophanis Aegyptii historia. Docetid nos Fulgentius Mythologic. I. Non longe abit illud Tullii primo de natura Deorum: *quae tota die precabantur & immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati.* Alii originem idolorum deducunt à populorum studio in mortuos reges. Vide Lactantium I. 15. Potuit aliis in locis alia esse rei ejusdem origo.

*De initio idololatriae.*

Refertur ita idololatriae initium ad *affectum nimium* erga *defunctos* sive liberos aut parentes, sive Reges. Quomodo & apud *Chaldaeos* Thare Patrem Abrahae filio suo Aran defuncto statuam posuisse *Epiphanius* initio l. 1. de haeres. & *Suidas* voce Abraham docent, eo nomine gravissime ab Abrahamo reprehensum. *Ninum* parenti defuncto *Nimrodo*, seu *Belo* statuam, aras & templum exstruxisse tradunt *Eusebius* in Chron. *Hier.* in Os. c. II. *Ambr.* in c. I. ad Rom. *Cyrill.* l. III. c. Vulcan. *Augustin.* l. XVI. De Civ. Dei c. 7. & l. XXII. c. 5. Faust. c. 17. Ante illos tamen *Sarug* proavum Thare *jam imagines coluisse Epiph. Suidas, & Philo* referunt: imo *ante diluvium* idolatriam ab impiis gigantibus invectam, ac porro à profano *Chamo* & *Chanaano* post diluvium iterum in orbem introductam fuisse, dubium nullum est. Conf. *Joseph.* l. 1. Antiq. c. 4. *Tertull.* Apol. c. XI. *Cyprian.* l. 1. de idolor. vanit. *Lactant.* l. 1. de falsa rel. c. 15. *Aug.* l. XVI. de C. D. c. 4. ut & *Herod.* de Apoth. l. 1.

Vers. eod. SACRA ET SACRIFICIA] αἱ τῶν τελετῶν: *Mysteria* in arcanis quibusdam vocibus, & Symbolis consistebant. Τελετὰι in victimis.

Vers. 16. ET TYRANNORUM IMPERIO COLEBANTUR FIGMENTA] Haec est illa Theologia, quam civilem vocat Varro; de cujus sacris Seneca: *Quae omnia sapiens ferebabit, tanquam legibus jussa, non tanquam Dis grata.* Et iterum: *Sic adorabimus*, inquit, *ut meminerimus cultum ejus magis ad morem quam ad rem pertinere.*

Vers. 20. ABDUCTA PER SPECIEM OPERIS] Ideo Philo libro de Gigantibus de Mose loquens: καὶ ὁ τὰς δοκίμους καὶ γλαφυρὰς τέχνας, ἐφηυρημένας ἀνθρωπικωτάτῃ τῶν καθ' αὐτὸν πολιτειῶν ἐζήλωσεν, ὅτι τὸ τῆς ἀληθοῦς εὐδαιμονίας ὄφθιν, ἀδιάπτωτα ἐφυλάττοντα βίου χώραν ἐκπεφευγότας τεχνίτευσιν.

DEUM ÆSTIMAVERUNT] Κόλασιν ὑπολήψεται. sic vocatur quicquid colitur, & quae cultui inserviunt. Vide infra XV. 17. & in adjectamentis ad Danielem de Belo 32.

V. 21. INCOMMUNICABILE NOMEN] Dei, quod nemini in sensu suo proprio, id est, summitatis communicari debet.

Vers. 22. PACEM APPELLANT] Falso, ut Romani, qui

qui ubi solitudinem fecerant, pacem appellabant, ut Britanni loquuntur apud Tacitum.

Vers. 22. FILIOS SUOS SACRIFICANTES] Molocho. Vide supra XII. 5.

AUT OBSCURA SACRIFICIA FACIENTES] κρύφια μυστήρια, qualia apud Græcos Cereris Liberique ac Liberæ, de quibus multa apud Alexandrinum Clementem & Arnobium. Cereris arcanum sacrum d'xit Horatius. Secretam Cererem Hercule furente Seneca. Scriptor Octæ:

*Nos Cadmeæ orgia ferre*
*Tecum solitæ conscia cistæ.*

AUT INSANIÆ PLENAS VIGILIAS HABENTES] In Græco: ἢ ὑπνωτικὰς ἐξ ἄκρου διατηροῦντες κώμους ἀγόντες, *aut ex alto servantes vinibus insanis ludis indulgentes.* Non male hic interpres κώμους vertit vigilias. Erant enim noctes, quæ vino, saltatione, amoribus transigebantur. Theocriti Scholiastes: τὸ καταζῆσαι λέγεται ἐπὶ τῶν κατὰ πότους καὶ τὰς ἡμέρας ἀπαχθόντων. De hisce spurcis & prophanis cultibus utpote de clandestinis secretis, in lucis, antris, speluncis, non *diu* tantum sed *noctu* etiam ut licentius vacare possent libidini, celebratis, qualia erant *Isidis, Proserpinæ, Veneris, Priapi & sacra Eleusinia*, vid. *Juvenal*, in Satyr. *Ovid.* de art. amandi, *Athen. Tertull.* Apol. c. 15. *Arnob.* l. IIX. c. cent. *Minutius* in octario *Iosepb.* l. XIIX. Antiq. c. 4. Conf. & *2. Reg. XXIII. 7. Es. LVII. 8. Es. XV. 15. Os. IV. 14. Am. II. 6. 2. Macc. 6. 4.* De vigiliis item *insanis*, qualia erant *Bachanalia, laternaria, carnivora* & ἀγρυπνίαι vid. *Eusseb.* l. XI. de præpar. *Clem. Alex.* in Strom. *Aug.* l. VI. de C. D. c. 7. *Iul. Fromic.* de error. prof. relig.

Vers. 24. PER INVIDIAM OCCIDIT] Puto scripsisse interpretem, *per insidias*. Μοχθηρὰ ἀπάτη. Inter idololatrarum vitia ponit Paulus Rom. I. 31. quod sint ἀσυνθέτους, ἀστόργους, ἀσπόνδους.

AUT ADULTERANS CONTRISTAT] Vere, nam ut Euphron ait:

Οὐκ ἔστι γυναικὶ κακὸν ἀνδρὶ ἐν κακῷ·
Ἐν τοῖς γὰρ ἐτέροις ἄβλαπτ' ἀνυμέναιος τρυφᾷ.

Vers. 27. NATIVITATIS IMMUTATIO] γενέσεως διακοσμήσεις, id est, naturæ, quomodo vocem γενέσεως sumi diximus supra I. 14. per naturam autem hic sexus intelligitur: idemque dicit quod Paulus Rom. I. 26. μετέλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν. Petronius:

*Quæris sexe natura, nec inbenit.*

Vatablus & Oiorius hic alludi volunt ad fœtus supposititios & adulterinos loco legitimarum. Sed rectius præposteræ libidines, quæ contra naturæ fiunt intelliguntur.

Vers. eod. ET INITIUM ET FINIS] Nam & pro illicitarum cupiditum fuce-ssu grates diis agebantur.

Vers. 25. AUT CERTE VATICINANTUR FALSA] Vide Luciani ψευδομαντ.

AUT PERIERANT CITO] Facile nempe quia quos nominabant deos pars multa pro diis non habebant: unde exolevit nummis reverentia Callimachus:

Ὅμοσσεν· ἀλλὰ λέγεται ἀλαθίη, τὰς οὐ ἔρυτι
Ὅρκους μὴ ἔλθοι τωτ' ἐς ἀξιάστεον.

Et alter: *Jupiter è cœlo perjuria rides amantum.*

Nec meliores hac in re amantibus multi qui rempubl. gerebant, dicentes pueros talis decipiendos, viros jurejurando. Præcipue ad tales fraudes Phœnices vicini Hebræorum, unde hunc morem hausit Carthago, per omnes historias infamata ob Punicam fidem:

*... ter Marte sinistro*
*Iuratum, Iovis ædus, conventaque patrum*
*Sidonis fregere duces,* ait Silius.

Vers. 3. NON ENIM IURANTIUM VIRTUS] Id est, *potentia eorum qui juramur.*

SED PECCANTIUM POENA PERAMBULAT SEMPER INJUSTORUM PRÆVARICATIONEM] Deus, inquit, punit eos qui per deos etiam falsos pejerant: primum propter injustitiam; Promissio enim jus facit: deinde quia illos quos jurabant, colebant ut deos. Auguſt. *Non te audit lapis loquentem: sed puvit Deus fallentem.* Et Seneca VII. de Benef. 7. *Punitur quia tanquam Deo fecit. Opinio illum fuit* (adde, aut professio) *obligat pœna.* Vide quæ dicta nobis II. de Jure Belli ac Pacis XXI. 51.

## CAPUT XV.

*Docetur, quanta sit bonitas Dei erga Ecclesiam suam, quam verbo, & Spiritu suo regit: & quam insani sint qui idola & ficti li imprimis materia faciunt aut bestias colunt.*

V. 1. ETENIM SI PECCAVERIMUS TUI SUMUS, SCIENTES MAGNITUDINEM TUAM] Scimus nos esse in tua potestate: quod idoli latræ multi de diis suis non credunt.

ET SI NON PECCAVERIMUS, SCIMUS QUONIAM APUD TE SUMUS COMPUTATI] *Ai non peccabimus, quia scimus nos tibi esse attributos.* Promittit de se, bene sperat de aliis, ut boni solent. Scimus nos ad tuam curam peculiarem pertinere; ideoque majorem nos debere gratiam.

Vers. 3. NOSSE ENIM TE CONSUMMATA JUSTITIA EST] Nosse ידע Hebræi non de intellectu tantum, sed & de voluntate usurpant, ut item sæpe sit quod cordi habere Vide Pfl. 6.

RADIX EST IMMORTALITATIS] Ad vitam ducens immortalem.

Illud Tui sumus ita accipi potest: *tu nos propter peccata nostra non abjicis*, qui magnitudinem non tantum potentiæ, sed etiam misericordiæ tuæ credimus, & lapsi coram te humiliamur. *Nosse enim Te.* (quæ fidei est notitia *Iob. XVII. 3. Es. LIII. 11.*) *vera & perfecta est justitia.* Fide enim Deum agnoscimus in Christo nobis reconciliatum, fide Christum Mediatorem amplectimur, adeoque fide in Christum justificamur. ET SCIRE VIRTUTEM TUAM quam imprimis ostendisti in *resuscitatione Christi, propter justitiam nostram facta Rom. IV. ult. Eph. I. 19. 20.* RADIX EST IMMORTALITATIS; non quod *fides prima* sit *ad justificationem dispositio*, ut pervertit *Menochius.* Sed quod *fides causa* propria sit *justificationis & salutis*, è qua propullulat *justitia & immortalitas*, non secus atque *arbor è radice.*

Vers. 4. NEC UMBRA PICTURÆ LABOR SINE FRUCTU] Nam Hebræi Alexandrini, quorum videtur fuisse primus scriptor hujus libri, à picturis non minus quam ab statuis abstinebant secuti interpretationem eam Decalogi, quam in Ægypto LXX. senes fecerunt, qua de re ad Decalogum diximus.

EFFIGIES SCULPTA PER VARIOS COLORES] ἀνακεκαυμένη, id est, distinctum. Sic & Latini maculare usurpant.

Vers. 7. SED ET FIGULUS] Pfastes. Nam & hanc vocem etiam Latini in hac re usurpant. Hic scriptor minus accurate dixit κεραμεύς.

QUÆ MUNDA SUNT IN USUM VASA] Esculenta, poculenta, & ad ornatum pertinentia.

ET SIMILITER QUÆ HIS SUNT CONTRARIA] Pollubra, matulas.

Vers. 8. REPETITUS ANIMÆ DEBITUM QUAM HABEBAT] τὸ τῆς ψυχῆς ἀπαιτηθὲν χρέος. Sic infra 16. τὸ πνεῦμα διδόμενον. Nempe

*Vita data est utenda; data est sine fenore nobis:*
*Mutua nec certo persolvenda die.*

Vers. 9. CURA EST ILLI NON QUIA LABORATURUS EST] id est laborem non detrectat spe glorioſæ.

NEC QUONIAM BREVIS ILLI VITA EST] Brevitatem vitæ solatur spe ἀναστάσεως. Explicant hoc sequentia. Describit hic nobis Demophilum aliquem, Gorgasum, Chalcosthenem, aut Pasitelem. De quibus vide Pli. lium XXXV. 12.

Vers. 10. CINIS EST ENIM COR EJUS] In humo se occupans non ultra humillima assurgit.

*Q. d. Cor ejus stultum vilius est, quam cinis, & spem vitæ æternæ nullam habet: & quod vivit in hac terra vilius est luto; quon. ignoravit Deum verum.* Nihil n. ad animæ salutem prodest, habere singularia dona scite & artificiose quævis vel excogitandi, vel efficiendi, vel dicendi, si animus vera Dei agnitione sit destitutus. Hinc ergo redarguit autor *avaritiam:* quia sæpe idolorum factores non tam religionem, quam proventus curant, vitam nostram lusum vel nundinas esse, totamq; vitæ nostræ conversationē compositam esse debere ad lucrum aucupantes, & oportere undecunq; etiam ex malo (per injustitiā) opes acquirere, quæ luculenta est *Osiandri* paraphrasis.

Vers. 12. ÆSTIMAVERUNT ESSE LUSUM VITAM NOSTRAM] In Græco Epigrammate est:

Σκῆπτε πάϊ ὁ βίος ἡμῖν πᾶς, ἄνθρωπε.

Augustus suprema die amicos percontatus est, ecquid eis videretur minimum vitæ commodè transegisse, & adjecit,

Δότε κρότον, ἡμῖν πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

COMPOSITAM AD LUCRUM] πανηγυρικὴν, mercatum; nam sic Cicero πανήγυριν interpretatur Tusculianarum primo.

ET OPORTERE UNUMQUEMQUE ETIAM EX MALO ACQUIRERE] Ex actibus bonis aut malis. Poëta vetus:

*Vnde habeas quæri nemo, sed oportet habere.*

Horatius:

*... ut rem facias, rem*
*Si possis recte, si non, quocunque modo rem.*

Vers. 13. HIC ENIM SCIT SE SUPER OMNES DELINQUERE] Scit satis, nihil esse præter materiam, & quam ipse addidit artem, in ibis operibus. Artamen persuasum vult populo esse ibi numen.

Vers. 14. OMNES ENIM INSIPIENTES] Sed illi desipiunt, qui opera illius pluris faciunt quam ipse artifex.

ET INFELICES SUPRA MODUM ANIMI SUPERBI] Melius in Græco: καὶ πάλαι ἐστὶν ἡ ψυχὴ ἀκάθεκτον, *misere plus quam insanum animæ*, id est, infantes. Vide supra XII. 24. Lucillius:

*Terri-*

*Terriculas lamias, Fauni quas Pompiliique*
*Instituere Numa, tremit has, hic omnia ponit:*
*Ô queri infantes credunt signa omnia aheneis*
*Videre, & esse homines. Et sic isti omnia ficta*
*Vera putant, credunt signis cor esse inesse.*
*Pergula pictorum; veri nihil; omnia ficta.*

Quem locum postquam produxit Lactantius, infert non male: *Poëta quidem stultos hominesinsanibus comparavit. At ego multo imprudentiores esse duco. Illi enim simulachra hominesputant esse, hi deos.*

Vers. 15. QUIBUS NEQUE OCULORUM VISUS EST AD VIDENDUM] Hæc & sequentia sunt ex Psc xv. 4.

Vers. 16. NEMO ENIM SIBI SIMILEM HOMO POTERIT DEUM FINGERE] Nam Deus est, ut ait Xenophanes:

Ὅστις θνητὸν ἑαυτὸν ἀμείβει, ἄστε τέκμαι.

Vide quæ diximus ad Deuteron. IV. 12.

Vers. 17. MORTUUM FINGIT] Id est, opus exanime, Sic supra XIII. 10, 18.

Vers. 18. SED ET ANIMALIA MISERRIMA COLUNT] In Græco: ἐχθίονα, id est, infestissima humano generi, quales serpentes quos coluêre Ægypti, Asiatici, Thraces, Græci, Romani. Adjice Iudæi, felures & similia.

INSENSATA ENIM COMPARATA HIS, ILLIS SUNT DETERIORA] Aliter in Græco: πολὺ γὰρ εὐγνωμόνητα τῶν ἀλόγων ἐστὶ τὰ ἐγκτίσματα. *Si quod ad stupiditatem pertinet temperemur cum aliis, sunt illis hæc deteriora.* Multo enim plus intelligit elephas: solertior est vulpes, aut simia; loquacior psittacus.

Vers. 19. SED NEC ASPECTU ALIQUIS EX HIS ANIMALIBUS BONA POTEST CONTINGERE] Græce: οὐ γὰρ ὅσον ἐπιποθεῖσθαι μόνον τὰ ζῶα ἐστὶ, καλὰ συγκρίνεται. *Sed nec ut amas pulchra sunt, pro captu forma animantium.* Multo pulchrior est equus, pavo, phasianus.

EFFUGERUNT AUTEM DEI LAUDEM ET BENEDICTIONEM] Id est, nullo modo à Deo laudatissimam sortem sunt confecuta, nam serpentem Dei jussu exercrantur homines, Gen. III. 14. Proverbium est, odisse angue pejus, & Furiæ pinguntur comis anguineis.

Tirinus ad h. l. ita habet: *Non sunt adepta à Deo eam speciem, pulchritudinem, cæteraque qualitates, quas acceperunt reliqua animalia, quæ ex benedictione Dei habent, quod commoda & utilia sint hominibus, & quorum esse & usu laudatur Deus. Quantæ igitur dementiæ est, honores illis deferri divinos? ita fere Vatablus & Cantacuzenus. Sed & Osorius, Sa & Iansenius volunt hic alludi ad maledictionem qua serpenti maledixit Deus Genes. III. in paradiso.*

## CAPUT XVI.

*Recitantur tum pœnæ Ægyptiorum, ut severitatem Dei timeamus, tum beneficia Israelitis exhibita, ut in Deo confidamus.*

Vers. 1. PER SIMILIA] Nempe diis suis. XII. 23.

V. 2. PRO QUIBUS TORMENTIS BENE DISPOSUISTI POPULUM TUUM] Beneficiis populo tuo. διωγμὸν τοῦ λαοῦ σου.

ORTYGOMETRAM] Sic Græci vertunt שלו, quod est Num. XI. 31. & sequentibus.

*Ortygometram* Menochius *coturnicem grandiorem*, Tirinus *coturnicum matrem* seu *Regem & ducem* vertit.

PROPTER ILLA QUÆ ILLIS OSTENSA ET MISSA SUNT, ETIAM A NECESSARIA CONCUPISCENTIA AVERTERENTUR] Legit, ut quidam codices habent, διὰ τὸ διορᾶσθαι τῶν ἀπροαιρέτων. Sed vera lectio in Sixtina comparet: διὰ τὸ ἐδέχεσθαι τὸν ἀπὸ τῶν ἀλόγων, *propter fœditatem immissorum*, nempe animalium. Tanta erat eorum fœditas, ut etiam in summa fame vesci iis Ægypti nequirent.

Vers. 3. IN BREVI] Ad breve tempus: ἐν ὀλίγῳ. sic & infra 6. πρὸς ὀλίγον.

SINE EXCUSATIONE QUIDEM SUPERVENIRE INTERITUM] ἀπαραίτητος, inevitabilem.

V. 5. COLUBRORUM] Serpentium, in Græco. שרפים.

V. 6. SIGNUM HABENTES SALUTIS] Serpentem æneum. In Græco: σύμβολον ἐχούσῃς σωτηρίας. Serpens erat σύμβολον divini favoris, non causa per se sanationis, ut sequitur.

Erat tamen *medium salutis ex ordinatione divina*, & quidem in *typo* medium salutis *corporalis*, quod aspicientes à serpentibus ictì, per illum aspectum, vi instituti divini, sanari potuerint; non ergo medium est τῇ Φύσει sed τῇ Θέσει: non *naturale*, sed *morale*. Quod vero ad *antitypum*, quia per serpentem æneum in ligno suspensum Christus in cruce pro nobis suspensus adumbratus est *Ioh. III. 15.* medium hic *signatum* fuit salutis *spiritualis & æternæ*; quia fide intuentes Christi passionem & crucifixionem salutem consequuntur.

AD COMMEMORATIONEM MANDATI LEGIS TUÆ] Ut hoc documento discerent Hebræi legibus divinis obsequi, etiam ubi ratio non appareret. Quid enim opus ad serpentem æneum respicere? nempe quia Deus voluit.

V. 9. AB HUJUSMODI] Qualia colebant.

V. 11. IN MEMORIA ENIM SERMONUM TUORUM EXAMINABANTUR] *Ad recordationem enim mandatorum tuorum purgebantur*, nempe à serpentibus. Similitudo sumta ab iis qui ab amico aliquo vellicantur, ut rei alicujus meminerint.

NE IN ALTAM INCIDENTES OBLIVIONEM NON POSSENT TUO UTI ACJUTORIO] ἀπρεπεῖς καὶ γινόμενοι τῆς σῆς ἐπικουρίας, *inflexibiles fierent ad tuum auxilium*: id est, obdurescerent, ac sic opis tuæ fierent indigni. Causa autem hæc pertinent ad id quod præcessit ἐνεπαιγίζοντο: nam illud, τῷ ἐξίῳ διεσώζοντο, velut *magnitudo* loco interjectum est.

V. 12. NEQUE MALAGMA] Malagmata vocant medici ea, quæ mediocri calore neque exsiccantia neque nimium humectantia fusionem moliuntur materiæ durescentis.

SED TUUS DOMINE SERMO QUI SANAT OMNIA] Etiam animos.

Per Verbum quod sanat omnia verbum hypostaticum, quod est Medicus Israelis Ex. XV. 26. Matth. IX. 12. intelligunt alii.

V. 13. ET DEDUCIS AD PORTAS MORTIS ET REDUCIS] Vide quæ diximus ad Matth. XVI. 18.

Vers. 14. HOMO AUTEM OCCIDIT QVIDEM PER MALITIAM ANIMAM SVAM, ET CVM EXIERIT SPIRITVS NON REVERTETVR, NEC VOCABIT ANIMAM QVÆ RECEPTA EST] Corrupta hic lectio φυγὴν ἐξέλθῃ sensum etiam corrupit. Vera est lectio Sixtina: ὃς ἀναστήσει ἐντὸς ἀπάλου. Et sensus plane idem, qui Matth. X. 28. *Homo male facere occidere quidem potest hominem, sed animam non recipiunt* (scilicet in suo loco) *nec evertere potest, nec dissolvere.* ψυχὴ hic more Philosophorum, quod Hebræis usitatius נפש, substantia illa, quæ corpus vegetabat, post dissolutionem à corpore in Dei est manu, extra hominum potestatem posita.

V. 15. SED TVAM MANVM EFFVGERE IMPOSSIBILE EST] Tam animo, quam corpore.

V. 16. NEGANTES ENIM TE NOSSE IMPII] Ægyptii, quorum Rex Pharao quæ verat à Mose, quis esset ille Deus de quo loqueretur Exodi V. 2.

NOVIS AQVIS] In sanguinem versis. Exod. VII. 20.

ET GRANDINIBVS ET PLVVIIS PERSECVTIONEM PASSI, ET PER IGNEM CONSVMPTI] Erant enim permixta hæc, pluvia, grando, ignis: Exod. IX. 18. 23.

*Commemorari hic quædam* & in seqq. *quæ in Exodo non occurrunt*, notat *Tirinus*. Num vero talibus fides indubitata adhibenda? utique non, donec Canonica libri autoritas adstruatur, quod fiet ad *Calendas Græcas*.

Vers. 17. IN AQVA QVÆ OMNIA EXTINGVIT, PLVS VALEBAT IGNIS] *Omnia*, supple ignea, contra naturam ignis, per aquam accendebantur.

VINDEX EST ENIM ORBIS JVSTORVM] Orbis, id est omnia, quæ in rerum natura sunt, etiam viribus suis mutatis. Deo inservunt, ad vindicanda ea quæ crudeliter in bonos facta sunt. Vide infra 24.

Vers. 18. QVODAM ENIM TEMPORE MANSVETABATVR IGNIS] Id est, in cœlo retinebatur, nec finebatur in terras sævire.

NEC COMBVRERENTVR QVÆ AD IMPIOS MISSA ERANT ANIMALIA] Ranæ, pediculi & cæteræ colluviæ: de qua Exod. VIII.

Vers. 19. VT INIQVAM TERRÆ NATIONEM EXTERMINARET] In Græco: ἵνα ἀδίκῳ γῇ γενήματα διαφθείρῃ, ut terræ injustæ fœtus corrumperet. Nomen γενήματα generale est, comprehenditque herbas, arbores, jumenta, homines. Vide Exod. IX. 25.

Vers. 20. ANGELORVM ESCA NVTRISTI POPVLVM TVVM] Ex Psalm. LXXVIII. 25. ubi Græci: ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος.

ET OMNIS SAPORIS SVAVITATEM] καὶ πρὸς πᾶσαν ἡδυσμοῦ γλυκύ, *omni sapore aptum*. Sapor erat velut ex omnibus saporibus optimis temperatus. Vide quæ dicta ad Exod. XVI. 31.

*Menochius* ad c. 2. ita habet: MANSUETABATUR IGNIS, mansuescebat; significat ranas & muscas, aliaque animalia in ultionem Ægyptiis immissa non potuisse igne consumi, nec ignem in illa quidquam valuisse, quamdiu Deus voluit. Hoc autem licet scriptum non habeatur in Exodo, tamen per manus verisimile est autorem hujus libri accepisse. Hæc Menoch.

De *Manna*, quod *omnem saporem*, quem quis desideravit, præbuerit *Hieronym.* vel quisquis autor in Ps. CXXVII. *Iudæos tradere* refert, *Manna secundum voluntatem uniuscujusque sapuisse in ore, sive desideraret quis mala, sive pirum, sive uvam, sive panem, sive carnes*, quibus autor ille non abnuit. Excipiunt tamen *Iudæi* Phesicta *quinque illas species Num. XI. 5.* recensitas *cucumerum, peponum, porrorum, ceparum & alliorum*, imo etiam pisces nonnulli ex ipsis excipiunt, quod eorum saporem non habuerit Manna, utpote quorum desiderio murmurati sunt. *Augustinus* v. l. 2. Retract. c. 20. *Quod de Manna dixi*, inquit, *quia unicuique secundum propriam suam voluntatem in ore sapiebat, non mihi occurrit, unde possit probari, nisi ex libro sapientiæ, quem Iudæi non recipiunt in auctoritatem Canonicam: quod tamen fidelibus potuit provenire, non illis adversis Deum murmur antibus, qui profecto alias escas non desiderarent, si hoc eis saperet Manna, quod vellent.* Penes *pontificios*, utpote qui de libri Sapientiæ autoritate Canonica non dubitant, hæc *communis* est sententia *sapuisse manna prout voluere Israelitæ*: sed in eo variant: an id *impiis etiam contigerit: Lyranus* in Num. XI. *Bonis*, inquit, *sapiebat, prout volebant, sapiebat enim pisces, cum desiderabant pisces, & desiderantibus carnes similiter convertebatur in saporem carnis &c. Malis hominibus erat cibus insipidus, qui de sua natura erat dulcis. Lorinus* v. in h. l. *impiis æque etiam ad votum manna sapuisse censet*, adducens eam in rem *Chrysostomum & Nazianzenum*. Neque hic pedem fixere pontificiorum speculationes. *Disquirere*, imo *asserere* etiam non dubitarunt nonnulli in gratiam figmenti transsubstantiationis in Missa: *Manna non tantum saporem, sed & substantiam ad votum nutumque comedentium mutasse, ita ut si quis vellet comedere ovum, gallinam, saccharum in ea mox verteretur*, utpote *Thomas Bozius* l. XIII. de not. Eccles. c. ult. *Nicol. Villagnapon* l. III. c. Calvin. c. 2. *Claud. de Sainctes* de Euchar. VII. c. 3. à quibus tamen in eo discedunt alii Papistæ *Corn. à Lap.* qui eam sententiam novam dicit, solidoque carentem fundamento, *Pererius* item Disp. XVI. in c. VI. Joh. &c. qui nihilo secius *varietatem* saporis Mannæ pro voluntate comedentium asserunt. Sed nullo nisi hujus libri testimonio: quod vero nimis fragile, (etsi quadantenus illi sententiæ *B. Forsterus conc.* LIII. *in Ex.* etiam accesserit,) quia liber ille non est in Canone, nec in ullo Canonico scripto tale quid habetur, utut passim mentio de Manna fiat, imo ex adverso Moses saporem determinavit, qualis fuerit, cum crude usurparetur aut cum arte præparetur, & de desiderio totius populi testatur, quod expetierint carnes & pisces, quibus ista sententia posita carere facile potuissent; quodque Mannæ fastidium eos ceperit, cui locus non fuisset, si omnis generis sapores præbuisset: Ideo merito hanc sententiam atro carbone notavit *B. Osiander: Hæc quidem dicuntur ab autore nostro bono animo ad amplificandum beneficium Dei: sed tamen scriptum aliter ea de re loquitur.* Erat (*inquit Moses*) Man quasi semen coriandri gustusq: ejus quasi similæ cum melle Ex. XVI. Et alibi ait: Populus frangebat illud, sive terebat in mortario coquens in olla & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati, Num. XI. *unde & populus, cum prater unum dulcem saporem nullum aliorum in eo pane deprehenderet, tandem nauseabat & desiderabat varios cibos, & condimenta quæ in Ægypto habuerat.*

*Pontificiorum sententia de Mannæ sapore.*

Vers. 21. SUBSTANTIA ENIM TUA] ἡ γὰρ σὴ ὑπόστασις σου, natura illius manna, quod tu dederas.

*Osiander, expectatio tua:* qui id refert ad *fidem & desiderium populi*, cum Luthero: So man auf dich harret, q. d. *Qui expectant tuum auxilium re ipsa experiuntur quam dulci & plane paterno affectu filios tuos complectaris*, ut hæc per parenthesin dicta sint, dehinc ad descriptionem & commendationem panis cœlestis redeatur. Non improbamus tamen illam explicationem: *substantia tua*, id est *manna, quod tu fecisti subsistere*, ostendebat dulcedinem in filios Israel; quam tradidit *Hugo, Cantacuzenus, Iansenius, Vatablus, Sa, Tirinus.*

NIX AUTEM ET GLACIES SUSTINEBANT VIM IGNIS] Id est, coquebantur igni. Nivem & glaciem, sive pruinam potius, vocat manna, quod pari modo in aere gigneretur, & eam speciem præ se ferret. Exod. XVI. 14. Hic ergo κρύσταλλος dicitur, quod ibi in Græco πάγος. Fit enim πάγος ὅταν πηγῇ ἡ δρόσος, ut ait Aristoteles Meteoron l. II.

Hæc ad alia potius pertinent: q. d. *grando inter fulgetra & fulmina in liquorem resolvebatur, ut fierent, atque experientia discerent Ægyptii, miraculum hoc esse, quod grando inter fulgetra non liquesceret, cum fructus eorum exterminabat ignis ardens in grandine & pluvia coruscans.* Ita Osiander; Sic etiam Tirinus: *IGNIS, qui nivi, grandini, & pluviæ intactis miraculose misceabatur, EXTERMINABAT FRUCTUS INIMICORUM, Ægyptiorum, nempe jumenta, & plantas, & homines quoque qui in agris, & sub dio erant, Ex. IX. Hic autem idem ignis, ut* NUTRIRENTUR JUSTI (*Hebræi*) ETIAM SUÆ VIRTUTIS OBLITUS EST HERUM: id est *alia vice, sc. cum manna, quod aqueum & rori simile videbatur, igni tamen resisteret, dum coqueretur, & in tortulas ac placentas indurescebat*, ut est *infra v. 27. & Num. XI.* Hæc Tirinus. Præiverat tamen Grotio *Menochius* Jesuita, ad v. 22. NIX AUTEM, ET GLACIES. *Manna intelligit, cujus natura parum differre videbatur à natura nivis & glaciei. Sane Ex. XVI. 14. dicitur Manna apparuisse* in similitudinem pruinæ. *NON TABESCEBAT: non liquefiebat, non solvebatur.*

IGNIS ARDENS IN GRANDINE ET PLUVIA] Vide supra 16.

Vers. 26. QUONIAM NON NATIVITATIS FRUCTUS PASCUNT HOMINES, SED SERMO TUUS HOS QUI IN TE CREDIDERINT CONSERVAT] ὅτι οὐ γενέσεως καρπὸν τρέφουσι, non natura fructuum pascunt homines. Supple solæ. Sensus enim deprompsus ex Deuteron. VIII. 3. unde & Christus sumpsit Matth. IV. 4. γέγραπται in hoc libro naturam esse diximus ad l. 14.

Vers. 27. AB EXIGUO RADIO SOLIS CALEFACTUM TABESCEBAT] Diffluebat. Sic dicitur ἐτήκετο in eadem hac historia, Exod. VI. 21.

Vers. 28. QUONIAM OPORTET PRÆVENIRE SOLEM AD BENEDICTIONEM TUAM] *Ad gratias tibi agendas.* Pii ipso adhuc diluculo laudes Deo canebant. Psalm. LXXXVIII. 4. Josephus de Essenis: πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον φθέγξασθαι τῶν βεβήλων πατρίοις οἷς τινας εἰς αὐτὸν εὐχὰς, ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι.

ET AD ORTUM LUCIS TE ADORARE] sole jam orto, id est, tempore sacrificii matutini.

Vers. 29. TANQUAM HYBERNALIS GLACIES] Tanquam pruina. Significabat manna res conditas omnes, etiam è sublimi aëre venientes esse caducas & fragiles, neque ultra vim habere nobis opitulandi, nisi ubi & quando Deus vult.

De significatione *Mannæ* & aliis ad hanc materiam facientibus vid. cum primis *B. D. Walcheri nostri tract. plenus, & planus de Manna*: ubi explicatur quomodo Manna typus fuerit Christi §. 125. an typus Evangelii, & quomodo? §. 165. Quomodo verbi divini typus? §. 168. An typus Eucharistiæ & qualis? §. 179. seqq. an patrocinetur Transsubstantiationis §. 184. an typus fuerit vitæ æternæ. §. 209.

CAPUT

## CAPUT XVII.

*Plagæ Ægyptiacæ frequentissimarum tenebrarum graphica descriptio.*

Vers. 1. MAGNA ENIM SUNT JUDICIA TUA DOMINE, ET INENARRABILIA VERBA TUA] μεγάλαι γὰρ σου αἱ κρίσεις κ) ἀνεξιχνίαστοι. Magna enim sunt judicia tua, & inexplorabilia. Illud *Verba tua*, non est in Græco.

Vers. 2. VINCULIS TENEBRARUM] Legit δέσμοις σκότους: sed verum est δυσμοῖς, ut in Sixtina editione. Tangitur historia quæ est Exod. X. 22. Idem est, *capitis tenebrarum*, & quod sequitur, *finibi longe nocti.*

FUGITIVI PERPETUÆ PROVIDENTIÆ JACUERUNT] φυγάδες τῆς αἰωνίου προνοίας ἐκείνοι, *Extorres jacuere ab æterna providentia.* Id est, ab æternæ providentiæ summis beneficiis, luce & calore. Μεταφορικῶς.

Vers. 3. TENEBROSO OBLIVIONIS VELAMENTO DISPERSI SUNT] Hæc illuc, non audentes in publicum prodire. Egregia ἔκφρασις, ut multæ in hoc libro. Quærebant tenebras occultandis peccatis: invenere tenebras iisdem puniendis.

ET CUM ADMIRATIONE NIMIA PERTURBATI SUNT] ἀφ' ἑαυτῶν ἐκπλαγέντες ἐθαυμάτουν. *Spectris perturbati.* Idem est cum eo quod sequitur: φάσματα ἀπαθεῖς καιτοι σκυγνοῖς ὀφθέντα. Nox illa tam crassa ac perpetua fieri non potuit, quin mira visa offerret hominum aut oculis, aut animis.

Vers. 6. SUBITANEUS IGNIS TIMORE PLENUS] αὐτομάτου πυρὸς φόβῳ πλήρης, *Ortus sine causa apparente horribilis rogus.* Divina ira plerumque per ignem exprimitur.

ET TIMORE PERCULSI ILLIUS QUÆ NON VIDEBATUR FACIEI] ἐκθαμβούμενοι δὲ τῇ μὴ θεωρουμένῃ ἐκείνης ὄψει. *Cum valde terrerentur ipsa specie inspicua.* Id est, iis tam crassis tenebris, quæ ipsos obhidebant.

ÆSTIMABAT DETERIORA ESSE QUÆ VIDEBANTUR] Spectra nempe ista magis perhorrescebant.

Vers. 7. ET MAGICÆ ARTIS APPOSITI ERANT DERISUS] μαγικῆς δὲ κατεκρίνοντο παίγνια τέχνης, *Lacebant magica artis ludibria.*

ET SAPIENTIÆ GLORIÆ CORRIPTIO CUM CONTUMELIA] καὶ τῆς ὑπὸ φρονήσεως ἀλαζονείας ἐλεγχῶν ἐπονείδιστος. *Et arrogantiæ de Sapientia refutatio plena fuit in ipsos probri.* Explicant sequentia.

Vers. 8. ILLI ENIM QUI PROMITTEBANT TIMORES ET PERTURBATIONES EXPELLERE SE AB ANIMA LANGUIENTE] Magorum enim hæc vel præcipua erat pollicitatio, purgare mentes.

Vers. 9. NAM ETSI NIHIL ILLOS EX MONSTRIS PERTURBABAT] *Perturbasset.* Et apud Græcos indicativo datur significationem modi potentialis. Ut illa φάσματα abfuissent, tenebant illos istæ fœdorum animantium reliquiæ.

ET AEREM QUEM NULLA RATIONE QUIS EFFUGERE POSSET] προσιδεῖν ἀρνούμενοι, id est, *recusantes videre.* Claudentes oculos, ne in eam horrendam caliginem incurrerent,

Hæc de *tenebris Ægyptiacis*, & quæ porro sequuntur autoritate Canonica destituuntur. *Spanhemius* totam hanc descriptionem, *superstitiosas & solemnes Hebræorum fabulas & miraculorum in miraculis fictiones sapere* censet: siquidem Moses *haud dissimulaturus fuisset tam horrenda, sonos turbantes, spectra, phantasmata, sibilos & fragores insolitos, & alia id genus, si ea tenebris illis permista fuissent.* De Magis ita Osiander: *In tanto metu tenebantur, ut si fieri potuisset, etiam aerem (quo tamen carere non possumus) cavere & effugere cuperent: ita cuncta timebant, atque horrebant. Tirinus* sic habet: *Etsi Magos nihil conturbare solebat, (asseverunt enim Magi ejusmodi monstris) tamen quando in tenebris istis transire, & discurrere cupiebant novæ hæ belluæ, & insueta animalia, & serpentum sibili exaudiri, tanto metu commoti, & exanimati sunt, ut negarent se aspectum ipsum aeris vel ad breve tempus ferre posse: nimirum abhorrebant horrenda monstra, quæ per intermicantia fulmina se videnda ingerebant.*

Vers. 10. CUM ENIM SIT TIMIDA NEQUITIA, DAT TESTIMONIUM CONDEMNATIONIS: SEMPER ENIM PRÆSUMIT SÆVA PERTURBATA CONSCIENTIA] In Græco hic sensus: *Timida est malitia interno tecte damnata: semperque conscientia turbatis clarae diræ præsumit animo.* Menander pari sensu:

Ὁ συνειδὼς αὐτῷ τι κακὸν ἢ δεδρακὼς ἢ
Ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον ἀεὶ ποιεῖ.

Mala mens, malus animus, ait Terentius.

Vers. 11. NIHIL ENIM EST TIMOR, NISI PRODITIO COGITATIONIS AUXILIORUM] προδοσία ἐστὶν ἀπὸ λογισμῶν ἐνθυμάτων. Est descriptio, id est, definitio πάθους, metus, non omnis, sed maximus, quæ est προδοσία, id est, desperatio omnis auxilii, quod humana ratio potest reperire. Προδοσία hoc sensu etiam infra est 15. & est vox bene Græca, ut multa in hoc libro. Medea apud Neophronem:

Οὐ μὴ προδώσῃ θυμὲ σεαυτὸν εἰ κακοῖς.

Plautus Epidico pari sensu dixit: *Quia tute te deseris.*

Vers. 12. ET DUM AB INTUS MINOR EST EXPECTATIO, MAJOREM COMPUTAT INSCIENTIAM EJUS CAUSÆ DE QUA TORMENTUM PRÆSTAT] ὑφ' ἑαυτῷ δὲ ὢν ἕκαστον πάσχει ἀλόγιστα λογίζεται τὰ ἄγνοια τῆς παρούσης τὴν αἰτίαν αὐτοῖς. *Cum autem minor est intus expectatio:* id est, metus (nam tutus est πεποίθησις τῶν καλῶν, etiam Arist. III. Nicomachiorum 9.) *majorem malæ esse ignorantiam causæ, quæ tormentum defert.* Id est, existimat id quod metuitur non tantum esse quantum videtur. Metus temissior pantur rationem aliquid decernere tale quale monet Epictetus: ἀλλὰ, ὅταν τινὰ ἴδῃς ταραχὴν φαντασίαν μὴ ἐπιδέχου, ὅτι φαντασία ἐστὶ, καὶ οὐ πάντως τοῦ φαινομένου.

*Testis nequitiæ est timor, judex conscientia.* Quamdiu enim manet nequitia, manet timor, & ita semper manet certum condemnationis testimonium & sententia; illud fert timor ut testis, hanc conscientia ut judex. *Quamvis enim videatur foris audaciter prava agere impius, de his tamen intus cogitat trepidare,* dicente *Gregorio M.* l. XII. Mor. c. 21. Non potest foris aliquod esse remedium quando intus est conclusum. *Conscientia est accusatrix, memoria testis, ratio judex, timor carnifex. Quod enim conscientia accusat, memoria testificatur, & quod ratio judicat, timor excruciat,* ait *S. Bernhardus* serm. de viii. iniqu. Luculenta imprimis hic est *Osiandrina* paraphrasis: plerumque pessima veniunt ei in mentem, qui à propria conscientia accusatur. Nequitia enim hominem timidum reddit, quia à conscientia sua condemnatur: & mala conscientia nihil boni, sed deteriora quæque pollicetur. Inde enim timor oritur, quod aliquis noverit, se non posse ea, quæ male egerit, defendere. Neque ullam opem aut consolationem invenire potest, ubi autem intus in corde nihil est firmæ consolationis, ipsa animi angustia plus hominem, quam malum ipsum, quod imminet, cruciat.

Vers. 13. ILLI VERO QVI IMPOTENTEM VERE NOCTEM] *Inolerabilem*, ut sit ἀνυπόστατος verbi ἀνίστημι: nisi forte scriptum fuit hic, & jam mox, ἄδυτος impenetrabilem, per quam visus transire nequibat. Hic νὺξ valet *per noctem*, durante illa longa nocte.

AB INFIMIS ET AB ALTISSIMIS INFERNI SUPERVENIENTEM] In Græco: ἐξ ἀδύτου ὕδου ἀνῳκτου. Videtur hoc loco interpres Latinus legisse ἐξ ἀδύτου, ut forte, referibendum diximus: intelligit tartarum: ἀπειρῶν ζόφῳ ταρταρίοις. ait Petrus 2. Epist. 4.

Ηχι ζόφου ὑπὸ κεύθεσι ναίει δίεσσιν. alt Homerus.

EVNDEM SOMNVM DORMIENTES] Somnum hic vocat, τὸν ἀπροσδόκητον. Nihilo enim plus agebant illo tempore quam si dormissent. Ita similia similium occupant nomen maxime apud Hebræos.

Sententiam Autoris ita exprimit Osiander. *Qui inter Ægyptios in illa longa nocte (quæ ab ipsis inferis profecta erat) dormiebant, in somno vexabantur horribili spectrorum imaginatione. Quidam vero in animi deliquium ex terroribus nocturnis incidebant. Subitaneus enim pavor ex illis tenebris obortus, eos totos obruebat. Et qui in illas tenebras inciderunt, quasi vinculo tenebrarum (sine ullo ferro) tenebantur, ne sese movere loco auderent.* Quæ posteriora paulo aliter jam tradit Grotius.

Vers. 14.

Vers. 14. ALIQUANDO ANIMÆ DEFICIEBANT TRADUCTIONE] Scripsit interpres, *traditione*: id enim respondet Græco παραδοσία, quæ autem sit ejus vocis significatio diximus jam supra 12.

Ipse Vrg. DEINDE SI QUIS EX ILLIS DECIDISSET] εἰ δέ τινες, ὃς δὴ ποτ' ἦν ἐν ἐκεῖ κατακλείστοις. *Hoc modo quicunq; illuc incidebat*, id est, quicunque illis in locis illo tempore fuit deprehensus.

IN CARCERE SINE FERRO] Solent talibus additamentis emolliri translationes. Sic ἄδηλον ἐνύδριον, ventriculus Lycophronii. Sic *formosa facies muta commendatio*.

Vers. 17. SIVE SPIRITUS SIBILANS] Aura lenis, Hoc enim dicit, omnem sonum, sive lenem, sive asperum, nihil discrepantibus merum intuliste.

— — — *patet ille fragorem*
*Motorum ventis nemorum*:

ait in magna formidinis descriptione Lucanus.

Vers. 18. SONUS VALIDUS PRÆCIPITATARUM PETRARUM] Saxorum cadentium fragor.

LUDENTIUM ANIMALIUM ] Id est, *saltantium*, σκιρτώντων. Virgilius:

— — *in numerum Faunosque ferasque videres*
*Ludere.*

IMAGO TENEBRARUM QUÆ SUPERVENTURA ERAT ILLIS] *Quæ superventuræ erant illis*, scripsit Interpres, nempe post hanc vitam exactam. Matth. VIII. 12. XXII. 13. XXV. 30. II Per. II. 17. Judas 13. εἰς ὃν hic quod ὑπόδειγμα, II. Pet. II. 16.

Vers. 20. IPSI ERGO SIBI GRAVIORES ERANT TENEBRIS] ἑαυτοῖς δὴ ἦσαν βαρύτεροι σκότοι. *At vero ipsi filii gratiores erant tenebris.* Major in animo nox.

## CAPUT XIIX.

*Cum tenebris Ægyptiacis lux Ebræorum confertur, & cum interfectione primogenitorum ac submersione Ægyptiorum in mari rubro, salus & conservatio Israëlitarum Sapientiæ deditorum, etiamsi ira Domini adversus eos exarserit, Domino per Aaronem placato.*

Vers. 2. ET UT ESSET DIFFERENTIA DONUM PETEBANT] καὶ τὰ διαλοιπόντας χρέα ἀπῄτουν. *Et veniam petebant, quod cum eu contendissent* Hoc sensu διαφέρειν habet II. Macc. III. 4.

Vers. 3. ET SOLEM SINE LÆSURA BONI HOSPITIS PRÆSTITISTI] *Quæ columna Sol erat innocua magnificæ peregrinationi.* Hunc sensum exigunt Græca. Columna illa nocte vicem præbebat solis. Erat autem magnificum tali ductu iter facere.

Vers. 4. QUI INCLUSOS CUSTODIEBANT FILIOS TUOS] *Custodierant.* Ut captivos tractaverant, Ægyptii scilicet Hebræos.

PER QUOS INCIPIEBAT] *Debebat.* ἔμελλεν.

INCORRUPTUM LEGIS LUMEN] Quod in cœlo Sol, hoc lex in terra, ajunt Hebræi.

Vers. 5. MULTITUDINEM FILIORUM ABSTULISTI] Primogenitos. Exod. XII. 29.

ET PARITER ILLOS PERDIDISTI IN AQUA VALIDA] Ipsos patres in mari rubro.

Vers. 6. ILLA ENIM VOX ANTE COGNITA EST A PATRIBUS NOSTRIS] Mose prædicente, Exod. XI. 4.

UT VERE SCIENTES QUIBUS JURAMENTIS CREDIDERUNT] Quam fideli Deo credidissent, præsertim cum is etiam jurejurando possessionem Cananæ ipsis addixisset, Gen. XXII. 16.

Vers. 9. ABSCONSE ENIM SACRIFICABANT] Paschæ scilicet. Exod. XII. 28.

ET JUSTITIÆ LEGEM IN CONCORDIA POSUERUNT] Illa victima fœderati sunt inter se ad unum Deum colendum.

SIMILITER ET BONA ET RECEPTUROS JUSTOS] *Participes se inter se fore bonorum & periculorum.* Non dissensuros se ab agmine, ob incommoda itineris, aut hostilem metum, eisque olim superatis, terram se divisuros æqua sorte.

PATRUM JAM DECANTANTES LAUDES] Abrahami, Isaaci, Jacobi, quibus illa terra promissa fuerat. Mos vetus Hebræorum, magnorum virorum ἐγκώμια canere, quales habemus apud Sirachiden. Imitati id Christiani in honore Apostolorum & Martyrum.

COmparatur sors Ægyptiorum tempore exitus cum Israëlitarum conditione. Hi læti carmina sacra in laudem Domini, cum Pascha celebrarent, decantabant. Illi autem horribiliter ob occisos primogenitos suos ejulabant. Ita Deus justo judicio illos, qui aliis per iniquitatem lachrymas excusserant, iterum plorare, & ejulare fecit.

Vers. 11. SIMILI AUTEM POENA SERVUS CUM DOMINO AFFLICTUS EST, ET POPULARIS HOMO REGI SIMILIA PASSUS] Exodi XII. 29.

Vers. 12. UNO NOMINE MORTIS] Id est, genere. Sic infra XIX. 17.

Vers. 13. DE OMNIBUS ENIM NON CREDENTES] Priora signa non credentes à Deo extitisse.

PROPTER VENEFICIA] Propter artes magicas Jamnis & Mambris. Sic vox φαρμακείας sumpta & supra XII. 4.

DEPONDERUNT POPULUM DEI ESSE] *Confessi sunt.* ὡμολόγησαν. Exod. XII. 31. In Græco, populum esse Filium Dei, id est, Deo carum.

Vers. 15. OMNIPOTENS SERMO TUUS TE COELO A REGALIBUS SEDIBUS DURUS DEBELLATOR] λόγος hic vocat Angelum, ut Philo sæpe. Exemplo sit locus ille de colonis: ὁ δὲ ἐπόμενος θεῷ κατὰ τὰ παγκάλων συμβουλὰς ὁρμὴς χρήσεται τοῖς ἀκολούθοις αὐτοῦ λόγοις, ὃς ἡγεμόνα ἕξει καὶ ἄγγελον. Nimirum quod Dei imperia secum ferant, ut jam sequitur. Hic est Angelus, ὁ ἀκόλουθος τῶν προθέτων. Hebr. XI. 28.

Vers. 16. GLADIUM ACUTUM, INSIMULATUM IMPERIUM TUUM PORTANS] *Gladium portans acutum, imperium tuum mimime fictum.* Nam ἐξόν hic est accusativi casus: gladium, id est, jus gladii.

ET USQUE AD COELUM ATTINGEBAT STANS IN TERRA] Poetica locutio, qualis illa Virgiliana:

*Ingrediturque solo & caput inter nubila condit.*

Sic in Apocalypsi Angelus pedem alterum in terra, alterum in mari ponit.

*Omnipotens verbum Domini* non est *angelus aliquis creatus*: talis enim non est παντοδυναμία. Quum hoc soli Deo proprium sit: ideoque rectius intelligitur *Filius Dei* qui ultionem de Ægyptiis sumsit DURUS hostium suorum DEBELLATOR. *Filius enim Dei non modo custos, sed etiam vindex est suæ Ecclesiæ, & majestatem suam in deficiendis hostibus suis tempore opportuno declarat*, ut hic pie Osiander noster. Interim adhibuisse Filium Dei ministerium Angeli non negandum. Sed angelo tali non convenit hoc Epitheton. Et Angelus ille in Apocalypsi *pedem alterum in terra, alterum in mari ponens c. X. v. 2.* ut ex circumstantiis patet, & suo loco docebitur, nullus alius est, nisi Filius Dei, terræ, marisque Dominus.

Vers. 18. PROPTER QUAM MORIEBATUR, CAUSAM DEMONSTRABAT MORTIS] Fatebatur Dei ultione hæc evenire.

Vers. 20. TETIGIT AUTEM TUNC ET JUSTOS TENTATIO MORTIS] Legit τότε, ubi multi libri πότε, *aliquando*. Sed in Sixtina editione deest utrumque. Apparet autem tangi historiam non connexam rebus Ægyptiis, sed aliquanto post secutam: de qua Num. XVI πεῖρα θανάτου recte vertitur periculum mortis. Apparet id infra 25.

Vers. 21. PROPERANS ENIM HOMO SINE QUERELA] ἀνὴρ ἄμεμπτος, vir inculpabilis, ἄμωμος, nempe Aaron. Sic & Zacharias ex Aaronis posteris dicitur ἄμεμπτος Luc. I. 6. respondet Hebræo תמים.

PROFERENS SERVITUTIS SUÆ SCUTUM] *Sui ministerii arma*: nempe thuribulum & preces, ut sequitur.

RESTITIT IRÆ] Num. XVI. 46. 47. 48.

ET FINEM IMPOSUIT NECESSITATI] *Calamitati*, συμφορᾷ.

Vers. 22. VICIT AUTEM TURBAS] Sequutus est lectionem quæ extatin Sixtina, τὸν ὄχλον. Sed rectius videtur in aliis libris legi τὸν ἀκολούθοντα, vastatorem Angelum: nam & τὸν κολάζοντα de eodem sequitur; & infra. sequetur. τότοις ἄρξει ὁ ἀκόλουθος Solet hæc vox tribui Angelis ad pœnam exigendam missis, I. Cor. I. 10. Dicit autem victum ab Aarone Angelum, respiciens ad id quod de Jacobo legimus Gen. XXXIII. 28.

NEC ARMATURÆ POTENTIS] Nempe militaris armaturæ.

ILLUM QUI SE VEXABAT] In Græco: τὸν κολάζοντα, id est, Angelum ultorem.

Adum-

Adumbrabat Aaron *Christum*, qui pro nobis apud Patrem intercedit, nosque Deo reconciliavit, ne æterna morte moriamur; sed & piorum preces pro iis, qui in periculo versantur, fulæ apud Deum valde sunt efficaces: *Preces enim piæ sunt illa arma quibus Dei ira expugnatur.*

IURAMENTA PATRUM] Id est Patribus facta.

ET TESTAMENTUM COMMEMORANS] In Hebræo pluraliter בְּרִיתוֹת, id est, fœdera, quia sæpe repetita promissio Abrahamo, Isaaco, Jacobo.

Vers. 23. INTERSTITIT] Inter mortuos & vivos. Num. XVI. 48.

AMPUTAVIT IMPETUM] ἀπέκοψε τὴν ὀργὴν, præcidit iram, id est finem ei fecit.

ET DIVISIT ILLAM QUÆ AD VIVOS DUCEBAT VIAM] Divisit, id est, intercluſit interfectori viam ad superstites.

Vers. 24. IN VESTE ENIM PODERIS QUEM HABEBAT, TOTUS ERAT ORBIS TERRARUM] Josephus lib. 8. ἀπορεμένῃ δὲ μοι ὁ τῶ ἀρχιερέως χιτὼν τὴν γῆν λέγω, ὁ δὲ ὑάκινθος τὸν πόλον. ἀστραπαὶς μὲν κατὰ τὰς ἐποίκους ἀπεικασμένῳ, βροντῆς δὲ κατὰ τὸν τῶν κωδώνων ψόφον. Hanc tunicam extimam ποδήρη vocant LXX. Exodi XXVIII. 31. & Hieronymus sæpe. Vide, si libet, epistolam ejus CXXVII. ubi præter terræ cœlique significationem, quam ex Josephi verbis attulimus, addit per purpuram intextam significari mare, ignem vero per puniceum colorem. Vox ποδήρης est & in Apoc. I. 12.

Plenius repræsentationem totius orbis ex Philone pariter, Hieronymo, Thoma I. 2. q. 102. a. 5. ad 9. & Josepho explicat *Tirinus* ad Ex. XXIIX. 38. *Repræsentabatur in veste poderis totus orbis, puta per byssum seu linum terra, è qua nascitur, per zonam Oceanus terram cingens, per tunicam hyacinthinam aër cærulei coloris, è qua prodeunt mala punica*, id est, *fulgura, & tintinnabula*, id est, *tonitrua. Purpura & coccus ignem repræsentant: Ephod & rationale cœlum sidereum, Onychini duo Solem & Lunam, vel duo hemisphæria; duodecim gemmæ duodecim signa Zodiaci; tiara cœlum empyræum:* (rectius majestaticum) *aurea lamina Deum omnibus super eminentem & præsidentem.* Quæ omnia repræsentavit pontifex utpote Deum ipsum Dominum totius mundi in terris repræsentans. V. *Hieronym. Ep. CXXIIX.*

ET PARENTUM MAGNALIA IN QUATUOR ORDINIBUS LAPIDEIS ERANT SCULPTA] πατέρων δόξαι, id est, nomina progenitorum posteris gloriosa. Descriptio est pectoralis, quod gerebat summus Sacerdos Ex. XXIIX. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

ET MAGNIFICENTIA TUA IN DIADEMATE CAPITIS ILLIUS SCULPTA ERAT] μεγαλοσύνη σου, id est, majestas tua, nempe his verbis קֹדֶשׁ לַיהוָה Ex. XXIIX. 36. Diadema vocat, quod in Hebræo צִיץ, quod τὴν κίδαριν vertunt Græci & Hieronymus ut & Scriptor Judithæ, & Sirachides, Josephus πίλον dixit nomine generaliore.

Vers. 25. HIS AUTEM CESSIT QUI EXTERMINABAT] Vide supra 22.

ERAT ENIM SOLA TENTATIO IRÆ SUFFICIENS] Periculum iræ, id est, ultionis divinæ Deo sufficere visum est ad admonitionem in posterum. Vide supra 20. Iræ pro pœna metonymia frequens,

## CAPUT XIX. & ultimum.

*Perstitit in comparando populo Dei cum hostibus sapientiæ Ægyptios, & hos ait mari rubro submersos, Ebræos carnibus concupitis recreatos: Ægyptios excitate percussos, Ebræos lumine, aliisque beneficiis donatos. Tandem pro omnibus gratias agens divinæ Sapientiæ, librum concludit.*

Vers. 1. IRA SUPERVENIT] Ἐπῆλθε ὀργὴ.

PRÆSCIEBAT ENIM ET FUTURA ILLORUM] Sic & Pharaonis animo introspecto Deus prædixerat, eum signis divinis non cessurum Exod. VII. 4.

Vers. 4. DUCEBAT ENIM ILLOS AD HUNC FINEM DIGNA NECESSITAS] Deus illis mentem ademerat, ut tanto justior appareret ultio. Sic de Hierosolymitis Vespasiani tempore Josephus: πεπόμφατο ὑπὸ τῆ χρεὼς ὁ τῆτε πόλεο καὶ αὐτοῖς τῶν παρῶν. Sununt sæpe Græci ἀνάγκην hoc sensu, ut cum dicunt:

Πρὸς τὴν ἀνάγκην δεῖ λέγειν ἀπόδεκτα.

NEcessitas hæc non erat *coactionis*, ut notat *Bonaventura*, sed *immutabilitatis*, quia si voluissent, poterant pœnitere, & hic pœnam vitare, sed nolebant: quo prævisо decrevit Deus eos punire: *Ergo necessitas erat consequens voluntatem eorum, non antecedens*, ut hic recte observavit *Tirinus*.

Vers. 6. OMNIS ENIM CREATURA AD SUUM GENUS AB INITIO REFIGURABATUR] ἕκαστα γὰρ ἡ πάντων ἰδία γένεσι πάλιν ἀπεδίδει μετεποιεῖτο ὑπηρετοῦντα τοῖς ἰδίοις ἐντολαῖς. *Rursum enim creatura omnis in sua quæque genera reformabatur, obsequens mandatis suis*: id est, sibi datis. Rursum ait quia jam multa in Ægypto contra naturam contigerant. Vide supra XVI. 24. 25. ubi μεταπλάσσειν dicitur, quod hic ἀναπλάσσειν: infra 17. μεθαρμόζεσθαι.

Vers. 7. NAM NUBES CASTRA EORUM OBUMBRABAT] Exod. XIV. 19.

TERRA ARIDA APPARUIT] ἀνάδυσις γῆς, *denudatio terræ*, Lucanus:

*Nam pelagus quæ parte fedet non celat arenam.*

UT CAMPUS GERMINANS] Algosus.

DE PROFUNDO NIMIO] ἐκ κόλπου βυθοῦ.

Vers. 9. TANQUAM ENIM EQUI DEPAVERUNT ESCAM] Tam bene pasti sunt à Deo mannæ ipsis dante, quam bene curari solent à dominis equi nobiles.

Non hæc pertin ebant ad præbitionem mannæ in deserto, sed potius ad deductionem è mari rubro; ideo simplicius B. Oliander reddidit: *Tanquam enim equi* versabantur Israelitæ in profunditate maris virente, quasi equi *depaverunt*, rectius; depascentes *escam*: ut equi libere in pascuis vagantur, Gleich als wenn die Roß auff der Weid gehen: *& tanquam agni exultaverunt magnificantes*, atque laudibus extollentes *te Domine, qui liberasti illos.* Merito autem te celebrabant, Domine Deus: *Memores enim erant adhuc eorum* miraculorum, *quæ ineolatu illorum* (dum in Ægypto habitaverant) *facta fuerant.* Ita etiam *Menochius*, & plerique alii figurate hæc accipiunt, quod alveus iste fuerit Æbræis instar campi virentis, quia summa lætitia, & alacritate illum transibant, perinde ac si per amœna & virentia prata transissent. Sed *Osorius, Vatablus, Pineda* in Joh. XXVI. 5. n. 1. *Castritius, Lorinus*, id proprie accipiunt, ut sonat, voluntque ex Plinio l. XIII. n. 25. in fundo maris saltem plurimis locis herbas, plantas, imo silvas esse, non minus, quam corallia. Verum simplicior, & amplificationi Rhetoricæ autori nostro receptæ convenientior est prior explicatio. Illa vero Grotiana de pastura Israelitarum instar equorum nobilium per manna & à contextu alienior, & insolentior, prorsusque nova est explicatio, quam à Jesuita *Sa* habere videtur Grotius. Cohærent hæc cum præcedentibus de *campo germinante*, quæ indubie ad mare rubrum pertinent. Ideo de lætitia incessus per illud Liranus, Dionys. Carthus. Lorinus, ut & Tirinus hæc explicant.

Vers. 10. IN INCOLATU ILLORUM] Bene expressit Græcum παροικίαν. In titulo Digestorum ad municipalem, quod additur *& de incolis*, Basilicæ vertunt, περὶ παροίκων. Vide quæ ad Luc. XXIV. 18.

EDUXIT TERRA MUSCAS] In Græco: ἐκύησε: quomodo LXX. vertunt שָׁרַץ diximus ad Exodi IIX. 16.

Vers. 12. ORTTGOMETRA] Vide supra XVI. 2.

Id est: *cum illis divinitus daretur innumerabilis multitudo coturnicum.* Bis autem leguntur ipsis datæ coturnices: primum paulo post egressum ex Ægypto, ubi Deus concupiscentiam eorum non punivit. Exod. XVI. Deinde cum jam Israelitæ diu in deserto versati denuo carnes (magno cum murmure adversus Deum) peterent, ubi gravis pœna est sequuta. V. Num. XI. de priori hoc loco agitur.

NON

NON SINE ILLIS QUÆ ANTE FACTA ERANT ARGUMENTIS PER VIM FULMINUM] Fulmen vocat ignem illum mixtum pluviæ & grandini, de quo supra egit XVI. 17. XVII. 6. Dicit autem evenisse hoc illis non sine præsignificatione; nam cum Sodomitas olim Deus fulmine percussisset, scire debebant se non minora merito: id vero in sequentibus explicat, instituta comparatione.

Deum fulmina in Ægyptios ejaculatum prius quam aquis illos involveret & è *c. XIV. Exod. 24.* colligitur, & à *Philone* l. de vita Mosis, *Iosepho* l. 2. Antiqu. c. 7. & *Artapano* apud *Euseb.* l. IX. de præpar. c. ult. docetur.

Vers. 13. ALII QUIDEM IGNOTOS NON RECIPIEBANT ADVENAS] *οἱ μὲν γὰρ τοὺς ἀγνῶτας ἀπεδέχοντο πικρῶτατα.* Sed puto scriptum fuisse, *τοὺς ἀγνῶτας.* *Illi* (Sodomorum cives) *eos qui adeunt ignotos non recipiebant.*

ALII AUTEM BONOS HOSPITES IN SERVITUTEM REDIGEBANT] *Hi vero*, Ægypti, *bene-meritos de se hospites servitute premebant.* Bene meritus de Ægypto erat Josephus Israelitarum unus. Bene meriti & Israelitæ cæteri colendo terras incultas.

Vers. 14. ET NON SOLUM HÆC, SED ET ALIUS QUIDEM RESPECTUS ILLORUM ERAT, QUONIAM INVITI RECIPIEBANT EXTRANEOS: QUI AUTEM CUM LÆTITIA RECEPERUNT HOS, QUI IISDEM USI ERANT JUSTITIIS, SÆVISSIMIS AFFLIXERUNT DOLORIBUS] Locus obscurus, sed qui facile explicari poterat, mutata in Græco nonnihil interpunctione, & ἑ mutato in *οἱ*: deinde *ἰσον* in *ἴσα*, & *οἱδὲ* scripto, pro *οἱ δὲ*, hunc in modum: *ἀλλ' ὅτι μὲν, φησὶν, ἀπεδέχοντο τοὺς ἀλλοτρίους οὐδὲν μετὰ τοιαύτης διαθέσεως ἐποίουν· τοὺς δὲ ἀλλοτρίους οὐδὲ μετὰ τοιαύτης ἐδέξαντο τῶν αὐτῶν μετεχόντας δικαίων, θανασίμοις ἐκάκωσαν πόνοις. Neque hoc tantum* (id est, non in eo tantum quod dixi vis est comparationis) *sed & pœna debita fuit illis*, (Sodomæ civibus) *ideo quod peregrinos immisce acceperunt, hi* (Ægyptii plus fecerunt, nam) *quos cum festo gaudio excepérant, participes jam factos juris communis*, (id est, civitate donatos) *durissimis affecêre doloribus.* Ἐναντιοῦται pro pœna sæpe ponitur, ut supra XIV. 11. Si Sodomorum cives pœnam gravem meruêre duritiæ in hospites ignotos, quanta hi majorem, duritiæ tanta in notos & receptos, & in civitatem adscitos?

Neque temere adscitos in *civitatem* vel *Remp. Ægyptiacam*, sed ob *beneficia insignia*, quæ in regnum universum *Iosephus* contulerat, quæque per Israëlitas benedictione divina, & informatione salutari consequuti erant Ægyptii. Hæc autem *per parenthesin* dicta non male observat *Osiander*, ita ut revertatur postea ad id, unde digressus erat autor, cum illam comparationem Sodomitarum & Ægyptiorum qua merita & inhospitalitatem instituit.

PERCUSSI AUTEM SUNT CÆCITATE] Ideo merito Ægyptii cæcitate, id est, densissimis illis tenebris (de quo actum supra XVII. 13.) puniti sunt.

SICUT ILLI IN FORIBUS JUSTI] Sodomi cives. Gen. XIX. 11.

CUM SUBITANEIS COOPERTI ESSENT TENEBRIS, UNUSQUISQUE TRANSITUM OSTII SUI QUÆREBAT.

Scriptura *Canonica*, (quod recte notat Osiander) *de hac re paulo aliter refert*, nempe his verbis: *Tribus diebus nemo vidit fratrem suum.* Nec *movit se de loco, in qua erat. Ex. X.* Non ergo convenit hic liber cum Scriptura Canonica.

Vers. 17. IN SE ENIM ELEMENTA DUM CONVERTUNTUR, SICUT IN ORGANO QUALITATIS SONUS IMMUTATUR, ET OMNIA SUUM SONUM CUSTODIUNT] Hæc quoque in Græco interpunctio vitiosa, & *ἔχει* scriptum pro *ἔχειν*: scribendum quippe: *δι' ἑαυτῶν γὰρ τὰς στοιχεῖα μεθαρμοζόμενα ὥσπερ ἐν ψαλτηρίῳ φθόγγοις τὸ ὄνομα, διαλλάσσουσι πάντοτε μενόντα ἔχειν. Mutata enim in se elementa, sicut in Psalterio soni mutant genus numeri, ita mutant semper manentem tenorem.* Quam facile, inquit, tibicen de Dorio transit in Phrygium: tam facile, ubi Deo ita visum est, omnes naturæ partes suum tenorem (quem *ἔχειν* vocat, quo magis insistat comparationi) sibi solitum derelinquunt, & in longe alienum transeunt. Nomen pro genere poni etiam supra notavimus XVIII. 12.

UNDE ÆSTIMARI EX IPSIS VICIS CERTE POTEST] *ὅπερ ἐστὶ σαφέστερον ἐκ τῶν τοῦ γεγονότος ἐλέγχειν ἐπιτηδευμάτων. Quod exactè intelligi potest ex institutis eorum quæ facta sunt.*

Vers. 18. AGRESTIA ENIM IN AQUATICA CONVERTEBANTUR] Jumenta enim per mare transiêre.

ET QUÆCUNQUE ERANT NATANTIA IN TERRAM TRANSIBANT] In Græco tantum est, *ἡκιστὰ μετέβαινεν ἐπὶ γῆς*; nare solita in terram transibant: ranæ nempe in omnem terram Ægypti. Exod. VIII. 6.

Vers. 19. IGNIS ENIM IN AQUA VALEBAT SUPRA VIRTUTEM SUAM] In Græco: *πῦρ ἰσχύειν ὑπὲρ τὴν ἰδίαν δύναμιν ἐπιλελησμένον. Ignis vim suam in aqua obtinebat, oblitus naturæ suæ:* quæ est scilicet, aquis extingui: Repetitum ex iis quæ supra XVI. 17.

Vers. 20. CORRUPTIBILIUM ANIMALIUM] *ἀνθρώπων*, id est, facile corruptibilium: idem est quod supra XVI. 18.

NEC DISSOLVEBANT ILLAM, QUÆ FACILE DISSOLVEBATUR, SICUT GLACIES BONAM ESCAM] Manna pruinæ simile non liquefiebat igribus coctum. Idem quod supra XVI. 22. *Pro esca bonum*, in Græco est: *ἀμέριστος τροφὴ*, quia hic panis Angelorum dicitur, ut habuimus supra XVI. 20. Ambrosia autem Græcis scriptoribus deorum cibus.

Addimus Osiandrinam paraphrasin, quæ hic pulchra est, & luculenta: *In miraculis, quæ partim in Ægypto, partim in exitu ex Ægypto, partim post exitum facta sunt, tanta fuit naturæ rerum conversio, ut omnia quasi inter se confundi viderentur, & tamen revera coram oculis Dei erat pulcherrima harmonia: quemadmodum in musico instrumento voces inter se discurrunt, sursum deorsumque, & tamen simul efficiunt suavem & concinnam harmoniam: id quod reipsa in experientia ab Israëlitis deprehensum est. Homines enim (Israëlitæ) versabantur in profundo maris, sine nocumento, qui in terra seu agro ambulare debebant. In Ægypto paulo ante ranæ in palatio regis Ægyptiaci discurrebant, quæ in aquis aliàs esse solent. Ingentia fulgura in densissimo nimbo non extinguebantur, neq; crassissimus imber fulmina extinguebat. Neque fulgetra creberrima delebant animalcula, in pœnam Ægyptiis immissa: Neq; ulla fulgura totis quadraginta annis in deserto effecerunt, ut manna inde colliqueseret, quæ tamen alias levi Solis calore, tanquam glacies solvebatur. Hæc omnia fuerunt valde miraculosa. Sic hodie etiam in multa videntur coram ratione nostra admodum confuse geri: cum tamen in oculis Dei omnia pulcherrimam harmoniam habeant: sunt enim omnia ad Dei gloriam, & ad Ecclesiæ salutem divinitus directa.*

Vers. 21. ET IN OMNI LOCO ASSIDENS EIS] Videtur hic liber esse *πάλαιος*.

Si *πάλαιος* est, neque à *Propheta*, vel *immediata inspiratione divina* profectus, neque *Scripturæ Canone* dignus censendus est: quod tamen Papistæ contendunt. Nam *mutilos & imperfectos*, vel *cauda truncatos* libros nec Deus Ecclesiæ tradidit, nec Ecclesia ceu divinos habuit unquam. Quanquam vero autor hic non ulterius in Historia beneficiorum divinorum progrediatur, quam usque ad eductionem & deductionem Israëlitarum, non tamen hinc argumentum peti potest, quasi *cauda truncatum* sit scriptum. Annon enim potuit acquiescere Historia Pentateucho Mosis comprehensa, quum & libera sit tractationis Oeconomia, & in illa documenta satis multa, satisque illustria contineantur divinæ sapientissimæ, benignissimæ & justissimæ gubernationis? Quod omnino ejus institutum videtur fuisse.

Sed hæc de libro isto sufficiant, non *Canonico* quidem, *insigni* tamen, atque *utilissimo*. *Deo Sapientiæ omnis scaturigini sit laus, honor & gloria in sempiterna secula. Amen.*

*I. N. J.*

I. N. I.

# ANNOTATA AD LIBRUM ECCLESIASTICUM SIVE SAPIENTIAM JESU FILII SIRACH.

## PRÆFATIO GROTII.

SCriptus est hic liber Hebræo sermone ab Jesu avo hujus interpretis sub Simone secundo Sacerdote maximo, non ita multo ante Antiochi tempora, ut notat Eusebius demonstrationis octavo, & confirmant ea quæ infra habemus VIII. 33 34. Versus in Græcum Ptolemæo Evergete per Ægyptum & vicina loca regnante. Antiqui hunc librum ex materia etiam πανάρετον vocant, ut Clemens Alexandrinus. Sequuntur id alii, & Cassiodorus. Extat autem duplex hujus libri præfatio in Græcis libris, altera ab ignoto aliquo hujus libri editore, altera sub illius Jesu posteritatis nomine.

In priore illa hæc notanda, γρόνος κατὸ appellari tempora post Prophetas, ut ipse explicat; addito tamen σχεδὸν, quia interdum בת קול, id est, vox divina, ad quosdam perferebatur vice Prophetiæ: καθ' ὃ καὶ αὐτὸς μαρτυρεῖ, id est, ut ex opere apparet. Τῶν πρὸ αὐτοῦ γεγονότων ἐπῶν ἀπομνημάτευσε συνάγων, id est, ἐκλογὰς fecit, quales habemus a Salomone, Ezechia & aliis factas, aut jussas fieri in libro παροιμιῶν, & quales apud Græcos fecit Joannes Stobæus, Maximus & Antonius monachi, & alii. Ἴδιόν τινα ἀπεφήνατο, ipse sententias quasdam argutas invenit, quæ sub ejus nomine in vulgus manarunt; quales nempe sententias sapientum Arabum, additis sæpe & eorum nominibus, nobis dedit Erpenius. Ἓν ἐν πᾶσιν ἀμείνων συμπαγὴς συμπάγων, id est, velut in titulos quosdam digessit, ut quæ ad eandem materiam pertinent, sub uno essent intituli. Durum est ἐγκύπτων pro animo comprehendens, quasi sit pro חפש, quod verti solet ἐρευνῶν: forte scriptum fuerat, πενόμενος. Αἰνίγματα sunt, dicta ἀλληγορικῶν. Cæteræ γνῶμαι planiores, omnes Hebræis vocantur παραβολαί. Vide quæ dicta ad Matthæum 13, 2. & 35. τῶν μερικῶς τινας παλαιὰς θεοφιλεῖς ἱστορίας, ideo dixit μερικὰς, quia non nectit historiam, sed ex diversorum temporum historiis utilissimas quasdam collegit, idque per modum ἐκλογῆς. Ὁπαδὸς τῷ παλαιωτέρῳ, id est, vestigiis insistens, Salomonis, eam imitans.

In præfatione sub ipsius Jesu nomine ænimium plenius est in Græco, quam in Latino hoc sensu: *Cum multa nobis & magna per legem & Prophetas, & eos, qui ipsos secuti, dicta essent, & quæ par est laudari Israëlem eruditionis & sapientiæ nomine, talia ut ex eis non modo lectores, sed peritiam adipisci deberent, sed & possint disciplinæ studiosa externa se præbere utiles, tum loquendo, tum scribendo, etiam avus meus Jesus &c.* Illa *ut desiderantes discere &c.* In Græco sic habent: *Ut disciplinæ avidi, horum facti compotes, majorem in legitima vita profectum faceremi*, Veniam habere dixit Interpres Latinus, Græcam secutus locutionem, συγγνώμην ἔχειν, pro veniam dare. Etiam illa, *in quibus videmur sequentes imaginem*, clariora sunt in Græco. *Si quando videamur imperii vertendis quibusdam locutionibus diligenter elaborasse; non enim idem valent eadem, cum qualia per se sunt Hebraïs enuntiantur, & cum transfusa sunt in linguam aliam.* Evergeten Regem, cujus hic mentio, intellige secundum ejus nominis, qui posterior fuit Epiphane, sub quo Pontificatum gessit Simon Oniæ infra memorandus. Mox pro, *insteni ibi libros relictos*, in Græco est ἐνστῆναι νοῦν μοδικὸν ἐυδιτιονὶς ἐξομοίωσιν. Κράσσιον est id quod aliter Græci ἴσον dicunt, Latini particulum, par de pari describentes. Alii libri habent ἐφεξῆς, ut videatur scribens respexisse suum tunc peregrinantis vitæ genus, quo & illa spectant, quæ sequuntur in Græco: τοῖς τε παροικοῦσι βοηθοῦντας φιλομαθῆ, *ita qui peregre agentes discere aliquid volent* id est, ut quibus magna non est librorum copia, hoc velut multorum librorum compendio utantur.

## OBSERVATIONES AD PRÆFATIONEM.

*De originali lingua.*

*Hebræo* sermone scriptum esse præsentem librum ab *avo Jesu* etiamsi admittamus, certum tamen non extare amplius in Ecclesia, nisi quæ interpres hic transtulit in *Græcum sermonem*. Unde argumentum: quod liber non sit *autoritatis Canonicæ*. Quia tales libri conservati ea lingua sunt, qua originaliter inspirati, & conscripti fuêre, neque interire authenticum textum passa est divina providentia, in iis libris, quos perpetuo Ecclesiæ Canoni consecravit.

*Tempus Scriptionis.*

*Tempus Scriptionis* hujus libri, quæ primum Hebræo sermone ab avo hujus interpretis Jesu conscriptus fuit, incertum videri possit; *Josephus* l. XI. Antiquit. sub finem & XII. c. 1. 3. 4. post historias Biblicas *Sacerdotes Summos* ita recenset, utpote post *Eliashibum*, filium ejus *Iudam*, eo autem defuncto filium ipsius *Iohannem*, qui Jesum, cui promissus erat Pontificatus, in templo interfecerat; Cui successit *Iaddus*, ab Alexandro M. cui obviam factus est habitu Sacerdotali, adoratus, qui se in ipso Deum, cujus Sacerdotio fungeretur, adorare profitebatur. Jaddo autem successit filius ejus *Onias*, post Alexandri M. mortem *Seleuco* Babylonem, gentesque vicinas, *Ptolemæo filio Lagi* Ægyptum possidente. Oniæ (seniori, vel Prisco) successit in Pontificatu filius *Simon*, qui *Iustus* appellatus est. Qui successorem habuit fratrem *Eleazarum*, ad quem Ptolemæus Philadelphus ob interpretes Bibliorum scripsit. Eleazaro successit Patruus ejus *Manasses*. Quo defuncto *Oniæ* Simonis Justi filius Pontificatum adeptus est. Huic autem *Oniæ* secundo *Simon secundus* successit: Qui defunctus *filio Oniæ* tertio principatum Sacerdotii reliquit; qui *Sanctus* vocatus Heliodoro, restituit 2. *Macc.* 3, 31. & *Iudæ Maccabæo* visus est intercedere pro populo 2. *Macc.* 16. 2. à fratre *Iasonæo* exstrusus, & ab altero fratre *Menelao* occisus. *Eusebius* Josepho consonans *l.* 8. *demonstrat. Evangelic.* ad alterius quidem *Oniæ* filii *Simeonis*, *Secundi* nempe, non ad Simeonis Justi tempora librum prælentem refert, non autem apparet, an loquatur ibi de prima ejusdem concinnatione Ebræo sermone facta, num vero de *translatione in Græcum sermonem*, num de *Iesu avo Interpretis*, an vero de *interprete ipso*. Post *hunc* (Eleazarum) inquit, *secutus est alter Onias, cui successit Simon: cujus tempestate Iesus filius Sirach famæ celebris fuit, ὁ τὴν καλουμένην παλαίτερον σοφίαν συνθεὶς, qui Sapientiam titulo omnia virtutum genera profitentem composuit.* Et in divortia hic eunt sententiarum Interpp. Nam Simeonis quidem Secundi tempore non avum Interpretis, sed interpretem ipsum vixisse, Sirac idem autem seniorem vel avum sub *Ptolemæo Lagi* floruisse, adeoque ante Simeonem Secundum *Cornelius à Lapide* cum aliis nonnullis statuit, & Simeonem, quem *Simeides* c. 1. celebrat, *iuniorem* esse vel *Secundum*, non *Sigonio* tantum l. IIX. de Rep. Ebr. c. 2. *Adrichomio* in descript. Jerus. *Senario* in lib. Maccab. *Rabano*, *Lyrano*, *Hugoni*, & *Dionysio* tribuit *Cornelius* ad v. 1. c. 1. Ecclesiast. sed etiam ipsimet *Eusebio* in Chronic. Olympiad. 137. ipse vero existimat, Simeonem à Syracide celebratum esse *Simeonem seniorem*, vel *Iustum*, adeoque librum hunc conscriptum esse sub finem regni Ptolemæi Lagi, vel sub initium regni Ptolemæi Philadelphi, adducens in eam sententiam *Gerebrardum*,

*Tempus Scriptionis.*
*Summi post Iustum Biblicos.*
*Post Eliasib Iudæ Iohannes.*
*Iaddus.*
*Onias Senior.*
*Simon Iustus.*
*Eleazar.*
*Manasses.*
*Onias II.*
*Simon II.*
*Onias III.*

*Quo tempore Sirac. Senior vixerit.*

*bardum*; *Salianum*, *Torniellum* in Chronol. *Janſenium*, *Palavium* & *Emanuelem Sa* in Ecc. 50. Atque ita etiam *Tirinus*, *Menochius*, & *Stalger*.

Argumenta adducunt ſequentia 1. quod *Siracides junior* vixerit tempore *Ptolemæi Evergetis*, inde avum ejus oportet, ſi non ante, ſaltem ſub tempore *Ptolemæi Philadelphi*, & *Eleazari Pontificis* vixiſſe. 2. Quod *Simon ſenior* illuſtris fuerit, eique illuſtria illa elogia conveniant, quæ Siracides congeſſit c. 50. non autem *Simoni ſecundo*, de quo nil memorabile extat ſive apud Joſephum, ſive apud alios ſcriptores. De *ſeniore* vero ita habet *Joſephus* l. 12. Antiq. c. 2. *Onia Pontifice defuncto ſucceſſit ei filius Simon juſtus cognominatus, quod & Deum pie coleret, & cives ſummâ proſequeretur benevolentia.* 3. Simon ille, cujus laus à Siracide textitur, jam erat defunctus, ut è c. 50, 1. patet; Simon autem junior vixit cum Siracide juniore, & forte ei ſupervixit. Scripſit ergo hæc Siracides ſenior de Simone ſeniore eo jam defuncto, poſt ejus mortem. 4. Si tempore Simeonis ſecundi hæc ſcripta, mirum, quod Eleazari Pontificis & LXX. Interpp. non meminerit, qui Simonem ætate, & geſtis & gloria antecеſſerunt, mirum etiam, quod non Græco, ſed *Ebræo* ſermone poſt pridem converſa Biblia in Græcam linguam Siracides ſenior ſcripſerit. Hæc illi, è quibus viderint, qui ad Simeonis ſecundi tempora ipſum redigunt.

*Quis Ptolemæus Evergetes hic ſit?*

Quod autem ad *Ptolemæum Evergetem attinet*, cujus mentio in præfatione ſit, eum non eſſe *poſteriorem*, qui *Phiſcon* Joſepho & Straboni dicitur, ut *Grotius* vult, ſed *priorem*, Cornelius, Tirinus & alii obſervant: annus autem ille 38. non eſt regiminis ejus (neuter enim tot annis præfuit) ſed vel vitæ Siracidis junioris, ut Lyranus vult, vel ex quo avus ejus hunc librum conſcripſit.

*De nomine libri παιδ. & σοφ.*

*Nomen* libri παιδ. & σοφ. quod concernit, quod *omni virtute plenus* ſit, tribuit quidem id ei *Hieronymus*, vel obſervat potius id ei tributum *præf. in libr. Salom.* ut & *Rabanus*, recte tamen *Cornelius à Lapide* monet, Sapientiam Salomonis παιδ. & σοφ. *proprie* eſſe ejus *Proverbia*, atque ita appellari ab *Irenæo Hegeſippo*, & aliis apud *Euſeb. l. 4. hiſt. c. 22.*

*Eccleſiaſticus.*

*Eccleſiaſticus* autem communiter dicitur non tam ad *imitationem Eccleſiaſtis Salomonei*, ut Cornelius vult, quam quod Eccleſiæ utilis ſit, ut *Hugo* habet, vel quod in Eccleſia legi conſueverit, ut populum per omnia, quæ officii & virtutis ſunt, eruditat, quam cauſam agnoſcit idem *Cornelius*; qui vero in eo valde fallitur,

*Comparatio cum Prov. Salom.*

quod *utiliorem* dicit *Eccleſiaſticum*, ipſis *Proverbiis Salomonis*, *ac uberiorem media ad, ſanctè vivendi, dicendi, concionandi materiam ſuppeditare*; Quod eſt librum non Propheticum Prophetico, humanitus ſcriptum divinitus inſpirato, hominis obſcuri, ei, qui à Sapientiſſimo mortalium Salomone indubie profectus eſt, præferre, ac ſoli, quod dicitur, obloqui. Nam in media luce collocatum eſſe arbitramur, *plus utilitatis & ſapientiæ ineſſe proverbiis Salomonis*, quam *Eccleſiaſtico Siracidæ*, & divitias doctrinarum fontem illum divinum inexhauſtas continere, quocum in nullam contentionem rivulus hic turbidus venire poſſit aut debeat, quum de ſola Scriptura ſacra valeat illud Apoſtoli, quod ſit ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, 2. Tim. III. 16.

Porro non obſcure agnoſcit *Grotius*, *interpretem non eſſe Prophetam*, imo ne autorem, quia ſcriptum librum dicit *poſt Prophetarum tempora*, etſi ſuum בת קול *filiam vocis* ingerere *vice Prophetiæ* velit; quæ vero in S. literis fundamentum non habet. Nulla enim Prophetia eſt, niſi quæ à Spiritu ſancto inſpirata, 2. *Petr. 1, 21.* nec quicquam quod vice Prophetiæ fuerit, Prophetici & Canonici libri in V. Teſt. cauſa extitit, ſed divina revelatio, quam προφητείας & Prophetis propriam dicimus, vel θεοπνευστίαν divina inſpiratio, 2. Tim. 3, 16. Adde quod interpres *petat veniam ſibi dari, ſi non ita commode Hebræa tranſtulerit.* Quod Prophetarum non eſt: utpote qui à Spiritu ſancto agitati, veniam petere opus non habent; quodque in *Prologo* ſtatim innuatur, poſt Prophetarum tempora hæc ſcripta eſſe. *Multorum nobis & magnorum, per legem & Prophetas, aliosque qui SEQUUNTUR illos, ſapientia demonſtrata eſt*: ut taceam, quod magnam ſe adhibuiſſe diligentiam, & *multa vigilia* hæc confeciſſe autor profiteatur, qua opus non eſt, cum divinitus inſpirantur ſcribenda. Et occurrere nonnulla in hoc ſcripto, quæ non ſunt Canoni divino ſatis conſentanea, imprimis c. 3, 33. c. 46, 23. c. 48, 10. 49, 1. ſuis locis conſtabit. Dubitare certe nonnullos è *Pontificiis de autoritate Canonica* ejusdem fatetur *Pererius* l. 1. de Magia c. 11. p. 59. & *non haberi hunc librum inter ſcripturas Canonicas* apud Hebræos obſervavit ipſe *Thomas* p. 1. q. 89. art. 8. ac poſuit Grotius eundem inter illos libros, qui ſunt extra Ebræorum Canonem. Unde nequicquam laborat *Bellarm. l. 1. de Verb. Dei c. 14.* ut eundem Canonici adſerat, temereque, imo & contradictorie ejus auctorem *Salomonem*, facit, quum Prologum, in quo *Jeſus* autor nominatur, & *tempus ſcriptionis* longe à Salomonis ætate diſtans deſignatur, non reprobet; & ex ipſo libro conſtet poſt tempora *Eliæ, Eliſæi, Hukiæ, Eſaiæ*, qui c. 48. celebrantur, eundem ſcriptum eſſe, imo poſt Simonem ſacerdotem magnum conſtitutum, ut è c. 50. liquet. *Cornelius à Lapide* prolixe de autore agens, adducit quidem *Anacletum, Alexandrum I. Sixtum I.* & alios Eccleſiaſticum ſub nomine Salomonis allegantes: Sed id fieri cenſet 1. quia imitatur Salomonem. 2. Quia nonnulla deprompſit ex Salomone partim edita, partim non edita. 3. Quia ſolet annecti libris Salomonis. 4. Propter nimiam ſenſus ſimilitudinem & eloquii parilitatem, ut habet Rabanus. 5. Quod juxta *Palavium* Jeſus filius Sirach alio nomine Salomo etiam vocatus ſit. 6. Quod credibile ſit librarios hujus libri nomen impoſuiſſe; certum tamen eſſe agnoſcit autorem Eccleſiaſtici non eſſe *Salomonem*, ſed *Jeſum filium Sirach*, idque probat ex inſcriptione, præfatione, ut & c. 2, 29. & titulo c. 51. ac conſenſu *Euſebii* l. 8. de præp. Ev. c. 2. *Athanaſ.* Synopſ. *Procop. Gaz.* præfat. in Gen. *Caſſiod.* l. 1. inſt. c. 13. *Hieronym.* in c. 9. Dan. *Iſidor. Peluſ.* l. 4. Ep. 228. *Epiph.* l. 1. Tom. 1. hæreſ. 8.

*De autore non Propheta & quod ſcriptum non ſit Canonicum.*

Quanquam vero Bellarminus *ſententiæ Salomonis hic collectas dicat*, *Grotius* tamen non has eſſe ὁμολογᾷ *Salomonis*, ſed *ſimiles* tantum, *tales* nempe, *quales habemus à Salomone, Ezechiæ, & ab aliis ſactas*, agnoſcit, idque præfatio Græca prior innuit: quia autor *veſtigiis Salomonis ſeſe inſiſtere*, eum imitando fatetur, non vero parabolas ipſiusmet Salomonis exhibere, aut congerere. Et habemus hic confitentem Tirinum, qui, *inſcriptus*, inquit, *aliquando fuit* (hic liber) *Salomoni teſte Hilario, Hieronymo, Auguſtino, & Iſidoro, unde & Concilium Carthaginenſe III. c. 43. eum citat, nomine Salomonis, tumpe ob parabolarum & phraſium ſimilitudinem, & quia ex Salomonis para-*

*parabolis quædam hinc inde huic operi inspergitur. Sed certum est, non Salomonem, sed Jesum filium Sirach Jerosolymitam, cui jam passim à Græcis & Latinis adscribitur, auctorem esse, ut constat ex Prologo, & cap. ultimo libri: Jesum, inquam senio-rem, qui putatur nepos vel abnepos Jesu Sacerdotis Magni, cum Zorobabele reducis è Babylone sub Cyro, inquit Isidorus (l. 6. Etymol. c. 2.) & fuisse unus è LXXII. Interpp. qui jubente Ptolemæo Philadelpho Biblia ex Ebræo in Græcum idioma transtulerunt.*

Denique cum diversitatem textus *Latini & Græci* Papistæ insiciari non possint, quam hic observavit Grotius, deliberandum illis erit, utrum pro authentico habere velint, anne antiquiorem illum *Græcum*, an vero nuperum *Latinum* à Concilio Tridentino probatum! & quid habendum de *præfatione* in Græco textu tantum extante! de ipsa denique *Latina præfatione* transigant Papistæ, quam multi Canonicam faciunt, alii Canonicam autoritatem ei derogant, notante hic Menochio: *Hic prologus est Jesu filii Sirach junioris, nec S. Scripturæ authoritatem habet, ut aliqui sentiunt, alii tamen affirmant.* Affirmat & *Abulensis* in præfat. part. 2. libr. 1. defens. Bellarm. c. 14. p. 268. ut & *Gretserus*, *Tirinus* Jesuita hic *Menochio* & *Cornelio à Lapide*, qui ad Græcos Codd. Complutens. versionem *Arabicam & Syriacam* in quibus prologus desideratur, & ad consensum Rabani, Dionysii & Palacii provocat, contradicens.

*De interpretibus.*

Cæterum commentatores Ecclesiastici præter *Rabanum Maurum*, qui in totam Scripturam scripsit, è quo contexta est glossa ordinaria, autore *Strabo Fuldense*, & *Lyranum*, *Hugonem*, *ac Dionysium*, qui itidem in totam scripturam commentati sunt, reperiuntur præcipue *Nicolaus Gorram*, *Alexander ab Alex.* *Robertus Holcot*, *Robertus Carmelita*, *Paulus de Palacio*, *Robertus Bruis*, *Robertus Bosæus*, *Cornelius Iansenius*, *Cornel. à Lapide*, *Ioach. Camerarius*, *Ian. Drusius*, *David Hæschelius*, *David Chytræus*, ut homileticos scriptores taceamus.

Distribui autem Ecclesiasticus potest in *duas partes*: In *priori* sententiarum ad *Sapientiam* vel Prudentiam & *sacram & civilem* facientium farrago exhibetur usque ad c. 44. in *posteriori* elogia Sapientum præcipuorum, qui tum de *Ecclesiastico*, tum *Politico* statu præclare meriti sunt, continentur, usque ad finem libri, ut tum monitis, tum exemplis ad studium sapientiæ & virtutum excitemur.

*De distributione libri.*

Unde pars prior est Διδακτική; pars vero posterior *παραδειγματική*, in qua vero tum *aliorum* sistuntur exempla usque ad c. 50. tum ipse *Siracides* se in exemplum sistit oratione nempe c. 51. comprehensa. *Cornelius à Lapide* tres libri partes facit. Primam c. 1. *Encomium Sapientiæ*, sive sacræ Ethicæ ejusque à c. 2. ad 24. præcepta & dogmata de quibuslibet virtutibus exhibentem. *Alteram* qua c. 24. Siracides ipsam Sapientiam se, suaque prædicantem inducit, ac deinde *Ethica* ejus documenta persequitur, usque ad c. 42, 16. *Tertiam*, à c. 42, 15. usque ad finem, harum virtutum & documentorum *exempla* continentem. Unde præmisso *encomio Dei*, Deique operum librum concludit *elogiis Patriarcharum*, Prophetarum, & Principum illustrium Vet. Testamenti. *Præcepta* autem sua tradit Siracides juxta seriem Decalogi, incipit enim à *timore & cultu Dei*, inde c. 3. progreditur ad *honorem parentibus* debitum; ac deinceps *officia cæteris* vel ex *charitate*, vel ex *justitia* præstanda prosequitur.

Tom. III. V. T.

Διαγωγὴ Διὰ universi libri etiam ita exhibere licet. Partes duæ sunt. 1. Παρενετικὴ. Altera ἐπαινετικὴ. Prioris sectio prior, ut ita vocemus, est *Generalis*, posterior *specialis*. Generalis tum *adhortatoria* est, tum *dehortatoria*. *Adhortatoria* concernit partim tabulam *primam*, ad *Sapientiam & Timorem Dei* excitans cap. 1. ut & ad *patientiam*, *fiduciam & spem*. cap. 2. partim tabulam *secundam*; tum de *honore parentibus* exhibendo cap. 3. tum de *amore proximo* alii, imprimis *pauperi* præstando c. 4. *Dehortatoria* nos revocat 1. *à securitate & calumnia* c. 5. 2. *ab amicorum contemptu* c. 6. 3. *ab injustitia* c. 7. 4. *à contemtionum studio* c. 8.

Διαγωγὴ Ecclesiastici.

Sectio *specialis* est vel *absoluta magis*, vel *magis comparata*. *Ibi* occurrit tum *admonitio*, tum *precatio* ad Deum pro observatione monitorum, tum *sapientia*, in illis sitæ *commendatio*. *Admonitio* illius generis & quæ *observanda*, & quæ *vitanda* concernit; *illa* qua *œconomica*, conjugem, & amicos c. 9. nec non *Politica* de *bono & malo magistratu* c. 10. ut & qua *vitam communem* de *hospitalitate* prudenter exercenda c. 11. & *amicis veris* à falsis dignoscendis c. 12. & 13. *Hæc* respiciunt 1. *Asseritiam* cap. 14. 2. *Prophanam de Deo sententiam* c. 15. 3. *Inobedientiam* c. 16. 4. *Impietatem & impœnitentiam* cap. 17. & 18. 5. *Ebrietatem & impudicitiam* cap. 19. 6. *Odia & mendacia* cap. 20. 7. *Superbiam*, cum qua maxime conjuncta est *stoliditas* cap. 21. 8. *Studiorum commercia* c. 22. *Precatio* habetur cap. 23. *Sapientiæ commendatio* c. 24.

Sectionem *magis comparatam* quod concernit, ea (1.) ad *numeros* revocata nonnulla sistit, utpote *tria delectabilia*, *& tria detestanda*, nec non *decem commendanda*, & ex adverso quædam mala, & inter ea præcipue *malam mulierem* c. 25. cui vero opponitur *mulier bona* cap. 26. (2.) per *similia illustrata* procedit, qua *fugienda*, utpote *injustitiam* c. 27. *contentiones* c. 28. & qua *facienda*, *beneficentiam* nempe erga alios c. 29. & erga liberos in *recta eorum educatione* cap. 30. (3.) per *antithesin* de *avaris & liberalibus* cap. 31. de *convivantibus* cap. 32. de *pijs & hypocritis* cap. 33. de *somniis ac divinationibus & de verbo Dei* cap. 34. de *externis pietatis exercitiis* cap. 35. (4.) in *precatione* versatur adversus *hostes* Ecclesiæ, & pro *membris* ejusdem cap. 36. (5.) comparationem instituit inter *falsos amicos* & consultores, ac *bonos* cap. 37. *Medicum & ægrotum*: *Studiosum* item *literarum & opifices* cap. 38. nec non inter *studium* Sapientiæ, & *Sapientiam* divinam in operibus ejus relucentem cap. 39. & humani generis *miseriam* ac calamitates, ejusque quandam temperiem cap. 40. denique inter *morem amarum & gratam*; ac posteritatem *impiorum* maledictam, & *piorum* benedictam memoriam: additis quibusdam de *quibus erubescendum* cap. 41. & *de quibus non erubescendum* cap. 42.

Pars ἐπαινετικὴ laudes prosequitur (1.) *divinæ magnificentiæ* cap. 43. (2.) *Sapientiæ* & virtutis *hominum præstantissimorum*, tum temporum *priorum*, idque partim *absolute*, & ante reges, utpote *Patriarcharum* cap. 44. *Mosis* & *Aaronis* ac *Phinees* cap. 45. nec non *Josuæ*, *Calebi*, & *Iudicum* cap. 46. & temporibus *Regum*, utpote *Nathanis*, *Davidis*, *ac Salomonis* cap. 47. *Eliæ* item, *Elisæi*, & *Ezechiæ* c. 48. *Josiæ*, *Jeremiæ*, *Ezechielis*, 49. Prophetarum minorum, *Zerobabelis*, *Josuæ* Sacerdotis, & *Nehemiæ* cap. 50. partim *comparate*, collatione instituta *Enochi* & *Josephi*, *Sem* & *Sethi*,

*Sethi*, nec non *Adami & cæterorum hominum*, eodem cap. XLIX. tum temporis *Siracidis*, *Simonis* nempe *Pontificis* cap. 1. (3.) *Nomen divinum*, ut & *cæleſtem Sapientiam*, colophonis loco, celebrat cap. LI. Atque ita in gratiam memoriæ diſtribuêre placuit univerſam tractationem: inſiſtemus autem *generali* tantum diſtributioni, ne variis ſubdiviſionibus repetendis opus ſit.

Id ſaltem adhuc in anteceſſum notandum, *Grotium* & alios interpp. ſententias *Græcorum* & *Latinorum* Exoticorum ſcriptorum morales cum hiſce gnomis Siracidis crebro conferre, quod à nobis etiam fiet, id tamen diſcriminis inter has & illas non negligi debere, quod *illæ* ad ſecundam imprimis tabulam, *hæ* etiam & cum maxime ad primam ſpectent; *illæ* autorum ſint, qui errores graviſſimos de Deo foverunt, verique Dei notitia caruerunt, & extra Eccleſiam conſtituti fuerunt, *hæ* vero doctrinam Eccleſiæ proponant, & veram Dei notitiam ſimul inſerant, vel ſupponant. *Illæ* ſolum quæ ex lege naturæ haberi potuêre tradant: *hæ* vero redundârint ex revelatione verbi divini: *illarum* autores de Evangelio plane nihil cognitum habuerunt: *hic* vero de remiſſione peccatorum, de auxilio Dei in cruce, de benedictione divina ex fœdere Dei promiſſa, de vita & ſalute æterna agatur, & doctrina Eccleſiæ propria de Meſſia præluceat, ſine qua virtutes & opera noſtra Deo placere non poſſunt Ebr. II, 6. Conf. B. *Chytr.* in præfat. ad Sirac.

---

*PARS I.* Διδακτική

# DOGMATA VIRTUTUM ET OFFICIORUM

convenientium præſcribens.

## CAPUT I.

*Sapientiæ origo à Deo eſt, quam dat diligentibus, ac timentibus ipſum; unde timor Dei, qui non ſolum ſapientiam, ſed & reliquas virtutes omnemque felicitatem ſecum adfert, commendatur, hypocriſis vero, & ambitio caveri jubetur.*

Verſ. 1.

OMNIS SAPIENTIA A DEO EST, ET CUM ILLO FUIT SEMPER] Non mirum eſt ſapientiam à Deo proficiſci, cum ei ſemper adfuerit. Vide quæ diximus Sap. 9, 3. & memento utibi, ita hic Sapientiam ſumi γενικῶς, quatenus Deo infinite, hominibus pro ſuo modulo convenit.

NOn confundenda ſapientia, quæ *à Deo eſt* θεόδοτος, cum ſapientia quæ *in Deo eſt* cum eſſentiali tum *hypoſtatica*; *Illa eſt* ἔκτυπος, *hæc* δοχέτυος; *Illa* quod ad communicationem, *temporalis*, *hæc* æterna: *illa* finita, *hæc* infinita. Et recte obſervat B. Chytræus, *ordiri Siracidem à doctrina primi præcepti in Decalogo de vera ſapientia, eamque eſſe pietatem veram, ſeu religionem, quæ eiſi diſſimilla ſint, ſi ſapiencia ſit Deum recte noſſe, & religio Deum recte colere, hic tamen, eo quod inter ſe copulata eſſe debeant, & juxta Lactantium tum in colendo ſapere, id eſt, ſcire quid nobis, & quomodo colendum ſit, tum in ſapiendo colere debeamus, id eſt, re & actu quod ſcierimus explicare, communtantur, & ceu ἰσοδυναμοῦσι habentur.* Fons autem ſapientiæ & religionis Deus eſt, à quo hi duo rivi ſi aberraverint, areſcant neceſſe eſt: quem qui neſciunt, vel agnitum non colunt, nec ſapientes eſſe poſſunt, nec religioſi. Quia vero Deus ſapientiam & veram pietatem per verbum ſuum nobis revelavit, ideo verbum Dei & ſapientia etiam apud Siracidem permutantur. Vid. *cap. XXIV.* etſi verbum Dei fons ſapientiæ ſit.

Verſ. 4.

ARENAM MARIS] Hæc cum ſequentibus uno ſpiritu legenda. Senſus enim eſt: ſicut arenam maris (*numerosq; arentis arenæ*, ait Horatius & pluviæ guttas, & tempora æternitatis nemo numeravit, ſicut cœli altitudinem, terræ partes omnes, & maris infima, nemo metiri queat ita nemo eſt qui Dei ſapientiam omnem queat perveſtigare. Illa, *Dei præcedentem omnia*, non ſunt in Græco.

PRIOR OMNIUM CREATA EST SAPIENTIA] בכראה: Imitatur Græcum Proverbiorum 8, 22. Creata dicitur divina ſapientia, cum ſe operibus prodidit. Sic & infra 9.

De *Græco* Proverb. 8, 22. ſuo loco. In *Ebræo* illic non habetur verbum בכראה. Et aliud eſt *ſapientiam creatam* eſſe, aliud vero *ſe operibus prodidiſſe*. Nam & Deus ſe *produdit operibus*. Num vero ideo Deus *creatus* dici poterit? Eſt ergo hoc non ſatis verbo Dei conſentaneum, cum de ſapientia divina dicitur ἔκτισαι ἔργα: uti & cap. 24, 14. profitetur ſapientia ἐξ τοῦ αἰῶνος ἀπ' ἀρχῆς ἐκτισέ με, *ab initio, & ante ſecula creata ſum.*

Verſ. 5.

FONS SAPIENTIÆ VERBUM DEI] λόγος & σοφία promiſcue uſurpantur. Senſus idem qui Sapientiæ 7, 25. Epicharmus:

Οὐδὲ γε τ' ἀνθρώπου λόγος πέφυκ' ἀπὸ τοῦ θεοῦ λόγου.

Diverſa hæc eſſe ab illis Sap. 7, 25. vel ſola collatio docet. *Tirinus* verbum Dei fontem ſapientiæ eſſe dicit, tum verbum *increatum*, utpote & *hypoſtaticum* & *eſſentiale*, ipſam conceptionem, intellectionem, & juſſionem Dei, tum *verbum*, quod vocat, *creatum, legem creaturis omnibus datam vel inditam à Deo.* Sed legem Dei verbum creatum dici ἀγεφόνον, neque hic vel de *Filio Dei* verbo *hypoſtatico*, vel de *intellectione Dei* agitur, ſed de *verbo* προφορικῷ quo Deus nobis ſapientiam communicat. Unde nec *lex naturæ* commode huc trahitur.

INGRESSUS ILLIUS MANDATA ÆTERNA] Obſervatio mandatorum quæ Deus per legem dedit, & ab æterno dare decreverat, aditum præbet ad ſapientiam.

Verſ. 6.

RADIX SAPIENTIÆ] Id eſt, prima illa ſapientia nobis imperſcrutabilis.

Nugæ Cornelii, quomodo *Maria* ſit *radix ſapientiæ*, ſenſu *allegorico*, indignæ ſunt, quæ recenſeantur: qui eo etiam abit cum *Thoma*, ut *matrem Dei quandam infinitatem habere ex bono infinito* aſſirmet. Recte autem idem, *radix ſapientiæ*, inquit, *eſt Deus, quem nemo perfecte intelligit, licet ramos quosdam ſapientiæ à Deo in ſe derivatos, aliquo modo quisque cognoſcat.*

Verſ. 7.

DISCIPLINA SAPIENTIÆ CUI REVELATA EST ET MANIFESTATA, ET MULTIPLICATIONES ILLIUS QUIS AGNOVIT?] Deeſt in Græco.

Verſ. 8.

UNUS EST ALTISSIMUS CREATOR OMNIPOTENS, ET REX BONUS ET METUENDUS NIMIS] In Græco aliter: *Unus eſt ſapiens & metuendus nimis.* Sapiens, nempe perfecte, ſicut bonus perfecte, Matth. 19, 17.

Verſ. 9.

IPSE CREAVIT ILLAM IN SPIRITU SANCTO] Illud, *in Spiritu ſancto*, non eſt in Græco.

Aliena ergo illa ſunt, quæ Cornelius habet de Sapientia hypoſtatica genita ex cognitione Spiritus ſancti, quæ, & alia valde tricoſa circa myſterium

rium Trinitatis hic adducta detestantur pii potius, quam mirantur.

ET DINUMERAVIT, ET MENSUS EST] *Mensus est*, non est in Græco. *Dinumeravit*, nempe ut solemus illa quæ elargiri volumus.

Vers. 10.

ET EFFUDIT ILLAM SUPER OMNIA OPERA SUA] id est, super homines. Est singulis aliqua particula divinæ auræ.

SECUNDUM DATUM SUUM] in Græco: κατὰ τὴν δόσιν αὐτοῦ. Elegantè. Δόσιν vocant medici, quantum cuique sumere opus est.

ET PRÆBUIT ILLAM DILIGENTIBUS SE] ἐχορήγησεν, id est, large præbuit. Ita enim eam vocem sumunt Græci. Vides hic verum esse quod dicunt Platonici, aliam cognitionem esse matrem amoris, aliam amoris filiam.

Perperam Cornelius *omnia opera omnes creaturas* intelligit: quasi *magna sapientia indita etiam vatis, clementia, arboribus, plantis, avibus, piscibus*: in quibus quidem Dei creatoris sapientiam, in nonnullis etiam inditam quandam solertiam, utpote in avibus quibusdam miramur, sed communicatam atque inditam esse illis inanimatis & brutis creaturis divinam sapientiam, de qua hic sermo, ecquis admittet?

Vers. 11.

TIMOR DOMINI GLORIA ET GLORIATIO] μεγαυχία. Sensus est, pietatem causam esse & boni nominis, & tranquillæ conscientiæ, quæ καύχημα dicitur.

Vers. 13.

TIMENTI DOMINUM BENE ERIT IN EXTREMIS] Pax illum sequetur.

ET IN DIE DEFUNCTIONIS SUÆ BENEDICETUR] Requiem à Deo accipiet.

Vers. 14.

DILECTIO DEI HONORABILIS SAPIENTIA] Non est in Græco: sed id quod in Latino infra habemus: *Initium sapientiæ timor Domini*, ex Prov. 1, 7. Sensus idem qui supra 5. & Job. 28, 28. Sequitur, μετὰ πιστῶν ἐν μήτρᾳ συνεκτίσθη αὐτοῖς. Est locutio figurata quæ significat ab initio, nempe fidei in Deum. Vide quæ dicta ad Jobum 31, 18. & Psal. 58, 4. Sequitur in Græco: μετὰ ἀνδρῶν δικαίων μετ' εὐσεβείας, καὶ μετὰ τῶν ὁσίων μετ' αὐτῶν ἡμιτελὴς διαμονή: *Cum hominibus iustificatis æterna fundamina, & progenies eorum fe credidit.* Sensus est: inter ea, quæ conspiciuntur animantia nullum esse quod sapientiæ capacius sit homine. In Latino multa sunt hic illic addita, ut ab Eclogarum descriptoribus fieri solet.

Non ergo ex illis v. 16. *cum fidelibus in vulva concreatus est* (timor Domini) Calviniani elicere possunt, *fidelium liberos ab utero sanctos esse*, neque cum *Jansenio* dicendum, *plerosque fideles etiam in utero accipere donum quoddam, quo ad pietatem proclives sint præ cæteris*; proclivitas enim ad pietatem non est à *generatione*, sed *regeneratione*; & *quicquid ex carne natum est, caro est, Joh. 3, 5.* rectius autem Cornelius: *Timor Dei est fidei connatus, & connatur alis*; quod coincidit cum Grotiana explicatione; quod *figurata sit locutio*, ἐν μήτρᾳ, *quæ significet* ab initio, *nempe fidei in Deum*, quasi dicat, *simul ac fides & fidelis creatur, creatur & timor; in eodem utero gignuntur, ab eodem pariuntur.* Explicatio tamen Corneliana ibi subjuncta, quia naturam justificationis pervertit, admittenda non est: de quibus in *Exegem. Aug. Conf. art. 4.*

Vers. 20.

ET PLENITUDO A FRUCTIBUS ILLIUS] in Græco: καὶ μεθύσκει αὐτοὺς ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτοῦ: *Et inebriat eos* (sapientia, eos qui Deum timent) *de fructibus suis.* Μεθύσκει, id est, lætitia implet. Ita enim sumi solet Hebraum שכר. Sic & infra 22, 14.

Vers. 21.

OMNEM DOMUM ILLIUS IMPLEBIT A GENERATIONIBUS, ET RECEPTACULA A THESAURIS ILLIUS] Transposuit voces. In Græco est: πάντα τὸν οἶκον αὐτοῦ ἐμπλήσει ἐπιθυμημάτων αὐτοῦ, καὶ τὰ ἀποθέσιμα ἀπὸ τῶν γενημάτων αὐτοῦ. *Omnem domum implet rebus pretiosis suis, & omnes apothecas suis fructibus.* Vox ἐπιθυμημάτων respondet hic Hebræo, חמדה, quod κειμήλιον significat, Dan. 11, 8. & alibi. Ἀποθέσιμα nomen est generale, hic significans cellas in quas fruges & poma reconduntur. Sequitur hic in Græco quod in Latino transpositum est: ἀμφότερα δὲ ἐν δώρῳ θεοῦ τὸν ὅσιον, id est, tum per κειμήλια illa, tum per fructus significo Dei dona salutaria.

Vers. 22.

CORONA SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI] id est, magnum eruditionis ornamentum pietas.

REPLENT PACEM ET SALUTIS FRUCTUM] in Græco est: ἀναθάλλουσιν εἰρήνην καὶ ὑγίειαν ἑάσεως. Prosequitur similitudinem coronæ, dicitque pietati pro floribus esse salutem animi & corporis: quarum illa generis nomine εἰρήνη, hæc ὑγίεια ἑάσεως, id est, sanitas, talis quæ omnibus malis sit medica.

Vers. 23.

ET VIDIT ET DINUMERAVIT EAM] Repetitum ex superioribus 9. In Græco quibusdam hoc loco est: πλατύνει γὰρ καύχησιν τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. Id est, *diligentibus illam* (coronam, nam αὐτὸν ad στέφανον refertur) *late se extendit animi fiducia.* Πλατύνει activum pro reciproco. Καύχησις est gaudium conscientiæ, ut & ante diximus.

Vers. 24.

SCIENTIAM ET INTELLECTUM PRUDENTIÆ SAPIENTIA COMPARTIETUR] *Plus*, id est, large effundit, ut infra 10, 15. in Sixtina editione.

Vers. 25.

ET RAMI ILLIUS LONGÆVI] *Longævitas*, Μακροημέρευσις. Vide supra 12. Qui sapit, curam habet sanitatis, is,

Vers. 26.

IN THESAURIS SAPIENTIÆ INTELLECTUS ET SCIENTIÆ RELIGIOSITAS: EXERCITATIO AUTEM PECCATORIS SAPIENTIA] Male scriptum est *exercitatio* pro *exfectatio*. Et est hic supervacua in ista sententia, quæ infra sequitur 31. quem locum & in Græco obtinet.

Vers. 27.

TIMOR DOMINI EXPELLIT PECCATUM] Amplius in Græco: φόβος κυρίου ἀποδιώκει ἁμαρτήματα, παραμένων δὲ ἀποτρέψει ὀργήν. *Timor Domini abfugat peccata, & qui patiens est iram detestatur.* Παραμένων verti *patiens.* Proprie id verbum constantiam significat, ut apparet infra 6, 9. & Jacob. 1, 25. sed & patientia constantiæ pars non minima.

Corrigenda ergo hic vulgata: *Quia timorem Domini peccatum expellere* non satis analogon est fidei; nisi dextre explicetur de peccato *futuro*, non *præterito*: *hoc* enim remittitur ex gratia in justificatione, non vero expellitur: ac remissionem consequimur fide sola, non vero timore. Cæterum *timor* facit ut caveamus ne peccatis Deum offendamus. *Gregor. M.* homil. XXXIV. in Evangel. *Prava mens si non prius per timorem evertitur, ab assutis vitiis non emendatur.*

Vers. 28.

NAM QUI SINE TIMORE EST NON POTERIT JUSTIFICARI. IRACUNDIA ENIM ANIMOSITATIS ILLIUS EST] Ἀδύνατον δικαιωθῆναι θυμώδη ἀπὸ δικαιώσεως· ἡ γὰρ ὀργὴ τοῦ θυμοῦ αὐτοῦ πτῶσιν αὐτῷ. *Vir iracundus non poterit justificari*, (id est, laudari, & in bona esse fama. Id enim sæpe valet δικαιοῦσθαι, ut Matth. 11, 10. & alibi) *nam pondus iræ ruina ipsi* Id est, ipsum ad ruinam impellit: efficit ut faciat dicatque minime laudabilia.

Cornelius exponit h. m. *Vir iracundus non poterit justificari*, id est, *in justitia conservari. Menochius & Tirinus* verbi proprium & receptam significationem retinent, *justus non erit, nec Deo placere poterit*; quo pacto etiam *B. Lutherus* reddidit. Iracundia enim cum justitia non consistit. Ita Osiander: Qui præceps suis cupiditatibus fertur, & affectibus pravis (excusso Dei timore) indulget, is neque Deo placere, neque exitium

evitare poterit. Quæ explicatio ut simplicior, ita convenientior est.

Vers. 29.

USQUE IN TEMPUS SUSTINEBIT PATIENS, ET POSTEA REDDITIO IUCUNDITATIS] ἕως καιροῦ ἀνέξεται μακρόθυμος· καὶ ὕστερον ἀποδώσει εὐφροσύνην αὐτῷ. Ubi ς ponitur more Hebræo pro adversativa. Sensus enim est: Vir lenis ad tempus perferet (injurias:) sed postea gaudium ipsi orietur. Sic ἀναδίδωσι πυγμὴν, Herodotus: *Fontes exsiliunt.*

Vers. 30.

BONUS SENSUS USQUE IN TEMPUS ABSCONDET VERBA ILLIUS, ET LABIA MULTORUM ENARRABUNT SENSUM ILLIUS] Illud *bonum sensus* videtur ex margine in textum irrupisse; nam in Græco est cohærenter cum præcedentibus: ἕως καιροῦ κεύσει τοὺς λόγους αὐτοῦ καὶ χείλη πολλῶν ἐκδιηγήσεται σύνεσιν αὐτοῦ. *Ad tempus verba sua comprimet, sed multorum labia prudentiam ipsius narrabunt.* Silentium illius in tempore compensabitur multorum de ipso sermonibus.

Vers. 31.

IN THESAURIS SAPIENTLÆ SIGNIFICATIO DISCIPLINÆ] in Græco: παιδευθὴ ἐπιστήμης. In penu sapientiæ sunt multa scite dicta, quæ inde suo tempore expromuntur.

Vers. 32.

CONCUPISCENS SAPIENTIAM CONSERVA JUSTITIAM, ET DEUS PRÆBEBIT ILLAM TIBI] In Græco pro *justitiam* est *præcepta*, Dei scilicet. Sensus idem qui supra 5.

Vers. 34.

ET QUOD BENEPLACITUM EST ILLI FIDES ET MANSUETUDO] Hæc non debent divelli; cohærent enim, ut ex Græco apparet. Quæ autem in Latino sequuntur, *& adimplebit thesauros illius*, repetita sunt ex superiore 21.

Vers. 36.

NE SIS INCREDIBILIS TIMORI DOMINI] In Græco: μὴ ἀπιστήσῃς φόβῳ κυρίου ἐνδεὴς ὦν: *Ne timori Dei* (id est, præceptis pietatis) *fis inobsequens, si forte egens fueris.* Noli egestate abduci ab officio, ut multi. Psal. 135, 3. Prov. 30, 9.

ET NE ACCESSERIS AD ILLUM DUPLICI CORDE] ἐν καρδίᾳ διστῇ. Dicitur καρδία διστὴ, quæ partim fidit, partim diffidit; quod ipsum διστάζειν alternari: Matth. 14, 31. διακρίνεσθαι, id est, discernere in quibus fidas, in quibus non: Matth. 21, 21. Jacob. 1, 6, ἐνδιακρίνεσθαι vero Philoni, ut diximus ad Jacob. 2, 23.

Vers. 37.

NE FIERIS HYPOCRITA IN CONSPECTU HOMINUM, ET NON SCANDALIZABERIS IN LABIIS TUIS] Græce: μὴ ὑποκριθῇς τῷ σόματι ἀνθρώπων καὶ τοῖς χείλεσίν σου πρόσεχε. Ita enim est in Sixtina; pro quo libri minus emendati, μὴ πρόσχες. *Ne mentiaris coram hominibus, sed labiis tuis attende.* Ὑποκρίνεσθαι pro mentiri est & in Græco Iobi 34, 30. Matth. 24, 51. Jac. 5, 12. ἐν σόμασι pro Hebræo בְּשִׂפְתֵי, συνεκδοχικῶς, quomodo & Romani os pro facie dicunt.

Vers. 38.

ATTENDE IN ILLIS NE FORTE CADAS] In Græco: μὴ εἰς ἕν σε σκανδαλισθῇ μὴ πέσῃς. *Noli te offendere ne cadas.* Menander bene:

Ὅταν ἴδῃς πρὸς δύσθεον ῥᾳδίως τινα,
Λαμπρόν τε πλοῦτον καὶ γένει γαυρούμενον,
Ὀφθῇ τε μόνος τῆς τύχης ἐπηρκέτα,
Τοῦτ' εὐτυχῆσαι νίκιον ὠδὺς προσδόκει·
Ἐπαίρεται γὰρ ἐπὶ μικρὸν ἐπὶ μεῖζον πίπτει.

ET ADDUCAS ANIMÆ TUÆ INHONORATIONEM] Idest, tibi ipsi. נַפְשֶׁךָ.

Vers. 39.

ET IN MEDIO SYNAGOGÆ ALLIDAT TE] *Proserpat te.* Ut solebat fieri illis qui ob delictum aliquod contra legem loris cædebantur. Est ergo hic καταδικάζει, quod תַּחְתִּי, Deuter. 25, 2. ἐν μέσῳ συναγωγῆς, id est, coram judicibus. Sic συναγωγὴ non raro sumitur, ut Psal. 82, 1.

QUONIAM ACCESSISTI MALIGNE AD DOMINUM] Ideo vapulabis, quia deprehensus es in facinoribus contra legem.

Recte hic Osiander: *Si quis enim sese extollit, superbit, & sublimes spiritus gerit, quasi Deus ipsius opera in Ecclesia, aut Republica curare non possit, interim alios despicit, subjannat, premit, hunc Deus deturbat, ejus occulta peccata in lucem producit, hypocrisin detegit, eumque confundit, & perdit.*

## CAPUT II.

*Hortatur ad patientiam in afflictionibus, & ad constantiam in tentationibus: & causas ac argumenta, quæ nos moveant, adducit, divinam probationem, & ereptionem, quæ exemplis confirmat: addito vae inconstantibus. Ostenditque, eos vere diligere Deum, qui in vera pietate perseverant, & humiliter se voluntati Dei subjiciunt.*

Vers. 1.

INSTA IN JUSTITIA ET HONORE] Hæc præter Græcum addita.

ET PRÆPARA ANIMAM TUAM AD TENTATIONEM] Vide Matth. 4, 1. Multa hic sunt Christiane dicta, forte & a Christianis.

*De præparatione ad tentationem.*

TAlia vero in Ver. Test. etiamdicta esse ante Christum exhibitum vel è *Iobo*, *Psalmis* & *Proverbiis Salomonis* notissimum est. Non ergo ea restringenda ad N. T. quasi perfectiora reddiderit Christus præcepta moralia, eademque novis additamentis vel legibus locupletarit, quæ *Socinianorum* est hæresis. Præcepti hujus causam dat Leo M. serm. 1. de Quadrag. c. 3. Var sapientia Dei plenus sciens studium religionis laborem habere certaminis, cum prævideret pugnæ periculum, ante admonuit pugnaturum; ne forte, si ad ignorantem tentatio accederet, imparatum citius vulneraret. Notant hic Interpp. remedia ad vincendam tentationem 1. animi ad eam præparationem. 2. Animi rectitudinem & submissionem. 3. Patientiam, ne præcipites ruamus in murmurationem, vindictam, desperationem, ἀπιστίαν. 4. Conjunctionem cum Deo per archissimum orationis, affectus, & adhæsionis constantis vinculum, ut resignemus etiam nos in voluntatem Dei, & patienter expectemus mutationem. Adeoque 5. fiduciam in Deum.

Vers. 2.

DEPRIME COR TUUM] Dirige. εὐθυνον.

INCLINA AUREM TUAM, ET SUSCIPE VERBA INTELLECTUS] Desint hæc in Græco.

ET NE FESTINES IN TEMPORE OBDUCTIONIS] Festinare hic est loqui aliquid πρεπτικῶς. ἐπαγωγὴ vero ipsum illud, quod à Deo homini immittitur, quo sensu & ἐπαγωγὴ est jam mox habebimus. Sic & 2. Petr. 2, 5 sic infra ἐπάγει 4, 18. 23, 19. 46, 4. 48, 2. & ἐπαγωγὴ 5, 10. 10, 14. 23, 12. 40, 2.

Vers. 3. SUSTINE SUSTENTATIONES DEI] Non est in Græco.

ET SUSTINE] In Græco: κρῖνε μὴ ἀπορῶν, ne discedas à Deo.

UT CRESCAT IN NOVISSIMO VITA TUA] Id est, vita melior tibi obtingat post mortem. Sensus pius interpretis. Sed potest Græcum, ἵνα αὐξηθῇς ἐν τοῖς ἔτεσι exponi, ut locupleteris postea; nam ἐν ἔτεσι Hebraïs dicitur, quicquid tempore est posterius.

Osiander non male; ut magis magisque fides & pietas in te confirmentur. Ut enim milites qui liberali sunt ingenio, subinde animosiores fiunt ex pugnis, & victoriis, ita etiam vere pii majus robur fidei acquirunt, & in vera pietate confirmantur, quoties aliquam victoriam adversus carnem suam corruptam, mundum, & Satanam obtinuerunt.

Vers. 4. OMNE QUOD TIBI APPLICATUM FUERIT] Immissum. Est enim hic vox ἐπαγωγῆς, de, qua modo diximus.

ACCIPE] δέξαι ἀσμένως, *suscipe volente animo*, ut Dei munus.

Job. 2, 10. c. 1, 21. Jac. 1, 2.

ET IN DOLORE SUSTINE, ET IN HUMILITATE TUA PATIENTIAM HABE] in Græco: κρῖνε

καὶ ἐν ἀπλήγματι παπεινώσεως σου μακροθυμήσατε, & patiens esto in mutatione depressionis tuæ ] supple speranda.

Vers. 5.

QUONIAM IN IGNE PROBATUR AURUM ET ARGENTUM; HOMINES VERO RECEPTIBILES IN CAMINO HUMILIATIONIS] Similis Prov. 17, 3. Zach. 13, 9. Malach. 3, 3. Adduximus jam aliquoties simile illud, quam quam de humanis amicitiis, dictum Ovidii:

*Scilicet ut fulvum flectatur in ignibus aurum,*
*Tempore sic duro est experienda fides.*

Etillud Græci Poetæ:

Κρίνει φίλους ὁ καιρός, ὡς χρυσὸν τὸ πῦρ.

Adde Menandri illud:

Χρυσὸς μὲν οὖν ἐξελέγχεται πυρί.
Ἡ δ' ἐν φίλοις ἕνεκα καιρὸν κρίνεται.

Δεκτοὶ, id est, Deo grati.

Vers. 6.

CREDE DEO, ET RECUPERABIT TE] Fide Deo, & is curam tui geret. Id enim ἀντιλαμβάνεσθαι.

ET IN ILLO VETERASCE] Non est in Græco. In sequentibus etiam alius ordo in Græco, alius in Latino, quod parum refert in istis ἀφορισμοῖς dictis.

Licet parum interfit; interpretis tamen boni est non immutare ordinem, sed stricte servare, quem in textu originario invenit. Militant omnes hæ variationes contra authentiam textus vulgati Latini: quas fere innumeras observavit *Grotius*, ut & B. *Oslander* in hoc libro.

Vers. 8.

ET NON EVACUABITUR MERCES VESTRA] καὶ οὐ μὴ ἀτιμάσῃ ὁ μισθὸς ὑμῶν; *non intercidet merces vestra.*

Vers. 9.

SPERATE IN ILLUM] ἐλπίσατε αὐτῷ, in Græco: *bona exspectate.*

ET IN OBLECTATIONEM VENIET VOBIS MISERICORDIA] In Græco: καὶ εἰς εὐφροσύνην πέσῃ ὑμῖν. Explicat quæ sint bona illa, quæ expectare debeant, nempe lætitia æterna ex Dei clementia procedens.

*Et in lætitiam seculi* vel æternitatis, *& misericordiæ.* Ita habent verba textus Græci: Lætabimur enim in misericordia Dei cum maxime ibi vacabimus, & videbimus, quam dulcis est Dominus, & quam magna multitudo dulcedinis ejus, ut habet Bernhard. in medit.

Vers. 13.

QUONIAM PIUS ET MISERICORS EST DEUS] Vocem pietatis interpretes nostri sæpe sumunt pro clementia. Et hoc loco in Græco est, οἰκτίρμων καὶ ἐλεήμων.

ET REMITTET IN DIE TRIBULATIONIS PECCATA] In Græco: καὶ ἀφήσει ἁμαρτίας καὶ σώσει ἐν καιρῷ ὀδύνης; *remittit peccata*, (id est, aufert mala ista, immissa ad excitandos locordes) *& servat in die calamitatis.* Quæ sequuntur in Latino: *& protector est omnibus quærentibus se in veritate*, non sunt in Græco.

Vers. 14.

VÆ DUPLICI CORDE ] Legit ἐπὶ καρδίαις διπλαῖς, ubi nos habemus καρδίαις δειλαῖς. Græcum hoc cum sequenti bene convenit. Timidos vocat, qui, ubi instat perfecutio, a pietate deficiunt. Sic & Apoc. 21, 8.

Græcum textum modernum habet & *Cyrill. Alex. l. 1. de adorat. in Spir. & verit.* Conciliatio Cornelii vana est, quod nempe timidi duplex habeant cor, & duplicem spem, unam in Deo, alteram in suis & suorum viribus. Nam duplices corde hypocritas intelligi è Psal. 11, 13. non diffitetur ipse Cornelius; aliud autem est hypocrisis, aliud timiditas, vel diffidentia.

ET LABIIS SCELESTIS] Non est in Græco.

ET MANIBUS MALEFACIENTIBUS] In Græco: καὶ χεροὶ πεπλημμέναις, eodem loquendi genere quod habemus Hebr. 12, 12. Intelliguntur ii qui in Dei rebus pigri sunt ac negligentes. Vide Jer. 48, 10.

ET PECCATORI TERRAM INGREDIENTI DUABUS VIIS] Similis sensus supra 34. Duabus viis incedunt qui ubi lubet Dei præcepta faciunt; ubi non lubet, non faciunt. Confer 1. Reg. 18, 21.

Viam spaciosam, & viam arctam, Matth. 7. 13. 14. viam cœli, & viam mundi: qui & Deo, & hominibus placere volunt. Divisum est cor eorum, nunc interibunt Hos. 10, 2. Disperdam eos, qui jurant in Domino, & jurant in Melchon. Soph. 1, 5.

Vers. 16.

VÆ HIS QUI PERDIDERUNT SUSTINENTIAM] In Græco: *Væ sobiis, qui perdidistis sustentiam.*

ET QUI DERELIQUERUNT VIAS RECTAS, ET DIVERTERUNT IN VIAS PRAVAS] Absunt hæc in Græco.

Vers. 17.

ET QUID FACIENT] *Quid facietis*, in Græco.

CUM INSPICERE COEPERIT HOMINES] ἐπισκέπτεσθαι, hoc est, judicium exercere, ut sæpe פקד Hebræis.

Vers. 18.

NON ERUNT INCREDIBILES] Iterum hic expressit Græcum ἀπιστοῦντες, *non erunt mobsequentes.*

Vers. 19.

INQUIRENT QUÆ BENEPLACITA SUNT EI] Ζητοῦντες εὐδοκίαν παρ' αὐτοῦ. Sed in Sixtina, εὐδοκίαν αὐτοῦ, *quærent quid ipsi placeat*, nempe ex lege, ut sequitur. εὐδοκία respondet Hebræo רצון.

REPLEBUNTUR LEGE IPSIUS] Plenam legis cognitionem consequentur. Vide Matth. 5, 6.

Vers. 20.

ET IN CONSPECTU ILLIUS SANCTIFICABUNT ANIMAS SUAS] καὶ ἐνώπιον αὐτοῦ ταπεινώσουσι τὰς ψυχὰς αὐτῶν: Cum Deo agent submisse, ut Micheas præcipit 6, 8. Qui sequitur in Latino versiculus deest in Græco.

Vers. 22.

DICENTES] Sic & in Græcis quibusdam exemplaribus est, λέγοντες. Alioqui id sæpe solet subintelligi.

SI POENITENTIAM NON EGERIMUS INCIDEMUS IN MANUS DOMINI, ET NON IN MANUS HOMINUM] Illud, *si pœnitentiam non egerimus*, non est in Græco, & sensus potius videtur esse. Melius erit ut incidamus in manus Dei, quam in manus hominum, quia scilicet, ut sequitur, Deus est misericors, homines sæpe immisericordes: quare potius feramus Dei paternas castigationes, quam mereamur in manus hostium tradi. Sumpta est sententia ex dicto Davidis 2. Sam. 24, 14. ubi similiter additur, *multæ enim misericordiæ ejus sunt.* Latino hic interpreti videtur in animo fuisse locus ad Hebræos 10, 31.

Vers. 23.

SECUNDUM ENIM MAGNITUDINEM IPSIUS, SIC ET MISERICORDIA ILLIUS CUM IPSO EST] ὡς γὰρ ἡ μεγαλοσύνη αὐτοῦ, οὕτως καὶ τὸ ἔλεος αὐτοῦ. *Quantus est majestas ejus: tanta est misericordia.* Id est, major quam cogitari, aut dici possit.

Ita *Vatablus. Quanta majestas, tanta est misericordia Dei.* Summæ enim majestati & potentiæ par est summam clementiam respondere. *Sap. 12, 18. c. 11, 27.*

## CAPUT III.

*Adhortatio ad honorem parentibus exhibendum, & assiduum modestiæ, & humilitatis, cum fuga polypragmosynes, & temeritatis præsumtionis eorum quæ supra nos sunt. Additur Eleemosynes commendatio.*

Vers. 1.

FILII SAPIENTIÆ ECCLESIA JUSTORUM, ET NATIO ILLORUM OBEDIENTIA ET DILECTIO] Non est in Græco nostro, sed meo quo usus est interpres, puto ubi posuit ποίησις, fuisse γένημα. Nam & supra 1, 20. ἀπὸ τοῦ γεννήματος vertit *a generationibus.*

Vers. 3.

DEUS ENIM HONORAVIT PATREM INFILIIS] ἐπὶ τέκνοις, *super liberos.*

ET JUDICIUM MATRIS EXQUIRENS FIRMAVIT IN FILIOS] Non est *exquirens* in Græco, sed κρίσιν μητρὸς ἐξεραύνησεν ἐφ' υἱοῖς. Judicium hic est imperium, quod secundum patrem mater habet in liberos. Sic שִׁפְטֵי Hebræis sæpe est regere.

Vers. 4.

QUI DILIGIT DEUM EXORABIT PRO PECCATIS, ET CONTINEBIT SE AB ILLIS, ET IN ORATIONE DIERUM EXAUDIETUR] Videtur interpres corrigere voluisse sensum qui in Græco durus videbatur, sic habens: ὁ τιμῶν πατέρα ἐξιλάσεται ἁμαρτίας, καὶ ὡς θησαυρίζων ὁ δοξάζων μητέρα αὐτοῦ. Sed notandum est, in optimis etiam scriptoribus uni virtuti tribui effectus, qui ei non soli, sed eximie competunt. Vide Marci 5, 4. & sequentibus, Luc. 11, 41. Jac. 5, 20. Recondit sibi thesaurum, id est, jus ad præmia æterna, ut Matth. 6, 20. 19, 21. 1. Tim. 6, 19.

Neque hæc Grotiana explicatio satis fidei analoga est; nam nec jus ad præmia æterna, nec peccatorum expiatio virtutibus nostris tribui potest, utpote quæ soli gratiæ divinæ in Christo, ejusque merito accepto ferri debent. *Roman. 6. v. ult.* Rectius habet paraphrasis Osiandrina: *Qui honorat Patrem, hujus peccata expiata erunt.* Id est, Deus illi peccata non imputabit, neque ea puniet. Piis enim liberis, qui parentes in honore habent, Dominus propter Messiam, per fidem condonat peccata, neque ea pro rigore justitiæ suæ punit. *Et sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem*; colligit sibi bonum thesaurum, qui honore matrem afficit: Dominus enim curam paternam gerit eorum liberorum, qui parentes suos in honore habent.

Vers. 6.

QUI HONORAT PATREM SUUM JUCUNDABITUR IN FILIIS] Fiet ipsi quod ipse fecit. Hesiodus:

Ἡ δὲ δικαιοσύνη γένεα μετόπισθεν ἀρείων.

Philemon:

---- κἀγὼ γένοιτό σοι τέκνων
Οἵοις, ἵνα κἀμοὶ δικαίως ᾖς σοι.

Ex ad verso, qui contumelia afficit patrem suum, is a liberis suis vicissim contemnetur. *Aristoteles Hist. Anim. 8.* refert Patrem cum à filio vapularet, & crinibus extra limen domus traheretur, orasse filium ut subsisteret, quia ipse suum patrem non ulterius traxisset.

Vers. 7.

QUI HONORAT PATREM SUUM VITA VIVET LONGIORE] Ex promisso quod est in Decalogo.

ET QUI OBEDIT PATRI REFRIGERABIT MATREM] Aliter in Græco: ὑποτασσόμενος υἱοῖς, ἀναπαύσει μητέρα αὐτοῦ, *Qui Domino obedit, matrem recreabit*: id enim est מְנוּחָה, quod ἀναπαύσει vertit Solet.

Sic Epaminondas in Apophtegm. Plutarchi æmatur, se parentes adhuc vivos gloriæ suæ spectatores habere.

Vers. 8.

ET QUASI DOMINIS SERVIET HIS QUI SE GENUERUNT] Nam:

Δίκαια τοὺς τεκόντας ὠφελεῖν τέκνα·

ait Euripides.

Vers. 9.

IN OPERE ET SERMONE, ET OMNI PATIENTIA] Videtur quædam sensus perfectionis causa addidisse Interpres, ut hic & *omni patientia*, quod in Græco non est, contra in Græco additur, & *matrem*.

*Fas est*, inquit *Plato* apud Rhodigin. l. IX. c. 18. *parentibus prima & maxima debita, omnium antiquissima debitorum persolvere, putare enim quisque debet, omnia quæ possidet, eorum esse, qui genuerunt: ita ut illis hæc omnia ministrare debeant.*

Vers. 10.

UT SUPERVENIAT TIBI BENEDICTIO AB EO, ET BENEDICTIO ILLIUS IN NOVISSIMO MANEAT] Sensus bonus, ut quæ tibi parer optavit, bene ad finem usque tibi maneant. Alludit ad historiam Genes. 27, 29. & sequentibus. At in Græco habemus: ἵνα ἐπέλθῃ σοι εὐλογία παῤ αὐτοῦ τοῖς, id est, ut homines te beatum prædicent.

Vers. 11.

MALEDICTIO AUTEM MATRIS ERADICAT FUNDAMENTA] Domos evertit. Quanta vis sit parentum in bene aut male precando, Poetæ Græci docuere iis qui de Theseo & Hippolyto narrant.

Δεινὴ γὰρ κατὰ γαῖαν ἐρινύος ὀρνὶς ἑποῦσα·

ait Orpheus, aut Orphicorum scriptor.

Addimus *Philonis* sententiam libr. de Decalog. *Qui parentes suos negligunt, sciant se damnatos pro duobus tribunalibus, quæ sola sunt naturalia; impietatis apud divinum, quod secundos post Deum auctores vitæ suæ non tractant ex officio & inhumanitatis vero apud humanum, cui enim bene faciunt qui proximos & optime de se meritos vilipendunt, quibus nulla referri gratia potest, quæ non sit inferior acceptis beneficiis.*

Vers. 13

ET DEDECUS FILII PATER SINE HONORE] *Mater*, in Græco. Solet enim alternis de patre & matre loqui.

Vers. 14.

SUSCIPE SENECTAM PATRIS TUI] ἀντιλαβοῦ τῆς γήρας πατρός σου. Id est, in senectute curam ejus gere. Vide supra 2, 6.

Vers. 15.

ET SI DEFECERIT SENSU] καὶ ἐὰν ἀπολείπῃ συνέσεως, quamvis & usum mentis perdat.

VENIAM DA] συγγνώμην ἔχε, id est, excusa ætatis vitium.

ET NE SPERNAS EUM IN VIRTUTE TUA] καὶ μὴ ἀτιμάσῃς αὐτὸν ἐν πάσῃ ἰσχύϊ σου. Est ἔλλειψις, plenus sensus esset: quantum potes da operam ne eum inhonestes.

ELEEMOSYNA ENIM PATRIS NON ERIT IN OBLIVIONE] Beneficia patris, id est, patri præstita. Et ἐλεημοσύνη dixit impropriè pro חֶסֶד, id est, beneficentia.

Vers. 16.

NAM PRO PECCATO MATRIS RESTITUETUR TIBI BONUM, ET IN JUSTITIA ÆDIFICABITUR TIBI] In Græco tantum: καὶ ἀντὶ ἁμαρτιῶν προσκοκοδομηθήσεταί σοι. Pro peccatis, id est, injuris parentum toleratis ædificabitur tibi, id est, domus tua foboleset. Id enim נבנה, Exod. 1, 21. & alibi. Numirum parentum sævitia patiendo & ferendo leniendaque est apud Livium. Vide quæ eam in rem prolata à nobis libro de jure Belli ac Pacis IV. 4. & in Annotatis.

Vers. 17.

COMMEMORABITUR TIBI] ἀναμνησθήσεταί σου, memoria tui erit, apud Deum nempe.

ET SICUT IN SERENO GLACIES SOLVENTUR PECCATA TUA] Ut supra 4.

Vers. 18.

QUAM MALÆ FAMÆ EST QUI DERELINQUIT PATREM] In Græco: ὡς βλάσφημος ὁ ἐγκαταλείπων πατέρα αὐτοῦ. *Tanquam blasphemus est, qui deserit patrem suum.* Par sententia Menandri:

Ὁ λοιδορῶν τοὺς πατέρας, δυσφημεῖ λόγῳ,
Τῷ εἰς τὸ θεῖον δ' ἁμαρτάνει βλασφημίαν.

Et altera Antiphanis:

Ὅστις γὰρ ὁμολογῶν τι μὴ ποιεῖ πατρὶ,
Πάντων ἂν εἴη καταφρονητὴς τῶν θεῶν.

Vers. 19.

FILI IN MANSUETUDINE OPERA TUA PERFICE] Hic novus titulus inchoari debuerat; nam explicatis erga Deum officiis, secundo loco ea proponit quæ debentur parentibus. Nunc sequuntur παραινέσεις ad modestiam pertinentes, quæ hic etiam vicino nomine dicitur πραότης, ut appareat ex oppositione in commate 20.

Vers. 20.

QUANTO MAGNUS ES HUMILIA TE IN OMNIBUS] In Græco: τοσούτῳ ταπείνου σεαυτόν, tanto te demissus gere. Non longe abit illud Sophocleum:

Μισῶ γὰρ ὅστις μὴ φίλοις φίλος·
Ἡ χοἰ δίκαιος, ἢ μεκὼν πλάτε βάρει.

Vers. 21.

Vers. 21.

ET CORAM DEO INVENIES GRATIAM] Omissa hic sententia quæ in Græco est: πολλοὶ εἰσὶν ὑψηλοὶ καὶ ἔνδοξοι, ἀλλὰ πραέσι ἀποκαλύπτεται μυστήρια, tibi πραεῖς sunt qui πτωχοὶ in paris sensus dicto Evangelico, Matth. II, 25. ad quem locum dicta vide.

*Non magnum est*, inquit S. *Bernhardus* serm. 4. super missus est, *humilem esse in abjectione, magnæ prorsus, & rara virtus humilitas honorata. Ephrem* Syrus de vita Spirit. n. 66. *Quando videris te ad apicem virtutum evectum, tunc maxima tibi humilitate opus est, ut fundamentis salvis & integris, quod superstructum est adificium inconcussum immobileque consistat: atque sic in multa securitate fructus tuus erit.*

QUONIAM MAGNA POTENTIA DEI SOLIUS] Eadem ratione à superbis dehortatur Chæremon:

Ὅλως τὸ πρέσβυ μὴ λίαν θρασὺν μέγα.

ET AB HOMINIBUS HONORATUR] Id est, honorem non accipit, nisi ab iis qui submisso sunt animo.

---τοὺς δὲ σώφρονας
Θεοὶ φιλοῦσι, κἀν ὑπερβάλῃ τις κακῶς

ait Sophocles.

Vers. 22.

ALTIORA TE NE QUÆSIERIS, ET FORTIORA TE NE SCRUTATUS FUERIS, SED QUÆ PRÆCEPIT TIBI DEUS ILLA COGITA SEMPER, ET IN PLURIBUS OPERIBUS EJUS NE FUERIS CURIOSUS; NON EST ENIM TIBI NECESSARIUM EA QUÆ ABSCONDITA SUNT, VIDERE OCULIS TUIS] Græce paulo aliter: ὑπεράνω σεαυτοῦ μὴ ζητῶν ἀναζήτει, καὶ ὑπὲρ ἰσχύν σου μὴ ἐξέτασε· ἃ προσέταξέ σοι ὁ θεὸς, ταῦτα διανοοῦ· οὐδὲ γὰρ εἰς ἐστί σοι χρεία τῶν κρυπτῶν ὀφθαλμοῖς. Sunt hæ sententiæ veteres, ut nos docet Maimonides Ductoris dubitantium I 32. Difficilia illa, arcana, captumque nostrum superantia intelligit ea, quæ ad Dei naturam pertinent: in quæ nimium curiose inquirere stultitiæ esse dicit & imprudentiæ. Eodem illud pertinent Philemonis:

Θεὸν νόμιζε τὸν σέβειν. ζητεῖ δὲ μή·
Πάσαν γὰρ ἀδὲ ἀδικοῦ ζητεῖ τίσιν.

Nec longe abit Euripidis illud:

Τί δῆτα θνητοὶ μηχανᾶς ἐπιστάμοι,
Σκοπῶ δικαιοῦντ' εἶδέναι τὸ δικαίαν,
Οἱ τὸν δεχημέσκαντες οὐδ' ἁπτὸν λόγων,
Οὐκ ὄμμ' ἀνοχὴ θεῶν ἐπισκοπεῖ τιμῆς,
Οὐδὲν τι μᾶλλον εἰδέναι, ἢ πεύθου λέγειν.

Melissus Philosophus dicebat, περὶ θεῶν μὲ δεῖ θεὸν ἀποφαίνεσθαι· μὲ γὰρ εἶναι γνῶσιν ἀνθρ. Adde si placet ea quæ notavimus ad librum VI. de veritate Religionis Christianæ. His quæstionibus captum nostrum superantibus opponit ea quæ ad nos pertinent, Dei scilicet præcepta, quæ scire, & possumus & debemus: quibus præceptis connexæ sunt proprietates & actiones Dei quæ nos spectant. Non male Horatius, si verba in pium sensum accipiamus:

---*quod magis ad nos*
*Pertinet, & nescire malum est agitamus: utrumne*
*Divitiis homines, an sint virtute beati:*
*Quidve ad amicitias, usus, rectumne trahat nos,*
*Et quæ sit natura boni, summumque quid ejus.*

Græcos Socrates à physicis quæstionibus inexplicabilibus ad morum regulam retraxit, cujus illud rectum, si recte intelligitur: quæ supra nos nihil ad nos. Illud, non est opus tibi videre abscondita, sensum explicat mysticum legis, quæ sacerdotes vetat intrare adytum.

Non tantum ea, quæ ad imperscrutabilem Dei naturam pertinent, sed ea etiam, quæ ad voluntatis divinæ τὰ ἀνεκδιήγητα, ad œconomiæ, referenda, utpote tum mysteria de salutis οἰκονομίᾳ, tum judicia divina, & quæcunque omnino in rebus divinis captum nostrum superant, hæc spectare dubium nullum est, quo de *Filbertus Carnotensis* Epist. 1. ad Adeodatum Tom. III. Biblioth. S. Patr. *Altiora te ne quæsieris. Incomprehensibilem enim divini consilii altitudinem, sapientia humana puro cognitionis intuitu comprehendere non potest.* Quo facit illud *Ebræorum* dicterium: *Non licet interrogare, quo consilio, quamve ob causam Creator hoc vel illud fecerit. Ne curiose inquiras in facta Dei. Rom. II, 33.*

Vers. 24.

IN SUPERVACUIS REBUS NOLI SCRUTARI MULTIPLICITER, ET IN PLURIBUS OPERIBUS EJUS NON ERIS CURIOSUS] In Græco Sixtinæ editionis habemus pro his verbis, ὑπὲρ τὰς περισσὰς τῶν ἔργων σου μὴ περιεργάζου, *noli curiosus esse ultra opera tua*, id est, ultra quæ tibi facienda sunt. Egit de Dei natura non scrutanda: nunc etiam moner, ne de causis legum, quæ in legibus ipsis expressæ non sunt, curiose disputetur.

Vers. 25.

PLURIMA ENIM SUPRA SENSUM HOMINUM OSTENSA SUNT TIBI] πολλὰ γὰρ κεκρυμμένα ὑπὲρ σύνεσιν ἀνθρώπων δέδεικταί σοι: id est, multa enim in lege de sua voluntate tibi Deus revelavit, quæ humano sensu reperire nequissent. Dedit tibi præcepta longe supra omnem humanam sapientiam. Τὸ σοφὸν ἐ σοφὸν, τὸν τε μὴ ὄντα φρονεῖν, ait Euripides.

Hæc de causis legum non scrutandis interpretatio mere est arbitraria. Nihil enim hic de legibus divinis habetur. Rectius aliisic exponunt: *plura jam antea tibi commissa sunt, quam quæ per omnia velle absolvere, & perficere possis.* Nemo enim est omnium hominum in his terris, qui affirmare ausit, se vocationi tuæ per omnia semper satisfacere. Itaque πολυπραγμοσύνη fugienda est: ne videlicet aliena curemus, nostra negligamus; utille ad Constantium polipragmonem dicebat πρὸς ἕτερα διαβλέπεις ἕτερα διωκτέα, *cum ad alia ordinatus sis, alia agis.*

Vers. 26.

MULTOS QUOQUE SUPPLANTAVIT SUSPICIO ILLORUM] πλάνη γὰρ πολλοὺς ἀπώλεσε, id est, vana de semetipsis præsumptio, ut Solomonem, qui dum causas legum scrutatur, & ex illis legum sensum pro suo lubitu restringit in maximas culpas incidit.

ET IN VANITATE DETRUIT SENSUS ILLORUM] In Græco: εἰκασία πονηρὰ ἀλλοίωσε διάνοιαν ἀνδρῶν, *conjectura prava eorum mentem corrupit.* Idem sensus cum eo qui antecessit: Hic in Græco sequitur appositio: *Pupillas si non habeat, carebis luce cognitionis: ergo expers, eam noli profiteri.* Ad res divinas natura cœci sumus: quare nolimajorem de illis scientiam profiteri ea, quam Deus tibi aperuit.

Vers. 27.

COR DURUM HABEBIT MALUM IN NOVISSIMO] Cor durum hic intelligitur, animus obduratus, ut ostendunt præcedentia & sequentia.

ET QUI AMAT PERICULUM IN EO PERIBIT] Amat periculum qui audacter de sibi ignotis pronuntiat.

De his rectissime Osiander: *Cor durum vocat hominem præfractum & contumacem, qui agenda & perficienda suscipit ea, quæ aut non decent, aut per ipsum effici non possunt.* Tales multis non necessariis periculis se involvunt. Itaque etiamsi principio ipsorum conatus videntur esse felices; tamen tandem confunduntur & pereunt. Ut enim propter pericula vocationis nostræ officia negligere non debemus; ita cavendum est, ne pericula non necessaria (quæ salva conscientia effugere poteramus) nobis attrahamus. Scriptum est enim, *Non tentabis Dominum Deum tuum, Deut. 6.*

Vers. 28.

COR INGREDIENS DUAS VIAS NON HABEBIT SUCCESSUS, ET PRAVUS CORDE IN HALIS SCANDALIZABITUR] Non est in Græco. Sensus idem qui supra 2, 14.

Vers. 29.

COR NEQUAM GRAVABITUR IN DOLORIBUS] *Cor durum gravabitur laboribus.* Pertinacia multa secum trahit incommoda. Sophocles:

Ἀλλ' ἄνδρα, κἂν τις ᾖ σοφὸς, τὸ μανθάνειν
Πολλοῦ μάχεσθαι δεῖν, κοὐ τὸ μὴ τυγεῖν ἀγαθοῦ,
Ὅρᾷς πατρὶ ξυνεῖναι χρεμπτέον;

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-801159-p0071-3

Δικαίων ὑπόκεινται κλίνας ὁς ἐστὶ πλάτος·
Τὰ δ' ἀθέσμων ἀδίκεσιν ἀπόλωνται.

Item:

Αὐθαδία τοι σκωλύτης ὁδοιπόρου.

ET PECCATOR ADJICIET AD PECCATUM] *Accumulabit peccata peccatis.* Ita Græcum: & peccatorem, intelligex ex eo quod præcessit, eum qui duro sit corde.

Vers. 30.

SYNAGOGÆ SUPERBORUM NON ERIT SANITAS] Legit συναγωγὴ, ubi Græci codices habent, τὸ ἴσχυρὸν ὑπερηφάνου οὐκ ἰαθήσεται, id est, superbo non est medicina in adversis, quia Deus immittit, quia Deum ut oporter non deprecatur. ἰσχυρὸν hoc sensu sumi diximus supra 2, 2

FRUTEX ENIM PECCATI RADICABITUR IN ILLIS, ET NON INTELLIGETUR] in Græco: ἐδιπορίμ αὐτὸ ἐκριζωθήσεται. φυτοῦ γὰρ πονηρίας ἐξηρίωσεν ἐν αὐτῷ. *Itinera ejus* (id est studia, instituta) *obtenebrantur: nam planta improbitatis radices in eo egit.* Id est, consuetudine in illo confirmata est pravitas; contraxit ἕξιν. Id enim radix Hebraïs. Matth. 13, 6. 21. Hebr. 12, 15. Deut. 29, 18. addito loco Act. 8, 23.

Vers. 31.

COR SAPIENTIS INTELLIGITUR IN SAPIENTIA] *Cor hominis prudentis excogitat sententiam*, modo hanc felicet, modo illam vitæ utilem.

Βραχὺς λόγῳ σοφὸς ἀνὴρ πρόσκειται σοφῷ.

ait Sophocles. Ingenium hominis ait Plutarchus sæpe magis cognosci ex uno aliquo dicto ἀποφθέγματικῷ, quam ex multis actionibus.

ET AURIS BONA AUDIET CUM OMNI CONCUPISCENTIA SAPIENTIAM] In Græco. καρδία ἀκροατὴ ἐπιθυμία σοφῆς: *Et auris auditoris* (id est, auris attenta) *desiderium est sapientiæ.* Animat magistrum discipuli attentio.

Vers. 32. SAPIENS COR ET INTELLIGIBILE] Hæc sententia non est in Græco.

Vers. 33. IGNEM ARDENTEM EXSTINGUIT AQUA, ET ELEEMOSYNA RESISTIT PECCATIS] καὶ ὡς ἀνθρακιὰν ἐξάλλεται ἀμαρτίας, ubi ὡς est pro comparatione, & subaudiatur τις: *Sicut ignem*, quantumvis ardentem, *aqua exstinguit facile, ita per opera misericordiæ*, aut beneficentiæ, *expiabit aliquis peccata*: id est, veniam à Deo impetrabit, quod expone, ut supra 3, 4. Sensus idem Luc. 11, 41.

Non hoc convenit Canoni Scripturæ, aut analogiæ fidei, quod *per opera misericordiæ expientur peccata*, nec tale quid habetur *Luc. 11. 41.* ut ergo ista ad sanum sensum, qua fieri potest, reducantur, ita accipienda sunt, quod Deus pœnitentibus peccata propter Messiam unice condoner, eosque in gratiam recipiat: cum autem jam sint in gratia, & charitatem erga egenos liberalitate suâ declarant, Deum etiam corporales peccatorum pœnas vel mitigare vel prorsus tollere. *Misericordes enim misericordiam consequuntur, Matth. 5, 7.*

Vers. 34.

ET DEUS PROSPECTOR EST EJUS QUI REDDIT GRATIAM, ET IN TEMPORE CASUS SUI INVENIET FIRMAMENTUM] *Deus qui respexator est beneficiorum. post id meminerit ipsius, ut sustentaculum, inveniat tempore casus sui.* Id est, cum alioqui esset casurus.

## CAPUT IV.

*Continuatur hortatio ad Eleemosynam egenis, & humanitatem inferioribus exhibendam; & commendatur sapientia à beneficiis, quæ filiis suis, imprimis beneficis præstat: ejusque præcepta nonnulla traduntur de observando temporis articulo, ne in alterius gratiam nostram ruinam accersamus, ne veritati contradicamus, nec peccata nostra differeamus, ne bonam causam deseramus, ne sæviamus, aut suspicacissimus adversus nostros, & ut liberalitatem exerceamus.*

Vers. 1.

FILII ELEEMOSYNAM PAUPERI NE DEFRAUDES] Sequuntur monita de operibus misericordiæ. τὸν ζῶντα πεινῶντι μὴ ἀποστερήσῃς: ne subtrahas vitam pauperi: id est, ad vitam necessaria. Subtrahit, qui non det, cum satis ad danium habeat. Necare videtur qui alimonia denegat, ait Paulus jurisconsultus.

ET OCULOS TUOS NE TRANSVERTAS A PAUPERE] μὴ παραλλάσσῃς ὀφθαλμοὺς ἐπιδεεῖς: *ne protrahas oculos egentis*: id est, spem egentis, ἀχάριν ἢ ἡμφίονος ἀχαρὶς χάρις. Hæc sunt beneficia quæ, ut Seneca loquitur, diu intra manus hærent. Idem est sensus in eo, quod sequitur, sed ex alio scriptore desumtus.

*Gregor. Nazianz.* de paup. amor. *Beneficii gratia promtitudine, & celeritate congeminatur. Demoratus, sibene*, inquit, *de aliquo mereris, citissime da, mora enim ingratum reddit ur, & parum amabile quicquid dederis.* Qui cito dat, bis dat, dictum est *Publii* Mimi notissimum. *Qui tarde dedit, diu voluit*, ait *Seneca* l. 1. de benef. c. 1.

Vers. 2.

ANIMAM ESURIENTEM NE DESPEXERIS, ET NON EXASPERES PAUPEREM IN INOPIA SUA] *Noli contristare hominem esurientem irritando eum in sua indigentia.* Hic est sensus in Græco.

Vers. 3. COR INOPIS NE AFFLIXERIS] In Græco est: καρδίαν πεφορτωμένην. Sed πεφορτωμένη Hellenistis ponitur pro עָנִי, aut עֲצֵב, quæ alibi vertuntur per λυπεῖν, ὀδυνᾶν, & similia.

ET NON PROTRAHAS DATUM] δόσιν, id est, donationem, rem dandam.

ANGUSTIANTI] πεφοβημένῳ, id est, πτωχῷ, mendici, id est, à mendico expetitum: ita enim genitivi hic sæpe ponuntur. Vide supra 3, 15.

Vers. 4.

ET NON AVERTAS FACIEM TUAM AB EGENO] Tobiæ 4, 7.

Vers. 6. MALEDICENTIS ENIM TIBI IN AMARITUDINE ANIMÆ EXAUDIETUR DEPRECATIO ILLIUS, EXAUDIET AUTEM EUM QUI FECIT ILLUM] In Græco brevius: *Imprecationem ejus exaudiet is qui fecit illum.* Δύσις generalis est vox, sed hic imprecationem significat. Egregius est Homeri locus, περὶ Λυτῶν, Iliados 1ota:

Οὐδὲ τίνηται, κείνε γεροὺς ἀπόειπε,
Λίσσονται δ' ἄρα τοιγε Διὸς Κρονίωνα κιόντε
Τῷ ἀτην ἅμ' ἑπεσθαι, ἵνα ἐλαφθοτι ἀποτίσῃ.

Vers. 7.

CONGREGATIONI PAUPERUM AFFABILEM TE FACITO] In Græco non est *pauperum*. Sensus est; *præbe te comem plebi.*

ET PRESBYTERO HUMILIA ANIMAM TUAM] Hoc interpres videtur addidisse, nam in Græco non est.

ET MAGNATI HUMILIA CAPUT TUUM] Id est, virum summatem reverenter saluta.

Vers. 8.

REDDE DEBITUM TUUM] Hoc non est in Græco: nec satis loco convenit.

Vers. 9.

LIBERA EUM QUI INJURIAM PATITUR DE MANU SUPERBI[ ἐκ χειρὸς ἀδικοῦντος, id est, eripe innocentem calumniatori, cum filicet absolvendo tua sententia. Nam hæ παραινέσεις ad judicem pertinent, ut apparet ex sequentibus.

ET NON ACIDE FERAS IN ANIMA TUA] καὶ μὴ ὀλιγωψυχήσῃς ἐν τῇ κρίσει σου: *Nolo esse trepidus ubi tibi judicandum est.* Id est, nihil accusatoris injuriis potentiam eximescere, sed ex legibus justica. Ὀλιγοψυχεῖν ita sumitur apud LXX. Interpretes sæpe, & Judithæ 7, 17. 8, 9. Similis sensus infra 7, 6.

Vers. 10.

IN JUDICANDO ESTO PUPILLIS MISERICORS, UT PATER, ET PRO VIRO MATRI ILLORUM] In Græco non est *in judicando*, neque *misericors*, sed *esto pupillo pater, & pro viro matri ejus*, nempe dando consilium: causam eorum defendendo apud judices: & si opus sit, subleyando egestatem: ut fecit Jobus 31, 16. & sequentibus. Adde Deuter. 24, 19. 20. 21. Esa. 1, 17. Jac. 1, 27.

Vers. 11.

ET ERIS TU VELUT FILIUS ALTISSIMI OBEDIENS] *Obediens* non est in Græco, & potius sensus videtur esse; tam carus eris Deo quam filius est patri, ut ostendit pars hujus commatis altera.

Vers. 12.

Vers. 12.

SAPIENTIA FILIIS SUIS VITAM INSPIRAT] Legit ἀναζώσει, ubi nos habemus ἀνύψωσε, solet in sublime evehere. Clemens Alexandrinus legit ἀναφυσίωσε, & Tertullianus ἐνθυσιάσε.

ET SUSCIPIT] ἐνιλαμβάνεται, velut manu prehendit.

ET PRÆBIT IN VIA JUSTITIÆ] Non est hoc in Græco.

Vers. 13.

ET QUI VIGILAVERINT AD ILLAM COMPLECTENTUR PLACOREM EJUS] Placorem dixit, quam placentiam Apulejus. In Græco: ἐμπλησθήσονται ἱλαρότητος, *implebuntur gaudio.* Pro *vigilaverint*, Græcum habet, ὀρθρίζοντες: qui mane surrexerint: quo verbo Hebræi summum studium significant, quale est opificum antelucanorum. Vide Job. 8, & 24, 5. Ose. 6, 1. Jer. 11, 7. 25, 3. 29, 19. Soph. 3, 8.

Vers. 14. VITAM HÆREDITABUNT] In Græco: *gloriam:* Sed Interpres omnia trahit ad sensum quammaxime Christianum.

Vers. 15. QUI SERVIENT EI OBSEQUENTES ERUNT SANCTO] Magna pars sapientiæ θεῷ ὑπηκόῳ. Hebræi autem sæpissime Deum sanctum vocant, non tantum quod ipse omni vitio careat, sed quia & omnis sanctitatis fons est.

Vers. 16.

JUDICABIT GENTES] Ad imperia & magistratus provehentur, ut apud Romanos Numa ad regnum.

PERMANEBIT CONFIDENS] κατασκηνώσει πεποιθώς, securus habitabit: tanta in illum erit omnium benevolentia.

Vers. 17.

SI CREDIDERIT EI, HÆREDITABIT ILLAM] ἐὰν ἐμπιστεύσῃ, si fidem habuerit, ipsi feliciet. ἐμπιστεύω, hoc sensu frequens huic scriptori. Vide supra 2, 11. & jamjam 19. veritur sic Hebraum וַיַּבְטַח, Deuteron. 1, 32. 2. Paralip. 20, 21.

ET ERUNT IN CONFIRMATIONE CREATURÆ ILLIUS] ἐν κατασχέσει ἔσονται τῷ γένει αὐτοῦ. Ita enim habet Sixtina editio, non αὐτῶν. *In possessione* (sapientiæ) *manebunt posteri ipsius.* Facilem sapientiæ adeptionem posteris facit bona institutio à parentibus adhibita, modo ipsi sibi non desint.

Vers. 18.

QUONIAM IN TENTATIONE AMBULAT CUM EO] Causam reddit cur addiderit conditionem, si quis sapientiæ fidem adhibuerit, quia initia ejus duræ sunt, radices amaræ, fructus suaves. In Græco, pro *in tentatione*, est διεστραμμένος, id est, oblique, ut illi solent, qui aliquem tentant.

ET IMPRIMIS ELEGIT EUM] Non est in Græco nisi ὑπερόνυς, idque connectitur cum sensu præcedente.

Vers. 19.

TIMOREM ET METUM ET PROBATIONEM INDUCET SUPER ILLUM, ET CRUCIABIT ILLUM IN TRIBULATIONE DOCTRINÆ SUÆ, DONEC TENTET EUM IN COGITATIONIBUS SUIS, ET CREDAT ANIMÆ ILLIUS] Græca sic habent: *Timorem & metum incutiet ei, & torquebit eum disciplina sua, donec ipsa fidem illi homini habeat, postquam tentaverit ipsum suis præceptis.* Idem dicit quod Hesiodus:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' ἐς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἔπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Virtus ipsa apud Silium Italicum sic loquitur:

*Ardua saxosi perducit semita clivo:*
*Æstera principio, (nec enim mihi fallere mos est)*
*Prosequitur labor ad mitendum intrare volenti,*
*Nec bona censendum quæ sors infida dedisset,*
*Atque eadem rapuisse valet. Mox celsus ab alto*
*Infra te cernes hominum genus.*

Vers. 20. ET FIRMABIT ILLUM, ET ITER ADDUCET DIRECTUM AD ILLUM] In Græco: καὶ πάλιν ἐπανελθὼν κατ' εὐθείαν πρὸς αὐτὸν: *Sed deinde occurres illi recto itinere:* non ut ante, διεστραμμένην.

Vers. 21.

ET THESAURIZABIT SUPER ILLUM SCIENTIAM ET INTELLECTUM JUSTITIÆ] Non est in Græco. Videtur παράφρασις esse arcanorum, quorum præcessit mentio.

Vers. 22. SI AUTEM ABERRAVERIT] *Si defecerit ab ipsa.* Multi enim lassati falebris viam sapientiæ desernnt. Vide tabulam Cebetis.

ET TRADET EUM IN MANUS INIMICI SUI] in Græco: πτώσεως αὐτῷ, ruinæ suæ. Sinet illum cadere, postquam desertorem deseruerit. Nam supra dicta est sibi fidos manu servare 12.

Vers. 23. FILI CONSERVA TEMPUS] σωτήρησον καιρὸν: *Observa articulos temporum*, sive *tempestivum tempus*: ut verte Ausonius: καιροὶ λαθόντας, dixit Iphigenia Taurica Euripidis. Hoc monitum in sua membra digestum vide apud Ecclesiasten 3, 1.

ET DEVITA A MALO] Ut à malo tibi caveas. Ita enim copulativa conjunctio sæpe hic sumitur.

Vers. 24.

PRO ANIMO TVO NE CONFVNDARIS DICERE VERVM] *Dicere verum* nonest in Græco, sed μὴ αἰσχυνθῇς περὶ τῆς ψυχῆς σου. Sensus est; ne pudeat te humilem te facere, & submissis precibus agere ut vitam serves, sicut fecit Josephus Jacobi filius, Genes. 42, 21. & Jeremias 38, 26. Apud Euripidem dicenti Hecubæ:

Τί δῆτ' ἔτ' ἔλπεις, θύγατερ ὧν ἡμῖν τότε;

Respondet Ulysses:

Πάσῃν λέγειν τυχεῖν σ', ὅτου μὴ Σωτῆρ.

Vers. 25.

EST ENIM CONFVSIO ADDVCENS PECCATVM, ET EST CONFVSIO ADDVCENS GLORIAM ET GRATIAM] Duplex hic describitur αἰσχύνη, id est pudor: ut est apud Hesiodum:

Αἰδὼς δ' οὐκέτι μίγδα διέπτατον, ἀλλὰ δίχονται.

Et apud Euripidem Hippolyto:

Αἰδώς τε, δισσὼ δ' ὀνόματ', ἡ μὲν ἀκακία,
Ἡ δ' ἀμφίβολον οἶκον.

Quæ eadem fere verba ut Alcæi citat Plutarchus.

*Gregor. M.* in Ezech. hom. X. *Sicut verecundia*, inquit, *laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum sapientiæ est: bonum vero erubescere est satuitatis, unde scriptum est:* Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam. *Qui enim erubescit panitendo mala, quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit: qui vero erubescit bona facere, à statu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit. Augustin.* Ep. 48. *Confusio*, ait, *adducit peccatum, cum erubescit quisque pravam mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, aut dici errasse, seipso judice teneatur. Confusio autem adducit gratiam, & gloriam, cum erubescit quisque de propria iniquitate, & panitendo in melius commutatur.*

Vers. 26.

NE ACCIPIAS FACIEM ADVERSVS FACIEM TVAM] in Græco: μὴ λάβοις πρόσωπον κατὰ τὴν ψυχήν σου, quod quid significet, explicant sequentia: πρὸς μὴ πτῶμά σοι ἐπιπέσῃ, quod Latinus Interpres verterat: *Ne reverearis proximum in casu tuo;* quod enim medium est inter hæc, abest in Græco. Sensus est: Noli cuiquam hominiita morem gerere, ut ipse tibi inde periculum crees contra animam tuam, id est, contra teipsum, tuo malo, ad tuam ruinam.

Vers. 28.

NE RETINEAS VERBVM IN TEMPORE SALVTIS] id est, ubi loqui tibi salutem adfert. Idem sensus qui supra 24.

*Tum malum est semper tacere, quam malum est semper loqui.*

*Sic Amyclas cum tacerent perdidit silentium.*

NON ABSCONDAS SAPIENTIAM TVAM IN DECORE TVO] In Græco: μὴ κρύψῃς τὴν σοφίαν σὴν καλοσύνῃ, ubi est ἀσάφεια. Sensus enim est: *Ne occulta sapientiam ubi ea tibi eris decori.* Loquendi præcipua tempora sunt, ubi aut loquendo periculum vitatur, aut honor paratur, Confirmant hanc interpretationem quæ sequuntur.

Vers. 29.

IN LINGVA ENIM SAPIENTIA COGNOSCITVR] ἐν λόγῳ, Græce, *per sermonem*, Index animi oratio.

ET SENSVS, ET SCIENTIA, ET DOCTRINA IN VERBO DEI SENSATI] Multis expressit, quod breviusin Græco: κρίσις συνέσεως ἐν γλώσσῃ.

Vers. 30.

NE CONTRADICAS VERBO VERITATIS AB VLLO MODO] Vitalia 10, κατὰ μηδὲν.

ET

ET DE MENDACIO INERUDITIONIS TUÆ CONFUNDERE ] Sequitur codices quosdam. At melius Sixtina habet editio: καὶ περὶ τῆς ἀπαιδευσίας σου ἐντραπῇ, & erubesce si quid imperitus tibi exciderit.

Vers. 31.

NON CONFUNDARIS PROFITERI PECCATA TUA ] In Græco: *Nete pudeat peccata tua fateri:* id est, monitus culpam agnoscе. Sequitur in Græco in hoc loco quod sequenti commate in Latino subjectum est: καὶ μὴ ἐπιπέσῃ πατρὶ: *ne in obnitaris contra ammis cursum.* Est id generale proverbium de labore inutili. Hic vero significat: Noli defendere quæ defendi non possunt.

*Bernhardus* serm. 4. inter minores: *Melior est in malis factis humilis confessio, quam in bonis factis superba gloriatio.* Prov. 18, 17. *Justus prior est accusator sui.*

Vers. 32.

ET NE SUBJICIAS TE OMNI HOMINI PRO PECCATO] Id est, ad peccatum. Alius sensus in Græco: μὴ ὑπεροφθῇς αἰδήμονι ψυχῇ σταυτόν, *ne subjicias te cuiquam stulto.* Liberos hominis allo quitur, qui aut ad domestica ministeria se elocant, aut sub ditionem alicujus migrant, Aristophanes:

Ὡς ἀγαλλόμεθα χαίρομεν ἐσμὲν ὃ Ζεῦ καὶ θεοὶ
Δοῦλοι γενέσθαι παραμονῆσαι θ' ὑμῖν.

NOLI DESIPERE CONTRA FACIEM POTENTIS] Alius sensus in Græco: μὴ κλάδῃς πρόσωπον δυνάστῃ? Ne accipe personam Dynastæ, id est, nihil injustum face ipsius in gratiam.

Vers. 33.

PRO JUSTITIA AGONIZARE PRO ANIMA TVA] In Græco: ὑπὲρ δικαίου ἀγωνίσου περὶ τῆς ψυχῆς σου, id est, pro veritate decerta ad mortem usque, sicut Eliæas, Zacharias Jojadæ, & alii fecêre.

ET DEUS EXPUGNABIT PRO TE INIMICOS TUOS] In Græco: *Deus pro te pugnabit.* Te protegeт, aut animam in æternum servabit.

Vers. 34.

NOLI CITATUS ESSE IN LINGUA ] Legitaxyis, non male, ubi nos ταχὺς aut δεμνός.

ET INUTILIS ET REMISSUS IN OPERIBUS TUIS] Cessator, piger. Plerumque enim in quibus prompta est lingua, iis tardæ sunt manus, quales Thersites Homericus, Drances Virgilianus.

Vers. 35.

NOLI ESSE SICUT LEO IN DOMO TUA] Clamosus & minax. Vide Prov. 19, 12.

EVERTENS DOMESTICOS TUOS, ET OPPRIMENS SUBJECTOS TIBI] Pro his verbis in Græco est: καὶ φαντασιοκοπῶν ἐν τοῖς οἰκέταις σου. id est, suspicax adversus famulos tuos. Qui ea quæ imaginatur certa putat, quasi vitiosset, dicitur φαντασιοκοπεῖν, aut φαντασιοκοπεῖσθαι: quam vocem Eustathius usurpat, de iis qui spe vana pascuntur.

Vers. 36.

NE SIT PORRECTA MANUS TUA AD ACCIPIENDUM, ET AD DANUM COLLECTA] Contracta, συμπεπτωμένη. Illiberalis est animi, multa accipere, parum dare.

Notantur duo avaritiæ vitia: Primum est aviditas accipiendi, & congregandi: alterum est tenacitas in largiendo. Artaxerxes ὁ μακρόχειρ dicebat, Deum sibi ceu Principi sapienti elegantia manum ad dandam dextram dedisse longissimam, alteram vero ad detrahendum, pusillimam dedisse contractam & brevissimam. Regalius enim esse addere, quam adimere, dare quam accipere. Ben Sira Alphab. 1. lit. Thau: *Tam liberalis,* inquit, *sit tibi manus, quasi semper fatur fueris, & non quasi modo demum fatur factus, antea vero esurieris.* Saturi enim semper sunt benefici, & effusi; qui vero esuriit aliquando, ejusque recordatur, in dando est parcus, utpote memor egestatis suæ. Conf. *Act. 20,* 35.

## CAPUT V.

*Divitiis non est immitendum, nec superbiendum: neque ad peccata abutendum divina patientia; nec omnium captanda gratia. Veloces simus ad audiendum, tardi ad loquendum; & imprimis cavenda detractio, vel calumnia, quæ furto ipso deterior est. Denique nihil imprudenter agendum.*

Vers. 1.

NOLI ATTENDERE AD POSSESSIONES INIQUAS] In Græco tantum est, *Noli inniti divitiis tuis.* Ita enim hanc vocem usurpat hic scriptor, 15, 4. c. 34. & alibi.

ET NE DIXERIS: EST MIHI SUFFICIENS VITA] *Sunt mihi quæ ad vitam* (id est ad omne vitæ meæ tempus) *sufficiunt.* Ita in Græco. Talis hominis habemus παραβολὴν, Luc. 12, 19. ubi & admonitio sequitur, qualis hic.

NIHIL ENIM PRODERIT IN TEMPORE VINDICTÆ ET OBDUCTIONIS] Non est in nostris libris Græcis, fuisse tamen in aliis existimo: nam vox *obductionis* respondet Græc. ἐπικαλύψεως, de qua egimus supra 2, 2. sed idem ferme habemus infra hoc capite, commate decimo.

Vers. 2.

NE SEQUARIS IN FORTITUDINE TUA CONCUPISCENTIAM CORDIS TUI] In Græco: μὴ ἐξακολουθήσῃ ψυχῇ σου κατὰ ἰσχύν σου, τὰ ποιοῦντά σε ἐν ὁδοῖς καρδίας σου. *Ne sequere animam tuam, & vires tuas, ut ambules in viis cordis tui.* Id est, noli facere quid quid poies ac libet.

*Seneca* Tragœdus in Troade: *Minimum,* inquit, *libere debet, cum plurimum licet.*

Vers. 3.

ET NE DIXERIS, QUOMODO POTUI, AUT QUIS ME SUBJICIET PROPTER FACTA MEA] In Græca Sixtina tantum est, τί με δυνατόν, id est, quis mihi legem imponat? משל Hebraum vertitur κυριεύσει, ἐξουσιάζει, δυνατόν.

Vid. *Est. 36, 10.* ejus rei exemplum, ut & *Eccl. 28, 2. c. 29. 3.*

DEUS ENIM VINDICANS VINDICABIT ] id est, certo vindicabit. In Græco additur, σὺ τὸν ὑψιστον, *injustitiam tuam.*

Ἔρις θεὸς τῶν ἀλιτρῶν· ἔχει δὲ θεὸς ἱκέσιον ὄμμα.
*Invenit injustum & cernit Deus omnia vindex.*

Plato ait: Θεῷ δὲ ἀεὶ ξυμπέπτει σὺν πόλει τῶν δικαίων ὁσιότητος καὶ θείας μίμησις τίνεσθαι. *Deum semper comitatur justitia patientes eos q. i legem Dei violant.*

Vers. 4.

NE DIXERIS PECCAVI, ET QUID MIHI ACCIDIT TRISTE? ut Horatius:

*tu simul obligasti*
*Perfidum dicis caput, enitescit*
*Pulchrior multo, juvenumque prodit*
*Publica cura.*

Theodectes:

- - - τῶν δὲ τὰς τιμωρίας
Ἀπωθοῦ θεός, τῷ φύσει χρῶντι βροτεῖ.

ALTISSIMUS ENIM EST PATIENS REDDITOR] In Græco: *Deus patiens quidem est, non tamen impunitum te dimittet.* Sequitur apud Theodectem:

Ὅταν δὲ φθονεῖ θεὸς, κἀξίους κακοῖ,
Τιμὰς τιθεὶς ὑπέρτερα τῆς χρείας.

*S. Augustin.* l. de patientia, *patientia,* inquit, *Dei prædicatur, non in hoc, quod malum aliquod patiatur: sed in hoc, quod expellat malos ut convertantur. Gregor. M.* hom. 13. in Evangel. *Concluſit Dei pietas duritiem nostram; Non est jam quid homo excusationis invenat. Deus despicitur, & expellat: cotemni se videt & revocat: Injuriam de contemtu suo suscipit, & tamen quandoque revertentibus etiam præmia promittit; sed nemo hanc ejus longanimitatem negligat: quia tanto districtiorem justitiam in judicio exiget, quanto longiorem patientiam ante judicium prorogavit.* Conf. *Rom. 11, 3.*

Vers. 5.

DE PROPITIATO PECCATO NOLI ESSE SINE METU, NEQUE ADJICIAS PECCATUM SUPER PECCATUM ] In Græco Sixtino: περὶ ἱλασμοῦ μὴ ἀφοβῶ γίνου, προσθεὶς ἁμαρτίαν ἁμαρτίᾳ, id est, *noli peccata precatio addere peccatis ob ipsum venia.* Ostendunt id quæ sequuntur.

*Temere* ergo hæc abripiunt *Corn. à Lap.* & apud eum *Bellarmin. Vasquez, Valentinus & Schvarez* ad

*ad dubitationem de remissione peccatorum* vel propitiatione *præterita*, ne sine metu simus, q. culpa remissa adhuc remaneat pœna luenda sive, hic sive in purgatorio. Agnoscit Grotius de *futura propitiatione* sermonem esse quia sequitur, *ut addas peccata peccatis* q. d. Noli tibi certo promittere, quod Deus propitiabitur peccatis, ut de Dei misericordia præsidens liberius pecces, & peccata peccatis accumules. Quem sensum etiam tradit *Ariamontanus*, *Vatablus*, & ipse hyperaspistes Bellarmini *Sanctus*, part. III. defens. Bellarm. c. 6. §. rursus, & in *Concilio Tridentino* asseruere *Ambros. Catharinus*, *Antonius Marinarius* & alii, teste *Petro Suave* l. II. Hist. Conc. Trid. p. 235. eique Græcum textum favere agnoscit *Tirinus*, nec reprobat eundem *Menochius* in h. l.

Vers. 7. MISERICORDIA ENIM ET IRA AB ILLO CITO PROXIMANT ] Est quidem in codicibus quibusdam ταχυνει, sed abest in editione Sixtina, tantumque est: ἐλεος γαρ και ὀργη παρ' αὐτῳ. Id est, Deus tam. iram secum habet, quam misericordiam; & hac & illa uti potest.

ET PECCATORES RESPICIT IRA ILLIUS ] *Sed peccatoribus incumbit ira ejus.* παταπαυσει, manebit super eos. Peccatores hic intellige obduratos ac pertinaces, κατ' ἐξοχην sumto vocabulo.

Vers. 9. SUBITA ENIM VENIET IRA EJUS ] Improvisa aderit. Quod hic in Græcis quibusdam adjicitur, και ἐν ἡμεραις ἐκτισεως, deest in Sixtino.

Pulcra sunt quæ hic habet *Paul. à Palatio*: *Misericordia Domini magna est, non ut adjicias peccata: Sed ut remittenda credas, si amplius ea non committere decernas. Immane flagitium est, misericordiam Dei lenam facere Diaboli, & quod per misericordiam, per quam Deo conjungi debuerat, Diabolo conjungere. Ergo misericordiam, quam Deus in asylum peccatoribus proposuerat, (in templum Sancti Dei ubi esset Deus propitiandus) tu feisti velut lupinar Diaboli, ubi Diabolo festa celebrantur. Ergo ne in misericordia ad peccandum confidas. Nam misericordia & ira ab illo cito proximant.*

V. 10. NOLI ANXIUS ESSE IN DIVITIIS INJUSTIS ] *Noli confidere divitiis injustis.* Est enim in Græco ἐν πλουτῳ, ut supra 1. Tantum quod ibi in genere dictum est de divitiis, hic ad injustas civitias applicatur. Euripides Erechtheo:

Ἀλλως δ' ἀν χρῆ χρήματ', ἀν δ' ἀδίκῃ πολιῶ
Χρῄζων μεγ' ἀζημίους ἐμμενεῖ. τὰ γὰρ κακῶς
Οὐκ ἐστι δεινὸν· ὧν ἐγὼ σωτηρίαν.

NON ENIM PRODERUNT TIBI IN DIE OBDUCTIONIS ET VINDICTÆ ] In Græco tantum est: ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικησεως. Iraque illud, & *vindictæ*, explicandi causa videtur additum ab interprete. Vide supra hoc capite in principio.

Vers. 11. NON VENTILES TE IN OMNI VENTO ] Bene supplevit sensum Græci: μὴ λικμα ἐν παντι ἀνεμῳ: est enim activum pro reciproco. Ventilare semet ad omnem ventum est, omnium captare gratias, & ad eas verba factaque accommodare. Plautus dixit, uti ventus est velum vertere.

ET NON EAS IN OMNEM VIAM ] Theophrastus in descriptione: ὁ ἀρέσκος. Καὶ παρακληθεὶς δὲ πρὸς δίαιταν, μὴ μέτιον ἢ πάρει· ἀφάνας ἀρέσκειν, ἀλλα κρὰ τῳ πιτθάκῃ, ἵνα καὶὸς εἰπῃ δικῆ.

Seneca: *Qui quo destinavit, inquit, pervenire vult, unam sequi viam, non per multas vagari debet: non ire illud, sed errare est.*

SIC ENIM OMNIS PECCATOR PROBATUR DUPLICI LINGUA ] In Græco: οὕτως ὁ ἁμαρτωλὸς ὁ διγλωσσος, id est, ita solet agere homo pravus: est enim bilinguis, ut olim Tyrii. Talibus similem se facit qui omnia loquitur ad captandas omnium gratias; fieri enim non potest quin sepe sibi contradicat.

Vers. 12. ESTO FIRMUS IN VIA DOMINI, ET IN VERITATE SENSUS TUI, ET SCIENTIA, ET PROSEQUATUR TE VERBUM PACIS ET JUSTITLÆ In Græco nihil amplius est, quam ἴδι ἐσηρηγμένον ἐν συνεσει σε διαβαλεῖ, κ' ὡς ἐσω ὁ λόγος σου. Firmiter desende quæ certa nosti, ita fiet ut unus sit sermo tuus: id est, semper tibi constientes. Sophocles:

Θαῤῥεῖ λέγειν τ' ἀληθὲς κ' σφάλλῃ ποτε.



Euripides:

Καλὸν γ' ἀληθὲς κρὰ δικαίως πεπύσθαι.

Vers. 13. ESTO MANSUETUS AD AUDIENDUM VERBUM ] Legit πραὺς, ubi nos habemus ταχὺς, quod melius respondet oppositio membro. Esto velox ad audiendum, tardus ad respondendum. Aures enim binas nobis Deus dedit, os unum. In Græco est: *Ad audienda quæ bona sunt.*

UT INTELLIGAS ] Addidit hoc interpres sensui elucidando. Quod hic in quibusdam libris Græcis additur, κρὶ ἔσω τὰ ἀληθεῖα ὁ ξυνεις, non est in Sixtina, & videtur divellere ea quæ inter se connecti debent.

ET CUM SAPIENTIA PROFERAS RESPONSUM VERUM ] In Græco: *& cum tardante animo eloquere responsum verum.* Addunt quidam libri ὀρθὸν: Sed id Sixtina editio non habet.

Vers. 14. SIN AUTEM, SIT MANUS TUA SUPER OS TUUM ] Nimirum:

Ἀλλ' ἐν στόμᾳ κρύπτει, ὁ σιγᾶν ἔφη.

Ut est in vetere verbo: Manus tua sit super os tuum: simile dicto Latino: *digito compesce labellum.*

NE CAPIARIS IN VERBO INDISCIPLINATO, ET CONFUNDARIS ] Additum est hoc ab interprete.

*Conf. Isac. I. 19. Iob. XXI. 5. Prov. XIX. 21. Cave, ne feriat lingua tua collum tuum*, monet Proverbium Arabicum Centur. I. num. 75. *Augustin.* tract. LIX. in Joh. *Tutius*, inquit, *veritas auditur, quam prædicatur: quoniam cum auditur humilitas custoditur: cum autem prædicatur, vix non subrepit tumor hominum quantilacunque jactantia, in qua utique pedes inquinantur.* Isocrates, ὁυ ποιὸς λεγεις & λεγεν, ἀπερ ὠν οἶδα σαφῶς, πᾶσι ὠν ἀσαγκαῖον εἰπεῖν· ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις ἀμεινον σιγᾶν ἢ λεγειν, *Duo facias tempora loquendi, aut de iis, quæ explorate tibi perspecta, & cognita sunt, aut de quibus necesse est dicere: In aliis melius est tacere, quam loqui.*

Vers. 15. HONOR ET GLORIA IN SERMONE SENSATI ] Legit πρὰ, ubi nos habemus ἀτιμία, & addidit illud *sensati*: nam in Græco est: Δόξα κρὶ ἀτιμία ἐν λαλιᾳ· *bonus & dedecus in sermone.* Utrumque loquendo adipisci possumus, & decus & dedecus. Vide Matth. XII. v. 37.

LINGUA VERO IMPRUDENTIS EST SUBVERSIO IPSIUS ] Hic quoque ad sensum clarius exprimendum addidit, *imprudentis.* Nam in Græco est: κρὶ γλῶσσα ἀνθρώπου πτωσις αὐτῳ: id est, sæpe lingua homini causa est ruinæ. Euripides:

Οὐ τῶν μεγίστων, ἀλλὰ πολλάκις Κρέων,
Ἔβλαψε γλῶσσα, μεγάλα τ' ἔσχε σὺν κακά.

Vers. 16. NON APPELLERIS SUSURRO ] Noli mereri nomen clanculanii detrectatoris. Id enim ψιθυρος, & Paulo Rom. I. 29. ψιθυριστὴς. Hic incipit novus titulus cum quo cohæret initium capitis sequentis.

ET LINGUA TUA NE CAPIARIS, ET CONFUNDARIS ] Legit διαβολὴ. Nos habemus, κρὶ τῇ γλώσσῃ σου μὴ ὑπόβαλε, *nolicuiquam insidiari tua lingua.*

*Isidor. Hispal. Susurro*, ait, *de sono locutionis appellatur, quia non in facie alicujus, sed in aure loquitur de altero detrahendo. Rabanus* h. l. *susurronem appellat detrectatorem, cujus confusio vera est, quia damnatio certa.*

Vers. 17. SUPER ENIM FUREM EST CONFUSIO, ET POENITENTIA, ET DENOTATIO PESSIMA SUPER BILINGUEM: SUSURRATORI AUTEM ODIUM ET INIMICITIA, ET CONTUMELIA ] In Græco: ὀπὶ γὰρ τῷ κλέπτῃ ἔσῖ αἰσχυνη μοχθηρὰ, κρὶ κατηγορια πονηρὰ ἐπὶ διγλώσσῳ· *furem enim sequitur gravis ignominia: at bilinguem*, (id est, calumniatorem) *damnatio mala.* Fur in servitutem ignominiosam addicitur: at detrectator deprehensus sepe etiam capitis pœnam subit. Detrectatores sunt bilingues, non audent enim clare dicere quod in aurem insusurrant, timent aurem tertiam.

*Ofiander* ita: *Qui susurronem agit, & alteri lingua sua nocere cupit, is quovis fure est nequior. Minus enim malum est facultates amittere, quam bonam famam. Et Deus eos severissime punit, qui in faciem blande loquuntur, paulo post absentia illius famam tecte arrodunt.*

Vers. 18. JUSTIFICA PUSILLUM ET MAGNUM SIMILITER ] ὁ ικαιολογῶν ὀ μικρὸν μὰ μέγαν. Ita Sixtina. Addunt alii libri κρὶ ἴν. Est autem ἀγνοεῖν Helle-

nisis imprudenter aliquid agere, סכל אשם vel שגגה, vel ἀπρονοήτως. Qui in parvis rebus inconsiderate agit, paulatim eo pervenit, ut in magnis idem faciat: quare nihil faciendum ἀπρονοήτως.

Sic etiam Vatablus, *sive magnum, sive parvum, ne quid imperite committas.* Justus omnia sua opera, quoad humana permittit infirmitas, ad justitiæ & virtutis normam componit. Ideoque parva non negligit, sed diligenter curat, ut & illa justa sint, sciens id sibi decori esse, & ex parvis gradum fieri ad magna, imo parva si iterentur & multiplicentur fieri magna. Nonnulli hæc etiam de *detractione* accipiunt. Qui enim assueverit in levioribus obtrectare, idem post etiam in gravioribus facile tentat, & sæpe ex parva scintilla magnum incendiem oritur. Sic *Osiander*, & *Tirinus*.

## CAPUT VI.

*Leges & conditiones veræ amicitiæ. Vitentur calumniæ, & falsitates. Multis comis sis, paucis secretum detegas. Quis eligendus amicus, & quantum bonum amicus fidus sit? De Sapientia etiam docetur, quam ardua casit, quantoque studio prosequenda sit; ad quam requiritur, ut homines pios, & sapientes audiamus, & præcepta DEI assidue meditemur.*

Vers. 1. NOLI FIERI PRO AMICO INIMICUS PROXIMO] *Proximo* non est in Græco. *Pro amico*, id est, *ex amico*. Non dissimile illud Ovidii:

*Sed modo dilectam scelus est odisse puellam:*
*Exitus ingenio conveniet iste fero.*

NOn patiaris te per bilinguem susurronem commoveri ut proximo tuo amicitiam renuncies; bilingues enim nebulones tandem patefient, & qui illis temere, & levitate quadam aures præbuerunt, non magnam inde laudem reportant. *Omnis malus*, ut Menochius exponit, *velut justam malitiæ suæ sortem & pœnam debitam hæreditabit probrum & contumeliam sed præsertim peccator invidus, & bilinguis.* Verba aliter reddidit Grotius, sed sensus eodem fere recidit. Quem jam audiamus.

IMPROPERIUM ENIM ET CONTUMELIAM MALUS HÆREDITABIT] ὄνομα πονηρὸν poterat quidem significare hominem malum, quomodo ὄνομα sumitur. Act. 1. 15. Apoc. III. 4. XI. 13. & Hebræum שם, Num. III. 40.43. XXVI. 55. sed materia de qua hic agitur vult exponi calumniam, ex loco Deuteronom. XXII. 19.

ET OMNIS PECCATOR INVIDUS ET BILINGUIS] ἁμαρτωλὸς διάλαλος ὁ δίγλωσσος ἀτιμιάζει, *sic & peccans in eo quod bilinguis est, infamium ferat.* Non minus infamis est detractator, quam apertus calumniator.

Vers. 2. NON TE ATTOLLAS IN COGITATIONE ANIMÆ TUÆ, VELUT TAURUS, NE FORTE ELIDATUR VIRTUS TUA PER STULTITIAM, ET FOLIA TUA COMEDAT, ET FRUCTUS TUOS PERDAT, ET RELINQUARIS VELUT LIGNUM ARIDUM IN EREMO] Apparet hunc interpretem legisse καταφάγηται, & ἀπολέσει, & ἀφήσει, quæ nos mendose habemus in secunda persona: sed transposuit verba quædam interpres, & addidit non necessaria. Sensus est: *Noli nimium tibi placere in consultis animi tui, ne forte animus tuus* (præfractus & contumax) *diripiat te, ut taurus, folia tua comedat, fructus tuos perdat, te vero relinquat ut arborem aridam.* Buceri pecoris mus est arboribus & foliis, & fructus, imo & corticem abradere. Talem eventum habent sæpe homines pernaces. Sophocles:

Μὴ πᾶσιν ἔσῳ μᾶλλον ἢ σαυτῷ φέρου,
Σὲ φῆς σὺ, κ' ἄλλη μᾶλλον ἢ σὲ χρὴ σέβειν.

Sequitur postea:

Τὸ δ' ἀντίπαλον αὐτόπτυμα ἀπόλυται,
Αὐτοὶ δὲ, νοῦς ὅτις ἐγκρατὴς, τόδε
Τέκνα ὑπόπτα μηδὲν ὕβριος κάτω
Στρέψας τελοῦσι τέλμασιν ταυτίσεται.

*Cornelius à Lap.* hæc refert ad *dissociationem amicitiæ ex fastu, & fastidio amici. Tirinus*, ne te extollas velut taurus, id est, superbe, jactabunde, ne quidem in consilio tuo: ne per hanc stultitiam elidatur virtus, fortis illa animositas tua, & eadem ista tua superbia perdat omnem tuum ornatum & gloriam cum omni fructu, quem speraras. Simplicissima, textuique maxime conformis videtur *B. Lutheri* & *Osiandri* interpretatio: *Ne te extollas in consilio animæ tuæ* (reprehensionis sc. & despectus amici) *ne* (consilium tale) *diripiat te, ut taurus, folia tua comedat, ne fructus illos perdas, & teipsum relinquas, ut lignum aridum.* Qui enim gaudent alios reprehendere, multorum in se odia concitant, & eorum etiam, quæ bene gesserunt, gratiam amittunt, & tales Momi ab omnibus deseruntur, ut sint instar arborum, quæ exaruerunt & negliguntur.

Vers. 4. ET DEDUCET IN SORTEM IMPIORUM] Hoc pie addidit interpres.

Vers. 5. VERBUM DULCE] In Græco: *guttur dulce.* Sic Sappho:

Βρόγχων ἰμοὶ γὰρ ἁδυῶν
Οὐδὲν ἐδ' ἔκεν.

ET MITIGAT INIMICOS] Non est hoc in Græco.

ET LINGUA EUCHARIS IN BONO HOMINE ABUNDAT] Legit: πᾶν γλῶσσα ἐυχαρὶς πλεῖστοι ἐπαινεῖται. Nos habemus: γλῶσσα ἰλαλὸς πλεῖστοι ἐπαινέσεται: Lingua diserta multas blanditias proferet. Isocrates: τῷ μὲν τόπῳ γίνε φιλοπρόσηγος. τῷ δὲ λόγῳ ἐυπροσήγορος. Vers. 6. MULTI PACIFICI SINT TIBI, ET CONSILIARIUS TIBI SIT UNUS DE MILLE] Est & hæc sententia nota Hebræis, qui sic efferunt: *Multi sint quærentes pacem tuam, secretum tuum detegas uni de mille.* Et ajunt esse Benfiræ. Benfira non est alius ab hoc Jesu filio Sirach. Sensus est egregius, multos esse debere quibuscum communem quandam amicitiam colamus, paucos quibuscum consilia nostra communicemus.

Μυρίοις σὺ μὴ κατάστης τῷ φίλῳ nempe cuilibet.

Bene ergo ille, *comem me omnibus præbeo, familiarem non nisi bonis.* Cæterum illum *Ben Sira* non esse nostrum *Iesum Sirac idem*, etsi nonnullas cognatas tradat sententias *Senrius* quatuor rationibus probat, quas ex eo repetit *Gretserus* & *Cornel. à Lap.* 1. quia Ben Sira ultimam literam habet ת. Sirach autem habet ל. 2. quia communiter Ebræi tradunt BenSira vixisse altera post Jeremiam ætate. Jesus Sirach autem vixit diu post. 3. quia Ben Sira dicitur filium habuisse Uzielem & nepotem Josephum: Jesus Sirach autem filium habuit Sirach, & nepotem Jesum. 4. quia Ben Sira multa habet, quæ non habet Ecclesiasticus, rursum Ecclesiasticus multa habet, quæ non habet Ben Sira. Quis autem credat, eundem autorem de eisdem pene rebus & eodem pene modo ac phrasi adeo diversos scripsisse libros, nec ullam hujus rei dare significationem.

Vers. 7. SI POSSIDES, AMICUM, IN TENTATIONE POSSIDE EUM] Si amicum parare tibi vis, eum para quem exploraveris. κτᾶσθαι sæpe est acquirere, ut Hebræum קנה. Vide Luc. XXI. 19.

ET NE CREDAS ET FACILE] Facile, id est, non explorato.

*Prius* ergo *delige amicum, quam diligas: prius proba, quam ama. Amicum*, inquit *Beda* in proverbiis A. *res secundæ parant, adversæ probant.* Plutarchus, *sicut navis*, inquit, *compagem probat tempestas: si enim sit firma & valida, illi resistet: sin autem, fatiscet & dissiliet: sic amici probandi sunt malorum incursu.*

Τύχη γὰρ πολλοὺς γνωρίζειν φίλους.
*Varie solet Fortuna amicos pingere.*

Vers. 8. EST ENIM AMICUS SECUNDUM TEMPUS SUUM] Id est, dum ipsi expedit.

Vers. 9. ET EST AMICUS QUI CONVERTITUR AD INIMICITIAM, ET EST AMICUS QUI ODIUM ET RIXAM ET CONVITIA DENUDABIT] In Græco: *est amicus qui mutatus in inimicitiam rixam proferet cum opprobrio in te.*

Vers. 10. EST AUTEM AMICUS SOCIUS MENSÆ] Vide egregium Plutarchi librum, quomodo discernendus sit ab amico adulator. Græcus est versus:

Πολλοὶ

Πολλοὶ τραπέζης ἐκκλησιάζει φίλοι.

Martialis:

*Hunc quem mensa tibi, quem cœna parabit amicum,*
*Esse putas fidæ pectus amicitiæ?*
*Aprum amat & mullos, & sumen, & ostrea: non te,*
*Tam bene si cœnem noster amicus erit.*

Theognis:

Πιστοὶ τοι πάντ' ἐσθλὸς ἐὼν ἑτάροισι γένοιτο·
Ἐν δὲ κακοῖσιν ἀνδράσι πανταχόθι.

Vers. 11. AMICUS SI PERMANSERIT FIXUS ERIT TIBI COÆQUALIS] Meliorem hæc sensum in Græco habent: ἐὰν ἐν τοῖς ἀγαθοῖς ζωὴν σῇ, καὶ ἐπὶ τῆς οἰκέτας σε παῤῥησιάσεται. Continuatur cœptus de adulatore sermo: *In rebus tuis boni erit ut tu* (id est, pariter iis fruetur) *& in domesticos tuos libertate utetur.* Imperabit illis velut alter dominus, dicens: κοινὰ τὰ φίλων.

Vers. 12. SI HUMILIAVERIT SE CONTRA TE, ET A FACIE TUA ABSCONDERIT SE] Melius & hoc in Græco: *Si tu deprimaris,* (a fortuna) *erit ille contra te, & fratres suum ate aberunt.* Aut nocebit tibi, aut fugiet conspectum tuum.

UNANIMEM HABEBIS AMICITIAM BONAM] Non est in Græco.

Vers. 13. AB INIMICIS TUIS SEPARARE] Longe ab illis esto, ne tibi noceant.

ET AB AMICIS TUIS ATTENDE] Cave etiam ab amicis: non tamen ut inimicos fuge.

Vers. 14. AMICUS FIDELIS PROTECTIO FORTIS] Validum præsidium.

Φίλιος δικαιοκρίτης ἀσφαλέστατος. Apud Euripidem, amicus amico: εἰς ξ' ἅπλοῦς ἦμὶ κανταφυγὰς ἔχειν κακῶν.

*Isidorus* Pelus. amicitiam vocat *panoplam fortissimam: Greg. Naz.* Orat. VI. ad Greg. Nis. *Amicus fidelis protectio fortis, munitum palatium.* Conf. *Eccl. IV. 10.* Darius Rex Persarum apud Herodotum ad Histiæum scripsit: Κτησιάων παίδων εἶναι ἱμιώσεα τὸν ἀνδρα Φίλον χωρεόντε ξεῖνον· *Omnibus thesauris pretiosiorem esse amicum prudentem, & benevolum:* uti jam addit Syracides.

QUI AUTEM INVENIT ILLUM INVENIT THESAURUM] Φίλος ἔχων, πάμπολ' ἔσθ' ὑπάρχει ἔχειν.

Vers. 15. AMICO FIDELI NULLA EST COMPARATIO, ET NON EST DIGNA PONDERATIO AURI ET ARGENTI CONTRA BONITATEM FIDEI ILLIUS] Euripides:

Οὐκ ἔστι πλοῦτος ὅστις ἀξιώσεται φίλων
Ἀγαθῶν πιστεύσας βέλτιστος, κακῶν φρονεῖ.

Alius:

Οὐκ ἔστι δώρων κτῆμα κρεῖσσον φίλου.

Sophocles:

Οὐκ οἶδα γὰρ δὴν ἥτις ἀνθρώπων ἔσται,
Πλοῦτος γένοιτ' ἂν ἀσφαλὴς ἄτερ φίλων.

Similæ extat apud *Ebræos* proverbium: *Potior est amicus in platea, quam aurum in cista.* *Chrysost.* homil. II. ad Epist. I. ad Thessal. *Si mille thesauros dixeris, nihil tamen germano correspondebunt amico.* *Plato* in Lyside. *Malim,* inquit, *amicum bonum, quam Darii aurum possidere.*

Vers. 16. AMICUS FIDUS MEDICAMENTUM VITÆ] Remedium scilicet dolorum.

Ψυχῆς τοῦτ' ἔστ' ἐν ἀνθρώποις λόγοις.

*Quod Medicus,* inquit Comicus, *est ægro corpori, hoc amicus est mentis ægritudini. Nam verba amica sunt medela commoda.* Conf. Prov. XI. 3. *Ambros.* l. III. de offic. c. ult. *Solatium hujus vitæ est, ut habeas, cui pectus aperias tuum: ut colloces tibi virum fidelem, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur, qui in lætis exultantem comprimat, in tristibus mœrentem erigat.* Quo etiam facit Proverbium Ebræorum, aut *Societas* (amicitia) *aut mors,* q. d. vita sine amicitia non est vita, sed mors. Euripides iterum:

Πᾶσιν δὲ κακοῖς ἄνθρ
Κρεῖσσόν γ' ἀνάγκης ταυτὶ δοῦναι
*Amicus in malis amico est gratior*
*Quam navigantibus serenitas maris.*

ET IMMORTALITATIS] Id est, ad immortalitatem, nempe per pia monita & exempla. Hoc Christiane adjecit interpres: nam in Græco non est.

ET QUI METUUNT DOMINUM INVENIENT, ILLUM] Ut & uxorem bonam. Prov. XIX. 14.

Vers. 17. QUI TIMET DEUM ÆQUE HABEBIT AMICITIAM BONAM: QUONIAM SECUNDUM ILLUM ERIT AMICUS ILLIUS] Ex Græco optime, hunc sensum efficias: *Qui timet Deum is dirigit amicitiam suam, ut qualis ipse est, talis etiam sit familiaris ejus:* nempe Deum timens. Ἐστι hic est εὐδοκεῖ. Versus vetus:

Αἰεὶ γὰρ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ἐς τὸν ὅμοιον.

Euripides:

Τοιοῦτός ἐστιν, οἵπερ ἦν τὸν ἐκφύσας ξυνών.

Vers. 18. ET USQUE AD CANOS INVENIES SAPIENTIAM] Eris, ut Solon,

Αἰεὶ γηράσκων πολλὰ διδασκόμενος.

Vers. 19. QUASI QUI ARAT ET SEMINAT, ACCEDE AD EAM, ET SUSTINE BONOS FRUCTUS ILLIUS] In Græco tantum est, καὶ ἀνάμενε τοὺς ἀγαθοὺς καρποὺς αὐτῆς: *Exspectla bonos ab ea fructus:* sensu congruente, cum eis quæ habuimus supra IV. 20. Interpres, additis quæ vidimus, significavit hanc exspectationis & fructuum similitudinem ab agricola desumtam: nam *spes alit agricolas.*

*Conf.* Jac. V. 7. Ps. CXXV. v. 6.

Vers. 20. ET CITO EDES DE GENERATIONE ILLIUS] Ita solet vertere vocem γενηματῶν, quæ hic quidem proventum significat.

Vers. 21. QUAM ASPERA NIMIUM EST SAPIENTIA INDOCTIS HOMINIBUS] τοῖς ἀπαιδεύτοις, disciplinam non ferentibus, בְּסִירִים: quod nomen modo per ἄφρονες, modo per ἀπαίδευτος vertitur.

Conf. *Prov. XV. 5. 12. & XXIV. 7.*

ET NON PERMANEBIT IN ILLO EXCORS] Non perseverabit in ejus studio ἀκάρδιος. Sumtum ex Prov. XVII. 7. ubi לֵב־אָיִן vertitur ἀκάρδιος. Vertitur eodem modo חֹסֵר־לֵב, Prov. X. 14. XVII. 16. Jer. V. 21. quod alibi vertitur ἀνόητος φρενῶν. Intelligendus hic is qui appetitum rerum honestarum non habet.

Vers. 22. QUASI LAPIDIS VIRTUS PROBATIO ERIT IN ILLIS] Γνῶσις ipsi erit (sapientia) *quasi lapis tu-* *quo exploratur* robur hominis. Alludit ad morem Palæstinæ, de quo egimus ad Zach. XII. 3.

ET NON DEMORABUNTUR PROJICERE ILLAM] καὶ ὁ χρόνος οὐκ ἀποβλιβήσεται αὐτῆς. Non diu librabit se, ut eum lapidem projicere possit, sed ad conspectum ejus abibit. Molitionem illam describit Statius:

——*Vix toto curvatus corpore juxta*
*Dejecit*

*Isidor. Pelus.* Ep. CCCC. *Vir patiens laborum exploratio est, & quasi lapis δοκιμῆς i. probationis.* Lapidem *Lydium* ingerit Turinus: sed repugnante textu Græco.

Vers. 23. SAPIENTIA ENIM DOCTRINÆ SECUNDUM NOMEN EST EJUS] Id est, suum. Σοφία γὰρ κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς ἐστι. Est sapientia non tantum ἐπιγνωσία quid à rebus aliis, sed & unicum qui in suo genere, ut Phœnix, eoque rara inventu, ut sequitur. Ὄνομα pro genere poni diximus supra.

Qui alias interpretationes sententiæ obscuræ desiderat imprimis *Cornel. à Lap.* adeat. Σοφίαν à ζοφῶ vel à *Caligine* dici *Pineda* notat in Job. XXIIX. 18. q. in *caligine* & ignorantione delitescentem: *Ennan.* *Sas* Ebræum חַכְמָה derivat à כָּמַס *absondendo* dictum. *Jansenius* h. m. explicat; *Sapientia est secundum nomen ejus* h. e. *est id quod dicitur, & prædicatur, nempe arduarez, & excelsa, non quibuvis obvia.*

QUIBUS AUTEM COGNITA EST, PERMANET USQUE AD CONSPECTUM DEI] Et hoc Christiane addidit Latinus interpres.

Vers. 25. INJICE PEDES TUOS IN COMPEDES EJUS] Rationi enim servire maxima est libertas. Vide infra 30.

ET IN TORQUES ILLIUS COLLUM TUUM] εἰς τὸν κλοιὸν αὐτοῦ; in numellas ejus.

Vers. 26. NE ACCEDERIS VINCULIS EJUS] Id est, ne te vinculorum ejus tradeat. Legit προσέχειν quo modo habet & Sixtina editio. Alias, προσέχειν.

Vers. 28. ET CONTINENS FACTUS NE DERELINQUAS EAM] Id est, compos factus. Vide Sap. VIII. 21.

Vers. 30. ET BASIS VIRTUTIS] Non est in Græco, nec bene cohæret.

Vers. 31. DECUS ENIM VITÆ EST IN ILLA] κόσμος γάρ ζωῆς ἐστιν ἐν αὐτῇ. Describit eam velut re-

gmam, & ait superearn, id est, super caput ejus, esse ornatum aureum, id est, coronam ex auro. Vide Ester. II. 17. Et Psalm. XXI. 4.

ET VINCULA ILLIUS ALLIGATURA SALUTARIS] ὁμῶ δὲ θερμὰ αὐτῆς πλόκαμα ὑακίνθου. Quanquam mulebri nomine appellatur sapientia in linguis omnibus, tamen viriles sunt ejus actiones, quod significatur per vittam hyacinthinam in fimbriis. Is enim virorum habitus. Num. XV. 38. ubi in Græco, ut hic πλόκαμα ὑακίνθου. Δετκὸν vocat id quod claudebat fimbrias.

Vers. 32. STOLAM GLORIÆ INDUES EAM] Id est, ipsa tibi erit pro veste gloriosissima. Vid. Luc. XV. 22.

ET CORONAM GRATULATIONIS SUPERPONES TIBI] Ipsam tibi sapientiam quæ pro corona gaudii tibi erit. στέφανον ἀγαλλιάματος, corona quæ solet sumi in diebus nuptialibus, aut festis. Vide infra XV. 6.

Conf. *Prov. I. 8. 9. c. IV. 8. viros sapientes, & bonos oportuit coronari*, ait *Athenæus ex Euripide* l. II.

Vers. 33. FILI SI ATTENDERIS MIHI DISCES] In Græco: *Sibole, disces.* Valet in eo animus in quod se intendit.

Vers. 34. SI INCLINAVERIS AUREM TUAM] Deest hoc Comma in Græco. Sensus idem qui in superiore.

Vers. 35. IN MULTITUDINE PRESBYTERORUM PRUDENTIUM STA] In Græco: *In multitudine semnorum.* Euripides Erichtheo:

Οὐκ ἄλλος ἐς τὰς γυμνάσεις ἄμεινον ἢ δίκη.

Antiphanes:

Σοφὸν γέ τοι τὸ γῆρας ἐστὶν ὄργανον
Τὸ γῆρας, ὃς σοφοὺς ἐδίδαξε τοὺς πρεσβύτας.

Conf. *Iob. XII. 12. Socrates* teste *Platone in Sympos.* ajebat, *tunc oculum mentis instar aquilæ acute cernere, cum corporis oculus hebescit, & caligat. Cicero* de senect. *Temeritas*, inquit, *est floreſcentis ætatis prudentia senectutis.* Hieronym. Epist. II. ad Nepot. *Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapientia, decrescunt cetera.*

UT OMNEM NARRATIONEM DEI POSSIS AUDIRE] Historiam miraculorum quæ Deus fecit.

ET PROVERBIA LAUDIS NON EFFUGIANT TE] παροιμίαν συνέσεως, *sententiæ prudentes.*

Vers. 36. EVIGILA AD EUM] ὄρθριζε πρὸς αὐτόν. Mane ipsum alii: sic,

*Ad galli cantum consultor ubi ostia pulsat.*

ET GRADUS OSTIORUM ILLIUS EXTERAT PES TUUS] Sic limen terere pro frequenter adire dicunt eram Latini.

Vers. 37. IN PRÆCEPTIS DEI] Iis nempe quæ per se necessitatem, aut honestatem habent.

ET IN MANDATIS ILLIUS] ἐν ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ, בְּתוֹרָתוֹ, in iis quæ ad ritus pertinent, & alia quæ debentur, quia Deus sic voluit.

IPSE DABIT TIBI COR] In Græco: *ipse cor tuum confirmabit.* Addet tibi animum ad obediendum sibi.

ET CONCUPISCENTIA SAPIENTIÆ DABITUR TIBI] Id est, sapientiæ quantum concupieris.

Conf. *Deut. VI. 6. Psal. CXIX. 98. 99.* Syrus reddidit: *Ipse firmabit vias tuas, & de eo quod desideraveris, docebit te. Cui Tigurina versio* consonat: *Ipse cor tuum confirmabit, & quam desideras, sapientia tibi dabitur.*

## CAPUT VII.

*Ne faciamus mala. Quomodo se quisque gerere debeat erga seipsum, (humilia sectetur) erga Deum, erga Regem, erga populum, (ne peccando eum imitetur, ubi cavendi duo scopuli, desperationis nempe & nimiæ præfidentiæ) erga amicos, erga uxorem, erga servos, erga pecora, erga filios, & filias, erga parentes, erga sacerdotes, erga mortuos & ægros. Ad hæc omnia rite præstanda remedium efficax est memoria novissimorum.*

Vers. 1. NOLI FACERE MALA, ET NON TE APPREHENDENT] In Græco πλακὴ est apertior: μὴ ποίει κακὰ, καὶ οὐ μὴ σε καταλάβῃ κακά. Prius illud κακὰ significat ea quæ injuste sunt; posterius ea quæ non libenter patimur.

NOxa caput sequitur, ait Comicus, &
*Raro antecedentem scelestum*
*Desernit pede pœna claudo.*

Quo facit illud:

Οἶα τ' ἀνὴρ ἔρξῃ τοῖον τοιόν θ' ἅμα πάσχοι ἀνήρ.
*Qualia vir faciet, tali quoque fine peribit.*

Vers. 2. DISCEDE AB INIQUO] Fuge iniquorum consortia.

ET DEFICIENT MALA ABS TE] In Græco: καὶ ἐκκλινεῖ ἀπὸ σοῦ ἀμαρτία. Ita minus peccabis, remotus à malis exemplis.

Conf. *Sap. IV. 12. 1. Cor. XV. 33.*

Vers. 3. NON SEMINES MALA IN SULCIS INJUSTITIÆ] In Græco: *Ne semines in sulcis injustitiæ.* Illud de malis fœtibus sequitur. Hebræi opera sementem vocant, præmia, aut pœnam, messem, Job. IV. 8. Proverb. XXII. 8. ubi idem sensus.

Adde & *Os. X. 11.*

ET NON METES EA IN SEPTUPLUM] Hebraismus, pro *ne metas ea in septuplum:* id est, ne alii de etiam durius tractent, Deo provide ita res disponente. Sophocles:

Ἐγὼ δὲ εἶδον, δυστὰ πρὸς παθόντα σε θεὸν.
Δίκης γὰρ ἐξέλαμψε τῶν ἔργων φάος.

Conf. *Ps. LXXIX. 12. Lev. XXVI. 28.* De messe *pœnæ* alii rectius intelligunt. Conf. *Gal. VI. 7.* Septuplum autem pœnæ non est septuplum respectu malitiæ, & demeriti culpæ, ejus enim respectu est simplum, & minus quam simplum, sed respectu delectationis, quam percipit peccator in peccando. *Iob. XX. 5.*

Vers. 4. NOLI QUÆRERE A DOMINO DUCATUM] Principatum, ἡγεμονίαν. Qui id optant ut ad Principem locum perveniant, plerunque, si votis potiantur, mali evadunt principes: optaverant enim sux gloriæ utilitatisque causa, non optaturi, si tutelam esse intellexissent, institutam non gerentis causa, sed eorum quorum res suscipitur. Itaque & Plato negabat quenquam bonum id optaturum, nisi forte una de causa, ne pejori locus fiat. Optimi Reges fuêre, quos Deus nec opinantes ad regnum vocavit. Præterea multis periculis subjacent in alto fastigio positi.

*Quid Crassos, quid Pompejos evertit, & illum*
*Ad fata qui domitos deduxit flagra Quirites,*
*Summus nempe locus, nulla non arte petitus,*
*Magnaque numinibus vota exaudita malignis.*

Euripides:

Τυραννίδ' ἣν τις μόνον αἰρεῖται
Τὸ μὲν πρόσωπον ἡδὺ· τ' ἂν θέσιμον δὲ
Δυσπρᾶ.

NEQUE A REGE CATHEDRAM HONORIS] Id est, eminentem aliquam dignitatem. Scriptor Cetei:

*Colit hic reges, calcat ut omnes,*
*Peridatque aliquos, nullumque tetet,*
*Tantum ut noctat, cupit esse patens.*

Tales solent esse qui in eminis dignitatibus summum ponunt boni. Præterea non regibus tantum, sed & illis qui proximi sunt regibus, vita est laborum & periculorum plena. Ταῦτά ἐστι τὰ ἐπίχαρμα τῆς τυραννικῆς φιλίας, dicebat Aratus Sicyonius. Vere Seneca lubricum dixit aulæ culmen.

Unde Symbolum illud Pythagoræ: *Fabis abstine:* h. e. Reipublicæ administrationem devita: olim enim Magistratus per suffragia fabis lata creabantur, notante Plutarcho libr. de liber. educ.

Vers. 5. NON TE JUSTIFICES ANTE DEUM] Ne ubi cum Deo agis plus ubi justitiæ vindica quam habeas, aut etiam quæ habes vendita, tanquam à te ista, non à Deo habeas. Vide Luc. VIII. 10. & sequentibus.

QUONIAM AGNITOR CORDIS IPSE EST] Addidit hoc interpres ex *1. Cor. IV. 4.*

ET PENES REGEM NOLI VELLE VIDERI SAPIENS] Nam qui sapientia aut justitia excellunt, suspecti fortne regibus. Notavit id Plato Gorgia & Hiero apud Xenophontem, & sæpe Tacitus. Vir magnus apud Hispanos in exsilium abiit, quod rege sapientior visus esset.

Vers. 6. NOLI QUÆRERE FIERI JUDEX] Hoc quoque munus inter ea est quæ imposita suscipi debent, non autem ambiri. Vide quæ diximus libro II. de jure Belli ac Pacis, XX. 16.

NISI VALEAS VIRTUTE IRRUMPERE INIQUITATES] In Græco: *Ne forte non baleas tollere iniquitates:* id est, ne imprudenti quadam misericordia hebetes legum aciem.

Οὐ τὸν

Οὐ τῶν κακούργων δίκη, ἀλλὰ τῆς δίκης.
ait Euripides, Vide Deuteron. XVI. 20.

NE FORTE EXTIMESCAS FACIEM POTENTIS] Ne revereanis, ἐυλαβηθῇς, contra æquum scilicet accedendo ejus sententiæ, qui auctoritate pollet, aut etiam ejus precibus. Soler omnium fieri sententia, quæ Cæsaris fuit, ut Seneca ait de clementia I. 5. Mutam ac sedentariam assentiendi necessitatem, dixit in Panegyrico Plinius. Pauci similes Thrasææ, qui dicebat suum esse, cum Senator esset verum in sententiam, & sententiam rogatum, non aliam quam optimam dicere.

ET PONAS SCANDALUM IN AGILITATE TUA] *A rectitudine tua*, id est, ne offensarum metu à recto declines. Similitudo à viatoribus sumta, qui ubi salebras vident, querunt viarum dispendia

Eximie *Gregor. Nazianz.* in sententiis: *Quicquid leges tuendas suscepisti, timorem omnem ex animo pelle.* Omnis enim, *cui legum custodia mandata est, metu vacare debet. Plato* l. II. de leg. *Princeps*, ait, *ac Magistratus quilibet debet esse prudens, & fortis; prudens ne ex imperiti vulgi judicio pendeat: fortis, ut quæ salutaria sint constanter exequatur.*

Vers. 7. NON PECCES IN MULTITUDINEM CIVITATIS] Ne arrogantia ma plebem offende.

NEC TE IMMITTAS IN POPULUM] Attamen nec plebis imitare vitia. Medium viam monstrat inter abruptam contumaciam & deformem obsequium.

Vers. 8. NEQUE ALLIGES DUPLICIA PECCATA: NEQUE ENIM IN UNO ERIS IMMUNIS] μὴ ἐπίδεις μονὸν δὶς ἀμαρτίαν. *Ne bis unicum peccatum*, id est, *temere peccato addas ὑπαναγκῶς*, nempe subditorum malefacta primum non puniendo, deinde & imitando.

NEC ENIM IN UNO ERIS IMMUNIS] Satis pœnam mereberis apud Deum, vel dissimulatione sola.

Vers. 9. NOLI ESSE PUSILLANIMIS] Hoc comma in Græco transpositum est, & sic habet: μὴ ὀλιγψυχήσῃς ἐν τῇ προσευχῇ σε καὶ ἐλεημοσύνῃ παυσῃς μὴ παιδός. Intelige ὀλιγψυχήσῃς cum qui de venia desperat. Ab utroque scopulo nos terrahit Sapiens, & à desperatione venia, & ab opinione de nimium facili ejus impetratione.

Vers. 11. NE DICAS IN MULTITUDINE MUNERUM MEORUM RESPICIET DEUS, ET OFFERENTE ME DEO ALTISSIMO, MUNERA MEA SUSCIPIET] *Munera mea* secundo loco non est in Græco, & intelligendum potius *victimas*, ut prius membrum de donariis intelligatur, alterum de pecudum immolatione. Dixit Ovidius:

*Munera crede mihi placant hominesque deosque,*

Et Homerus:

---εἰσὶ γὰρ καὶ θεοὶ αὐτοί·
Καὶ τοῖς μὲν θυσίῃσι καὶ εὐχωλαῖς ἀγανῇσι,
Λοιβῇ τε κνίσῃ τε παρήτητοὶ εἰσὶ βροτοῖσι
Λισσόμενοι, ὅτε κέν τις ὑπερβήῃ καὶ ἁμάρτῃ.

Verum hanc opinionem, nisi emendata vita accedat, esse & civitatibus & singulis pernitiosam non Prophetæ tantum ostendunt, Psalm. L. 15. Esa. I. 13. Mal. II. 12. Sed & Plato libro de Republ. II.

---Οὐ πειθόμενοι ὁ θεὸς ὑπὲρ δώρων ὡς τοκιστὴς, ἀλλ' ἀντιλήψεται πρὸς τὴν ψυχὴν, ἐν τῖς ὅσιος ἢ δίκαιος· οὐ τυγχάνοι. *Non flectitur Deus muneribus, sicut fœnerator, sed animum intuetur, an sanctus, & justus sit*, ait Plato.

V. 12. NON IRRIDEAS HOMINEM IN A MARITUDINE ANIMÆ SUÆ] Cum in mœrore est positus. Mœrorem etiam Latini vocant cordis amaritiem. Hebræi sæpe, ut Job. VII. 11. X. 1. XXI. 25. Ezech. XXVII. 31. Esa. XXXVIII. 15.

EST ENIM QUI HUMILIAT ET EXALTAT CIRCUMSPECTOR DEUS] Hæc *circumspectior Deus*, ad majorem sensus evidentiam addidit Latinus interpres.

Vers. 13. NOLI ARARE MENDACIUM ADVERSUS FRATREM TUUM] Arare hic est machinari, Sic apud Plautum:

*Sator sartorque scelerum, & messor maxime.*

NEQUE IN AMICUM SIMILITER FACIAS] Μὲ φίλον τὸ ὅμοιος ποίει. Videtur legendum: μὴ φίλον ἀμαρτοποίει: id est, neque amicum cogas experiri fructum mendaciorum tuorum. Ferme in his sententiis idem repetitur, aut priori partialiquid adjicitur. Est hoc Judaicum; nam Christiani suum existimant omnibus nonnisi verum loqui.

Cur vero *nova lectio* hic excogitatur? & quid Judaici, vel non Christiani in hoc monito est? Luculenta est interpretatio Syri: *Ne cogites malum adversus fratrem tuum, sic etiam adversus proximum pariter; & Talibi: Ne machineris adversus fratrem tuum mendacium, nec idem struas in amicum.*

Vers. 14. NOLI VELLE MENTIRI OMNE MENDACIUM] Etiam in re non magni momenti: quia etsi hoc parvum videtur, assuescere non est parvum, ut jam sequitur. Judæi satis putabant mentiendi consuetudinem effugere: Christiani etiam unum mendacium pro crimine habent.

Si qui ita è Judæis statuerunt, legis divinæ rationem non habuerunt, in qua non tantum *consuetudo mentiendi* sed *unumquodque mendacium* pro crimine & peccato habetur non minus atque in Nov. Test. *Exod. XXIII. 7. Luc. XIX. 11. Prov. XXIII. 23. Zach. IIX. 16. Ps. CXIX. 163. Prov. XXX. 8.* Hoc etiam è *naturæ lege* constat, mentiri grave esse peccatum. *Qui semel à veritate destexit*, ait *Cicero* pro Roscio, *hic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci consuevit, propterea quæ pœna à Diis immortalibus perjuro, hæc eidem mendaci constituta est. Isocrates* ad Nicoclem: *Sic colas veritatem, ut tuis verbis major fides habeatur, quam aliorum juramentis.*

Vers. 15. NOLI VERBOSUS ESSE IN MULTITUDINE PRESBYTERORUM] Id est, si pars sis senatus, noli eloquentiam tuam ostentare, multa extra rem loquendo.

ET NON ITERES VERBUM IN ORATIONE TUA] Si aliquid petas à rege, aut senatu, noli sæpe idem dicere. Non est enim illis tempus audiendi.

*Plutarchus*, σόφον γάρ, inquit, σιγὴ ἐυκαίρως, ἢ παντὸς λόγου κρεῖττον. *Sapientis est tempestive tacere, itaque omni oratione melius est. Hesiodus* ita habet:

Γλῶσσης τοι ὄνησις ἐυεργέι ἐν δὲ βροτοῖσιν
Φοιδωλῆς, πλέον ἢ χάρις ἔπλετο μέτρον ἰδυῖης.
*Optimus est hominis lingua thesaurus & ingens*
*Gratia, quæ parcis metitur singula verbis.*

Vers. 16. NON ODERIS LABORIOSA OPERA ET RUSTICATIONEM CREATAM AB ALTISSIMO] Hesiodus bene in hunc sensum:

Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος·

Vers. 17. NON TE REPUTES IN MULTITUDINE INDISCIPLINATORUM] τῶν ἀμαρτωλῶν: cave talibus adscribaris qui vitam agunt flagitiosam. Habes πρεσλογισμὸν tali sensu & Baruchi III. 7.

Vers. 18. MEMENTO IRÆ QUONIAM NON TARDABIT] In Græco: *memento tuam* (Dei nempe) *non tardaturam*, semper scilicet.

Vers. 19. HUMILIA VALDE SPIRITUM TVUM] Submitte te divinis legibus.

QUONIAM VINDICTA CARNIS IMPII IGNIS ET VERMIS] *Carnis* abest in Græco. Respicit ad Esaiam LXVI. 24. sed sensu mystico.

Imo sensu *literali*, ut ibidem vidimus.

Vers. 20. NOLI PRÆVARICARI IN AMICUM PECUNIAM DIFFERENTEM] Scripsit *ob pecuniam. Differentem* ex altera versione irrupit. Legit autem in Græco: μὴ ἀδικήσῃς φίλον διαφθορᾷ κατὰ μηδὲν ἰῦ, ne ullo modo amicum pretio permutes. Διαφορὰ est utilitas, & pecunia omnium utilitatum æstimatio. Reperitur hoc sensu apud scriptorem II. Maccabaici I. 35. III. 6. IV. 28. XIV. 21.

NEQUE FRATREM CARISSIMUM AVRO SPREVERIS] Scripsit puto Interpres: *auro Sophir.* nam ita, in Græco: χρυσίῳ σωφείρ. Græcos, quod in Hebræo nunc legitur אוֹפִיר, legisse אוֹפִי diximus ad 1. Reg. XII. Fratrem carissimum, in Græco, ἀδελφὸν γνήσιον, verum fratrem animo germanum, sicut τὸν ὁμόζυγον dixit Diphilus.

Vers. 21. NOLI DISCEDERE A MVLIERE SENSATA ET BONA] Hoc ad Judæos dictum est, quibus licebat dare uxori libellum repudii: monentur enim ne id faciant bonam nacti uxorem, dotis forte majoris causa. Interpres Latinus addidit: *quam fortitus es in timore Domini*: id est, quæ tecum sit ejusdem religionis. Vide quæ diximus ad Matth. V. 31. & sequentibus, & infra 28. ubi sensus idem.

GRATIA ENIM VERECVNDIÆ ILLIVS SVPER AVRVM] *Verecundiæ* addium est ab Interprete, omnia in sensum Christianum trahente. Hipponax:

Γάμον κράτιστός ἐστιν ἀνδρὸς ἐσθλοῦ,
Τρίτον γυναικὸς χρηστὸν εἶδον λαμβάνων·
Ἄντη γὰρ τρεῖς εἰσὶ τὴν ζωὴν μοῖραι.

Vers. 22. NON LÆDAS] *μὴ κακώσῃς, ne male tractes.* κακώσεως δοῦλ, Græcis, quæ Latinis malefractationis.

SERVUM IN VERITATE OPERANTEM] *Insentientem fideliter.* nam ἀληθεία, Hebraïs fidelitas.

NEQUE MERCENARIUM DANTEM ANIMAM SUAM] Id est, *qui totum se impendit*, tibi scilicet tuisque rebus.

Vers. 23. SERVUS SENSATUS SIT TIBI DILECTUS QUASI ANIMA TUA] Legit: *οἰκέτην ἔνστοῦ ἀγάπα ὡς σεαυτὸν ψυχήν.* At nos habemus: *ἀγαπήτον σεαυτοῦ ψυχῆ:* id est, *amet.*

NON DEFRAUDES ILLUM LIBERTATE] Nempe anno septimo, ex lege Deuter. XV. 12. Unde ex eadem lege addidit Latinus interpres: *neque inopem derelinquas illum:* id est, ne cum indonatum manumittas. Merito autem hanc legem inculcat, quia sæpe potentum conspiratio legem opprimebat. Jerem. XXXIV. 13. 14. 15. 16. 17. Nehem. V. 5.

Vers. 24. PECORA TIBI SUNT] κτῆνη, quæ vox omnia animantia terrestria extra hominem comprehendit, ut videre est Gen. VI. 20. VII. 28. VIII. 1. Videntur hic proprie significari animantia, quorum opera utimur, ut equi, boves, cameli.

ET SI SUNT UTILIA PERSEVERENT APUD TE] Hoc contra eos dictum est, qui semper nova appetunt.

Vers. 25.

ET CURVA ILLOS A PUERITIA ILLORUM] *κάμψον ἐκ νεότητος τοὺς τράχηλον αὐτῶν: flecte eorum cervices.* Pac ut parerent. Similitudo sumta ab animalibus sub jugum euntibus. Laberius:

*Cur cum fugebam membris præ viridantibus,*
*Satis facere populo, & tali cum poteram viro,*
*Non flexibilem me concurvasti ut carperes?*

Conf. Prov. XIII. 24. *Fabius* l. I. Instit. c. 3. *Mollis educatio mentis corporisq; vires frangit. Plutarch.* libr. de liber. educ. *Vidi Patres, quibus amor nimius causa extitit ne amarent. Clemens* libr. I. Pædagog. c. 7. *Sylvescit vitis, nisi putetur, ita & homo.*

Vers. 26.

FILIÆ TIBI SUNT, SERVA CORPUS ILLARUM] Id est, ipsas: ne finito evagari. Vide quæ dicta ad Matth. I. 23.

ET NON OSTENDAS HILAREM FACIEM TUAM AD ILLAS] M. Cato in censura Manilium senatu movit, quo suxorem ipse suam osculatus esset, filia inspectante. Testatur Plutarchus.

Rigor ille, sine dubio, nimius fuit. Explicat hunc locum probe *S. Bernhard.* l. IV. de consider. cap. 6. *Non austeritatem tibi suadeo, sed gravitatem. Illa infirmiores fugat: hæc reprimit leviores. Illa si adsit odibilem, hæc si desit, contemtibilem reddit: in omnibus tamen modus melior. Ego nec severius velim, nec dissolutius. Quid hac mediocritate gratius, ut non de severitate sis oneri, nec de familiaritate contemtui.*

Vers. 27.

TRADE FILIAM, ET GRANDE OPUS FECERIS] Ex Judaicis institutis. Paulus Apostolus id non improbat: præfert tamen vitam virginalem, si & ipsa velit, & parentes.

ET HOMINI SENSATO DA ILLAM] Themistocles filiæ suæ malebat virum dare sine pecunia, quam pecuniam sine viro: virum eum demum intelligens, qui ingenio ac virtute valeret. Euripides:

*--- κἀνδιον βροτοῖς*
*Πίστα χρηστὸν, ἢ κακοῖσι πλούσιον*
*Γάμοισι πεπεῖσθαι.*

*Democritus* dicebat, qui bonum generum nactus sit, invenisse filium: qui vero malum, simul & filiam perdidisse. Vide Stobæum serm. LXIIX.

Vers. 28.

MULIER SI EST TIBI SECUNDUM ANIMUM TUUM] Moribus tuis conveniens: Vide supra 21. Terentius:

*Hanc mihi expetiti: contigit conveniunt mores Valeant*
*Quiinter nos dissidium querunt.*

ET ODIBILI NON CREDAS] Ne tradas te. Noli opum causa ducere à qua adverso sis animo. Ita constat ἀντίστροφον.

Vers. 29. IN TOTO CORDE TUO HONORA PATREM TUUM] In aureo carmine: *τοὺς γεγονοῖς τίμα.*

ET GEMITUS MATRIS TUÆ NE OBLIVISCARIS] Dolores in partu. Philemon:

*Ἐτεκές με μήτερ, πῶς γένοιτό σοι τίκτειν*
*Ὅπως ἐγώ, ὅσ' ἐστὶ πῶς ἀλγεῖν ἐτέον.*

Euripides:

*Ἀλλ' ὦ τέκνον μοι δεῦρο δὸς ἔτι χέρα σῷ*
*Τὸ μὴ σὲ μήτερ περισσὸν ἡμεῖν δέῃ,*
*Καὶ τῆς θανούσης, πῶς τέκνων τὸν τὸν χρῄζει.*

Vers. 30. MEMENTO QUONIAM NISI PER ILLOS NATUS NON FUISSES] In Græco melius: *memento te natum per illos.*

ET RETRIBUE ILLIS QUOMODO ET ILLI TIBI] In Græcis: *Et quid tu vicissim tantum dare ipsis possis quantum illi tibi?* Bene. Aristoteles Nicomachiorum IX. I. τιμὴ τ' ἐστὶν ὧν ἀντίγονος· ἀλλ' ἴσως ἱκανὸν, καὶ ὅπερ πρὸς θεοὺς καὶ πρὸς γονεῖς, τὸ ἀνταγωνιστεῖν. Philo ad Decalogum: τίνα γὰρ ἕτερον εὖ ποιήσειεν οἱ τὸν συγγενέσθαι πρὸς τὰς μεγίστας παρεσκευασμένον ἀμοιβὰς ἀπειρημένος, ὃν ἴσως δὲ ὑπερῴδαλον εὖ ἀμοιβὰς ἀνάγκαιον. πῶς γὰρ ἂν ὁ γεννησθεὶς ἀντιγενέσθαι δυνάτο τοῦ σπείραντος;

Vers. 31.

ET SACERDOTES ILLIUS SANCTIFICA] θαυμάζει, id est, suspice: quo modo θαυμάζειν sumitur tum alibi, tum Jobi XXXII. 21.

Vers. 32. ET MINISTROS EJUS NE DERELINQUAS] τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ, tum Sacerdotes, tum Levitas. Respondet enim Hebræo משרת, quod modo de Sacerdotibus dicitur, ut Nehem. X. 39. modo de Levitis. Jer. XXXIII. 21.

Vers. 33. ET PROPURGA TE CUM BRACHIIS, DA ILLIS PARTEM SICUT MANDATUM EST TIBI PRIMITIARUM ET PURGATIONIS, ET DE NEGLIGENTIA TUA PURGA TE CUM PAUCIS: DATUM BRACHIORUM TUORUM, ET SACRIFICIUM SANCTIFICATIONIS OFFERES DOMINO, ET INITIA SANCTORUM] In Græco brevius: *καὶ δὸς τοῖς μερίδα αὐτῶν, καθὼς ἐντέταλται σοι, ἀπαρχὴν καὶ περὶ πλημμελείας, καὶ δῶσι βραχίονάς σου θυσίαν ἁγιασμοῦ καὶ ἀπαρχὴν ἁγίων. Da ei* (sacerdoti) *partem, ut jussus es, primitias, & de delicto, & donum armi, & sacrificium sanctificationis, & primitias sanctorum.* Partis nomen generale est, sequuntur specialia. Primitiæ, id est, תרומה, quæ dabatur ante decimam Deuteron. XXVI. 1. De delicto, id est, pecus tota quæ offertur in אשם, excepta cauda, renibus, adipe juxta ilia & reticulo jecoris, quæ in altari erant adolenda, Levit. VII. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Par ferme vis erat in victimis נזר, quæ hic sub nomine אשם comprehenduntur ob paritatem. Armus in sacris *σπυρίδες* cedebat sacerdoti, ex lege Levit. VII. 32. Pro eo ἀφαίρεμα semper dicunt LXX. interpretes. Sacrificium sanctificationis est *μοναὶ*, sive *θυσία τελειώσεως*, id est, libellum è simila, de quo quod restabat sustitu facto, cedebat sacerdoti, appellabaturque קדש קדשים, Levit. VI. 17. Primitiæ sanctorum sunt pars sacerdotalis de decimis, de qua agitur Num. XVIII. 25. 26. 27. 28. Nam ἀπαρχὴ proprie est pars quæ de toto detrahitur, *ἀφαίρεμα*. Decimis autem datur nomen sanctorum. Levit. XXVII. 30.

Vers. 36. ET PAUPERI PORRIGE MANUM TUAM] De decima anni tertii Deuter. XIV. 28.

UT PERFICIATUR PROPITIATIO ET BENEDICTIO TUA] in Græco tantum est, *ἵνα τελειωθῇ ἡ εὐλογία σου*: id est, ut opes quas Deus tibi dedit Deo sint gratæ atque acceptæ. Τελειοῦσθαι hic est quod ἀγιάζεσθαι. I. Tim. IV. 5. Solent enim istæ voces promiscue usurpari. *Εὐλογία* pro opibus à Deo concessis ponitur & infra XXXIV. 20. sic & Jud. I. 15. I. Sam. XXX. 26. & alibi.

Vers. 37.

GRATIA DATI IN CONSPECTU OMNIS VIVENTIS] Id est, liberalitas hominis gratiosis facit non tantum apud eos qui accepere, sed & apud alios.

ET MORTUO NON PROHIBERAS GRATIAM] Sepeliendo, famam tutando, propinquos solando, ut sequitur, contra quam faciunt multi.

Sophocles:

*Φεῦ τῶν θανόντων ὡς ταχὺμὲν τοῖς βροτοῖς*
*Χάρις διαῤῥεῖ καὶ πρόσω' ἀλίσκεται;*

Stesichorus:

*Θανόντ' ἀνδρὶ πᾶς' ἀπόπτυσε χάριτε.*

Euripides:

*Σπάνιον ἂς ἦν θανοῦσιν ὠφελεῖν φίλοι.*

Quod propinquis mortui datur id ipse quodammodo mortuis accipit, ut ex Lysia oftendimus libro II. de jure Belli ac Pacis VII. 9. & ex Michaele Ephesio libro eodem. XVII. 13.

*Thesseus* apud Euripidem lavat ipse suis manibus ducum ad Thebas interfectorum cadavera, addita hac facti sui ratione:

Οὐκ ἀσχολοῦ ἀλλοτρίοις ἀδικήμασι κακόν.
*Non eſt probrum alterius malo nos affici.*

Verſ. 38. NON DESIS PLORANTIBUS IN CONSOLATIONE, ET CUM LUGENTIBUS AMBULA] Interpres ad Græcum addidit illud, *in conſolatione*, prudenter, ut intelligamus, non ideo ad lugentes eundum, ut luctum eorum incendamus, ſed ut verbis bonis leniamus dolorem:

Ἡδὺ γὰρ φίλον λέγοντα ἐσὶ τοῖς λυπουμένοις,
ait Menander.

Conſ. Job. XXX. 25. Rom. XII. 15. *Gregor. M.* l. III. Mor. c. 10. *ordo*, inquit, *conſolationis eſt, ut cum volumus afflictum quempiam à mœrore ſuſpendere, ut ſtudeamus prius morendo ejus luctui concordare. Dolentem non poteſt conſolari, qui non concordat dolori: quia in eo ipſo, quod à mœrore afflictionis diſcrepat, minus ab illo recipitur, à quo menus qualitate ſeparatur. Emolliri itaque prius debet animus, ut afflicto congruat, congruens inhæreat, inhærens trahat. Neq; enim ferrum ferro conjungitur, ſi non utrumque exuſtione ignis liquetur: & duorum molli non adhæret, niſi priùs ejus duritia temperata molleſcat, ut quaſi hoc ipſum ſint, quod curatur ut teneat. Sic nec jacentes erigimus, niſi à rigore noſtri ſtatus inclinemur.*

Verſ. 39. NON TE PIGEAT VISITARE INFIRMUM] Eſt enim & hoc inter miſericordiæ opera. Matth. xxv. 36.

EX HIS ENIM IN DILECTIONE FIRMABERIS] Piam ſententiam fecit Interpres, ſed in Græcis, *ob hoc diligeris*, nempe ab omnibus, ut ſupra 37.

Verſ. 40. IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS MEMORARE NOVISSIMA TUA] *Memento extremorum tuorum*: id eſt, mortis, & eorum quæ poſt mortem. Ægyptiis mortuum corpus oſtendi ſolebat, & dici: talis eris.

ET IN ÆTERNUM NON PECCABIS] Vix erit, ut de morte cogitans, & credens ea quæ poſt mortem exſpectanda ſunt, gravius quid admittas. Ita enim peccare interdum ſumitur ſcribitere ſenſu, ut reſpondeat Hebræo חָטָא, quod ſæpius ἁμαρτάνειν. veritur, interdum ἁμαρτάνειν. Vide quæ diſta nobis ad Jacobum II. 14.

*Viſus conſideritionis noviſſimarum.* — *Conſideratio hujus ſententiæ*, ait Auguſtinus in ſpecul. peccat. c. 1. *deſtructio eſt ſuperbiæ, extinctio invidiæ, medela malitiæ, effugatio luxuriæ, evacuatio vanitatis & jactantiæ, conſtructio diſciplinæ, perfectio ſanctimoniæ, præparatio ſalutis æternæ.* Cogitandum hic monitum eximium maximeque utile *S. Bernhardi* in ſpecul. Monach. *Omni opere ſuo dicat quisque ſibi ipſi: ſi modo moriturus eſſes, faceres ne iſtud.* Et ſimile illi *S. Baſilii* conſilium in Pſal. XXXV. *Si quando te ſenſeris ad aliquod provocari peccatum, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Chriſti judicium, & hoc quaſi freno animam cohibe.* Ideo *Simeon Sculites*, qui non niſi unum ſermonem reliquit cui titulus, *de ſemper memente complectendo ſuum diſceſſum*, in quo graphice depinxit animæ peccatricis morientis angustias, cum à dæmonio cingitur, ut eam in tartara abripiat, atque ex adverſo animæ ſanctæ lætitiam, cum ab Angelis ducitur in Paradiſum, *in Bibliotb. S. Patr.* in Append. bis è columna quotidie populum docuiſſe fertur, omnem autem concionem de noviſſimis inſtituiſſe: Nimirum *juſſis in cœlum ſuſpicere, & evolare, ac è terra diſcedere, & regnum quod expectatur, viſione apprehendere, & gehennas timere, & terrena contemnere, & futura exſpectare.* Vid. Theodor. in Hiſt. Patr. c. 26.

*B. Chyſtæus* ad hanc ſententiam obſervat Prudentiæ quæ ἄμα πρόσωπα καὶ ὀπίσω λεύουσ' ὅπως ὀχ' ἁρίστα μετ' ἀμφοτέροισι ξυνῇσι, *ante ſimul retroque videt bene quid ſit agendum*, leges, & regulas, ut ante omnia ſcilicet in omni deliberatione & actione finis certus & meta Deo placens conſtituatur, ad quem omnia conſilia & actiones velut ſagittæ ad ſcopum dirigantur. Deinde media ad illum finem aſſequendum utilia, & recta ducentia prudenter deligantur & diligenter expediantur: de quo Ariſtot. in Polit. δυὸ δεῖ ἐν ὧν γίνεσθαι τὸ εὖ πάσι. ἐν ὧν δεῖ τοῦ σκοποῦ κεῖσθαι, καὶ τὸ τέλος. τῶν πρὸξεων ὀρθῶς· ἐν δὲ τοῖς πρὸς τὸ τέλος. Φέρουσας πρᾶξεις ἐυσήκους.

## CAPUT IIX.

*Quomodo nos pacis & tranquillitatis fovendæ cauſa gerere debeamus erga potentes, verboſos, reſpiſcentes, ſenes, ſapientes, contumelioſos, iracundos, fatuos & extraneos.*

Verſ. 1. NON LITIGES CUM HOMINE POTENTE, NE FORTE INCIDAS IN MANUS ILLIUS. NON CONTENDAS CUM VIRO LOCUPLETE, NE FORTE CONTRA TE CONSTITUAT LITEM TIBI] μάχου μετὰ ἀνδρὸς ἰσχυροῦ τὸν ὁλκὸν: *ne tibi præponderet*: & ὁλκὸς, proprie ſunt voces rei ponderatæ. Senſus eſt: ne cauſæ tuæ argumenta auctoritate & gratia multum vincat. Sunt hæc prudentiæ monita, quæ non ignoravit ille ad quem Martialis:

*Lis mihi cum Balbo eſt; tu Balbum offendere noli*
*Pontice: cum Licino eſt, hic quoque magnus homo eſt.*
*Vexat ſæpe meum Patroba vicinus agellum:*
*Contra libertum Cæſaru ire times.*

At Chriſtus dicerat: cum quovis homine litibus abſtine, etiam cum aliquo damno tuo. Bene facit, qui emit concordiam.

Non diſtat *Chriſti diſciplina* quoad fugam litis, aut alia moralia, à *diſciplina Vet. Teſtam.* Non eſſe litibus indulgendum, ſed quantum fieri poteſt abſtinendum, & paci, ac concordiæ ſtudendum & in Veter. Teſtam. & in Novo monemur: ſed imprimis cavendum eſſe, ne cum potentioribus litigemus, etiam prudentia politica docet. Arabum adagium eſt Centur. 1. Erpen. num. 2. *Ne jace, ſagittas in idolum ferreum: neque obſiſte adverſarius illi, qui te prapellet. Catonis* monitum eſt:

*Cede locum fortunæ, cede potenti.*
*Ladere qui potuit, poterit quandoq; juvare.*

Verſ. 3. MULTOS ENIM PERDIDIT AURUM ET ARGENTUM, ET USQUE AD COR REGUM EXTENDIT ET CONVERTIT] In Græco: *etiam regum corda inclinabit.* Etiam hac ex re ponderaria eſt, ut illud: *Animus cum in dubio eſt, levi momento huc aut illuc impellitur.*

Multos etiam reges donis vinci jam vetus Heſiodi & Homeri querela eſt. Ideo autem reges nominavit, quia penes eos in multis populis erant judicia.

Quo facit illud Horatii, libr. III. Ode 16.

*Aurum per medios ire ſatellites*
*Et perrumpere amat ſaxa, potentius*
*Ictu fulmineo.*

Auro loquente omnis ſermo obtumeſcit.

Verſ. 4. NON LITIGES CUM HOMINE LINGUATO] Id eſt, ut in Dionyſio Catone eſt:

*Contra verboſos verbis contendere noli.*

ET NON STRUES IN IGNEM ILLIUS LIGNA] *Ne ligna aggeras in ignem ipſius.* Ne hominem natura fervidum contradicendo accendas amplius. Optimum apud illos:

-- λέγοντος ὁ παλαιὸς
Σοὶ μὲν τοῦτ' ἀμεινον ἐστιν, ἐμοὶ δὲ τάδε.

Verſ. 5. NON COMMUNICES HOMINI INDOCTO] *Ne jocare cum homine rudi.*

NE MALE DE PROGENIE TUA LOQUATUR] *ne inhonorentur majores tui*: ne, ſi in te nihil inveniat, in majoribus tuis quærat aliquid quod velliceret.

Verſ. 6. NE DESPICIAS HOMINEM AVERTENTEM SE A PECCATO] Eſt frequens nunc etiam in uſu Hebræorum hæc ſententia. Latini dicebant: *Sanatibus idem jus quod ſoribus eſto.*

MEMENTO QUONIAM OMNES IN CORRUPTIONE SUMUS] *ſequis in tentulos, patris obnoxii ſumus*: nempe ſi Deus rigide nobiscum agat. Seneca de Ira l. 5. *Nemo invenitur qui ſe poſſit abſolvere*; & lib. I. 27. *Quid eſt iſte qui ſe profitetur omnibus legibus innocentem? &* cap 27. *Facit nos moderatiores reſpectus noſtri, ſi conſuluerimus nos: nimquid & ipſi aliquid tale commiſimus?* In Tragœdia eſt: *Dei ille veniam facile cui venia eſt ſpes.*

Verſ. 7. ETENIM EX NOBIS SENESCUNT] Fuere & ipſi vegeti, ut nos ſumus. Crates:

Ὠνθρωπάριον, γέρασκε καλὸν μέγα,
Οὐ μὴ τυχόντι θάνατον, ἢ τὸ γῆρας.

Οὐ πάντες ἐπιθυμοῦμεν. ἀν δ' ἰδῃ ποτέ
Ἀνόμαστ' ἀτιμος ἐσθλὸς ἐκ χαρᾶς ἐμοὶ φανείς.

Vers. 8. NOLI DE MORTUO INIMICO TUO GAUDERE] Homerus:

Οὐχ ὁσίη θυμήνεσιν ἐπ' ἀνδράσιν ἐγκοτέουσαν.

Euripides:

Τοῖς γὰρ τεθνῶσι χρὴ τὸν ἀτυχοῦντα φίλον
Τιμᾶν διδόντα χρῶσιν ἐυσεβοῦς θεοῦ.

ET IN GAUDIUM NOLUMUS VENIRE] Nollemus alios te noſtri morte gaudere. Hoc interpres addidit implendo ſenſui.

Conf. Job. XXXI. 29. Prov. XXIV. 17. Pſalm. CXXXVII. 7. Thren. IV. 21. Ez. XXXV. 15.

Vers. 9. NE DESPICIAS NARRATIONEM PRESBYTERORUM SAPIENTUM] Addidit interpres *presbyterorum*, quia ſenes maxime ſunt qui multa narrare poſſunt. Antiphanes:

Σοφὸν δ' ἐστὶ τι, πρὸς τὸ βωλεύειν ἰσχύ
Τὸ γῆρας, ὅτι δὲ πολλ' ἰδὼν τε κἀκούσας.

ET IN PROVERBIIS EORUM CONVERSARE] Id eſt, tempus tere in ediſcendis eorum ſententiis.

Ita in *Pirke Aboth* monent Ebræi: *Qui à junioribus diſcit ſimilis eſt ei, qui omphacium bibit, aut acerbam uvam, & vinum non ſatis excoctum:* qui *autem ſenes habet magiſtros, hic aſſimilatur bibenti vinum vetus, quod ut plurimum optimum eſt ac præcipuum, ac uvas comedit jam plane maturas.*

Vers. 10. ET SERVIRE MAGNATIS SINE QUERELA] *Et inſervire viris ſummatibus facile:* id eſt, tuo incommodo aut dedecore.

Vers. 11. IPSI ENIM DIDICERUNT A PARENTIBUS SUIS] Nempe hiſtorias multas non omnibus cognitas.

Vers. 12. ET IN TEMPORE NECESSITATIS] Ubi opus erit, ἐν καιρῷ χρείας.

DARE RESPONSUM] Conſilium principi aut amico. Nam multum ad id utilis hiſtoriarum cognitio.

Conf. *Deut. IV. 9. c. XI. 9. Job. XII 12. Pſ. LXXIIX. 3. Eſ. XXXIX. 21. Euripides* in Bellerophonte: *Tempus multam ac variam doctrinam parit.*

Vers. 13. NON INCENDAS CARBONES PECCATORUM ARGUENS EOS] *Hoc arguens eos* addidit interpres explicando ſermoni figurato. Deſperatis non adhibendam medicinam dixit Hippocrates, vide Matth. VII. 6. & ibi dicta.

ET NE INCENDARIS FLAMMA IGNIS PECCATORUM ILLORUM] *Et* hic abundat: non enim novum dat monitum, ſed cauſam monitis quod habuimus. Ideo enim abſtineri vult ab inutili caſtigatione, ne nonmodo ea non proſit ei cui datur, ſed & danti noceat.

Sic & *Tigurini, Cornel. à Lap.* & plerique alii, de non arguendis ſceleratis, non irritanda bile eorum, ne ejus flamma comburamur: Aliter tamen Syrus: *Ne ſis communicans cum impio, conſumma, & ne ardeas in flamma ignis ejus:* & Oſiander, hunc reddens ſenſum: *Non debemus impios, adjuvare in malis ipſorum conatibus, quibus damnium Eccleſiæ, vel Reipublicæ, vel etiam privatis innocentibus inferunt, ne ipſorum conſiliis & factis involuti, una cum ipſis pereamus.* Præferenda vero prior explicatio.

Cæterum de aliis carbonibus agit Apoſtolus *Rom. XII. 20.* utpote de carbonibus *charitatis*, quibus charitatem inimici accendimus beneficiendo: de aliis hic agitur, nimirum de *carbonibus choleræ* vel *bilis*, quibus choleram hominis cupiditatibus affixi, & inflammati magis magisque incendimus, reprehendendo, à quo ita excandeſcente facile lædi poſſumus. De quo monuit Symbolum Pythagoræ: *ignem ferro ne cædito, id eſt, ne irrites furentem.* Et Poëta:

*Rom. XII. 20.*

*Dum furor in curſu currenti cede furori.*

Vers. 14. NE CONTRA FACIEM STES CONTUMELIOSI] Senſum bene expreſſit, quanquam in Græco eſt: μὴ ἐξεναντίας κατὰ πρόσωπον ὑφίστω. In populari ſtatu, qualis ex parte erat Judaicus hujus ſcriptionis temporibus, ubi quis orationem aliquam inſaſtriatus populum, aut magnum conventum dixerat, licebat ei qui vellet in alteram partem dicere. Fiebat autem id ſurgendo ex media multitudine, ἀπὸ προεδρίας, id eſt, poſtquam ille dixit.

NE SEDEAT QUASI INSIDIATOR ORI TUO] *Ne inſidietur quaſi ſubſeſſor ori tuo.* Ne capiat verba tua, malitioſe, utilli Luc. XI. 53. *inſidiantes* neutro genere inſidias ſignificat: proprie vero ipſos milites, qui ex locis occultis occaſionem nocendi quærunt. Sic vertitur מארב plurimis in locis, item צירה. Exſtat & infra XI. 30. & 1. Maccab. IX. 40. X. 8. XI. 8. 69.

Apte cohæret cum præcedenti ſententia: ne ſcilicet irritemus hominem calumniandi ſtudioſum, ne inſidioſe verba noſtra obſervans eaq; per calumniam pervertens, nobis periculum creet.

Vers. 15.

NOLI FOENERARI HOMINI FORTIORI TE] Ne mutuam pecuniam dederis potentiori. Δανείζειν generale eſt, & tam merum mutuum, quam fœnebre ſignificat.

QUOD SI FOENERAVERIS] Mutuum dederis.

QUASI PERDITUM HABE] Martialis.

*Dimidium donare Lino quam perdere totum*
*Qui mavult, mavult perdere dimidium.*

Potentes de debito appellari nolunt: atque ultro quaſi de injuria ſe vindicant.

Vers. 16.

NON SPONDEAS SUPER VIRTUTEM TUAM] Spondere hic, ut ἐγγυᾶν in Græco, tum hic, tum Prov. VI. 1. eſt fidejubere pro aliquo. Eſt enim genus ſponſionis quoddam fidejuſſio. Moneret autem ne in ulteriorem ſummam fidejubeamus, quam cui ſolvendæ pares facile eſſimus. Multi qui ſi ſolvendum pro alio eſſet, nunquam id damnum ſubire vellent, faciles ſunt ad fidejubendum, quod ſperent rem non eo deventuram ut ſolvere cogantur. Ideo Vellejanum Senatusconſultum mulieribus permiſit dare de ſuo, fidejubere autem non permiſit.

QUOD SI SPOPONDERIS, QUASI RESTITUENS COGITA] ὡς ἀποτίνων φρόντισον. Ita cogita quaſi ſoluturus ſis: nam id cogitans non falleris.

Vers. 17.

NON JUDICES CONTRA JUDICEM] *Non litiges cum judice.* Sic & κρίνεσθαι ſumitur Matth. V. 40.

QUONIAM SECUNDUM QUOD EST JUSTUM JUDICAT] Nam judicabitur de eo ita ut ipſi videbitur. Δίκη hic in Græco pro voto ac voluntate ponitur, & activum impersonale pro impersonali paſſivo, more Hebræo. Solent collegæ favere collegis, & velut mutua dare judicia. Sic Appio faverunt decemviri.

Vers. 18. NE FORTE GRAVET MALA SUA IN TE] ἵνα μὴ ἐπιφύσῃ σου κατὰ σοῦ. Ne moleſtus tibi ſit. Ita βαρύνεσθαι ſumitur. Mal. III. 13. Pſ. XXXVIII. 4. & κατεβαρύνθην. 2. Sam. XIII. 25.

IPSE ENIM SECUNDUM VOLUNTATEM SUAM VADIT] In Græco: *pro voluntate ſua faciet:* id eſt, facile rixas ſuſcitabit.

ET SIMUL CUM STULTITIA ILLIUS PERIES] *Et per ſtultitiam illius una peribis:* quia ſi qua cum obviis rixa oriatur, omnes comites qui ſunt ejusdem συνοδίας in periculo ſunt.

Paulo aliter Oſiander, nimirum *hominis audacis vel temerarii converſationem fugiendam* innui, ne nos participes faciat ſui infortunii: *qui facit, quod ſibi in mentem venerit, unde facile una pœnas luere illius ſtultitiæ & temeritatis poſſemus.*

Vers. 19.

CUM IRACUNDO NON FACIAS RIXAM] μάχῃ hic eſt verborum certamen, ut ſupra VI. 10. & alibi. מריון vertitur alibi μάχη, alibi ἔριδες, aut ἀντιλογία.

ET CUM AUDACE NON EAS IN DESERTUM] Per rupes, aut ſimilia loca, ubi ingens eſt ſolitudo, qualia locaad vim opportuna Deut. XXII. 26. In Græco non eſt *cum audace* ſed *cum eo*, id eſt, cum iracundo, de quali agi cœpit.

QUONIAM QUASI NIHIL EST ANTE ILLUM SANGUIS] Ludere ſolet de humano ſanguine, quaſi de re nihili.

ET UBI NON EST ADJUTORIUM ELIDET TE] *Dejicit te*, arrepta aliqua offenſiuncula, quod alibi facere auſurus non fuerat.

Vers. 20.

NON ENIM POTERUNT DILIGERE NISI QUÆ EIS PLACENT] Legit interpres λόγοις ἡδέσι. At Græcæ omnes editiones nunc habent ἔχουσι, non poterit celare credita. Hæc atque illæ perſluet.

Vers. 21.

Vers. 21. CORAM EXTRANEO NE FACIAS CONSILIUM] *Arcanum ne incognito aperias.* Is enim sensus est in Græcis, quem & Latini fic exprimunt: Fide, sed cui vide.

NESCIS ENIM QUID PARIET] Fidem, an perfidiam: nisi fortium fuerit εἰ ἐγέννα, nescis an celaturus sit arcanum.

Vers. 22. NE FORTE INFERAT TIBI GRATIAM FALSAM, ET CONVITIETUR TIBI] In Græco: *ne falsam tibi gratiam referat*: malam scilicet: nam κακὴ ut alibi sæpe apud Hellenistas πλονσία.

Conf. *Prov. XXV. 9. Syr. VI. 6. Consiliarius sit tibi unus de mille.* In proverbiis Arabicis cent. 1. n. 7. monemur: *Ne deambula nudus per plateam*: id est, ne aperias secretum tuum coram hominibus, ne te subsannent. *Plutarchus* in moral. *ut vas*, inquit, *experiamur, non vinum infundimus, sed aquam: si enim depereat, parum refert. Si frivolum quiddam committendum amicis, quo silentii fidem experiamur, ut si effutiant, nihil sit periculi.*

## CAPUT IX.

*Cavenda Zelotypia & non necessaria consortia mulierum: cavendum à novis amicis, præsertim potentibus, injustis, garrulis & temerariis.*

Vers. 1. NON ZELES MULIEREM SINUS TUI] Ne præter modum sis suspicax. Uxorem sinus tui, id est:

*- - in gremium quæ sæpe tuum se*
*Rejicit,*

Ut Lucretius loquitur. Eadem locutio Deut. XXVIII. 54.

NE OSTENDAT SUPER TE MALITIAM DOCTRINÆ NEQUAM] Legit μὴ διδάξῃ, ubi nos habemus μὴ διδάσκῃς. Sensus in Græco est: ne ei proponas historias peccare docentes. Querit ur de se Tibullus:

*Ipse miser docui, quo possit ludere pacto*
*Custodes; ebeu nunc prænor arte mea,*

Ubi & alia sequuntur hujus argumenti.

Ofiander non inconcinne hunc sensum reddidit: *Qui temere & sine justa causa uxorem suam de adulterio suspectam habet, hoc ipso occasionem ei præbere potest, ut discat male agere, quæ prius nihil mali cogitaverat.* Sic etiam Cornel. *ne ipsa adversum te faciat, quod videt te de se timere.* Quo facit quoque illud:

*Nitimur in vetitum semper cupimusq; negata.*

Vers. 2. NON DES MULIERI POTESTATEM ANIMÆ TUÆ, NE INGREDIATUR IN VIRTUTE TUA ET CONFUNDARIS] In Græco: μὴ δῷς γυναικὶ τὴν ψυχήν σου ἐπ' αὐτὴν ἐπὶ τὴν ψυχήν σου. Ita enim habet Sixtina editio, & sic legit hic interpres: id est, ne ita animum tuum uxori mancipes, ut illa auctoritatem tuam tibi subjiciat. Euripides:

Οὐ γὰρ σοφὸν τὸν σεμνὸν γυναικὶ χρὴ
Δόμοις χαλᾶσαι, οὐδ' ἀφεῖναι εἰς κακόν.

Incommoda ergo est Latina versio. Id vult autor: *ne tradas te in potestatem uxoris tuæ, ne tibi dominetur.* Conf. Gen. ult. 16. *Pittaci* Metylenæi gnome erat: *Uxori dominare.*

Vers. 3.

NE RESPICIAS MULIEREM MULTIVOLAM, NE FORTE INCIDAS IN LAQUEOS ILLIUS] Ne obviam procedas mulieri meretrici. Eam interpres non male cum Catullo dixit multivolam. *Ne incidas in laqueos illius*, id est, ne amore ejus capiaris. Vid. Prov. VII.

CUM SALTATRICE NE ASSIDUUS SIS] *cum Psaltria.* Sed psallere & saltare in feminis plerunque conjuncta erant. Apud Terentium Demea cum de psaltria dixisset, *ut habeas quicum cantites*: mox subjicit:

*Tu inter eas vestim ductans saltabis.* Talis illa:
*Crispum sub crotalo docta movere latus.*

NEC AUDIAS ILLAM] Hoc addidit interpres,

*Pro facie multis vox sua lena fuit.*

Deinde:

*Quis dubitat quin scire velim saltare puellam,*
*Ut moveat posito brachia pulsa vero?*
*Artifices latent, scena spectacula amantur.*
*Tantum mobilitas illa decoris habet.*

Pulcre *Cyprianus* de singul. Cleric. *Mulier nunc astuans detegit membra, nunc fatigata jactatur, aut in risum aliquando dissolvitur: nunc blanditias exhibet, & quod est venenosius super cuncta, psallere delectatur, aut canere, cujus cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. Semel dixerim, omnis inconveniens sodalitas mulierum gluten est delictorum & visus toxicatum, quo diabolus aucupatur.* Et postea: *Amputanda sunt omnia nobis quæcunq; ignisferi fomitis sulphur antibus flammis candens fornax ebullientis carnis exæstuat, ne vel tenuis quidem scintilla servata majora conflet incendia. Quod Salomon manifestat dicendo:* Ab scintilla una augetur ignis (Eccl. XI.) *Deniq; ubiq; gustanda est*, monet ibidem circa finem S. Cyprianus, *cum mulieribus, non continuanda præsentia, sed quasi transeunter fuminis exhibenda est accessio quodammodo fugitiva.* Nazianz. in distichis: *Si procul à famina abfueris, manet scintilla: Si autem vitæ commercium cum ea habeas, ex parvo vento magnum incendium excitabis.*

Vers. 5.

VIRGINEM NE CONSPICIAS, NE FORTE SCANDALIZERIS IN DECORE ILLIUS] Legit bene: μήποτε ἐκκαυθαλισθῇς ἐν τοῖς ψωμοῖς αὐτῆς, non ἐπιψωμίοις αὐτῆς, ne te cerusta ipsius capiat. Græcus quidam Sapiens auribus potius amandum quam oculis dixit. Euripides vero:

--- τί δῆτα καλὸς
Γυμνοῖσιν, ὃς μὴ τοῖς φέρουσι χρησιμὸς ἦν;

Nazianz. ad Seleucum Jamb. 3.

*Quodcunque labem visui accersit, fuge.*
*Oculos ut ipse virgines ferves tuos.*

Conf. *Iob. XXXI. 1. Augustin.* in regul. *t. c. 1. Oculi vestri etsi jaciantur in aliquam fœminarum, desigantur in nulla. Rabanus* verbis Jobi adductis c. XXXI, 1. *pepigi fœdus cum oculis meis*, rationem ejus hanc reddit, *ne incaute aspicerem, quod postmodum invitus amaret. Nam semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur. Intueri non debes, quod non debet concupisci, ut munda mens in cogitatione fervetur, deprimendi sunt oculi quasi quidam raptores ad culpam. De ea rursus* pulcra sunt, quæ habet *Nazianz.* adversus mulieres ambitiosius se ornantes: *Ferunt*, inquit, *insolentem pavonem, cum curvato collo pennisque gemmantibus circulum efficit, fœminas clangore suo ad Venerem invitare. Eodem modo admodum mirabar, si tu aliam ob causam formam pingas, quam ut nitidorum & salacium virorum oculos ad te convertas.* Conf. *Cyprian.* libr. de habitu virgin. & Tertull. de cult. fœmin. c. 12.

Vers. 6. NE DES FORNICARIIS ANIMAM TUAM IN ULLO] *Ne dedas scortis animum tuum.* Christiani Latini meretrices vocant fornicarias, & eas adire fornicari, quia vilissimæ earum in oleni fornice stabant, ut Horatius nos docet, uxores summenianæ ob hoc dictæ Martiali. Seneca in controversiis: olet adhuc fuliginem fornicis.

NE PERDAS TE ET HEREDITATEM TUAM] In Græco tantum est: *ne perdas patrimonium tuum.* Sunt enim meretrices Chimæræ, Charybdes, Sphinges, Harpyæ, ut pulchre eas pinxit Anaxilaus.

Vers. 7. NOLI CIRCUMSPICERE IN VICIS CIVITATIS] Venari formas.

NEC OBERRAVERIS IN PLATEIS ILLIUS] In Græco: ἐν ταῖς ἐρήμοις αὐτῆς μὴ πλανῶ. *Ad deserta errantem ne aberra*: id est, ad villas.

Vers. 8. AVERTE FACIEM TUAM A MULIERE COMPTA] Nupta scilicet alteri: quod membrum sequens ostendit,

Vers. 9. PROPTER SPECIEM MULIERIS MULTI PERIERUNT] Simonides:

Μὴ ἴδῃ τις μου αἰδῶ εἰδόματος
Γυμνοῦς ὑπὲκ ἀμφιθρώμενος.

EX HOC CONCUPISCENTIA QUASI IGNIS EXARDESCIT] Amator Græcus:

Δείλ' ἐγὼ ὡς ψυχῇ μ' ὦν πίλωμ' ὀδυσσάμενος μὴ
Κωμάσειν πυκνὸν ἐξαίνυσι φλόγα.

*De pulchritudine vulnerante.* *Tertull.* de cult. fœmin. sub initium; *Decorem*, inquit, *naturaliter invitatorem libidinis scimus. Leucippes* apud Anton. in Meliſſa Tom. I. v. 60. *Pulchritudo*, ait, *acutius, aut ſi malis velocius vulnerat, quam ſagitta, & per oculos in animum deſilit.*

Vers. 10. OMNIS MULIER, QUÆ EST FORNICARIA QUASI STERCUS IN VIA CONCULCABITUR] Hoc comma, & quod ſequitur, & principium poſt ea ſequentia deſunt in Græco: ſed eſt ibi: τῷμὲ κατακλιθῆς ἐν ἀγκάλαι μετ' αὐτῆς, id eſt, noli in amplexibus alienæ uxoris dormire: Sic Theocritus dixit: ἐν' ἀγκαλίσω συνέλαβεν. Claudianus: *Obſecant brachia nexu.* Hoc interpres Latinus poſſit poſt illa: *cum aliena uxore ne ſedeas omnino*: & vetit: ne accumbas cum ea ſuper cubitum.

Vers. 13. ET NON ALTERCERIS CUM EA IN VINO] μὴ συμβολοκοπήσῃς μετ' αὐτῆς ἐν οἴνῳ. Eſt autem συμβολοκοπεῖν, edere de ſymbolis, ut Cornicus loquitur. Exſtat ea vox Deuteron. XXI. 20. pro זוֹלֵל. Pro eodem κατέσθειν συμβολάς dixere LXX. Prov. XXXIII. 20. ubi συμβολοκοπεῖσθαι Theodotion. Habes & infra XVIII. 33. Nomen συμβολοκόπου & Symmachus & Theodotion poſuere Prov. XXIII. 21. ubi alii πορνεῖον & nimirum conjuncta ſunt convivia & amores. Vetus Poeta:

*Quæ ſic caſta manet, ut jam convivia viſtat.*

NE FORTE DECLINET COR TUUM IN ILLAM] In Græco: *animo.* Ne amore ejus irretiari.

ET SANGUINE NON LABARIS IN PERDITIONEM] Legit αἵματι, ubi nos habemus τῷ πνεύματι. *& ſpiritu tuo* (id eſt, affectu animi tui, nam omnis affectus רוח Hebrais) *vana in pernitiem*: nempe aut per viri ſevitiam, aut per legitimum judicium. Illud *non* abeſt in Græco, nec opus hic poni. Totum vero hunc locum ſic citat Clemens Alexandrinus Pædag. 2. 7. μετὰ ὑπάνδρου γυναικὸς μὴ κάθιζε τὸ σωμάτιον, πρᾶγμα μεταπλαθῆς ἐπ' ἀγκώνα μετ' αὐτῆς, μηδὲ συμβολὰς ποίει μετ' αὐτῆς ἐν οἴνῳ, μήποτε ἐκκλιθῇ ἡ καρδία σου ἐπ' αὐτὴν, καὶ τῷ αἵματί σου ὀλισθήσῃ εἰς ἀπώλειαν. Apparet eum codice uſum conſentiente cum eo quo uſus eſt Latinus: eum ſi recipimus, ſanguis ſignificabit vitam.

*Latinum interpretem* Cornelius à Lapide vult verbum συμβολοκοπῆς quaſi verbum noviter compoſitum derivaſſe non à συμβολον, ſed à συμβολὴ, id eſt, *congreſſus, conflictatio*, & κοπτεῖν, q. d. *ne labores in conflictatione*, puta ne contendas cum ea bibendo, ideo reddidiſſe, non alterceris. Sed hæc excuſatio nimis longe petita. Non diffiteri autem potuit *Cornelius* hoc verbum mutuatum eſſe à LXX. qui *Deut. XXI. 20. Filius noſter* συμβολοκοπῶν, *ſymbola confert*, h. e. *conſſationibus vacat*, ut vertit vulgatus, eandemque vocem eodem uſurpare ſignificatu *Aquilam*, *Symmachum*, & *Theodotionem Prov. XXIII. 20. 21.*

Vers. 14.

NOVUS ENIM NON ERIT SIMILIS ILLI] Græcus Poëta:

Ὁμιλίας δὲ τὰς γαμετίσας φίλει.

VETERASCET, ET CUM SUAVITATE BIBES ILLUD] Sic Alexis de vino:

-- νῦν καπνᾶται πάλαι
Ἤδη δ' ἅπασι τεκμηρίοισι διαπέφευ.

Plutarchus Sympoſiacis: τὸν οἶνον ἀρχὴ μὲν οἴνου γλυκὺ, γηράσας δὲ τοῦτο, ὅταν εἰς τὸ ἀνεφὸν τῷ πολιῷ μεταπλάσῃ πολιόν. Pindarus vetus laudat vinum, cantus novos.

*De amico veteri.* Ita & *Ben-Sira* Alphab. I. lit. Reſch. *Amicum veterem ne abnegato: & Socrates* ad Democritum: *Servo amicus fias, ſaltus autem perſevera. Cicero* I. de amic. *Non debent amicitiarum eſſe ſicut aliarum rerum ſatietates, veterrima quæque (ut ea vina quæ vetuſtatem ferunt :) debent eſſe ſuaviſſima. Iſocrates* liberos jubet, *ut patrimonii, ita etiam amicorum Patris hereditatem adire.*

Vers. 16. NON ZELES GLORIAM ET OPES PECCATORIS] In Græco: μὴ ζηλώσῃς δόξαν ἀμαρτωλοῦ. *Ne invideas gloriæ hominis improbi.* Similis ſenſus Pſal. XXXVI. in principio, ubi LXX. μὴ παραζήλου.

Alii cum *Syro* & *Oſiandro*; *ne affectes eam gloriam conſequi qua ſuperbit impius.* Qui ſenſus cum ſequente aphoriſmo magis cohæret: *non placeat tibi injuria injuſtorum.*

V. 18. COMMUNIONEM MORTIS SCITO.

Non habetur in Græco. Quæ vero adduntur ET SUPER DOLENTIUM ARMA AMBULABIS è Græco reddenda ſunt: *& ſuper pinnas urbium ambulas*: id eſt, memineris te verſari in maximo periculo: non ſecus ac ſi in faſtigiis turrium ambulares. *Philoſophus* monuit *ad Regem accedendum eſſe quaſi ad ignem nec nimis prope, ne ab accendeo adurare, nec nimis longe, ne non caleſamus ab eo.* dum? *Solomon* ad Græcum Regem Lydorum eunti Æſopus ſubjecit: *cum Regibus ἡ ἥκιστα, ἢ ἥδιστα, aut quam pauciſſima, aut quam ſuaviſſima loquenda eſſe.* *Quomodo ad Regem accedendum.*

V. 23. ET IN SENSU SIT TIBI COGITATIO DEI, ET OMNIS ENARRATIO TUA IN PRÆCEPTIS ALTISSIMI.

Loco prioris in Græco eſt, *cum ſapientibus ſit diſquiſitio tua*: & verſum hunc præponunt Græci codd. præcedente. Egregie *S. Chryſoſtomus* in Pſ. CXL. *omnis narratio tua ſit in lege Altiſſimi. Si enim didiceris nihil loqui ſupervacaneum, ſed divinarum ſcripturarum narratione mentem & os tuum perpetuo munias cuſtodia erit quovis adamante tutior. Per os enim ſunt multæ vitæ interitus, ut quando quis obſcœna, ſcurrilia, ſuperba loquitur.*

## CAPUT X.

*Boni & mali Magiſtratus differentia, in illo laudatur prudentia, in hoc improbatur ſuperbia: ac veram gloriam non in ſuperbis operibus aut dignitatibus, ſed in timore & obſequio Dei conſiſtere docetur.*

Vers. 1. JUDEX SAPIENS] Id eſt, rector: nam ita Hebraï שֹׁפֵט uſurpant.

JUDICABIT POPULUM SUUM] *paideuſei, bene inſtituet*, nempe vitæ ſuæ exemplo. Plinius: *Vita principis cenſura eſt, eaque perpetua.* Tacitus Annalium libro III. *Præcipua adſtrictæ moris auctor Veſpaſianus fuit, antiquo ipſe cultu biduque. Obſequium inde in principem & amulandi amor ſolidior, quam pœna ex legibus & metus.*

ET PRINCIPATUS SENSATI STABILIS ERIT] Bene eſt compoſitus, ἡγεμονία τεταγμένη. Omnia ibi aguntur ſuo ordine.

Hùc usque Siracidem præcepta *Ethica* tradidiſſe obſervat Cornelius, quæ vitam cujusque ad normam legis & virtutis efformant. Jam vero ad *politica* tranſire, quæ Rempublicam componunt usque ad v. 7. c. XI. *Plutarchus* in Numa: *Cum Reges*, inquit, *Sapientes & ſancti, tunc Reſpublica maximum quoddam ac divinum donum à Deo ſe accepiſſe exiſtimet.* *Boni Reges donum Dei.*

Vers. 2. SECUNDUM JUDICEM POPULI SIC ET MINISTRI EJUS] Martialis:

*Nemo ſuos facetè audæ natura potentis,*
*Sed domini mores Cæſariana habet.*

ET QUALIS RECTOR EST CIVITATIS, TALES ET INHABITANTES IN EA] Xenophon: ἐγὼ τότε μὲν οὐκ ἔφην χαλεπὸν εἶναι τοὺς ἀρχομένους ὁμοίους τοῖς ἄρχουσι ποιεῖν· τοιούτων γὰρ τὰς πόλεις γιγνομένας.

*Herodian.* l. IV. *Solent*, inquit, *plerumque homines vitam principis æmulari.* Et *Antigonus* Macedoniæ Rex ad Zenonem apud Laërtium ita ſcripſit: *cujus modi fuerit dux, ut plurimum ſubditos ſieri neceſſe eſt.* Notiſſimum eſt illud Claudiani: *Exemplum Regis.*

*Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

Quibus

Quibus affine est, quod habet *Quintilianus* declam. IIX. *Hæc est conditio principum, ut quicquid faciant præcipere videantur.*

Vers. 3. REX INSIPIENS PERDET POPULUM SUUM] *Imperitus*, ἀπαίδευτος, par citharœdo, qui nesciat quando fides aut intendendæ, aut remittendæ sint.

ET CIVITATES INHABITABUNTUR PER SENSUM POTENTIUM] *Frequentabuntur ob prudentiam proceru*m.

Προμηθίᾳ γὰρ ἓν μὲν εἰκάσαι πόλεις,
Ἓν δ' οἶκον.

Vers. 4. IN MANU DEI POTESTAS TERRÆ] Homerus:

Τρεῖς δ' ἐκ Διός εἰσι.

Vide quæ dicta libro I. de Jure Belli ac Pacis III. 9.

ET UTILEM RECTOREM SUSCITABIT SUPER ILLAM IN TEMPUS] Irenæus: *Cujus justa homines nascuntur, hujus justa & reges constituuntur apti iis, qui in illa temporibus ab ipsis regnantur.*

Vers. 5. SUPER FACIEM SCRIBÆ] γραμματέως. Sic vocantur, qui regibus aut magistratibus consilio adsunt.

IMPONET HONOREM SUUM] Radios suæ Sapientiæ. τὸ βελτίστου, τῶν περὶ τῶν ἀνθρώπων διοικητόν ἐστι.

Vers. 6. OMNIS INJURIÆ PROXIMI NE MEMINERIS] In Græco: *non omnis injuria memor esto*: id est, leviores culpas condona. Hoc aliquid erat ante Evangelii tempora.

ET NIHIL AGAS IN OPERIBUS INJURIÆ] *Nihil egito factis insolentibus.* ὕβρει, quæ vox hic in Græco est, contumeliam transfert Tribonianus Jurisconsultus de Injuriis initio. Nec aliter Glossæ veteres.

*Vindicta privata non tantum in N.T. sed etiam in V. T. prohibita.*

Vindicta privata non tantum in N.T. sed etiam in Veteri prohibita fuit: *non omnis* est phrasis Ebræa, *nullus*: non ergo tantum de non vindicandis levibus culpis, sed de *nullis* vindicandis agitur. Peculiariter autem hæc Magistratibus non in iis, quæ vi officii vel muneris sui, & juxta tenorem justitiæ præstare tenentur, fed in *privatis* injuriis remittendis injungi videntur, quomodo *Cicero* laudante *S. Aug.* Epist. V. ad Marcell. *Iulii Cæsaris* mores extollens id imprimis commendabat, quod *nihil obliviscí soleret, nisi injurias; & Aureliani* Imperat. Symb. erat, *Quo major, eo placabilior.* Non ulcisci Deo facit æqualem, ait *Chrysost.* hom. XLI. in Acta Apost. Seneca, *Nihil*, ait, *gloriosius Principe impune læso.* l. I. de Clement. c. XIX.

Vers. 7.

ODIBILIS CORAM DEO EST ET HOMINIBUS SUPERBIA, ET EXSECRABILIS OMNIS INIQUITAS GENTIUM] In Græco: μισητὸν ἐνώπιον κυρίου καὶ ἀνθρώπων ὑπερηφανία καὶ ἀδικοπραγία πλημμέλεια ἀδικίας. Scriptum puto fuisse: καὶ εἰς ἀμαρτίας πλημμέλειαι ἀδικίαι. *In utroque* (& Deum & homines) *peccat injustitia.* In homines, quorum societatem evertit; in Deum, qui homines ad societatem condidit. De superbia Æschylus:

Ζεὺς τοι κολαστὴς τῶν ὑπερκόμπων ἄγαν
Φρενημάτων ὑπερφυῶς ὕβωντος ἐμφύς.

Hominibus etiam omnibus odio est superbus, quia omnes contemnit. Sic & injustus, quia omnibus minatur, qui unum ferit. Dei autem iræ subjacere injustos passim Philosophi prædicant.

--- τὸ χρεὼν δὲ τῆς δίκης
Δίδορκεν ὄμμα, τὸν δ' ἄδικον ἀμείβεται.

Vers. 8. REGNUM A GENTE IN GENTEM TRANSFERTUR] Ut ab Assyriis ad Babylonios, à Babyloniis ad Persas, à Persis ad Macedonas, à Macedonibus ad Romanos: quæ omnia & facta obfervarunt, & futura prædixerunt Prophetæ.

PROPTER INJUSTAS ET INJURIAS ET CONTUMELIAS, ET DIVERSOS DOLOS] In Græco: *Propter injustitias & contumelias & opes dolosas*: id est, dolo partas. Præter divinam providentiam, magnorum quamvis imperiorum arbitram, etiam natura sic comparatum est, ut facillime evertantur regna per injustitiam, maxime vero eam, cui adest contumelia, ut nos docet magnus etiam talium magister Aristoteles de Republica 5. 10. Multi, ut Taciti verbis utar, injuncta imperii munera impigre obeunt, si vis & injuriæ absint. Etiam per fraudem & dolum regnantium regna everti notatur Aristoteli. Irati Dii, quorum eluditur numen, ait Livius,

Adde & *Platonis* sententiam l. X. de Rep. *Omnis felicitatis fons est justitia: infelicitatis autem mater Magistratus injustitia. Plutarchus* l. de doctr. Princ. *Scripserunt, tum & docuerunt* (Philosophi) *absque justitia Principatum gerere nec lovem quidem ipsum posse.* *De justitia*

Vers. 9.

AVARO ENIM NIHIL EST SCELESTIUS] *Nihil injustius*, in Græco: ubi quod hic sequetur membrum, hæc verba præcedit, quod & ordo post sequentium exigit. Euripides:

Ὃ δ' οὐ τὰ κέρδη πλεῖ' ὄχου ἀνεμένου,
φίλοις τ' ἄχρεῖος, καὶ συνωκίδας βαφεύς.

Et alibi:

Ὅστις γὰρ ἐπὶ τὸ πλεῖον ἔχειν πέφυκ' ἀνὴρ
Οὐδὲν φροντὶς ὄλλυσιν, οὐδὲ κέδεται.

*Radix omnium malorum est cupiditas* 1. Tim. VI. 10. *Amore pecuniæ*, inquit Leo M. serm. IX. de pass. *vilis est omnis affectio, & anima lucrucupida etiam pro exiguo perire non metuit, nullumque est in illo corde justitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum.* Simile est Arab. Proverbium Cent. I. n. 89. *Non est justitia cum avaritia.* Quod maxime verum est in principibus & Magistratibus, de quibus hic agitur. *Ubique certe avarus*, inquit Chrysost. hom. XXII. in Joh. *inutilis est, nec ad imperandum exercitui, nec ut præsit populo commodus. Si regnum orbis inseruerit, cæteris omnibus miserior tamen est atque pauperior, terrarum pestis, urbium pernicies, singulorum calamitas: non enim quæ cæterorum sunt quasi sua tutatur, sed veluti unus ex multis omnia rapit, paucior a putans cæteris omnibus habere.* *De avaritia malo.*

QUID SUPERBIT TERRA ET CINIS?] Sæpe sapientes ubi contra superbiam verba faciunt, ostendunt hominibus quid sint, quibus è rebus constent, unde ortum sumserint. Certe,

--- ὦ τεμεσθλοι
Ἅπαντες οἱ φυσῶντες ἐφ' ἑαυτοῖς μέγα·
Αὐτοὶ γὰρ ὧν ἴσασιν αὐτοῖσιν φύσιν.

ait Menander. Alius vero:

Πάντα κόπρος, καὶ πάντα τὸ μηδέν.

*S. Bernhard.* in sententiis: *Tria hæc semper in mente habeto. Quid fuisti? quid es? quid eris? Quid fuisti? sperma fœtidum. Quid es? vas stercorum. Quid eris? esca vermium.*

Vers. 10. HIC ENIM ET ANIMAM SUAM VENALEM HABET] Ut miles,

Ὃς ἕνεκα τοῦ ζῆν ἔχειν ἀποδιώκεται.

QUONIAM IN VITA SUA PROJECIT INTIMA SUA] In Græco: ὅτι ἐν ζωῇ αὐτοῦ ἐβλήθησαν τὰ ἐντόσθια αὐτοῦ. *Quoniam etiam in vita ipsius intestina ejus projiciuntur.* Est enim & hic, ut alibi sæpe, activum sine persona nominata pro passivo. Sensus idem qui in illis Senecæ: *Lacerationes medicorum ossa vivi legentium, & tosti in viscera manus demittentium.*

Simplicior est interpretatio Vatabli: *Hic enim etiam animam suam venalem habet, quia in vita sua viscera quoque ejicere paratus est*, lucri scilicet causa; Noctes enim & dies laborat avarus, fatigatur, & sudat, adeoque se & viscera sua consumit, dummodo nummos colligat.

Vers. 11.

OMNIS POTENTATUS BREVIS VITA: LANGUOR PROLIXIOR GRAVAT MEDICUM. BREVEM LANGUOREM PRÆCIDIT MEDICUS. SIC UT ET REX HODIE EST, ET CRAS MORIETUR] Videntur hic quædam adjecta ad significandum quo tenderet comparatio. Præterea duplicis lectionis interpretatio ex variis libris irrepsisse. Altera enim lectio fuisse videtur; μακρὸν μέγεθος σκότους ἰατρόν. *Longus morbus libidinum est medici.* Altera: μικρὸν μέγεθος κόπτει ἰατρός. *Malum dum adhuc leve est præcidit medicus.* In Sixtina est: μακρὸν αἰῶνος σκώπτοντα ἰατρόν. In aliis: μακρὸν αἰῶνα σκώπτουσι ἰατροί. Posterum hoc bene loco convenit. Medicus ubi brevis diu frustra expertus est, & videt veterascere morbum, ferro utitur. Sic & Deus adversus reges qui longis monitis corrigi nequiere.

Ali

*Ad Cereris generum sine cæde & sanguine pauci*
*Descendunt reges & sicca morte tyranni,*

Thales interrogatus quid rarum videret; senem, inquit. Tyrannum, Seneca: *Tyrannorum exsecrabilis ac brevis potestas est.*

Priora verba in Græco non habentur: *Omnis potentatus* vel imperii *brevis vita: languor prolixior gravat medicum.* De cætero non inconveniens illa lectio è Græco, & explicatio Grotii: *Malum longum præscindit Medicus, & Rex hodie, & cras morietur.* Cicero Orat. in Vatinium, qui paucis diebus Consul fuerat: *Magnum*, inquit, *prodigium, Quirites, Vatinio Consule, non sensimus ver, non æstatem, non autumnum.* Et in alium, qui paucis horis fuerat Consul: *O sanctissime*, ait, *Consul, sub quo nemo prandit, nemo cœnavit, nemo dormivit.*

Vers. 13. CUM ENIM MORIETUR HOMO, HÆREDITABIT SERPENTES ET BESTIAS ET VERMES] Huic sententiæ optime præmitteretur illa quæ ante posita est: *Quid superbit terra & cinis? Hereditabit*, id est, *possidebit.* Locutio ἀκυρ◎, qualis illa apud Horatium:

*Neque harum quas colis arborum*
*Te præter invisas cupressos*
*Ulla brevem dominum sequetur.*

Sensus qui hic est idem exstat Isa. XIV. 11.

*Humana fragilitas.*

Conf. *Gen. III. 19. Job. XVII. 14. Ephrem* tract. de iis, qui in Christo dormierunt, *Quid*, inquit, *est homo? Nihil. Quid homo? Vermis. Quid homo? cinis ac pulvis. Quid homo? somnium. Quid homo? umbra: Ecce cessavit. Ecce transivit. Finem accepit magnus ille & invictus Leo, tyrannus fortis, potens atque elatus, qui cunctis formidabilis erat, nunc jacet quovis ove mitior: qui magnus videbatur, factus est tanquam nullus: qui alios tenebat, detentus est, qui ligabat, vinculis constrictus est.*

Vers. 14. INITIUM SUPERBIÆ HOMINIS APOSTATARE A DEO] *Fastigium superbiæ est penes eum hominem qui à Deo deficit.* Nam ראשׁ, aut רשׁית Hebraum sæpe sic sumitur, ut Exod. XXXIV. 2. 2. Paral. XXV. 12. Prov. I. 21. Eto. II. 2. XXVIII. 4.

*Superbia initium omnis peccati.*

Cur non vero de initio explicetur vox ἀρχὴ, ut sonat? Annon superbia initium fuit apostasiæ à Deo, qua Deo similis esse voluit homo? Atque ita communiter accipiunt interpp. à quibus cur recedendum sit ad peregrinam, neque literæ convenientem satis interpretationem non video. *Prosper* lib. III. de vit. contempl. c. 3. *Nullum*, inquit, *peccatum fieri potest, potuit, aut poterit, sine superbia: siquidem nil aliud est omne peccatum, nisi contemtus Dei. Ambros.* lib. IV. Ep. XXXIII. ad Demetriad. *sive in lapsu Diaboli*, ait, *sive in prævaricatione hominis initium peccati superbia est.*

Vers. 15. QUONIAM AB EO QUI FECIT ILLUM RECESSIT COR EJUS] Bene ὅτι hoc loco vertit per *quoniam*: sæpe enim ita conjunctione copulativa utuntur Hebræi. Non potest ultra scandere superbia, quam ut homo optifici suo parere nolit.

QUONIAM INITIUM OMNIS PECCATI EST SUPERBIA] Rectius sic vertas: *At vero summum omnium peccatorum est superbia.*

QUI TENUERIT ILLAM ADIMPLEBITUR MALEDICTIS] ἐμπλησθήσεται βδελυγμῶν: ita enim meliores editiones habent, non ἐξεῖρε. *Facta horrenda belua imbrem ex se effundit.* Sic βδελυγμὸς sumitur infra XV. 13. XIX. 19. XXVII. 31.

ET SUBVERTET EUM IN FINEM] Sixtina editio hæc hoc loco non habet. Et sane eadem statim sequuntur.

Vers. 16. PROPTEREA EXHONORAVIT DOMINUS CONVENTUS MALORUM] Legit interpres συναγωγὰς. Sed recta lectio est, ἐκκαγωγὰς. παροδεύσεως ἐκαγωγὰς, id est, *minenda immittit mala.* Sic παροδεύσεις sumuntur etiam II. Maccab. III. 30. De voce ἐκαγωγὴς diximus supra II. 2.

Vers. 17. SEDES DUCUM SUPERBORUM DESTRUXIT DEUS, ET SEDERE FECIT MITES PRO EIS] Bene *superborum* interpretamenti causa addidit: nam in Græco non est. Et *mites* dixit pro modestis: nam πραεῖς sæpe eo significatu apud Hellenistas. Conf. I. Sam. II. 8. Luc. I. 52. Sic Saulis locum accepit David.

Vers. 18.

*Humilis*

RADICES GENTIUM SUPERBARUM ARESECIT DEUS] Gentes superbas radicitus evellit, ut Amorræos eorumque vicinos.

ET PLANTAVIT HUMILES EX IPSIS GENTIBUS] In Græco: *& eorum loco modestos gloriose plantavit.* Ut olim eos, qui erant cum Josue.

Vers. 19. TERRAS GENTIUM EVERTIT DOMINUS] Nudavit ab urbibus, vicis, ædificiis, etiam arboribus, & animantibus.

ET PERDIDIT EAS USQUE AD FUNDAMENTUM] Ovidius sic dixit: *Murus quod fuit ante solum.*

Vers. 20. ARESECIT EX IPSIS] Legit ἐξῆρεν, sed nos habemus ἐξῆρε ἐξ αὐτῶν: *Absolvit ab illis*, (terris) *& perdidit eos*: nempe quibus habitaverunt.

Vers. 22. NON EST CREATA HOMINIBUS SUPERBIA] Id est, in hominibus. Non ita cum homine nata est, utipso salvo auferri nequeat, ut cor aut sanguis. Est συμβεβηκὸς, & quidem χωριστὸν, ut loquerentur Porphyrius.

NEQUE IRACUNDIA NATIONI MULIERUM] Sunt quidem multæ mulieres iracundiæ, sed non necessario.

*Neglectus urenda filix innascitur agris.*

Ut ait Horatius, cujus & hoc addam:

*Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quæ te*
*Ter pure lecto poterunt recreare libello.*

Vers. 23. SEMEN HOMINUM HONORABITUR HOC QUOD DEUM TIMET] In Græco: *Semen tutum iis qui timent Dominum, & honorantem plantarium qui amant eum.* Semen non tantum de naturali ortu dicitur, sed de morum insitione. Sic Suf. 56. fic & plantarium.

Vers. 24. IN MEDIO FRATRUM RECTOR ILLORUM IN HONORE] ὁ ἡγούμεν◎, id est, primogenitus.

ET QUI TIMENT DOMINUM ERUNT IN OCULIS ILLIUS] Illos Deus quasi primogenitos honore augebit. Hebr. XII. 23. Hic sequitur in Græcis libris quibusdam, quod abest in aliis, & in Latino: Πρὸ πλήσεως ἀρχὴ φόβ◎ κυρίε, ἐκδολὴ δὲ ἀρχὴς σκληρυνσμὸς καρδίας ὑπερφανίας. Ut sensus sit: *Ante adeptionem regni præcedit timor Domini: ante ejectionem vero à principatu duritiei & superbiæ.* Utidem dicatur aliis verbis quod supra 17.

Vers. 25. GLORIA DIVITUM HONORATORUM, ET PAUPERUM, DEI EST] Bene enodavit Hebraismum, qui manserat in Græco: πλούσι◎ καὶ ἔνδοξ◎ καὶ πτωχὸς, καύχημα αὐτῶν φόβος κυρίε. sed καύχημα solet dici id in quo inducam quis potest ponere.

Vers. 26. NOLI DESPICERE HOMINEM JUSTUM PAUPEREM] Pauperem prudentem. Πτωχὸν σωφρονῆ, qualis ille ab Ecclesiaste descriptus IX. 15. Antiphanes:

Καλὸς πένεσθαι μᾶλλον ἢ πλουτεῖν κακῶς.

Alter:

Πενία γὰρ ἔστι τἀγάθ' οὐ διδοῦσα δ◎.

ET NOLI MAGNIFICARE VIRUM PECCATOREM DIVITEM] Recte illud *divitem* addidit interpres ex natura ἀντιθέτ◎.

Vers. 27. MAGNUS] μεγιστὰν. Exstat ea vox sæpe in hoc libro. Item Marc. VI. 21. Apoc. VI. 15. etiam Latine apud Tacitum & Suetonium. Solent ita verti Hebræa & Chaldaicæ voces, שׂר רבב גדל אויר. Sunt autem ii qui purpurati Livio & Curtio.

ET JUDEX] κριτὴ, id est, senator.

ET POTENS] δυνάστε. Præfectus provinciæ alicui.

ET NON EST MAJOR ILLO QVI TIMET DOMINVM] Bene Euripides:

Ἄρχων ἀνὴρ πᾶς, ξυμπεσὼν ὑπ' ἐγγὺς τύχης.

Vers. 28. SERVO SENSATO LIBERI SERVIENT] Id est, parebunt. Solent patres liberum educationi servos prudentes præficere. Diogenes cum venum iret, quid nosset interrogatus, dixit hominibus liberis imperare. Euripides:

--- τῶν ἐλευθέρων
Σοῦδεί κακὸν δοῦλ◎, ὅστις εὐδολὸς ἦ.

Et alibi:

Πολλοῖσι δ' ἤδη τῶνδ' ἀνηρέθη πάρα
Τῶν οὐχὶ δούλων ἐν ἐλευθερωτέρᾳ.

*Humil*

ET DISCIPLINATVS NON MVRMVRABIT CORREPTVS] Vir peritus facile feret se moneri, vel à servo.

ET INSCIVS NON HONORABITVR] Abest in Græco.

Vers. 29. NOLI EXTOLLERE TE IN FACIENDO OPERE TVO] μὴ σοφίζε, id est, ne sapientior tibi videaris, quam ut opus aliquod manibus facias, ubi usus exigit.

ET

ET NOLI CUNCTARI IN TEMPORE ANGUSTIÆ] δικαιοῦσθαι, gloriæ studere. Contra:

Μικρὸν φρονεῖν χρὴ τὸν κακοῦς πεπραγότα.

Et cogitare Hesiodeum illud: ἔργον δ' ὄφελ', ὅτου Ὦ, & alterum ejusdem:

ἀλλὰ Ϝὸν ἀγαθὸν καγαθὸν αὖθις κομίζει.

Vers. 31. FILI IN MANSUETUDINE SERVA ANIMAM TUAM, ET DA ILLI HONOREM SECUNDUM MERITUM SUUM] In Græco: *Modeste, fiude gloriæ tuæ, honoremque tibimet da pro dignitate.* Id est, in dignitate positus modum serva, ut neque nimium te efferas neque te vilem facias. Contra prius vitium illud est Euripidis:

Ὃς τυραννεῖν ἥδε, κἀπάτας δεξιὸς πρασσειν δόλους,
Καὶ δόξαις εἶχεν ἀλλήλους τῷ δίκαιον ὀμοῦσθαι,
Καὶ βλὰξ πιθανὸν εἶπε πολλὰ, κἀλήθειαν δίκαιος
Τοῖς τύραννος ζητῶν πιθεῖσθαι τὸ φιλότιμον ἐν μέσῳ·
Καὶ τ' ἐπιστὰς ἐπίφοβος ἄγχαλε, μεταβαλὼν ἄνους τράπεις,
Τοῖς φίλοισιν ὠμὸς ἦδα τοῖς περὶ σὲ πρόσθεν φίλοις,
Δυσπρόσιτος Ϝ', ἴσα τε κλείθρων σκιᾷ Ϝ.

Et illud Sallustii: *Scio ego Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium à bonis petere, & postquam adepti sunt gerere. Primo industrios, supplices apud vos esse: dein per ignaviam & superbiam ætatem agere* Contra posterius, illud:

-- ἀν' Ϝ' αὐτὸς κοσμῶ
Ταυτὸν αὐτὸν πρὸς τίδος ἐν μέσῃ,
Οὐκ Ὦ μετ' ἀγαγὼν κομίζεται.

Vers. 32. PIGMENTEM IN ANIMAM SUAM QUIS JUSTIFICABIT? Quis laudet eum qui in se iniquus est? semet dejiciendo scilicet, ut & præcedentia & sequentia exigunt. *Animam suam*, id est, se: frequens Hebraismus.

ET QUIS HONORIFICABIT IGNORANTEM ANIMAM SUAM] ἀτιμάζοντα, contemtui semet exponentem.

Vers. 33. PAUPER GLORIATUR] *Honoratur.*

PER DISCIPLINAM] *Ob scientiam suam.*

ET TIMOREM SUUM] Hoc addidit interpres, ut offenderet, non prodesse scientiam sine pietate.

ET EST HOMO QUI HONORIFICATUR PROPTER SUBSTANTIAM SUAM] Et hoc verum, sed minus huic loco & sequentibus convenit: quare pro πλουτῷ δεδόξασται, legendum putem ἀδοξίᾳ ἐστί, erit sine ullo homore propter divitias suas, quibus scilicet uti nescit.

Vers. 34. QUI AUTEM GLORIATUR IN PAUPERTATE QUANTO MAGIS IN SUBSTANTIA] *Qui autem honoratur in paupertate, quanto magis in divitiis?* si ea scilicet honeste nactus fuerit. Illustrior enim est virtutis suis instrumentis circumdata.

ET QUI GLORIATUR IN SUBSTANTIA PAUPERTATEM VERBATUR] Hæc desunt in quibusdam Græcis: At in Sixtino est: καὶ ὁ δεδοξασμένος ἐν πλούτῳ, καὶ ὁ πτωχὸς τοιοῦτος. *Qui inhonorus est in divitiis* (nempe, homo imperitus) *quanto magis talis erit in paupertate?* si ea scilicet ei supervenias. Hoc plane firmat nostram, quam jam posuimus emendationem.

## CAPUT XI.

*Humilitati & modestiæ, qua formam, vestitum, honorem, loquelam, negotiationes & facultates, nostræque sortis in divinam voluntatem resignationem studendum, & cavendis hospitis dolosis, superbi, malitiosis.*

Vers. 1. SAPIENTIA HUMILITATI] ταπεινῷ, hominis infimæ sortis.

ET IN MEDIO MAGNATORUM] μεγιστάνων.

SEDERE FACIET IPSUM] Exempla in Josepho & Daniele.

A superbia ad humilitatem ei opposita progreditur. Nomine ταπεινοῦ non tam *humilatus*, vel infimæ sortis homo, quam *humilis & modestus* cujuscunque sortis intelligitur: cui exaltatio promittitur *Luc. XIV. n. c. XIIX. 14.* conf. *Prov. XV. 33. c. XXIX. 23.* Quia ut *Chrys.* ait hom. XV. in Matth. *sicut superbia omnium fons malorum est, ita humilitas cunctarum origo virtutum.* Simile est Arabum proverbium cent. 1. n. 30. *Esto in pueritia tua humilis, ut sis in senectute tua exaltatus.* Humilitas.

Vers. 2. NON LAUDES VIRUM IN SPECIE SUA] ἐν εἴδει αὐτοῦ. Ob pulchram formam totius corporis, Euripides:

- - - - ἄξιον τι τῆς ὑπερφίας
Ὀφλεῖν, ὅταν τις ἐν φρονεῖν κακὸς ἔχῃ.

NEQUE SPERNAS HOMINEM IN VISU SUO] Ob minus gratam corporis formam.

*Philo* libr. de Provident. *Formositate*, inquit, *corporis se jactare mentis compos nemo poterit, quia illa brevi adeo extinguitur tempore, ut antequam floreat, defluxisse videatur.* Forma fracilis.

Vers. 3. BREVIS IN VOLATILIBUS EST APIS] Parva. Magnitudo corpori decus addit. Itaque Helena Homero σιώπα, μεγάλη. Contra in Comœdia uxor remotis virum vocat: γράμμα δέκα τεχῶν. Brevitas apis.

ET INITIUM DULCORIS HABET FRUCTUS ILLIUS] *Fructus ejus* (id est, mel) *summum est in dulcedine.* Sumitur hic vox ἀρχὴ, ut supra X. 14. Hoc vult ἀκμὴν φέρει, etiam à minime speciosis hominibus multum sæpe utilitatis posse percipi.

*Chrysost.* in Pl. L. *Ape quid abjectius? & quid pavone pulchrius? uter autem præstantior? Apis an pavo? Non dubium quin apis. Pavonem de medio tolle, & nihil detrimenti attuleris. Apem de medio tolle, & ingens utilitas adempta erit.*

Vers. 4. IN VESTITU NE GLORIERIS UNQUAM] Intelligit habitum illum, quo dignitas agnoscitur, ut ostendunt sequentia: qualia sunt purpura, latus elavus, & fimilia.

NEC IN DIE HONORIS TUI EXTOLLARIS] Ubi novum aliquem honorem adepteris.

QUONIAM MIRABILIA OPERA ALTISSIMI SOLIUS, ET GLORIOSA, ET ABSCONSA, ET INVISA OPERA ILLIUS] Brevius in Græco: ὅτι δυνατὰ τὰ ἔργα κυρίῳ μόνῳ, καὶ κρυπτὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ ἀδόξοις. Sensus idem qui in Senecæ Troadibus:

*Ego esse quicquam sceptra, nisi bene putem*
*Fulgore vellum nomen, & falso ornatum*
*Vinclo detentem: casus hæc rapiet brevis,*
*Nec mille forsan tutima, aut annis decem.*

Et apud Horatium:

--- *Salet ima summis*
*Mutare & insignem attenuat Deus.*

Ideo Romani Duci triumphanti in curru apponebant, qui crebro insusurraret: *Respice post te, hominem te esse memento,* Teste *Tertul.* Apol. c. 33.

Vers. 5. MULTI TYRANNI SEDERUNT IN THRONO] imo ἐκάθισαν ἐπὶ θρόνων, in plano sederunt dejecti de solio, ut Dionysius Corinthi.

ET INSUSPICABILIS FORTAVIT DIADEMA] ἀνυπονόητος, is de quo nulla talis erat exspectatio: ut Abdolonimus apud Sidonios Alexandri M. temporibus: apud Romanos Servius Tullius: in decem Hebræorum tribubus multi. In posteriore historia Romana habemus Imperatores ex fabro ferrario, ex suum custode, ex captivo. Proculus joco factus Imperator. Probus & Regillianus quod eorum nomina placerent. Narravit Varro tibicinem alicubi, quod arte suo populo placuisset, factum regem. Vide quantum ex quantillo.

Vers. 6. MULTI POTENTES OPPRESSI SUNT VALDE] κεκακῶσθαι σφόδρα. Valde despecti sunt, ut apud Tamerlanum Bajazetes.

ET GLORIOSI TRADITI SUNT IN MANUS ALTERORUM] Ut Perses, ut Jugurtha, & totalii. Vide Jud. I. 7. Perses regis filius bonam operam Romano senatui scribendo navavit.

Vers. 7. PRIUSQUAM INTERROGES, NE VITUPERES QUENQUAM] *Me culpa quenquam priusquam rem inquisiero.*

ET CUM INTERROGAVERIS CORRIPE JUSTE] Cognosce primum, & rem castiga. Præpropere castigationis exemplum habes in Trinummo Plautina. Seneca in Medea:

*Si judicas cognosce.*

Græcus Poeta:

Ἀκούσατου μὴ κλάζε μηδέν.

*Maxima pars generis humani*, ait *August.* serm. CCII. de tempore, *indiscreto judicio ad reprehendum promta & parata esse probatur, cum tamen non ita se velit ab aliis judicari quomodo vult alios judicare. Propter hoc Scriptura divina admonet, dicens:* Priusquam interroges &c. *Omnis homo prius se vult interrogari, & postea si reus ei patienter tolerat reprehendi. Et quicquid nobis omnes volumus ab aliis fieri, justum est, ut hoc aliis faciamus implere.* Judicium discretum.

Vers. 8. PRIUSQUAM AUDIAS NE RESPONDEAS] Sunt enim quidam ita præcipites, ut nondum peracta altefius interrogatione, respondere festinent: in quo sæpe falluntur.

ET IN MEDIO SERMONUM NE ADJICIAS LOQUI] Hoc est, quod dicit Seneca loquentem interpellare, vitium & hoc animi nimis calidi, Bene Jocasta apud Euripidem in Phœnissis:

Λέξεις τ' ἀμείνων, τυδὲ σ' ἐκβάλῃ λόγου.

Respondere antequam interrogatio plene percepta est: signum est superbiæ, levitatis, & imprudentiæ. *Prov. XIIX. 13. c. XXIX. 20.*

Vers. 9. DE EA RE QUÆ TE NON MOLESTAT NE CERTERIS] *Noli contendere de re ad te non pertinente.* Id enim rixosorum est.

ET IN JUDICIO PECCATORUM NE CONSISTAS] *Ne consideas.* Ubi videas omnia contra jus ac leges agi, quidvis comminiscere, ut à tali consessu libereris.

Vers. 10. FILI NE IN MULTIS SINT ACTUS TUI] id est, μὴ πολυπραγμόνει. Ardeliones tales vocat Martialis.

ET SI DIVES FUERIS, NON ERIS IMMUNIS A DELICTO] *Si plenus fueris*, nempe negotiorum ad te non pertinentium.

*Fercula flatorem fugito: nam garrulus idem est.*

SI ENIM SECUTUS FUERIS, NON APPREHENDES, ET NON EFFUGIES, SI PRÆCUCURRERIS] *Si enim insecutus fueris aliena, non assequeris, & fugiendo non effugies malum.* Idem dicit, quod de principum secretis Tacitus: *exquirere illicitum, anceps, nec ideo assequare.*

Est & hæc species, & regula *modestiæ*, aliena non curare, & τὴν πολυπραγμοσύνην vitare, nec nimis multa negotia, quibus opes captentur, ambire. Præclare Seneca Ep. III. *Magnam rem puta, hominem unum agere, prater sapientem autem nemo unum agit. Ceteri multiformes sumus.* Unde *Thales* Milesius consuevit monere, Laërtio l. I. c. 11. teste, *unum eligite præclarum, unum quoddam divinitate præclarum.* *Plato* l. III. Polit. εἰ ἑκάστῳ, ἐν ἂν ἐμπηδῶμα καλῶς ὅπῃ ῥᾳδίοις, πολλὰ δὲ οὔ, ἀλλ' εἰ ἓν τοῦτο δύναιμεν πολλῶν ἀπὸ τόμβρου, παύσωμεν ἂν ποτὲ γλαυκίζοντες ἀν. Quo facit vulgatum illud:

*Unum age.*

*Qui binos lepores una sectabitur hora,*
*Uno quandoque, quandoq; carebit utroque.*

Vers. 11. EST HOMO LABORANS ET FESTINANS, ET DOLENS IMPIUS, ET TANTO MAGIS NON ABUNDABIT] In Græco: *Est qui laborat, & satagit, & festinat, & hoc magis eget.* Nempe Deo laboribus ejus non aspirante. Euripides:

Οὐ τινὰ φημὶ θεῶν ἄτερ ὄλβιον,
Οὐ ζαμένταιον ἄνδρα γενέσθαι,
Οὐδὲ τὸν αὖτον ἀεὶ βεβάιως δόμοι
Εὐτυχέα. πολὺ δ' ἄλλοι γ' ἄλλα
Μοῖρα διάνεμε.
Τὸν μὲν ἀφ' ὑψηλοῦ φραγοῦ φώσειν,
Τὸν δ' ἀλάταν ἰνδάλλεσθαι τύχαις.
Μόχθιμα δ' ὅτι φυγεῖν δίομαι· ὑγιαίνεται ἀπέσεται.
Ἐξεῖ.

Vers. 12. EST HOMO MARCIDUS] πεφθὸς veternosus.

EGENS RECUPERATIONE] πεφεδιμένος ἀνιυσίμενος, egens auxilii, ut per se invalidus.

PLUS DEFICIENS VIRTUTE] ὑστερῶν ἰσχύι, defectis viribus.

ET ABUNDANS PAUPERTATE] Est in hoc ὀξύμωρον, quale in illo:

*Plenus sacculus est aranearum.*

Vers. 13. ET OCULUS DEI RESPEXIT ILLUM IN BONO] In Græco: *ad bona*, supple tribuenda.

ET MIRATI SUNT IN ILLO MVLTI] Utde Timotheo Athenensium duce, in cujus dormientis rete urbes volatu se inducentes pingebantur.

Vers. 14. BONA ET MALA] Nempe illa de quibus alium est, opes & honores & successus, iisque contraria.

PAUPERTAS ET HONESTAS] *Et abiitus.* Ita in Græco.

A DEO SUNT] Agente, aut finente.

*Sap. I. 13.* Conf. hic *Prov. XXIIX. 22. c. XXIII. 4. Psalm. CXXVII. 1.* Quod de vita & morte dicitur, quod à Deo sint v. 14. ne repugnare videatur *Sap. I. 13. cum hoc loco conciliatur.* *Deus mortem non fecit*, observanda est Prosperi in sententem. Augustin. n. 303. distinctio: *Justum Dei judicium est, ut peccato suo quisque pereat, cum Deus peccatum non faciat. Sicut mortem non fecit, & tamen quem dignum morte sensit, occidit. Unde legitur* mors & vita à Deo est. *Quæ duo non esse contraria profecto videt, quisquis ab operibus divinis judicia divina discernit: quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud judicando plectere peccatorem.*

Vers. 15. SAPIENTIA ET DISCIPLINA, ET SCIENTIA LEGIS APUD DEUM] Est etiam hic in Græco, πιστὰ ἐργάτι, *à Domino.*

DILECTIO ET VIÆ BONORUM APUD IPSUM] In Græco: *Fit operum bonorum.* Per viam bonorum operum Hebræis intelligitur ἕξις bene agendi, quæ & virtus dici solet.

Vers. 16. ERROR ET TENEBRÆ PECCATORIBUS CONCREATA SUNT] ἐνέζωα, ut sæpe vidimus, & videbimus infra XL. 1. non semper ex nihilo facere, sed sæpe ordinare significat. Sensus ergo est, Deo ordinante conjungi eum peccandi consuetudine ignorantiam tenebrasque animi. Deuter. XXVIII. 28. Ephes. IV. 18. 2. Pet. I. 9.

QUI AUTEM EXSULTANT IN MALIS, CONSENESCUNT IN MALO] In Græco: *consenescunt cum malitia.* Magis magisq; in illis veteratcit vitiosa consuetudo.

In exemplari Londinensi Anno 1659. juxta Vaticanum Romæ editum hi versus non leguntur in Græco textu; nec in suis codd. invenit eos Osiander: desunt etiam in nonnullis Latinis, ut Rabano, Lyrano, Dionys. Franc. Luca notante, etsi in Græcis Complutensibus hab eantur.

Vers. 17. DATIO DEI PERMANET JUSTIS] Opes scilicet: idque ex legis promisso.

ET PROFECTUS ILLIUS SUCCESSUS HABEBIT IN ÆTERNUM] *Et benevolentia ejus* (Dei) *perpetuo prosperabit* ipsos. Sic εὐοδῶν sumitur, & apud interpretes veteres, & in hoc libro, Tobiæ, Sapientiæ, & Maccabaicis. Respondet Hebræo הִצְלִיחַ, & paris significatus verbis.

Vers. 18. ET QUI LOCUPLETATUR PACE AGENDO] *Cura sua & tenacitate*, οἰκονόμος dicitur non quævis parsimonia, sed ea quæ modum excedit. τὸν τόκον οἰκονόμον ἐτί, in Epigrammate.

ET HÆC EST PARS MERCEDIS ILLIUS] Nempe hoc refert præmium, ut sit sibi pauper, dives autem, hæredibus, ut est in Græco Epigrammate, & in verbis quæ hic sequuntur, cum quibus conferenda quæ sunt apud Lucam XII. 19. & sequentibus & ad eum locum à nobis aliisque dicta.

Vers. 20. ET NESCIT QUOD TEMPUS PRÆTERAT, ET MORS APPROPINQUET]

Ἐγὼ ἐξ ἰσάβδω παιὼν χρόνον, ἢ κορώνης,
Συσσίδιμα πλούτου πάντων ἀγαπωμένου,
Ἐλθὼ τὸ ἐσχὶ ὄρατον, ἢ ἀόρατον γῆρας ἐλθεῖ,
Μὴ σὶ γ' ἀπροφάσιστον οἶος ἀδηκτείνων.

ET RELINQUET OMNIA ALIIS ET MORIETUR]

Τεθνᾶξῃ πλουτῶν ἀφεὶς μεγάλην διαθήκην. ait Antiphanes.

Pulcre S. *Ambros.* l. I. offic. c. 49. *Sæpe quod avarus summa congesserat sollicitudine, præcipit. Disfusione dilapidat hæres luxuriosus, & diu quæsita turpis bellua præsentium cæcus, futuri improvidus, quadam absorbet vorugine. Sæpe etiam spernatus successor invidiam parta acquirit hæreditati, & celeri obitu extraneis adita successionis transscribit compendia.* *Avari hæredes.*

Vers. 21. STA IN TESTAMENTO TUO] In illo fœdere cujus mentio Nehem. IX. infine, Id enim omnium nomine à principibus signatum fuerat, ideoque ad singulos pertinebat.

ET IN ILLO COLLOQUERE] ὁμίλει ἐν αὐτῷ, *in eo versare jugiter.*

ET IN OPERE MANDATORUM TUORUM VETERASCE] Id est, in operibus tibi mandatis, sive ut Israelitæ, sive ut principi, judici, sacerdoti, Levitæ. Cogita *humana qua parte locatus es in re.*

Vers. 22. NE MANSERIS IN OPERIBUS PECCATORUM] *Ne admiseris opera peccatorum:* id est, cave ea laudes. nam ita sumi solet συμφέρω. Vide Jobi XXXII. 22.

ET MANE IN LOCO TUO] *In labore tuo:* Contentus esto tua sorte.

Suns

Sunt hæ adhuc regulæ *artis dicendi* cum divina benedictione veræ chrematisticæ. Testamentum autem relpici primævum cum ipso Abrahamo initum è phrasi Siracidis *stare vel esse in testamento cum Deo* liquet. Conf. *c. XLIV. 20. c. XLV. 8. 30. cap. XLVII. 13. c. XXIX. 9. Stat in testamento suo, ac in illo colloquitur* ait Rabanus, *qui in præcepto sibi divinitus commendato fideliter manet, & in illo assidue meditatur. In opere mandatorum Dei veteresc. qui in bonis operibus usque ad finem perseverare studet, & à peccatis omnibus, quantum possibile est, cavet.* Illud *ne admireris opera peccatorum*, rectè Osiander è σωσχέσι textus explicat, *non autem admireris studia hominum impiorum, quibus illi ad opes magnas contendunt.* Additur enim: *Deo confide, & in vocatione tua perseveri.* Si enim Dominus te divitem facere volet, facile id efficere poterit, & quidem non magno tuo labore, & ita, ut tu bonam retineas conscientiam.

Vers. 23. HONESTARE PAUPEREM] *Ditare.*

Vers. 24. BENEDICTIO DEI IN MERCEDEM JUSTI ESTINAT] In Græco: *Benedictio Dei in mercede justi.* Deus ex legis promisso efficit, ut quæ vir bonus justo labore peperit, ma eant.

ET IN HORA VELOCI PROCESSUS ILLIUS FRUCTIFICAT] *Et in cito tempore facit germinare benedictionem suam:* nempe Deus. Facit ut brevi illa bene parta ac servata in majus crescant: honestis sc. commerciis.

Vers. 25. NE DICAS, QUID EST MIHI OPUS] In Græco: *Qua mihi sit utilitas ex eo quod placui?* nempe Deo. Facile talis cogitatio oboriri posset homini seni & pauperi. Ei occurrit.

ET QUÆ ERUNT MIHI EX HOC BONA] In Græco Sixtinæ editionis optime: τίνα ἀπὸ τῦ νῦν ἔτι μοι τὰ ἀγαθά; Male aliæ editiones habent τίνι. *Quæ hæ tenus mihi bona possent contingere?*

Vers. 26. NE DICAS, SUFFICIENS MIHI SUM] Alia cogitatio, quæ diviti potest boriri: satis habeo unde vivam, vel in annos centum. In Græco additur: *& multa mihi sunt*, non tantum quæ sufficiant scilicet, sed & abundent.

ET QUID EX HOC PESSIMABOR] *Quid nunc in vita mali accipere possim?*

Vers. 27. IN DIE BONORUM NE IMMEMOR SIS MALORUM] Redarguit utramque cogitationem, & posteriorem prius. Ne immemor sis hic valet, ne sis ignarus posse & male evenire. Ne puta hoc tecum. Sed in Græco legimus aliter: ἐν ἡμέρᾳ ἀγαθῶν ἀστοργία κακῶν, καὶ ἐν ἡμέρᾳ κακῶν ἀπροσδότου ἀγαθῶν, id est, *in die bonarum rerum nulla est de malis rebus cogitatio: & in die rerum malarum nulla cogitat (homo) de rebus bonis.* Ita est mos hominum, quem reprehendit per sequentia.

Recte hæc se habent. Pessime autem Corn. *lectionem Latinam hic longe veriorem esse, & Græca hic videri inutilia* asserit.

Vers. 28. QUONIAM FACILE EST CORAM DEO IN DIE OBITUS RETRIBUERE UNICUIQUE SECUNDUM VIAS SUAS] ἐν ἡμέρᾳ τελευτῆς, id est, eandem: בְּאַחֲרִית הַיּוֹם, in ultima senecta. Deut. IV. 30. & alibi. Retribuere secundum vias est, bonis malisve actionibus dare quod æquum est. Seneca in Thyeste, cum dixisset.

*Nemo confidat nimium secundis*
*Nemo desperet miluora lapsus.*

Subjungit:

*Res Deus nostras celeri citatas*
*Turbine versat.*

Vers. 29 MALITIA HORÆ] id est, miseria, κάκωσις.

OBLIVIONEM FACIT LUXURIÆ MAGNÆ] *Magnarum delitarum:* τρυφῆς. Sensus enim præsens veteres obliterat.

ET IN FINE HOMINIS DENUDATIO OPERUM ILLIUS] ἐν συντελείᾳ ἀνθρώπε, ut est in Sixtina, non συντελείας, ut alix.

*Pascitur in vitis uber: post fata quiescit.*
*Tunc suus ex merito quisque tuetur honos.*

Postremum hoc id indicat, *exitum ex hac vita ostendere, qualis fuerit hominis vita antecedens.* Tigur. vertit, *acta hominis declarat ipsius exitus.* Quod de declaratione alii accipiunt, quæ fit *ipsi decedenti*, quia ilico à morte cujusvis fit judicium vel *damnationis* vel *salutis* particulare; alii de declaratione, quæ *aliis* plerumque fit, uti Osiander explicat. Prior tamen sensus, quia universaliter hæc de cujusvis exitu dicta, non de eo, quod plerumque observatur, videtur convenientior.

Vers. 30. ANTE MORTEM NE LAUDES HOMINEM QUENQUAM] In Græco: μὴ μακάριζε ἄνθρωπον, Hæc est sententia, quam ex Ægypto attulerat Solon, sic expressa à Sophocle:

Λέξω δὲ μίαν ἐν ἀνθρώποις ἀγαθῶν,
Τὸν μὴ ἐν ἀστοῖς ἐπιπόνοις ἔχοντα, πρὶν ἂν
Θάνῃ τις, ἢ βίον τελευτᾷ, πρὶν ἂν τῆς κακῶν

Ovidius vero in hunc modum:

- - - *dicique beatus*
*Ante obitum nemo, supremaque funera debet.*

QUONIAM IN FILIIS SUIS AGNOSCITUR VIR] Nam & Aristoteles Nicomachiorum I. II. aliquo modo ad parentum felicitatem vel infelicitatem pertinere existimat bonas aut malas posterum fortunas; quod Hebræorum animis multo certius lex inseuplerat, promissa, minasque etiam ad liberos porrigens.

Hæc de filiis peculiaris ratio est: quod nempe in filiis miseris, vel felicibus, & maxime piis, vel impiis soleat agnosci bona, vel mala parentum institutio, & vita, quà ipsis prævere, & per consequens eorum felicitas, tum mundana, tum vera & divina.

Vers. 31. NON OMNEM HOMINEM INDUCAS IN DOMUM TUAM] Multi

*Scire volunt secreta domus atque inde timeri.*

MULTÆ ENIM SUNT INSIDIÆ DOLOSI] διάβολοι, hominis calumniatoris amantis.

Vers. 32. SICUT ENIM ERUCTANT PRÆCORDIA FOETENTIUM] Abest in Græco.

ET SICUT PERDIX INDUCITUR IN CAVEAM] In Græco legitur: πέρδιξ ἠχεύσης ἐν καυκεῶνι. Sed legendum est, πέρδιξ ἠχεύσης ἐν καυκεῶνι *perdix venatrix in cavea.* Hoc sensu ἠχεύσης καυκεῶνα habes & apud Aristotelem de historia animantium IX. 8.

ET UT CAPREA IN LAQUEUM] Non est in Græco, & male irrepsit.

SIC ET COR SUPERBORUM] Superbum vocat, quem modo dixit διάβολον. Sed forte pro ὑπερφάνῳ, legendum ὑπερφάνων, id est, perfidi.

ET SICUT PROSPECTOR VIDENS CASUM PROXIMI SUI] *Proximi sui* non est in Græco: ὡς κατάσκοπος ἐπιβλέπει πτῶσιν: ita enim Sixtina, pro quo aliæ editiones corruptæ ἐπιβλέπει ἀνθρώπου. *Ut speculator conspicit cladem:* securus scilicet, quia ipse turre est positus.

*Suave etiam bellicertamina magna tueri*
*Per campos instructa, tua sine parte periculi,*

πτῶσις pro clade bellica est Zach. XIV. 15. & alibi.

Vers. 33 BONA ENIM IN MALA CONVERTENS INSIDIATUR] Res bonas prava interpretatione detorquens.

ET IN ELECTIS PONET MACULAM] Legit interpres, ἐν τοῖς αἱρετοῖς, quomodo & Sixtina habet editio: pro quo aliæ per errorem, αἱρετικοῖς: aliæ sensu bono, ac voce notiore, αἱρετοῖς, sed rectum est αἱρετοῖς: nam & αἱρετοὶ sunt idem, qui alias ἐκλεκτοὶ, viri eximii. Sic etiam αἱρετὸν in neutro dicitur res alteri rei præferenda.

Hanc reddit horum sententiam Osiander: *Corpravum est instar earum avium, quæ cum ipsa jam captive detineantur, voce sua alias, quæ adhuc liberæ sunt allicunt*, ut incautius prope ad has accedentes capiantur. Si homo pravus & malitiosus proximo suo interdum blanditiis malum machinatur. Observat diligenter proximi dicta ac facta, & optima quæque per calumniam depravat, atque in pejorem partem interpretatur. Spectat hinc *Pythagoræ* Symbolum: *Hirundinem sub eodem tecto ne habeas.* Absinens, quod Hieronymus *Aristotelem* secquutus interpretatur *abstinendum esse à commercio garrulorum, & rixosorum.* Hirundo enim est garrula, instabilis & infida, neunte enim vere advolat, hyeme instante avolat. Hæc autem non eo dicuntur, ut *justi* acceptiamus, neque euiquam fidamus; sed ut *circumspecti* simus, neque blandientibus hominum, quorum fides nondum satis perspecta est, irretiamur; *Ambros.* in Lucam, *non hæc cautio, ait, receptori datur, ne dum hospes eligitur hostis talis imminutur.*

V. 34. A SCINTILLA UNA AUGETUR IGNIS] Ex scintilla incendium, etiam Latinis frequens Proverbium, Vide autem hic dicere idem, quod apertius Menander.

Οὐ δεῖ διαλῦσαι μεταξὺ δύ' ἀνδρῶν ἢ γυναῖκα, ἐσθιόντ' αὐλοῦντος αὐτῷ τοῦτο.

Et Seneca de quibusdam: *Quidquid dixerint, rumor est.*

ET AB UNO DOLOSO AUGETUR SANGUIS] Non est in Græco.

HOMO VERO PECCATOR SANGUINI INSIDIATUR] Illius maledicentia sæpe etiam in vitæ periculum innocentem conjicit.

Vers. 35. ATTENDE TIBI A PESTIFERO] ἀπὸ κακήγυ, *ab homine malitioso.*

NE FORTE INDUCAT SUPER TE SUBSANNATIONEM IN PERPETUUM] *Maculam diuturnam.*

Vers. 36. ADMITTE AD TE ALIENIGENAM, ET SUBVERTET TE IN TURBINE, ET ABALIENABIT TE A TUIS PROPRIIS] Id est, accidere potest, ut si ignotum in domum admiseris, is turbas det: (id enim ταραχὴ) per quas evertaris, & rebus tuis spolieris. Congruit sensui cum eo quod positum supra 21.

Optime hic se habet Paraphrasis Oſiandrina: *Ut è scintilla magnum incendium oriri potest: si homo crudelis & impius quandoque ex occasione levi magnam tragediam excitare potest; neque enim tales sævi & violenti homines quiescunt, donec innocentem sanguinem fundant. Quare tales tibi sunt cavendi: quacunque enim possunt ratione, nocere cupiunt: ac si corpori tuo tam improbus homo vim inferre non poterit, tamen famæ tuæ perpetuam & indelebilem maculam inurere conabitur. (Non autem pugnat cum Christiana charitate si quem admonemus, ut ab homine pestilente sibi caveat, perinde enim est, ac si quem moneremus, ne serpentem pro anguilla, aut scorpionem pro scarabæo toleret.)* Admitte ad te alienigenam, & subvertet te in turbine, & abalienabit te à tuis propriis, id est: *Si hominem peregrinum, ignotum & malum in ædes tuas receperis, eique tecum habitandi locum concesseris, multas ille tibi turbas dabit, & hoc aget, ut te ejecto ipse locum obtineat solus. (Videndum igitur, quem recipiamus; Turpiter ejicitur, quam non admittitur hospes.)* Seneca l. IV. de Benefic. c. 37. refert militem Philippi Macedonis agricolam, à quo naufragus semimortuus in vita conservatus fuit, è villa sua ejecisse, & fronti militis ideo inustum stigma fuisse: HOSPES INGRATUS.

## CAPUT XII.

*Quibus potissimum sit beneficiendum. Amici veri & falsi quomodo dignoscendi. Inimico reconciliato non facile fidendum. Ab impiorum amicitia cavendum.*

Vers. 1. SI BENEFECERIS, SCITO CUI FECERIS] Si beneficias, (id est, benefacere velis,) considera cui benefacias. Simile est Plautino illi:

*Benefactum male locatum, malefactum arbitror.*

Sunt quædam tamen ejus generis beneficia, quæ cæca manu spargenda sunt, quæ dantur si non homini, at humanitati: de iis hoc loco non agitur.

ET ERIT GRATIA BONIS TUIS MULTA] Pro bonis à te datis multam referes gratiam, si probum hominem elegeris.

Vers. 2. ET SI NON AB IPSO CERTE A DOMINO] Multum est quod viris bonis licere Deus voluit, ut Deum pro se debitorem delegent.

*Maximus* serm. 6. Comici: *Thesaurus est pulcher bene locata gratia.* P. *Mimi* hæc erat sententia: *Beneficium dando accepit, qui digno dedit. Isidorus* tamen in norma vivendi c. XVI. *Non eliges, ait, cui misereas; ne forte prætereas illum, qui meretur accipere: omnibus da, ne forte cui non dederis, sit ipse Christus. Seneca* ipse ita se declarat vit l. VI. de Benefic. c. 77. *Malo beneficium projiciam, bono reddam. Huic quia debeo; illi, ne debeam.* Conf. *Matth. X. 41. c. XXV. 34.*

*De misericordia exhibenda.*

Vers. 3. NON EST ENIM EI BENE QUI ASSIDUUS EST IN MALIS, ET ELEEMOSYNAS NON DANTI] Hæc sumenda disjunctim, ut intelligatur male fore ei, qui aut peccare pergit semper, aut ab operibus misericordiæ semper abstinet.

QUONIAM ET ALTISSIMUS ODIO HABET PECCATORES, ET MISERTUS EST POENITENTIBUS] Non est hoc in Græco.

Vers. 4. DA MISERICORDI] *Da pie.* εὐσεβῶ.

ET NE SUSCIPIAS PECCATOREM] Noli protegere sceleratos. Cætera quæ hoc commate in Latino sequuntur, absunt in Græco.

Vers. 6. PROHIBE PANES ILLI DARE] In Græco Sixtinæ editionis: ἐμποδίσον ἄρτους αὐτῷ, ἵνα μὴ δῷς αὐτῷ. *Prohibe panes ejus*, (impedi ne quid lucretur) *neque tu ei da quicquam.*

NE IN IPSIS POTENTIOR TE SIT] *Ne pereas* (quæ abs te aut aliunde nactus est) *te opprimat.*

Κακοὶ γὰρ ἐμποδὼν ὄντες, ἢ τιμώμενοι δι' ἡδονὰς ἐμπεσόντας εἰς ἀρχὰς τινας, Σκιπίωνι, μᾶλλον ἐντυγχάνειν δέομαι.

ait Euripides:

Vers. 7. NAM DUPLICIA MALA INVENIES] id est, recipies.

IN OMNIBUS BONIS] ideſt, pro omnibus bonis, Hebraismus.

Recte *Thomas* 2. II. q. 32. art. 9. ad 1. *Ne suscipiat peccatorem sc. quatenus peccator est, sicut neque ut talis est amandus, bene autem ut proximus.* Et *S. Ambros.* l. X. offic. c. 30. *Pulchrum est eo largiri consilio, ut prosit, non ut noceas. Nam si luxurioso ad luxuriæ effusionem, adulteræ ad mercedem adulterii largiendum putes, non est beneficentia: officere enim illud est, non prodesse.* Siracidi hic consonat Ben Sira Alphab. 1. liter. Teth. *Bene malo ne facias, & malum non contingat tibi.* De cætero non male Aristoteles, cum malo beneficium præstitisset, *non mores*, inquit, *sed hominem commiseratus sum.* Etiam improbis in necessitate succurrit vir bonus. Debetur enim hoc officium, si non meritis illius, qui juvatur, certe naturæ. Et bonus fieri potest, qui malus est.

Vers. eodem. QUONIAM ET ALTISSIMUS ODIO HABET PECCATORES] Hæc ratio refertur ad id quod præcessit, non ad ea quæ sequuntur impios.

ET IMPIIS REDDET VINDICTAM] Id est, justam pœnam. Legit ἀσεβῶν, quomodo & in Sixtina, cum alii codices habent εὐσεβῶν. minus congruenter huic loco.

Vers. 8. NON AGNOSCETUR IN BONIS AMICIS] Habent quidam codices, ἐπιγνωσθήσεται, quomodo hic interpres legisse videtur: alii, εὐδοκιμήσεται: alii, ἐκλεληθήσεται, ex qua varietate scribendi conjicio fuisse ἐκζητεθήσεται, non explorabitur. Nimirum non male Hector apud Euripidem:

Παῖδας ἐπεὶ δὴ τοὺμὸν ἐντυχεῖν δόμῳ, Καὶ ζῶσι πρὸς σῶμ' ἐστὶ, χἠφέσθαι φίλως:

ET NON AESCONDETUR IN MALIS INIMICUS] statim enim maledicunt infelici, & ejus malis fruuntur.

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλίσεται.

Vers. 9. IN BONIS VIRI, INIMICI ILLIUS IN TRISTITIA] In Epigrammate est:

Οἱ βωτιανύμενοι λαμπρὸν ζῶσι βίον.

ET IN MALITIA ILLIUS AMICUS EST AGNITUS] Malitiam hic dixit pro rebus adversis: nam in Græco est: ἐν τοῖς κακοῖς. Vide quæ dicta ad Matth. VI. 34. sed pro *agnitus est*, Græca habent, καὶ ὁ φίλος διαχωρισθήσεται, *etiam amicus separabitur*: nempe amicus mensarum: de quo supra VI. 11.

Vers. 10. NON CREDES INIMICO TUO IN ÆTERNUM] Horatius.

---- *male sarta*
*Gratia nequicquam coit.*

Intellige hoc de inimicis in quibus vides manere vitam improbam. Cavendos esse flagitiis commaculatos, ait Tacitus Annalium VI.

SICUT ENIM ÆRAMENTUM ÆRUGINAT NEQUITIA ILLIUS] In Græco: *Sicut æs æruginem parit, ita malitia ipsius* aliquid semper mali. Purga æs quantum velis, redibit ærugo: reconciliare inimico præsi ingenii, iterum nocebit ubi poterit.

Vers. 11. ET SI HUMILIATUS VADAT CURVUS] In Græco: *Etiamsi demittat se*, (verbis nempe) *& ea incurvatus*: id est, quoties apud te est totum corpus incurvet, reverentiæ testandæ causa.

ADJICE ANIMUM TUUM] ἐπίσχου τὸν ψυχήν σου, id est, attende tibi: fic ἐφύλαξαι σεαυτόν, aut ψυχὴν habemus Exod. VII. 23. Prov. XXII. 17. XXVII. 23.

ET CUSTODI TE AB ILLO] Hic in Græco sequuntur, quæ absunt in Latino: καὶ ἔσῃ αὐτῷ ἐκμελετῶν ἐσόπτρου, καὶ γνώσῃ ὅτι οὐκ οἶδε τὰ ἑαυτοῦ. Sed legi debet ἐκκάτωθε: *Erit quasi ipsum, ut sit speculum abstersissa, & cognosces non esse plene emaculatum*, ἁπλῶς proprie quidem ærugo, quo sensu eam vocem modo habuimus, sed per translationem ad omnia vitia transfertur. Sic de auro in Epi-

Inimico metuen

Epistola, quæ sub nomine Jeremiæ Baruchо subjungitur. Εἰς μὴ τὰς ὑμετέρας τὰς ἰδίας. Sic εἰς ἀστοῖδων, Psalm. CXLIV. 4. Pari modo ἐμὲ, κατὰ & ἐκκατὰ.

Vers. 12. NON STATUAS ILLUM PENES TE, NEC SEDEAT AD DEXTERAM TUAM, NE FORTE CONVERSUS IN LOCUM TUUM, INQUIRAT CATHEDRAM TUAM] Melius hæc digesta in Græco: *Ne jubeas eum stare apud te, ne conversus* (in te) *stet in loco tuo: ne cum facias* sedere ad dexteram tuam (id est, loco à te proximo. Vide quæ diximus ad Matth. XX. 21.) *ne tentet tuam sedem apprehendere.* Multis id accidit, ut expellerentur ab iis, quos ipsi adjutores sibi adsciverant.

ET IN NOVISSIMO AGNOSCAS VERBA MEA] Sero laudes mea monita.

ET IN SERMONIBUS MEIS STIMULERIS] *Et ob sermones meos* (nimis diu neglectos) *doleas.* Sic κατανύσσεσθαι sumitur sæpissime apud LXX. & in hoc libro aliquoties, & Act. 2, 37.

*Inimicus metuendus.*

Affine est Ebræorum illud: *Qui honorat hostem suum, tandem moritur manu ipsius.* Conf. *Prov. XXVI. 25.* Seneca in Proverbiis: *Inimicum quamvis humilem doli est metuere.*

Vers. 13.

QUIS MISEREBITUR INCANTATORI A SERPENTE PERCUSSO] Nempe si propius quam oportet, accesseris.

ET OMNIBUS QUI APPROPIANT BESTIIS] Ut qui viperas tractant, quæ θηρία sunt κατ' ἐξοχὴν in isto genere, unde θηριακή.

ET OBVOLUTUS EST IN PECCATIS EJUS] *Et peccatis ejus commiscetur*, nempe vel approbando, vel dissimulando.

V. 14. UNA HORA] id est, brevi tempore.

TECUM PERMANEBIT] Additur in Græcis quibusdam ἐν σάρκι δικαίᾳ: sed non habet hoc Sixtina.

SI AUTEM DECLINAVERIS] Id est, si inclinaverint res tuæ. Sin inclinata acies, domus inclinata, apud Latinos.

NON SUPPORTABIT] *Non durabit:* ἢ μὴ καρτερήσῃ.

Vers. 15. IN LABIIS SUIS INDULCAT INIMICUS] Suavia loquitur.

Vers. 16. IN OCULIS SUIS LACHRTMATUR INIMICUS] Lachrymas non sponte cadentes, ut Lucanus loquitur; falsas lachrymulas, ait Terentius, nam quidam &

*Ut flerent oculos eruâtere suos.*

Proverbium est, crocodili lachrymæ.

NON SATIABITUR SANGUINE] Totum sanguinem tuum ebibet: id est, ne vitæ quidem tuæ parcet.

INVENIES ILLUM ILLIC PRIOREM] *Specie jubentis*, ut sequitur.

Vers. 18. IN OCULIS SUIS LACHRTMATUR INIMICUS] Non est hæc repetitio in Græco: sed quæ jam sequuntur cohærent cum iis quæ præcessere: quod rectius.

ET QUASI ADJUVANS SUFFODIET PLANTAS TUAS] In Græcis libris plerisque ὑποσκάσει, id est, inhibebit. Sed alii codices habent quomodo Latinus interpres legit, ὑποσκάψει. Id translatione elegante positum pro eo, quod Græci dicerent ὑποσκελίσει, supplantabit, pede suppositio sic te evertet, sicut suffodiendo murus evertitur. Hebræi hoc vocant עֵת, quod LXX. vertunt καιρίζειν. Exempla habes apud Tacitum non pauca, cujus & hoc dictum: quibus inimicus deerat, per amicos oppressi.

Vers. 19. CAPUT SUUM MOVEBIT] id est, eversio insultabit. 2. Reg. XIX. 21. Ps. XXII. 8.

ET PLAUDET MANU] In signum gaudii, Ezech. XXV. 6.

ET MULTA SUSURRANS] ἢ πολλὰ διαψιθυρίσει: Multa mala de te loquetur. Id qui facit ψιθυρὸς dicitur supra 5, 16. infra XXI. 31. XXVIII. 14. verbum ψιθυρίζειν in pari sensu, Pr. XLI. 8.

COMMUTABIT VULTUM SUUM] Longe alius apparebit quam qualem ante præ se tulerat. Sic verbum ἀλλοιοῦν sumitur infra XIII. 19. XXV. 19. Vide & 2. Sam. XXI. 13. & Psalm. XXXIV. 1.

Conf. Prov. 5, 3. c. XVI. 24.

## CAPUT XIII.

*Periculosa sunt consortia cum superbo, divite, & potentiore. Dilige Deum ac Proximum. Amicitia fit inter pares sorte, moribus.*

Vers. 1.

QUI TETIGERIT PICEM INQUINABITUR AB EA, ET QUI COMMUNICAVERIT SUPERBO IMDUET SUPERBIAM] ὁμοιωθήσεται αὐτῷ. Etiam hic copula est pro nota comparationis: Latine enim diceremus: Sicut à pice inquinatur, qui eam tangit, sic qui cum superbo homine convivit, similis ei evadit. Habent omnia vitia aliquid contagio noxium, superbia maxime, ideo quod eo valde feratur natura humana, si felicitas adfit. Theognis:

\- - - Ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιχθῇς ἀκέλευστος, ἐφ' ὑστάτου νόου.

*Plutarchus* l. de lib. educ. *fluxta claudum habites subclaudicare discs.* Tales enim nos plerunque sumus, *qualia sunt quotidiana colloquia, tales evadimus, qualia frequenter audimus.*

Vers. 2.

PONDUS SUPER SE TOLLET QUI HONESTIORI COMMUNICAT: ET DITIORI TE NE SOCIUS FUERIS] Sententiam fecit ex comparatione. In Græco est, quamdiu vivis ne attolle onus, quod te superet; sic etiam noli convivere validiori aut ditiori. Non longe abit Plautinum illud:

*Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te esse hominem divitem,*
*Factiosum: me item esse hominem pauperum pauperrimum.*
*Nunc si filiam locassem meam tibi, in mentem venit,*
*Te bovem esse, & me esse asellum: ubi tecum conjunctus siem,*
*Ubi unus nequeam ferre pariter, jaceam ego asinus in luto.*

Vers. 3.

QUID COMMUNICABIT CACABUS AD OLLAM] In Græco: *Cur societatem ineat olla cum lebete?* Est hoc in Æsopi fabulis. Et apud Phædrum alterius apologi hæc inscriptio: *Numquam est fidele cum potente societas.*

QUANDO ENIM SE COLLISERINT CONFRINGETUR] *Hic impinget, ille frangetur.*

Vers. 4.

DIVES INJUSTE EGIT, ET FREMET: PAUPER AUTEM LÆSUS TACEBIT] Elegantior sensus in Græcis quibusdam: πλούσιος ἠδίκησε, καὶ αὐτὸς προσέθηκεν αἰτεῖν· πένης ἠδικήθη (ita legendum, non ἠδίκησε) καὶ προσεπαρεκάλεσεν. *Dives si cui injuriam fecerit, ultro precibus adhibitur: pauper injuriam passus est, & adhuc minus impetitur.* Juvenalis.

\- - - *libertas pauperis hæc est:*
*Pulsatur rogat, & pugnis concisus adorat,*
*Ut liceat paucis dentibus inde reverti.*

Pugnum tibi ducam (dicebat dives quidam pauperi) & dicam scribam, quod caput durum habeas.

Vers. 5.

SI LARGITUS FUERIS ASSUMET TE] In Græco: *Si utilis ipsi fueris, operatius utetur.*

ET SI NON HABUERIS DERELINQUET TE] καταλείψει. Ita enim est in Sixtina, non καταβλέψει. Si in egestatem incidas, non magis te curabit, quam si nunquam ei notus fuisses.

Vers. 6.

ET EVACUABIT TE] Per munera quæ ei dare debebis.

ET IPSE NON DOLEBIT SUPER TE] Non curabit, quod tanti tibi constet ipsius amicitia.

Vers. 7. SI NECESSARIUS ILLI FUERIS SUPPLANTABIT TE] In Græcis: *Opus te habuit,* & (tamen) *decipiet te.* Vicem non reddet ubi tu vicissim ipso opus habueris.

ET SUBRIDENS] Astidens blando vultu.

NARRANS TIBI BONA] *Loquens tibi bona.* Verbis te pascet.

Vers. 8. ET CONFUNDET TE IN CIBIS SUIS] Quod sequitur *bis aut ter* cum his verbis connectendum est. Opipare te excipiet aliquoties, ut tu præ pudore cogaris idem facere, & sic te paupertatum ridebit.

ET CAPUT SUUM MOVEBIT AD TE] *Obte.* Vide supra XII. 19.

Vers. 9. HUMILIARE DEO] Deest in Græco, & videtur alienum ab ea quæ hic tractatur materia.

Vers. 10. ATTENDE NE SEDUCTUS IN STULTITIAM HUMILIERIS] Legit ἐν ἀφροσύνῃ. Nos autem habemus in Sixtina: πρόσεχε μὴ ἀπατηλικῶς καὶ μὴ ταπεινωθῇς ἐν ὑφροσύνῃ σου. *Vide ne decipiaris* (talibus convivis) *& per gaudia tua deprimaris:* ad inopiam scilicet. Alii libri post ἀπατηλικῶς habent σῇ διανοίᾳ, & pro ἐν ὑφροσύνῃ σου, habent ἐν ὑφροσύνῃ παρόλιε σου. פתיות, quod est convivium, vertitur ὑφροσύνη, Esther. IX. 19. quo sensu & Græci Poetæ dicunt.

Vers. 11. NOLI ESSE HUMILIS IN SAPIENTIA TUA] Abest hoc comma in Græco.

Quo facit illud *Seneca*. l. 2. de ira c. 33. *Potentiorum injuriæ hilari vultu, non patienter tantum ferendæ sunt.* Notissima vox est ejus, qui in cultu regum consenuerat: Cum illum quidam interrogaret, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, *senectutem? Injurias*, inquit, *accipiendo, & gratias agendo.* Ambrosi. l. de Jacob. c. IIX. *Perfecti viri est communitatem naturæ sustentare animi virtute, & ad meliora adducere, nec succumbere iis, quæ plerisque terribilia, & formidolosa videntur, sed quasi fortem militem gravissimorum casuum sustinere incursum, conflictus subire, & quasi providum gubernatorem navim in tempestate regere; atque occurrendo insurgentibus fluctibus magis vitare naufragium sulcando undas quam declinando.*

*Aulicor. requisitum.*

*Tolerantia injuriar.*

Vers. 12.

ADVOCATUS A POTENTIORE] A dynasta, id est, magno aliquo præfecto.

DISCEDE] ὑπαναχώρησον γύνε. Cito domum redi, ne fastetas tædium adferat.

EX HOC ENIM MAGIS TE ADVOCABIT] πλειόνως, sæpius.

Vers. 13.

NE IMPROBUS SIS, NE IMPINGARIS] Improbum hic accepit pro imprudente, In Græco: *Noli sine judicio te ingerere, ne repellaris.* Nam ἀκρίτως illud, quamquam loco sejunctum, construi debet cum μὴ ὑπεντεῦ. De aula dynastarum hic agitur, ut docent præcedentia.

ET NE LONGE SIS AB EO, NE EAT IN OBLIVIONEM] Hoc est quod & vulgo dicitur ad aulam, pariter ut ad ignem, neque accedendum nimis, neque nimis inde abscedendum, si quis nec uri velit, nec frigere.

Vers. 14.

NE RETINEAS EX ÆQUO LOQUI CUM ILLO] Legit ἐπιγορεύεσθαι, ut habent libri nonnulli, non ἐπιγορεύεσθαι μὴ ἔσχες, quod hic vertit *ne retineas*, significat ne id age. nam ἔσχεν pro στοιχεῖον sumi notavit Eustathius in septimum Odysseæ. Exempla habes etiam in nostris libris, ut Luc. XIV. 17. 1. Tim. IV. 16. Sensus est, nolid curare, ut familiariter cum præfecto loquaris, ἰσηγορία est etiam apud Herodotum.

EX MULTA ENIM LOQUELA TENTABIT TE, ET SUBRIDENS INTERROGABIT TE DE ABSCONDITIS TUIS] *Inquires abscondita tua:* nempe latenter. Horatius:

*Reges dicuntur multis urgere cullellis,*
*Et torquere mero quem perfexisse laborent,*
*An sit amicitia dignus.*

Vers. 15.

IMMITIS ANIMUS ILLIUS CONSERVABIT VERBA TUA] Legit: ἀνελεήμων ὁ τῶν σωτηρίων λόγων, fiipple erit. Sixtina minus recte: ἀνελεήμων ὁ μὴ σωτηρίων λόγων. Alii libri: ἀνελεημόνως δὲ σωτηρίους λόγους ἐν. Sic Tiberius narrante Tacito: *Verba, vultus, in crimen detorqueri recondebat.* Alibi de eodem: *Dissimulata offensione abdebat.* Item: *Animo revolvente iras, etiamsi impetus offensionis languerat, memoria æstuabat.* Et Sejanus eodem teste odia sic longum jaciebat, quæ reconderet, auctaq; promeret.

ET NON PARCET DE MALITIA ET DE VINCULIS] οὐ μὴ φείσηται περὶ κακοῦσαι ἐν καὶ δεσμοῖς: *non parcet te male tractare, & in vinculis habere* ut Alexander Callisthenem:

Vers. 16. CAVE TIBI] Loquendo.

ET ATTENDE DILIGENTER AUDITUI TUO] Satis tibi strauere quæ dicuntur.

QUONIAM CUM SUBVERSIONE TUA AMBULAS] In ruinæ periculo versaris. Aulæ lubricum enimen, dixit in Thyeste Seneca.

Vers. 17.

AUDIENS VERO ILLA QUASI IN SOMNIS VIDE, ET VIGILABIS] In Græco: *hæc audiens*, id est, intelligens; etiam *in somno tuo vigila*: dictum ὑπερβολικῶς, ut monentur, qui aulas adeunt, nunquam non sibi cavere.

Vers. 18.

ET INVOCA ILLUM IN SALUTE TUA] *Ad salutem tuam:* εἰς σωτηρίαν σου.

*Quomodo ad Regem accedendum?*

Conf. *Prov. XXIII. 4.* Lacides Cyrenæus Attalo Regi cum accerseretur, respondit, *imagines eminus esse spectandas. Plutarchus* monuit *non secus agendum cum Rege, quam cum rogo.* Quomodo & *Alexander M.* rogatus, quomodo ad Principem accedendum sit, respondit *tanquam ad ignem: ut non valde prope accedens comburaris.*

Vers. 20.

OMNIS CARO AD SIMILEM SIBI CONJUNGETUR] *Omne animal*, in Græco.

ET OMNIS HOMO SIMILI SUI SOCIABITUR] Aristoteles, aut quisquis est scriptor Problematum, sectione X. χαίρει τὰ συγγενῆ τοῖς συγγενέσι καὶ ὁ μοιος τῷ ὁμοίῳ. Et veteres multi φιλίαν esse dicunt ὁμοιότητα τινα. Nicomach. VIII. 10.

Vers. 21.

SI COMMUNICABIT LUPUS AGNO] *In quo communicet lupus agno?* Talis locutio: τίς κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος; 2. Cor. VI. 14. Summa discordia exprimi solet lupi & agni similitudine:

Ἕλκει λύκος τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντι.

Horatius:

*Lupis & agnis quanta sortito obtigit*
*Tecum mihi discordia est.*

SIC PECCATOR JUSTO] Neque vos meos mores ferre potestis, neque ego vestros, dicebat Romanus quidam populo Romano.

Vers. 22. QUÆ COMMUNICATIO SANCTO HOMINI AD CANEM?] Sist error exscriptoris: nam interpres haud dubie scripsit, *hyænæ ad canem*, quomodo est in Græco: sed imperitus *hyænæ* mutavit in *homini*: ac demum ad implendum sensum addidit *sancto*. Tanta est naturæ pugna inter hyænam & canem, ut conspecta hyænæ umbra, canes obmutescant, Plinius VIII. 30.

AUT QUÆ PARS DIVITI AD PAUPEREM] Et hic error est exscriptoris: nam interpres *pax* scripsit: ὁρᾷς.

Vers. 23.

PASCUA DIVITUM SUNT PAUPERES] Jac. 26, Es. V. 8.

Vers. 24.

ET SICUT ABOMINATIO EST SUPERBO HUMILITAS, SIC ET EXSECRATIO DIVITIS PAUPER] In Græco ἐλάχιστον loco utroque, pro quo Latinus dixit abominationem prius, deinde exfectationem. Mores discrepant divitis & pauperi, ideo alter alteri displicet.

V. 25. DIVES COMMOTUS] σαλευόμενος id est, labefactatus.

CONFIRMATUR AB AMICIS SUIS] Sustentatur ne ruat: ὑποζύεται.

HUMILIS AUTEM] In Græco: *Pauper.*

CUM CECIDERIT, EXPELLETUR ET A NOTIS] *Ab amicis*, qui tales dicti fuerant. Vide supra XI. 9.

*Similitudo causa amoris.*

*Similitudo est causa amoris*, ait *Aristoteles. Dissaria studia sequuntur, quoniam dissimilitudo dissociat amicitias; nec ob aliam causam illam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima esse potest morum studiorumque distantia.* Et Ambrosius, *nihil tam secundum naturam*, ait, *quam amare naturæ consortem.* De Divitibus & Pauperibus conf. *Prov. XIX. 4. 7.* Nec Scholion Theocriti ignotum est: *Ruente quivis colligit ligna arbore.*

Vers. 26.

DIVITI DECEPTO MULTI RECURERATORES] Legit ἐφαλτῶν. Recuperatores Romæ dicebantur, judices per quos provinciales spoliati res suas recuperabant. Sed oppositum membrum vult hic legi ἐφάλτην, ut sensus sit. *Dives, si quem fefellerit, multos habet adjutores:* qui feliciter ipsum purgent, aut excusent. Tanta est vis pecuniæ. Verres sibi, advocatis, & judicibus, quod satis esset, ceperat.

LOCUTUS EST SUPERBA, ET JUSTIFICAVERUNT ILLUM] *Si arcana* (nempe reipublicæ) *enunciaverit, tamen inventi, qui ipsum defendant.*

V. 27. HUMILIS DECEPTUS EST] Recte hic interpres legit ἐσφάλη, non ἐσφάλε. Si vir aliquis humilis fortunæ deceptus ab alio fuerit.

INSUPER ET ARGUITUR] Vitro objurgatur, πρεσπτίμησεν αὐτῷ, nempe quasi criminis reus esset.

LOCUTUS EST SENSATE, ET NON EST DATUS EI LOCUS] Quod si etiam prudentissima dicturus veniat, nullo in loco habetur. Hunc sensum exigunt sequentia. Locutionem similem vide infra XVI. 15. & XXXVIII. 11.

Vers. 28.

Vers. 28. DIVES LOCVTVS EST, ET OMNES TACVERVNT] *Conticuere omnes, intentique ora tenebant.*

Job. XXIX. 9.

ET VERBVM ILLIVS VSQVE AD NVBES PERDVCENT] *Attollant, ἀνάγουσιν*, in cœlum ferunt laudibus. Tale illud:

*Sublimi feriam sidera vertice.*

Vers. 29. PAVPER LOCVTVS EST, ET DICVNT, QVIS EST HIC?] Exemplum vide Matth. XIII. 55. & Menander:

Πάνυ λέγων τ' ἀληθὴς ὁ πτωχὸς εἰσέρχεται.

Philemon vero:

Πρόσεστιν ἀφ' ἡμῶν τῷ πένητ' ἀπιστία.
Κἂν σοφὸς ὑπάρχῃ, κἂν λέγῃ τὰ συμφέροντα,
Δοκεῖ τι ληρεῖν τοῖς ἀκούουσιν κακῶς.

ET SI OFFENDERIT] *ἐὰν προσκόψῃ.* Si quid dixerit minus gratum auribus.

SUBVERTENT ILLUM] *περισπασθήσεται αὐτὸν, etiam evertent eum.* Quod Phocioni evenit Athenis.

*Haud pondus illum pauperum inesse verbis*, dicente Comico. Ex adverso juxta *Horat.* libr. II. Serm. Satyr. 2.

— — — *Omnia enim res*
*Divitis paret, quas qui construxerit ille*
*Clarus erit, fortis, justus, sapiens.*

Vers. 30. BONA EST SUBSTANTIA] Opulentia. ὁ πλοῦτος. Hoc ideo recte additur, ne omnes divites mali, aut omnes pauperes boni credantur.

CUI NON EST PECCATUM IN CONSCIENTIA] In Græco est: ᾧ μὴ πέπτωκεν ἁμαρτία, *cui non adhæret peccatum:* id est, honeste quæsita.

ET NEQUISSIMA PAUPERTAS IN ORE IMPII] Quia impii sufelices solent Deum accusare.

*Quem non incusât amens hominumque Deumque?*

Quo facit illud *Bernhardi* l. IV. de consid. *Aurum & argentum, & cætera hujusmodi, quantum ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala: usus tamen horum bonus, abusio mala, solicitudo pejor, quæstus turpior.*

Vers. 31. COR HOMINIS IMMVTAT FACIEM ILLIVS SIVE IN BONA, SIVE IN MALA] Tibullus:

*Heu quam difficile est imitari gaudia falsa;*
*Difficile est tristi fingere mente jocum!*

Oculi, fenestræ animi.

Vers. 32. VESTIGIVM CORDIS BONI ET FACIEM BONAM DIFFICILE INVENIET, ET CVM LABORE] Aliter in Græco: ἴχνος καρδίας ἀγαθοῦ πρόσωπον ἀληθές, (in aliis libris, ἀγαθύνει πρόσωπον ἐν στίγμῃ καρδίας ἀγαθοῦ, sensu eodem) καὶ ὑφαίνει πανοῦργόν διαλογισμὸς μετὰ κόπου. *Vultus hilaris indicium est animi in rebus latis versantis: At inventio sententiarum, laboriosa est cogitatio.* Id est, seriæ meditationis index, vultus severior, fronsque caperata, adducta supercilia, oculi quieti, genæ stantes, os taciturn.

Egregie *Cicero* Lib. III. de Orat. *Omnis motus animi suum quendam à natura habet vultum, & sonum & gestum animi. Imago vultus est indices oculi: nam hæc est una pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes & commutationes possit efficere. Oculi enim sunt, quorum tum intentione tum conjectu, tum hilaritate motus animorum significamus. Sensum horum versum probe* expressit Osiander noster: *Tametsi solius est Dei, cor hominis intueri, tamen aliquando etiam in facie hominis aliqua indicia apparent, quæ ostendunt hominem esse candidum, & rerum bonarum studiosum; aut machinari mala & volvere in corde sceleratæ atque perniciosa consilia. Cor bonum etiam in facie alacritatem quandam & vultum liberalem efficit, qui autem prava meditatur, animo tranquillo esse non potest, & illæ animi perturbationes in vultu suas notas habent.*

## CAPUT XIV.

*Beatus qui bonam retinet conscientiam, & sibi aliisque beatificus est, Deoque offert, quod ipsi debetur, memor imminentis mortis, cui omnes obnoxii sumus, quique semper meditatur sapientiam in verbo Dei revelatam ut voluntatem DEI addiscat.*

Vers. 1.

BEATVS VIR QVI NON EST LAPSVS VERBO EX ORE SVO] Cum & quæ præcesserunt & quæ sequentur ad titulum de divitiis & paupertate pertineant, omnino censeam hanc sententiam pertinere ad eos qui gravi paupertate pressi nullum verbum ex impatientia ejaculantur adversus Deum ejusque providentiam.

ET NON EST STIMVLATVS IN TRISTITIA DELICTI] In Græco: *Nec cruciatus est ex mœrore criminoso*: nam ὁ λύπη ἁμαρτίαν habent quidam codices, & sic legit hic interpres, non ὁ πόλεμον. Mœrorem criminosum vocat eum qui erumpit in verba Dei honorem lædentia.

Vers. 2.

FELIX QVI NON HABVIT ANIMI SVI TRISTITIAM] In Græco: μακάριος ὃ κατέγνω ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. Sed legendum ἐκ ἐπέγνω, qui non despondit animum in malis. Ostenditid sequens explicatio: *Et non dejectus est de spe sua in Deum:* nam τῆς ἐπὶ κύριον additur in Græco.

NOn male hæc *specialiter* ad titulum de *divitiis & paupertate* referuntur, σωτηρίας causa: qui de usu *divitiarum* etiam deinceps agitur v. 3. & seqq. quomodo tum alias tum imprimis in *paupertate* nos erga Deum gerere debeamus, ne beatitudine excedamus: interim *generalia* est sententia, ut norum est è Jac. III. 2. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus vir est:* quum omnibus opera danda sit, ut bonam retineamus conscientiam. Felix est, qui non ea loquitur aut consulit, quorum eum pœnitere possit, ut inde perpetuum conscientiæ morsum sentiat. Felix qui non habet saciatam conscientiam, sed spem suam semper in DEO ponit.

Vers. 3.

VIRO RAPIDO ET TENACI] Duabus expressit unam Græcam μικρολόγῳ. In Glossis, μικρολόγος *sordidus*. Theophrasto, μικρολογία ἐστὶ φειδωλία τοῦ ἀναγκαίου ὑπὲρ τὸν καιρόν.

SINE RATIONE EST SUBSTANTIA] *Non pulchra divitiæ.* Id est, eum non decent.

ET HOMINI LIVIDO AD QVID AVRVM?] *Quo mihi divitiæ si non conceditur uti?*

Βάσκανος sæpe quidem invidum significat, sed ab Hellenistis etiam avarus eo vocabulo appellatur. Vide infra 6, 8. & XVIII. 18. XXVII. 12.

Vers. 4.

QVI ACERVAT EX ANIMO SVO INJVSTE, ALIIS CONGREGAT] Non est *injuste* in Græco, nec de injustitia hic, sed de tenacitate agitur. *Qui asservat ab animo suo:* id est, qui extra usum suum res asservat, qui genium suum defraudans comparcit, ut loquitur Terentius.

ALIIS CONGREGAT] Heredibus. Vide supra XI. 20.

ET IN BONIS ILLIVS ALIVS LVXVRIABITVR] Alii luxuriabuntur.

Horatius:

*Assimet heres Catulle dignior*
*Servata centum clavibus, & mero*
*Tinget pavimentum superbo*
*Pontificum potiore cœnis.*

Martialis:

*Superba densis ara palleat mumis,*
*Centum explicentur pagina calendarum;*
*Iturbit heres te nihil reliquisse:*
*Supraque plutum te jacente. Vel saxum,*
*Farrisque papyro dum tibi torus crescit,*
*Flentes superbus basiabit cunuchos.*

Vers. 5.

QVI SIBI NEQVAM EST, CUI ALII BONVS ERIT, ET NON IVCVNDABITVR IN BONIS SVIS] Illud & hic more Hebræo est pro relativo *qui.*

Vers. 6.

ET HÆC REDDITIO EST MALITIÆ ILLIVS] Hæc merces vitii, non habere quæ habeat.

Bion apud Laërtium l. IV. c. 7. *Avarus facultates suas non possidet, sed ipsum possident facultates.* *De Avaro.*

*Avarus suarum rerum curam habet; quasi essent propriæ; rursum ex iisdem nihil capit utilitatis, quasi essent alienæ.* Seneca in Proverb. lit. A.

*Avarus nisi cum moritur nil recte facit.*

Item:

*Avarus ipse miseriæ causa est suæ*
*Avaro quid mali optes, nisi ut vivat diu!*

Ideo Demosthenes cum avarum defunctum sepelirí videret, Maximo teste serm. XII. dixit: *Iste cum vitam vitalem non vixerit, aliis vitam relinquit.* βίος enim & vitam & victum significat. Diogenes in Aximenem: *Annon pudet,* inquit, *eum tam multa habere, quæ seipsum non habet.*

Vers. 7. ET SI BENE FECERIT] Alicui scilicet.

IGNORANTES ET NON VOLENS FECIT] In Græco tantum est, ἀχ' ἑκὼν ποιεῖ. Pro certo habe, inquit, eum non volente animo id fecisse, sed coactum, damni alicujus vitandi causa.

ET IN NOVISSIMO MANIFESTAT MALITIAM SUAM] *Etiam in fine vitæ vitium suum ostendit,* Phædrus:

*Tibi dico, avare, gaudium haredis tui.*

Et post aliquos versus:

*Qui circumcidis omnem impensam funeris,*
*Libitina ne quid de tuo faciat lucri.*

Vers. 8. NEQUIAM EST OCULUS LIVIDI] In Græco: *Homo invidus malus est, ita ut oculo videat:* id est, ipso aspectu vitium ejus deprehendas: quod explicant sequentia.

ET AVERTENS FACIEM SUAM] *Eo quod aversit faciem suam* a pauperibus.

ET DESPICIENS ANIMAM SUAM] In Græco est: *& despiciens animas,* id est, hominum aliorum miseriam.

Ideo *Isocrates* ad Dæmonicum de avaris elegánter dixit, εὐστὰς χάριτας ἀχαρίστως χαρίζεσθαι gratias sine gratis gratificari & exhibere.

Vers. 9. INSATIABILIS OCULUS CUPIDI IN PARTE INIQUITATIS: NON SATIABITUR DONEC CONSUMAT AREFACIENS ANIMAM SUAM] In Græco aliter ac melius: *Cupidi oculus non explebitur parte:* (quia scilicet totum cupit quod videt) *& mali hominis injustitia tabe consumit animam ipsius.* Id est, ipsum, ἑαυτὸν e tabe confin ere. Vide Psalm. XXII. 16. Cil. 4. 12. Proverb. XVII. 22. Zach XI. 17. Tabescit cruciatibus animi sibi male conscii. Apud Euripidem querente Menelao:

Ὄρεστα τλήμων, τίς σ' ἀπώλεσεν νόσος;

Respondet Oreites:

Ἡσυχία, δυοῖν συμφορᾶν δεῖν' ἐγγεγυημένοιν.

Inde *Diogenes* Cynicus *avaros* comparabat *hydropicis.* Sicut enim hi aqua; ita illi cupidine auri pleni distentique sunt. Ideo utrique amplius semper desiderant, & sitiunt, sed in sui pernitiem, & exitium.

Vers. 10.

OCULUS MALUS AD MALA, ET NON SATIABITUR PANE INDIGENS, ET IN TRISTITIA ERIT SUPER MENSAM SUAM] Conjunxit duas lectiones: nam ubi alii libri habent ἐπιπαῆς, ibi alii ἐπάνω. Sensus est: *Homo avarus* (is dicitur oculus malus Hebræis) *aliis invidet, etiam de pane, & in sua ipsius mensa, egenus est.* Juvenalis:

*----Nonne est manifesta phrenesis*
*Ut loculipe moriaris egentis vivere fato?*

Vers. 11.

FILI, SI HABES, BENE FAC TECUM] In Græco: *Fili pro modo rerum quas habes, tibimet ipsi benefac.* Partis utere.

*Ecclesiastis VI. 1. 2. 3.*

Conf. *Ecclesiastis c. VI. 1. 2. 3.* ubi dives avarus notatur, qui cum stultissima se parcitate crucians aliis devoranda conservet, ejusque anima cupiditate, & avaritia contabescat, multo deteriorís conditionis sit abortivo illo, qui statim ut natus est, interiit. Ille enim nec bona nec mala vidit: Iste vero cum bona possederit, semper tristi cogitatione excruciatus est, ut habet ibidem Rabanus.

Vers. eod. ET DEO DIGNAS OBLATIONES OFFERT] In Græco: ἀξίως, digne, id est, pro ratione facultatum. Sic ἀξίως ἀδικεῖν dicunt Græci, pro modo injuriæ.

Non enim ita nobis beneficiarius, ut interim in Dei cultu promovendo simus negligentes. Conf. *Num. XIIX. 29. Mal. III. 10.*

Vers. 12.

ET TESTAMENTUM INFERORUM QUIA DEMONSTRATUM EST TIBI] In Græco: *non demonstratum est tibi.* Id est, diem sepulturæ tuæ non nosti. Diem autem vocat διαθήκην, i. e. est, pactum, quia pacta solent ad certam diem fieri, ut in locationibus.

Vers. 13.

ET SECUNDUM VIRES TUAS EXPORRIGENS DA PAUPERI] In Græco: *da ipsi:* id est, amico, sed interpres sensum fecit magis Christianum.

Vers. 14.

NON DEFRAUDERIS A DIE BONO] Dies festos lætus celebra, ut mos erat Judæis.

ET PARTICULA BONI DONI NON TE PRÆTEREAT] *Particula bene desiderata ne à te abeat.* μερίδα particulam vocat id quod edule est, Esther IX. 22. ubi eiborum partes dixit Hieronymus. Sic & Plutarchus Agesilao: διέπεμψε μερίδας τοῖς φίλοις. Usurpat sic & Athenæus, & alii.

Vers. 15.

NONNE ALIIS RELINQUES DOLORES ET LABORES TVOS IN DIVISIONE SORTIS] In Græco; *Nonne aliis relinques labores tuos, & fatigationes dividendas sorte,* ut inter hæredes fieri solet, qui propterea consortes dicuntur. Labores & fatigationes, id est, parta labore ad lassitudinem tolerato.

Vers. 16.

DA, ET ACCIPE, ET JVSTIFICA ANIMAM TVAM] Ἀγίασον τὴν ψυχήν σου: sed in aliis libris est ἀπάτησον. Veram lectionem puto, ἀγάπησον, *bene tenet multa.* Ita recte cohærebit, quod in Græco sequitur.

Vers. 17.

ANTE OBITVM TVVM OPERARE JVSTITIAM] Et hoc adjecit interpres.

QVONIAM NON EST APVD INFEROS INVENIRE CIBVM] Quem aut des, aut accipias. In Græco est: *quærere cibum,* id est, comparare.

Nazianzenus in Monostichis:

Βίῳ τὸ κερδᾶν, σκηνῇ καθ' ἡμέραν.

*Vitæ lucrum sit quotidie vitæ excedere & mori.*

Item in distichis: *Ossa nuda spectata nos admoneant, ne quid vitæ hujus nobis proprium ac certum esse credamus.* Etiamsi vero illud ἀγίασον retineamus, nihilhic pro merito operum, vel eleemosynæ, ut Tirinus & Cornelius volunt, id tantum significari agnoscit *Iansenius,* ut quis dum vivit, bonis suis fruatur; & Menochius recte hæc exposuit: *Dum opes juste, misericorditer & sancte expendis, per hanc justitiam & misericordiam sanctificas animam tuam.*

Vers. 18.

OMNIS CARO SICVT FOENVM VETERASCIT] In Græco: *sicut vestimentum.* Bene ex Psalm. CII. 27. quo respicit & scriptor ad Hebræos I. 11.

ET SICVT FOLIVM FRVCTIFICANS IN ARBORE VIRIDI] Hic præcedit in Græco: ἡ γὰρ διαθήκη ἀπ' αἰῶνος, θανάτῳ ἀποθνῄσκε: *hæc enim lex ab omni ævo scripta est: omnino morieris.* Voce διαθήκης non pacta tantum, sed & leges comprehendi diximus initio Annotatorum ad Evangelia. Sic scriptor Octavi legem vocat, *quod natum est poterit mori.* Euripides:

Πᾶσιν γὰρ ἀνθρώποισιν ὅσα πρὸς θεῶν
ἥκῃ κἀφάνιστ', κατθανεῖν τ' ὀφείλεται.

ET SICVT FOLIVM FRVCTIFICANS IN ARBORE VIRIDI] *Nascens, frondens.*

Οἵη περ φύλλων γενεή, τοίνδε καὶ ἀνδρῶν.

Ait Homerus, & ex Homero Simonides. Mimnermus:

Ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φύει πολυάνθεμος ὥρη

Ηϕ.

Vers. 19.

ALIA GENERANTVR, ET ALIA DEJICIVNTVR; SIC GENERATIO CARNIS ET SANGVINIS, ALIA FINITVR, ET ALIA NASCITVR] Mos est Hebræis, quoties humanam infirmitatem significare volunt, dicere בָּשָׂר וְדָם, caro & sanguis. Sensus par in istis Euripidis:

---ἀναγκαῖόν δ' ἦν
βίον διῃρῆσθαι, ὡς τὰ πάντιμοι ψυχαὶ

Vers. 20.

OMNE OPVS CORRVPTIBILE IN FINE DEFICIET] In Græco: *Omne opus putrescendo deficit:* id est, paulatim, ut ea quæ putrescunt.

ET

ET QUI ILLUD OPERATUR IBI CUM ILLO] *Abibit.* Sic Phœdrus:

*Abiturus illuc quo priores abierunt.*

Vers. 21. ET OMNE OPUS ELECTUM JUSTIFICABITUR] Hoc quoque comma interpres Latinus addidit.

Homo viator.

Conf. *Ecclesiastis IX. 10. Viator Homo est*, inquit Ephrem Syrus tract. de morte, in hac vita: *Omnia præteris, omnia à tergo relinquis.* Arabum Proverbium Cent. II. n. 13. hoc est; *opera & mundus transibunt, & durabunt opera bona.* Ideo monent Centur. II. n. 44. *Accende lucernam tuam ante tenebras*, id est illumina te operibus bonis, antequam superveniat tibi mors. Conf. *Gal. VI. 9. 10.*

Vers. 22. BEATUS VIR QUI IN SAPIENTIA MORABITUR, ET QUI IN JUSTITIA SUA MEDITABITUR, ET IN SENSU COGITABIT CIRCUMSPECTIONEM DEI] Variant hic mire Græca. Vera lectio videtur ista: μακάριος ἀνὴρ ὃς ἐν σοφίᾳ μελετήσει, καὶ ὃς ἐν συνέσει αὐτῆς διαλογισθήσεται. *Beatus vir, qui sapienter meditabitur, & in mente sua disseret.* Voces καὶ καρδίᾳ αὐτοῦ additæ sunt, ut intelligereur quæ sit vera sapientia.

Vers. 23. QUI EXCOGITAT VIAS ILLIUS IN CORDE SUO] Vias suas: nam αὐτοῦ hic est pro reciproco: id est, qui actionibus suis attendit.

ET IN ABSCONDITIS SUIS INTELLIGENS] *Et arcana ejus* (αὐτοῦ, nempe sapientiæ) *cognoscit.*

ET IN SENSU COGITABIT CIRCUMSPECTIONEM DEI] Abest in Græco.

VADENS POST ILLAM QUASI INVESTIGATOR] In Græco: *Vade.* Investigatorem dicit interpres, venatorem: nam & investigare verbum est tractum à venatoribus, qui feratum vestigia quærunt.

ET IN VIIS ILLIUS CONSISTENS] In Græco: *Viis ejus insidias pone.* Id est, hac omni modo eam deprehendas: ea utere diligentia, qua exploratores solent.

Vers. 24. QUI RESPICIT PER FENESTRAS ILLIUS, ET IN JANUIS ILLIUS AUDIENS] *Et adjumine illius auscultat.* Construuntur pariter participium ὁ παρακύπτων, & futurum ἀκροάσεται, quia in secundo membro subintelligitur pronomen *qui*, more Hebræo. παρακύπτειν dicitur qui per januam vel fenestram prospectat ex domo, vel in domum. Hic in domum intelligendum est, ut omnia scrutetur. Confer quæ infra XXI. 26.

Conf. *Prov. IIX 34.* Cur vero v. 23. non retineamus VIAS ILLIUS? Quia id poscant Græca: ὁ διανοούμενος τὰς ὁδὸς αὐτῆς. *Qui attendit viis illius* (sapientiæ sc.) *in corde tuo*, ut viam Dei & voluntatem Divinam in verbo Dei comprehensam cognoscat: uti additur: *& arcana ejus* (Sapientiæ) *cognoscit. Vade post illam* (Sapientiam) *ut investigator, & in viis illius consiste*, id est, investiga eam magno studio, atque insiste vestigiis ejus, ut eam invenias.

Vers. 25. QUI REQUIESCIT JUXTA DOMUM ILLIUS] *Qui diverticatur juxta domum illius*: i. e. facit ut ei semper sit vicinus.

ET IN PARIETIBUS ILLIUS FIGENS PALUM, STATVET CASVLAM SVAM AD MANUS ILLIUS] Idem sensus qui in præcedenti. *Ad manus illius* יד, id est, proxime. Pro *casulam*, in Græco est σκηνὴν, tentorium. Solebant tentoriorum funes ad paxillos alligari. Exodi XXXV. v. 17. Judic. IV. 21. Esa. XXXIII. 20. LIV. v. 2.

ET REQVIESCENS IN CASVLA ILLIUS BONA PER ÆVVM] In Græco: *Is diverset in diversorio bonorum pleno.* Nam καὶ qui more hebraico est vice pronominis respondentis relativo *qui.*

Vers. 26. STATVET FILIOS SVOS SVB TEGMINE ILLIVS] id est, ejus tutelæ liberos etiam suos commendabit.

ET SVB RAMIS EJVS MORABITVR] Quasi *patulæ recubans sub tegmine fagi.*

Vers. 27. PROTEGETVR SVB TEGMINE ILLIVS A FERVORE] Similitudo sumpta à nube illa quæ Israelitas deducebat per solitudinem. Vide Sap. X. 17. ubi eadem vox ἐκσκιάζω.

ET IN GLORIA EJVS REQVIESCET] *In gloria ipsius diverticabitur*: id est, videbit ejus Majestatem. Hic alluditur ad ignem illum, qui de nocte præluebat Israelitis: neque enim rarum ut ignis cœlestis dicatur כבוד, id est, δόξα. Exod. XXIV. 17. Lev. IX. 6. & 23.

Osiander hunc sensum reddit: *Sapientia verbi Dei efficiet, ut homo maxima pericula animæ & corporis effugiat, & hominem pium, venerabilem & gloriosum faciet.* Non abnuimus tamen interpretationi Grotianæ.

## CAPUT XV.

*Fructus Sapientiæ cœlestis, quæ vero fugit homines prophanos, neculli à Deo denegatur; Qui nemini causa erroris est, hominemque ab initio liberum creavit.*

Vers. 1. QVI TIMET DEVM FACIET BONA] In Græco: *Faciet illa*, nempe de quibus jam cœpit fieri sermo; nam male hæc ablata sunt à præcedente capite.

ET QVI CONTINENS EST JVSTITIÆ, APPREHENDET ILLAM] κ. ὁ ἐγκρατὴς γνήσιον νόμιμον, ἐπόμενον αὐτῷ. *Qui compos est scientiæ legis, is eam* (Sapientiam de qua actum modo) *sequetur.* De significatione vocis ἐγκρατὴς vide dicta supra VIII. 21.

Vers. 2. QVASI MATER HONORIFICAT] ἐπιδέξεται hoc in Græco abest

ET QVASI MVLIER A VIRGINITATE SVSCIPIET ILLVM] ὡς γυνὴ παρθενίας, ut uxor ducta virgo, καρδίᾳ ἁλοχῷ, Homero. Solent enim ardentius diligere virum fœminæ, nullum alium expertæ.

Vers. 3. CIBABIT ILLVM PANE VITÆ ET INTELLECTVS] In Græco tantum est: *pane intelligentiæ:* Sed illud *vitæ* ex Evangelio additum.

ET AQVA SAPIENTIÆ SALVTARIS POTABIT ILLVM] *Aquam sapientiæ dabit illi potandam*: nam & hic *salutaris* additum ab interprete.

Vers. 4. ET FIRMABITVR IN ILLO ET NON FLECTETVR: ET CONTINEBIT ILLVM, ET NON CONFVNDETVR] Forte scripserat interpres *illa & illam*, quomodo est in Græco, unde recte versus copulativa conjunctione reddita secundum sensum quem sæpe apud Hebræos habet: *inimicus illi non mobilitatur de statu: illi se tenens, non pudebit.*

Vers. 5. ET EXALTABIT ILLVM APVD PROXIMOS SVOS] *Efferet eum* (Sapientia) *supra æquales suos*, nam est hit, παρὰ τοὺς ὁμοίους.

ET IN MEDIO ECCLESIÆ APERIET OS EJVS] Id est, faciet ut loqui possit coram populo, aut senatu. Verumque enim significari solet voce קהל, quæ modo συναγωγὴ, modo ἐκκλησία redditur.

ET ADIMPLEBIT ILLVM SPIRITV SAPIENTIÆ ET INTELLECTVS, ET STOLA GLORIÆ VESTIET ILLVM] Desunt hæc in Græco: sumptum ex loco qui supra VI. 31.

Vers. 6. JVCVNDITATEM ET EXVLTATIONEM THESAVRIZABIT SVPER ILLVM, ET NOMINE ÆTERNO HÆREDITABIT ILLVM] *Lætitiam & gaudii coronam indipiscetur, & nomen perpetuum ei jure hereditario dabit.* Gaudii corona est illa, quæ fumitur diebus nuptiarum, aut solemnibus, ut dictum supra VI. 31. Hæreditabit, κατακληροδοτήσει, hic significet, hæreditario jure habit illi, nempe sapientia, quo sensu sæpe fumitur נחל, & verba similia. Vid. Deut. III. 28.

De Sapientia in verbo Dei revelata.

CONf. *Prov. III. 18. Sap. IIX. 13.* Vera cœlestis sapientia, in verbo Dei revelata hominem instar cibi & potus recreat, & qui ei innititur tanquam firmo scipioni non confundetur, sapientia vera autoritatem homini conciliat. Efficit, ut sapienter & cordate de rebus maximis in conventu hominum disserere possit: multam illi jucunditatem & gloriam affert.

Vers. 7. ET HOMINES SENSATI OBVIABVNT ILLI] *Et* hic positum pro *sed.*

A SVPERBIA ET DOLO] *Et dolo* abest in Græco, Sensus autem idem in sequentibus.

Vers. 8. VIRI MENDACES NON ERVNT ILLIVS MEMORES] Non sentient eam. Est *paronomasia.* Cetera quæ Latinus Codex habet in hoc commate absunt à Græco.

Vers. 9. NON EST SPECIOSA LAVS IN ORE PECCATORIS] ὡς ὑγιὲς ἄσμα ἐν στόματι ἁμαρτωλοῦ. Est desumptum hoc ex Prov. XXVI. 7. ubi παροιμιῶδες, quod hic ἄσμα. In Terentio est: *Etiam sententias loquitur carnifex.*

Vers. 10. QVONIAM A DEO PROFECTA EST SAPIENTIA] *Quoniam non à Deo venit:* nempe sententia quam homo flagitiosus eloquitur, Natat in labris, non est in corde,

SAPIEN-

SAPIENTIÆ ENIM DEI ADSTABIT LAUS, ET IN ORE FIDELI ABUNDABIT, ET DOMINATOR DABIT EAM ILLI] Ex Græco, mutatis in perfectum locutione Hebraica, fic reddas: *si sapienter* (ex pio animo) *enunciatur sententia, Deus eam prosperabit.* Efficiet ut non sit inutilis prolata à digno auctore.

Conf. *Sap. I. 4. Matth. XI. 26. Luc. III. 17. Am. V. 23.* ad quem locum *Hieronym. carmina*, inquit, *si bonis versibus dirigamus, audiuntur à Domino: si malis, concludit aures suas, & impiorum cantica non dignatur audire.*

Vers. 11. NON DIXERIS, PER DEUM ABEST, QUÆ ENIM ODIT NE FECERIS] Legit ἀπεστη, & recte, ni fallor, continuatur enim sermo hunc in modum: ne dixeris per Deum fieri quod abest à te (sapientia:) *tu enim non faceres* (id est non debebas facere: ut, Actu dictis Albanæ maneres) *quod ipse odit.* Non Deus sua sponte, sed tu per vitam flagitiosam sapientiæ ad te præcludis aditum. Vide vers. 7. & 8.

Vers. 12. NON DICAS: ILLE ME IMPLANAVIT, NON ENIM NECESSARII SUNT EI HOMINES IMPII] Legit ἐπλάνησε, ut quidam habent libri. At alii ἔπλασε, sensu valde conveniente huic loco. *Neque dixeris, ille me finxit:* ineptum nempe ad vitam probam: nam Deus non opus habet hominibus flagitiosis, ut ob id cogatur eos formare ad virtutem inhabiles. Sic respondet illis qui putant vitia ne effario & insanabiliter sequi ex temperamento corporis.

Vers. 13. OMNE EXSECRAMENTUM ERRORIS ODIT DOMINUS] πᾶν βδέλυγμα ἐμίσησεν ὁ κύριος. *Omnem rem per se fœdam odit Deus*, quales sunt idololatria, perjurium, adulterium, stuprum, cædes, furta, calumniæ, fraudes.

ET NON ERIT AMABILE TIMENTIBUS EUM] Sunt enim ex Deo geniti: id est, indolem habent factam ad divinæ bonitatis exemplar,

Vers. 14. DEUS AB INITIO CONSTITUIT HOMINEM] Id est, ab initio nasci facit homines boni malique ignaros.

ET RELIQUIT ILLUM IN MANU CONSILII SUI] Dimittit illum ut potestatem habeat consilium capiendi, quod sibi sit utile, vel inutile. Manus Hebraïs potestatem sæpe significat. Est hic Aoristus pro quovis tempore. Agitur enim de formatione hominis cujusque & de iis quæ postea adolescente ætate consequuntur, quod & sequentia ostendunt.

Vers. 15. ADJECIT MANDATA ET PRÆCEPTA SUA] Non est hoc in Græco, sed additum est melius connectendo sensu.

Vers. 16. SI VOLVERIS MANDATA SERVARE, CONSERVABVNT TE, ET IN PERFETVVM FIDEM PLACITAM FACERE] Etiam hic aliqua addita sunt. In Græcis legitur: ἐὰν θέλῃς συντηρῆσαι ἐντολὰς τηρήσει σοῦσιν εὐδοκίας. Male in quibusdam codicibus, συντηρήσεις, quod ostendit sequens verbum ποιήσει. Virumque pendet à præcedente, αὐτὸς αὐτὸν: dedit illi potestatem, si velit, faciendi mandata, & fidem implendi, quæ Deo placent. Confer quod supra est l. 24. πίστις εὐδοκίας, Hebraïca locutione, id est, εὐδοκητός.

*De quo hominis statu hæc agant?*

Rectius Osiander: *refutari eos, qui scelerum suorum causam ad Deum referunt, q. fato quodam impulsi aliter agere nequeant.* Deus, inquit, ab initio *in libertatem* constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui: id est, primus homo cum libertate creatus est, ut posset præceptum Dei servare, vel non servare. De homine enim secundum *statum naturæ integræ*, quando nondum erat servus peccati hæc agere agnoscit ex mente *Augustini*: in hypognost. *Thomas* 2. 2. q. 109. art. 8. ad 3. ut & *Iob. Driedo* l. 11. de grat. & lib. arbitr. tr. 2. *Iosephus Angles* in Floribus in 2. sent. dist. 24. & 25. q. unic. differ. 4. de subject. libr. arbitr. *Cornel. Iansen.* in Comment. ad h. l. nec id diffiteatur *Tirinus* in h. l. *Bellarm.* l. IV. de grat. & lib. arbitr. c. 7. Perperam ergo hinc *Papistæ liberum arbitrium post lapsum* excelpunt; nisi id cum Thoma Part. I. q. 22. art. 2. ad 4. & Estio in 1. sent. Dist. 40. sect. 10. ad 2. restringatur: *In hoc quod „dicitur Deum hominem sibi reliquisse, non excluditur homo à Divina providentia, sed ostenditur, „quod non ei profligatur virtus operativa determinativa ad unum sicut rebus naturalibus*, vel *liberum arbitrium* accipiatur de *potentia quoad civilia*, non *supernaturalia & spiritualia*, vel de potentia *passiva*, quod homo subjectum θεκτικὸν sit divinæ gratiæ, per quam potest bene velle, quum per naturam servus sit peccati, & tantum pronus ad malum, imo mortuus in peccato. Uti *Concilium Arausican.* cap. 1. definivit *tales Pelagii errore deceptos Scripturæ contradicere, qui negant animam hominis per peccatum libertate lesa, factum esse servam peccati.* Totius sententiæ Syracidis hanc reddit explicationem è contextu Osiander: *Deus initio humanum genus creavit sine peccato: itaque nulla illi culpa imputari potest, quod homines sunt prani & scelesti: quia peccatum non est à Deo, sed à Diabolo, & voluntate hominis, qui se à Deo avertit, & lapsus est: cum tamen stare in sua innocentia potuisset si voluisset. Sed & post lapsum Ade reliqua est aliqua libertas in hominibus non renatis, ut possint ab externis sceleribus (verbi gratia ab homicidio vel adulterio) abstinere: quæ tamen libertas Satanæ impulsu sæpe impeditur. Et in renatis talis est libertas voluntatis humanæ, ut ductu Spiritus Sancti possint à flagitiis abstinere, Deoque obedientiam præstare: quæ tamen obedientia in hac vita non est perfecta, aut omnibus numeris absoluta.*

*Contra Pontif. liber. arbitr. hinc pendentes.*

*Tirinus* omnia etiam v. 17. & 18. explicat de *statu integritatis*: Et exclamat tamen postea: *an possent certius aut clarius exprimi, aut magis graphice depingi liberum arbitrium adversus hæreticos* (ita nos vocat hæreticus) *arbitrium?* Quum tamen nemo nostrum neget, Adamum in prima creatione ut statu integritatis liberum habuisse arbitrium, sed de statu post lapsum quæstio sit.

*Tirini ἐναλλαγὴ.*

Vers. 17. APPOSVIT TIBI IGNEM ET AQVAM] Ostendit esse aliquam in προαιρέσει libertatem, suppositis primum auxiliis necessariis. Denter. XXX. 19. Jos. XXIV. 15. Ignis & aqua plurimum inter se distant: sic & vita secundum cupidines, quæ perigunt significantur, & secundum innocentiam, quæ per aquam.

AD QVOD VOLVERIS PORRIGE MANVM TVAM] Sume utrum vis, sed tuo bono aut malo, ut sequetur.

Vers. 18. ANTE HOMINEM] Id est, exposita sunt homini. Id enim sæpe significatur per ἔναντι.

VITA] Felix secundum promissa legis.

ET MORS] Violenta aut immatura, aut etiam vita misera, quæ non raro mortis nomine appellatur.

QVOD PLACVERIT ET DABITVR ILLI] αὐτὸ ἐκλεκτὸν θεοῦ ἐστὶ καὶ ἀπονεῖμαι. *Ait Plato.*

Vers. 19. QVONIAM MVLTA SAPIENTIA DEI, ET FORTIS IN POTENTIA, VIDENS OMNES SINE INTERMISSIONE] In Græco: *Quia multa Dei sapientia, ipse vero validus potentia, & cuncta afficiens.* Sapienter eam homini dedit libertatem, quæ præmio aut pœnæ locum faceret. Potens est ad reddenda præmia & pœnas, quanta vult, nemine prohibente. Videt non actiones tantum, sed & cogitata, unde præmia illa & pœnas justissime dispensat.

V. 20. OCVLI DOMINI AD TIMENTES EVM] Deus sui reverentes respicit, id est, peculiariter curat. Desumtum ex Psalm. XXXIII. 18.

ET IPSE AGNOSCIT OMNEM OPERAM HOMINIS] *Cognoscit de omnibus hominum factis.* Hoc est, quod dicit Salutius, omnium mortalium vitam divino numine invisi, neque bonum, neque malum facinus cujusquam pro nihilo habeti.

Vers. 21. NEMINI MANDAVIT IMPIE AGERE] Id est, nemini necessitatem imposuit vivendi impie. Coharet enim hoc cum cœptis dici supra v. 12.

ET NEMINI DEDIT SPATIVM PECCANDI] In Græco est: *Nemini dat peccandi licentiam*, sive, ut Tertullianus loquitur, omni eatum delinquendi. Nemini impunitatem promisit peccare pergenti. Prohibet peccare quantum prohiberi id potest, relicta homini libertate.

Vers. 22. NON ENIM CONCVPISCIT] Hoc non est in Græco, & videtur repetitum ex 20 quod sequitur.

Hæc quæ v. 14. 15. 16. 17. habentur, rectius de statu integritatis ex ipsimet Jesuitis exposuit *Tirinus*, cujus paraphrasin nunc adducere juvat

DEUS:

DEUS AB INITIO CONSTITUIT HOMINEM, *id est, creavit & plasmavit hominem. Hoc fateor & est verum, sed non creavit peccatorem, vel hominem infectum peccatis, sed liberum ab omni peccato, ornatum gratia & justitia, & tot aliis donis. Nec aliud optabat, quam ut perpetuo maneret in isto felici statu, tam ipse, quam omnes posteri ipsius. Noluit tamen ad id cogere, & violente necessitare eum, qui ex natura sua liber erat. Ergo* RELIQUIT ILLUM IN MANU CONSILII SUI, *& liberam naturam permisit libere agere quicquid posset & vellet. Tantum ut ostenderet se Dominum illius esse, simulque ut fidem servi sui exploraret.* V. 15. ADJECIT MANDATA ET PRÆCEPTA SUA, *puta legis naturalis, & quadam etiam legis positivæ, v. g. de non comedendo tali pomo, &c. Porro hæc præcepta dedit homini non frustra, vel in vanum, sed ad maximum ipsius, si vellet commodum & bonum.*

Vers. 16. SI VOLUERIS MEA MANDATA SERVARE, *uti facillime potes, & jure debes, & ita* IN PERPETUUM FIDEM, *id est, fidelitatem, mihi* PLACITAM *& gratam* FACERE; *ipsa vicissim mandata* CONSERVABUNT TE *in hoc felici statu, nec te solum, sed & omnes posteros tuos. Subaudi: Quod si nolueris illa servare, peribis tu & posteri tui. En ergo apposita tibi, bonum & malum, vitam & mortem.*

## CAPUT XVI.

*De impiis liberis, & piis ac pravis civibus, pœnisque impiis olim inflictis, & remuneratione bonorum operum, & quomodo creaturæ irrationales ordine suo Epicureorum atheismum convincant.*

Vers. 1. NE JUCUNDERIS IN FILIIS IMPIIS SI MULTIPLICENTUR] *Ne desidera multitudinem liberorum inutilem,* nulli bono. Euripides de liberis:

Καὶ γὰρ κακοὶ γίγνονται, πολλὰ τῶν τόκων.

Vers. 2 NON CREDAS VITÆ ILLORUM] *Fragilitate crede juventæ.* Multi ante diem cadunt.

ET NE RESPEXERIS AD LABORES EORUM] *Neque eorum turbæ instere:* id est, eo validum te puta... Vide Psalm CXXVII. 45. Niobe apud Ovidium prolem suam jactans:

*---- tutam me copia fecit:*
*Major sum quam cui possit fortuna nocere.*

*De liberis pii, vel impii.*

UT summa felicitas & voluptas, habere liberos pios, & florentes, τοὺλεις οἰκῶν, ἢ ὀφθαλμὸς εἶτε, *columnas domuum, & oculos vitæ:* ita tursus acerbissimus parentum dolor ex impietate & sceleribus natorum existit. Qualis fuit in primis parentibus, cum scelus filii Cain aspexerunt, aut in *Jacobo* Patriarcha, vel *Davide* Rege, vel *Augusto* Cæsare, qui filiæ & neptis turpitudinem detestatus hunc versum sæpe usurpare solitus est:

Αἰτ' ἄφιλοι γ' ἄγαμοι τ' εἶμεν, ἀγονοι τε τεκνοισι.

*O utinam aut cælebs mansissem, aut prole carerem.*

Vers. 3. MELIOR EST ENIM UNUS TIMENS DEUM, QUAM MILLE FILII IMPII.

*De piis.*

Consonat *Philo* libr. de Decalogo: *unumquemque dum DEO paret & legibus, æquari frequentissimo populo, vel potius omnibus gentibus, imo mundo universo.*

Vers. 5. AB UNO SENSATO INHABITABITVR PATRIA] *Per unum cordatum frequens habitabitur urbs.* Ut per Thesea Athenæ, per Romulum Roma.

TRIBUS IMPIORUM DESERETUR] *Familia impiorum exstirpabitur.* ἐρημωθῇ proprie terris competit: familiæ per figuram.

Vers. 6. ET FORTIORA HORUM AUDIVIT AURIS MEA] His majora ex historiis didici.

Vers. 7. IN SYNAGOGA PECCANTIUM] ubi populus est flagitiosus.

EXARDEBIT IGNIS] Id est, ultio divina, quæ per ignem exprimi solet, ut Psalm. X. 7. & alibi.

ET IN GENTE INCREDIBILI] ἀνοήτῳ, ubi gens est in Deum contumax.

Vers. 8. NON EXORAVERUNT PRO PECCATIS SUIS ANTIQUI GIGANTES] In Græco: *Non placatus est* (id est, non condonavit Deus) *primis Gigantibus:* id est, hominibus Noæ coævis: in qua historia נְפִלִים sunt γίγαντες, LXX. interpretibus.

QUI DESTRICTI SUNT CONFIDENTES SUÆ VIRTUTI.] παρρησίᾳ, quales solent describi gigantes, Sap. XIV. 6. sed qui *destructi sunt*, in Græco est, ἀπέστησαν, id est, à Deo defecerunt.

Vers. 9. ET NON PEPERCIT PEREGRINATIONI LOT] Non pepercit loco incolatus Loti. Id enim παροικία. Vide Luc. XXIV. 18

ET EXSECRATUS EST EOS] *Eos* refertur ad id quod subintelligitur, id est, *terræ illius habitatores.*

PRÆ SUPERBIA VERBI ILLORUM] In Græco: *ob superbiam ipsorum.* Bene nominavit superbiam, ut & Ezechiel de iisdem hominibus agens XVI. 49 quia ex superbia, id est, Dei contemtu, cætera illorum crimina ortum trahebant.

Vers. 10. NON-MISERTUS EST ILLIS GENTEM TOTAM PERDENS] *Non miseratus est gentem exitii:* id est, exitio devotam, quomodo Judas ὡς ἀπολλύειν. Joh. XVII. 12. Vide quæ dixi nus ad 2. Thess. II. 3.

ET EXTOLLENTEM SE IN PECCATIS SUIS] In Græco: τὸν ἡγούμενον ἐν ἁμαρτίαις αὐτῶν ὡς ἔτσιν: ita enim in Sixtina, non ut in aliis, ἐξεχεύοντα. *Elatos in peccatis quæ committebant:* id est, aperte se jactantes de sceleribus suis. Gen. XI. 5. 9.

Vers. 11. ET SICUT SEXCENTA MILLIA PEDITUM QUI CONGREGATI SUNT IN DURITIA CORDIS SUI: ET SI UNUS FUISSE CERVICATUS, MIRUM SI FUISSET IMMVNIS] Græca lectio in multis editionibus hinc additamentis quibusdam plane corrupta est. Optime habet Sixtina editio: πρὸ τοῦ ἐξακοσίας χιλιάδας πεζῶν τὰς συνηγμένας ἐν σκληρότητι καρδίας αὐτῶν. καὶ εἰ ἦν εἷς σκληρυνόμενος, θαυμαστὸν τοῦτο εἰ ἀθῳωθήσεται. *Part modo sexcenta peditum millia, qui duro corde inter se cohærerunt:* (nempe miseratus non est, ex superioribus) *quanto magis si unus aliquis sit turbidosus, mirum esset si ipse parceretur.* Quid non metuere debent singuli contubernales, cum de sexcentis millibus qui ex Ægypto exesserant, præter Levitas, (Num. I. 45.) nulli promissa acceperint, excepto Josue & Caleb? Num. XXVI. 5. Peditum, id est, qui arma ferre possent: nam mulieres, & inutilis ætas erat extra illam summam, ut videre est dicto loco Num. I. 45. Hi omnes dicuntur convenisse duro corde, id est, pariter omnes fuisse inobsequentes: ita ut

*In facinus jurasse putes,*

Alii vitulum coluerant, alii Deo oblocuti fuerant carnium desiderio, alii explorationem relatu territi defectionem cœperant, alii cum Core sociisque ejus moverant seditionem, alii sitis non tolerantes animum desponderant, alii cum Madianitidis feminis se corpore cultuque miscuerant. ἀθῳόω est proprie facere innocentem: sed, locutione Hebræis frequentata, tractare quasi innocentem, id est, parcere. Vid. Sap. I. 6. & supra XI. 10. XII. 16. respondet Hebræo נָקָה, ut Jerem. XVIII. 23. & נִקָּיוֹן ut 1. Sam. XXVI. 9. Prov. VI. 29. XVI. 5. XVIII. 20. Jer. XLVI. 27. XLIX. 11. Joel. III. 21. Nahum. I. Vide quæ diximus ad Jacobi II. 21.

Vers. 12. MISERICORDIA ENIM ET IRA EST CVM ILLO] Apud illum, id est, non tantum parcere novit, sed & irasci, ubi opus est.

POTENS EXORATIO, ET EFFVNDENS IRAM SECVNDVM MISERICORDIAM SVAM] *Cito potens placationum* (id est, valde placabilis) *& cito effundens iram.* Illud *cito* ostendit mutato homine statim mutari etiam sortem ipsius apud Deum. Vide Jerem. XVIII. 7. & sequentibus.

Vers. 13. SECVNDVM MISERICORDIAM SVAM, SIC CORREPTIO ILLIVS] In Græco: *Sicut magna est ejus misericordia, ita & magna ejus castigatio.*

SECVNDVM OPERA EJVS IVDICAT] *ejus* hic valet conjunctæ. Desumtum ex Psalm. LXII. 13. Opera & hic & ibi sumuntur pro consuetudine aut proposito agendi.

Præclare *S. Basil.* in Ps. XXXII. *Hæc intra se conjugata sunt, misericordia & judicium, ut neque misericordia sola securitatem indicat, nec judicium solum desperationem operetur.*

Vers. 14.

Vers. 14. NON REFUGIET IN RAPINA PECCATOR] Id est, peccator rapere solitus pœnam non effugiet.

ET NON RETARDABIT SUFFERENTIA MISERICORDIAM FACIENTIS] Sufferentiam solet dicere ὑπομονήν. Sed hic est μετανοημία. nam per sufferentiam intelligitur id quod exspectatur cum patientia, Liberatio scilicet à malo. Εὐσεβῆς, id est, pii, vertit interpres *misericordiam facientis*, quia vox εὐσεβὴς interdum sic sumitur, & ita recte id nomen opponitur raptori.

Vers. 15. OMNIS MISERICORDIA FACIET LOCUM UNICUIQUE SECUNDUM MERITUM OPERUM SUORUM] In Græco: *Omni misericordiæ da locum, quisque enim secundum facta sua reperiet*: pœnam nempe aut præmium. Dare locum huic scriptori est imaginare, ut apparet infra XXXVIII. 14. ποίησον loco hic recte, non alibi, σκέπον.

*An hinc merita probentur?* Temere ergo ex hoc loco Papistæ *merita* astruunt: quia in textu Græco nihil de operum merito: sólum quisque *secundum opera* *a reperturus* dicitur: ἕκαστος κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐυρήσει. Vocula autem *secundum* de *qualitate* usurpatur, non de æqualitate, quæ in *merito* requiritur: Quo de *Gregor. M.* in Psl. VII. pœnit. *Misericordia Domini ab æterno usque in sæculum super timentes eum. Quod si illa sanctorum felicitas misericordia est, & non meritis acquiritur, ubi erit, quod scriptum est*, & tu reddes unicuique secundum opera sua? *Si secundum opera redditur, quo misericordia æstimabitur? sed aliud est*, secundum opera reddere, *aliud* secundum merita operum, five propter opera reddere. *In eo enim, quod secundum opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur, ut cujus apparuerint opera bona, ejus sit & retributio gloriosa. Illi namque beatæ vitæ, in qua cum Deo ac è Deo vivitur, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari, præsertim cum dicat Apostolus*: Non sunt condignæ passiones.

Vers. eodem. ET SECUNDUM INTELLECTUM PEREGRINATIONIS IPSIUS] Deest in Græco: Contra desunt in Latino quæ in Græcis quibusdam libris reperiuntur: Καὶ κατὰ ἐπιλογισμὸν φρονεῖ μὴ ἐιδέναι αὐτὸν, ὅτως ἀν γνώσῃ ἐιτερήματα αὐτοῦ ἐν πρώτοις πάσῃ τῇ κτίσει, τὰ ὀπίσω αὐτοῦ φανερὸν κ τὸ φῶς αὐτοῦ, κ τὸ σκότος ὑμῖρες τὸ διαμένον. Sed absunt hæc omnia in Sixtina, & revera huc non pertinent.

Vers. 16. NON DICAS, A DEO ABSCONDAR] Latebo Deo.

ET EX SVMMO QVIS MEI MEMORABITVR?] Id est, de meo cogitabit, ut supra VII. 38.

Vers. 17. IN POPVLO MAGNO NON AGNOSCAR] In tanta hominum multitudine,

QVÆ EST ENIM ANIMA MEA?] Id est, quid ego sum?

IN TAM IMMENSA CREATVRA] Creaturam vocat omne humanum genus, ut Marc. XVI. 15.

Vers. 18. ECCE COELVM] Aër & stellata regio.

ET COELI COELORVM] Cœlum nobis inaspectabile.

ABTSSVS] Mare.

IN CONSPECTV ILLIVS COMMOVEBVNTVR] Vetus tragœdia:

Τήμει δ' ὄρη κἀγκρημνίαι, κἀκπαγίδες
Βοῦς δ' ἀκλάδους, κἀγκοι δ' ὑλῶν μέγα,
Ὅταν ἐπέλθῃ γαμφὸν ὄμμα ἀστράπτον.

Vers. 19. MONTES SIMVL ET COLLES] In Græco *montes* nominantur, non & *colles*. Præterea in Græcis libris multis inter id quod præcessit in Latino, & hæc verba, interjicitur: ἅπαξ ὁ κόσμος γεγονὼς κἀγενόμην ἐν θελήματι αὐτοῦ. Sed in Sixtina desunt hæc, ut conjicere licet aliunde inserta, ut in eclogis sæpe fit.

Conf. *Psl. CXXXIX. 7. Am. IX. 2. Sap. I. 10. Syr. XVII. 16. c. XXIII. 28. August.* in Medit. c. 10. *Cunctis actionibus meis perpetuus inspector* (Deus) *ex quo constat, quod licet facies ejus à nobis adhuc videri non possit, nunquam tamen possit ejus præsentia vitari.* Unde Boëtius, *magna*, inquit, *vobis incumbit necessitas bene agendi quia in conspectu judicis omnia cernentis cuncta agimus.*

Vers. 20. ET IN OMNIBVS HIS INSENSATVM EST COR: ET OMNE COR INTELLIGITVR AB ILLO] Longe aliter in Græco: καὶ ἐξέστη ἡ διανοοῦσα ἐν αὐτοῖς καρδία. *Digne de illis* (nempe operibus Dei quæ jam enumerata sunt) *cor* hominis *cogitare nescit.*

Vers. 21. ET VIAS ILLIVS QVIS INTELLIGIT?] Quanto minus possit homo intelligere divinæ providentiæ rationes ac vias?

ET PROCELLAM QVAM NEC OCVLVS VIDEBIT HOMINIS: NAM PLVRIMA EJVS OPERA SVNT IN ABSCONDITIS] In Græco, si locutionem Hebraam populariter exponas, sic est: *Procellæ, quam nullus videt oculus, opera plenaque sunt in absconditis.* Sed quæ sequuntur negationem hic exigunt. Procellæ causa & natura latet? Opera apparent, & ubique eversæ, dejecta saxa & tecta, commoti amnes & mare. Sic & Deus nobis per se incognitus, per opera apparet. κατοπτὴς (ea vox hic est in Græco) Aristoteli definitur πνεῦμα ἀνώδες τάσσον ἐξαίφνης. Vide infra XXXIII. 2. XLIII. 20. Respondet Hebraæ סערה, sed & vocibus aliis.

Vers. 22. SED OPERA JVSTITIÆ EJVS QVIS ENVNCIABIT, AVT QVIS SVSTINEBIT] Pari modo effectus justitiæ divinæ tanti sunt, ut neque omnes digne explicari ab homine possint, neque tolerari ab iis in quos incident, procellæ ritu.

LONGE ENIM EST TESTAMENTVM A QVIBVSDAM] *A quibusdam* non est in Græco. Διαθήκη hoc loco significat ordinem judiciarium, quo Deus utitur dum explorando homines, an sint famulatus: dum postremo, ubi mensura judicii impleta fuerit, exigendo pœnam. Pari sensu de humanis judiciis διαθήκην κρίματος dicitur infra XXXVIII. 43. Longe, inquit, remotus est à nostra cognitione ordo ille quo Deus utitur.

ET INTERROGATIO OMNIVM IN CONSVMMATIONE EST] ἐξέτασις ἁπάντων ἐν τελευτῇ. *Tandem tamen omnia* (malefacta) *punientur.* Ἐν τελευτῇ חקרית, id est, tandem, ut supra XI. 27. & alibi, ἐξέτασις, per μετανοημία, hic est ipsa pœna.

Vers. 23. QVI MINORATVR CORDE COGITAT INANIA] In Græco Sixtino: ἐλαττώμενος καρδίᾳ διανοεῖται ταῦτα: *Qui est exiguo corde* (id est, modestus ac submissus) *talia cogitat*: nempe quam miris modis Deus decreta sua disponat & exfequatur. καρδία hic, ut infra XL. 28. ἀνυψώσεως καρδίαν, nec aliter Deuteron. VIII. 14.

ET VIR IMPRVDENS ET ERRANS COGITAT STVLTA] *Homo temerarius* (אוין verti solet ἄφρων) *per errorem stulta cogitat*: nempe impune haberi fcelera, neque à Deo curari res humanas.

Hæc non male vi contextus ad *Epicureorum* ejusmodi cogitata atheistica: In genere de Prophanis alii explicant, h. m. *Homines prophani neque verbum Dei, neque ullas sanas admonitiones curant, sed in erroribus & scelcribus suis pergunt.*

Vers. 25.

DICAM IN ÆQVITATE DISCIPLINAM] Græce, ἐν κρίσει, tam recte quam recte libra indicat pondera: nam κρίσις hic idem est quod Hebraum משקל, id est, libra.

ET SCRVTABOR ENARRARE SAPIENTIAM] *Exacte explicabo scientiam ejus*, scilicet disciplinæ: ἀκριβῶς, ad amussim.

ET IN VERBIS MEIS ATTENDE IN CORDE TVO] Deest in Græco, & quæ sequuntur hoc commate.

Vers. 26.

IN JVDICIO DEI OPERA EJVS AB INITIO] *Quippe Dei opera ab initio judicio ipsius* dispositæ sunt: id est, Deus κρίσει dedit τῇ κτίσει.

ET AB INSTITVTIONE IPSORVM DISTINXIT PARTES ILLORVM, ET INITIA EORVM IN GENTIBVS SVIS] In Græco: *Ex quo ea fecit, distinxit partes eorum*: nempe ut unum orbem faceret terra & aqua, ut ei circumtenderetur aer, in summo essent ignes cœlestes.

*Nam cœlo terras, & terris abscidit undas,*
*Et liquidum spisso secrevit ab aëre cœlum.*

Vers. 27.

ORNAVIT IN ÆTERNVM OPERA ILLORVM] *Ordinavit in perpetuum opera sua*: id est, in perpetuum, dum stabit hoc universum, durare voluit magnas illas partes. Sequitur in Græco: καὶ ἐν χρείᾳ αὐτῶν εἰς γενεὰς γενεῶν. *Et imperia eorum* (id est, astra quæ rebus inferioribus præsunt) *in Dei potestate sunt in omnia sæcula.* Astra rebus præsunt, Deus astris. Εἰς γενεὰς γενεῶν, in omnia sæcula, etiam infra XXXIX. 12. ubi Hebraice, ברור דורים.

NEC

NEC ESVRIERVNT, NEC LABORAVERVNT) *Non defatigata sunt* eund. astra.

ET NON DESTITERVNT AB OPERIBVS SVIS) A cursu suo,

Vers. 28.

VNVSQVISQVE PROXIMVM SVVM NON ANGVSTIABIT VSQVE IN ÆTERNVM) In Græco: *Alterum non extrudit alterum* de loco suo, ut in turba scilicet fieri solet. Hebræa locutio est אישׁ את־רעהוּ. Mirum sane est, ὁ τῆ πάλαι τὰ stellas semper eundem inter se situm servare: nimirum lex hæc est ab opifice data.

Vers. 29.

NON SIS INCREDIBILIS VERBO ILLIVS) In Græco: *Nunquam inobsequentia erunt verbo ejus:* id est, astra semper Dei præscriptum sequentur. Vide Psalm. 104, 19.

Vers. 30. POST HÆC DEVS IN TERRAM RESPEXIT) *Post facta ista*, (astra scilicet) *Deus respexit terram.* Curam ejus ornandæ suscepit.

ET IMPLEVIT ILLAM BONIS SVIS) Frumento, vite, olea, rebusque aliis ad vitam aut necessariis, aut utilibus.

Vers. 31. ANIMA OMNIS VITALIS DENVNTIABIT ANTE FACIEM IPSIVS) Legit ἐκτρέξει, pro ἐκκλινεῖ, male; ψυχὴ, pro ψυχαὶ, bene. Vera lectio est, ψυχὴ πασῶν ζώων ἐκλινεῖ τὸ πρόσωπον αὐτῶν. *Anima omnis animantis textit superficiem ejus;* nempe terræ, de qua sermo præcesserat. Anima animantis omnis pro animante, locutio συνεκδοχικὴ ex Hebraismo. Sic Genes. 1, 21. נפשׁ חיּה רמשׂת.

ET IN IPSAM ITERVM REVERSIO ILLORVM) Animantia reditura sunt in terram, εἰς ᾅδην, in generalitatem.

Paulo aliter *Osiander* emendat Latinum textum, & explicat sensum: *Hæc absurde conversa hanc habent sententiam; Deus animam omnium animantium rursus in terram recondit, & in eam vita animantium revertitur: hoc est, animæ brutorum non sunt immortales, ut hominum: sed una cum corporibus intereunt. Tantisper enim vita fruuntur animalia, dum ea homini inservire possint: in altero autem seculo nullus erit animalium usus, ideoque non resurgent. Homo autem cum ad beatam immortalitatem sit creatus, merito dignitatem hanc suam agnoscere debet: ut ad cœlestem & æternam vitam se præparet.*

## CAPUT XVII.

*Opera Dei persequitur autor, ut ad Dei venerationem impellat, creationem hominis ad imaginem Dei, providentiam Dei, ac pactum cum homine, & hortatur ad pœnitentiam.*

Vers. 1.

DEVS CREAVIT DE TERRA HOMINEM) Ex limo Gen. 2, 17. sic & Græci Poetæ dicunt ἐκ πηλοῦ. Vide quæ annotavimus ad librum primum pro veritate Religionis Christianæ.

ET SECVNDVM IMAGINEM SVAM FECIT ILLVM) Hoc in Græco abest, infra ponitur.

Vers. 2. ET ITERVM CONVERTIT ILLVM IN IPSAM) Fecit, ut in terram redeat, Genes. 3, 19. Cicero ex Euripide: *Reddenda terræ terra.* Idem Euripides: Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν.

ET SECVNDVM SE VESTIVIT ILLVM VIRTVTE) Hoc infra ponitur in Græco.

Vers. 3.

NVMERVM DIERVM ET TEMPVS DEDIT ILLI) Præfinivit illi vitæ spatium quod non excederet, mille nempe annorum prima ætate, postea multo brevius Job. 14, 5. Psalm. 90, 10. In Græco non est *ipsi*, sed *ipsis*, transitu facto de singulari in pluralem.

ET DEDIT ILLI POTESTATEM EORVM QVÆ SVNT SVPRA TERRAM) Rursum *illis* in Græco. Omnia illi facile parebant, sine labore, Deo ita res ordinante. Genes. 1, 28. Hic in Græco sequitur in Sixtina καθ' ἑαυτὸν ὑπέθηκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν, sed Latinus legit rectius, καθ' ἑαυτὸν, ut videre est supra 2. ubi ille hanc sententiam posuit. Sensus est: *Dedit illis imperium, quale suum est.* ἐξουσία imperium significat, ut supra 9, 2. Deinde sequitur in Græco: καὶ κατ' εἰκόνα αὐτὸν ἐπέστησεν αὐτοῖς *ad suam, effigiem eos fecit.* Ea effigies in eo præcipue erat posita, ut

*—— dominari in cætera posset;*

quemadmodum loquitur Ovidius; erat enim homo quidam in terra Deus.

Vers. 4.

POSVIT TIMOREM ILLIVS SVPER OMNEM CARNEM) Nempe ut facilius procederet illud imperium, omnem feritatem voluit homini esse innoxiam, quod nunc homo non nisi vi magna ingenii & experientiæ adipiscitur, ut patet in illis, qui elephantes, leones, balænas capiunt.

ET DOMINATVS EST BESTIARVM ET VOLATILIVM) In Græco: *Ad dominandum feris & volucribus.* Nam καὶ hic abundat, & κατακυριεύειν est pro εἰς τὸ κατακυριεύειν. Quod in quibusdam exemplaribus sequitur, ἐν ὁμοιώματι deest in Sixtino, sicut & in eo defuit exemplati, quotusus est hic Latinus.

Vers. 5.

CREAVIT EX IPSO ADJVTORIVM SIMILE SIBI) Non est in Græco: Contra quod in multis exemplaribus sequitur in Græco: ἐκ τοῦ δὲ τὸν αὐτοῦ ἐδημιούργησε μερίδων καὶ τὸν ἡδόμον λόγον ἐμοιώσε τῶν ἐπιγενομένων αὐτῷ: Sicut in Latino non est, ita nec in Sixtino, videturque ad marginem annotatum fuisse ab aliquo Stoicorum librorum lectore: nam Stoici (ut Plutarchus aliique nos docent) ad quinque sensus notissimos tres annumerabant alios, quorum hic omissum est τὸ συνεκτικὸν, posita autem duo, τὸ φωνητικὸν, & τὸ ἡγεμονικὸν. Vide & Theodoretum sermone V. Sed alieno loco hoc inserum est huic textui, cum quinque sensuum nulla mentio præcesserit, quorundam autem de illis mentio post hæc sequatur.

CONSILIVM) Διανοίας, id est, vim consultantem, τὸ βουλευτικὸν.

ET LINGVAM) τὸ φωνητικὸν.

ET OCVLOS) τὸ ὀπτικὸν.

ET AVRES) τὸ ἀκουστικὸν.

ET COR DEDIT ILLIS EXCOGITANDI) Ad excogitandum, διανοεῖσθαι: Describit τὸ ἀνθρώπινον; nam διάνοια pro appetitu sæpe sumitur, ut Baruch. 1, 15.

ET DISCIPLINA INTELLECTVS REPLEVIT ILLOS) ἐπιστήμων συνέσεως ἐπλήρωσεν αὐτούς. Hoc est, τὸ ἐπιστημονικὸν.

Vers. 6.

CREAVIT ILLIS SCIENTIAM SPIRITVS, SENSV IMPLEVIT COR ILLORVM) Deest in Græcis.

ET BONA ET MALA OSTENDIT ILLIS) Vt in perditis per diluvium & Noe servato.

NOn satis distincte hæc proponuntur, imprimis in Latino textu, prout ea ordine in creatione se consecuta sunt: sed commiscentur ea, quæ in statu integritatis, quæque post lapsum homini contigerunt, qualis est conversio in terram, cui præponendum erat dominium homini ante lapsum concessum. Cur autem Grotius illa, ET BONA ET MALA OSTENDIT ILLIS ad perditos in diluvio & Noam servatum restringat, non apparet, siquidem de protoplastis ea agere, è contextu manifestum sit.

Vers. 7.

POSVIT OCVLVM SVVM SVPER CORDA EORVM) Id est curam adhibuit sanandis eorum animis, postquam eos prava exempla & institutio corruperant.

OSTENDERE ILLIS MAGNALIA OPERVM SVORVM, VT NOMEN SANCTIFICATIONIS COLLAVDENT, ET GLORIARI IN MIRABILIBVS ILLIVS, VT MAGNALIA ÆNARRENT OPERVM EJVS) In Græcis ordo alius: *Dedit ut in perpetuum jactaret se possent de miraculis ejus, id est, ut prudenter opera ejus commemorarent; ideo nomen ejus sanctum viri eximii laudabunt.* Addidi, *id est*, implendo sensui, & καὶ verti *ideo*, ut sæpe: & nomen genitivum ἁγιασμοῦ verti in adjectivum, pro quo poni apud Hebræos solet. Respicit præcipue ad illa ostenta in Ægypto.

Vers. 9.

ADDIDIT ILLIS DISCIPLINAM, ET LEGEM VITÆ HÆREDITAVIT ILLOS) Pro *disciplinam*, in Græco est, ἐπιστήμην. Sensus est: *Fecit eos* (eximios, id est, Israelitas) *sapientiores cæteris gentibus:* data lege Deuter. 4, 7. Lex vitæ dicitur, quia vitæ & longæ & felicis promissa habet. Quod hic in Græcis quibusdam sequitur:

εἰς τὸ κύριον δὲ ἔννοεῖ ὅτι ὑπάγειν τῶν, deest in Sixtino; neque sane sensum hic commodum recipit.

Vers. 10.

TESTAMENTVM ÆTERNVM CVM ILLIS CONSTITVIT) Fœdus illud cujus mentio Jos. 24, 16. διαθήκου αἰωνος, id est, fœdus diutissime duraturum.

ET IVSTITIAM ET IVDICIA SVA OSTENDIT ILLIS) In Græco tantum: τὰ κρίματα αὐτῶ ὑπέδειξεν αὐτοῖς. κρίματα, משפטים, vocat præcepta omnia æquitatis plenissima, quorum præcipua jam explicatturus est.

Vers. 11.

ET MAGNALIA HONORIS EJVS VIDIT OCVLVS ILLORVM) *Majestatem gloriæ*: nempe in Sinaitico monte.

ET HONOREM VOCIS AVDIERVNT AVRES ILLORVM) In Græco: *gloriam vocis*: id est, vocem tremendam.

ET DIXIT ILLIS) Nempe non illis verbis, sed illo sensu.

ATTENDITE AB OMNI INIQVO) Id est, à falsorum Deorum cultu & perjuriis.

Vers. 12.

ET MANDAVIT ILLIS VNICVIQVE DE PROXIMO SVO) Nempe ne quid alter alteri nocerent per ἀναχωρίαν, per homicidia, per adulteria, per furta, per falsimonias, dolosve malos. Lex Dei, est lex valde socialis.

Vers. 13.

VIÆ ILLORVM CORAM IPSO SVNT SEMPER, NON SVNT ABSCONSÆ IN OCVLIS IPSIVS) Invertit in hoc commate interpres ordinem qui in Græco est. Sensus est, Deum per nubem & ignem ducem itineris fuisse electis suis.

Vers. 14.

IN VNAMQVAMQVE GENTEM PRÆPOSVIT RECTOREM, ET PARS DEI ISRAEL FACTA EST MANIFESTA) Sic & in Sixtino: ἑκάστου ἔθνει κατέστησεν ἡγούμενον, κλῆρος κυρίου Ἰσραὴλ ἔστι. *Unicuique genti* (Deus) *dedit præsidem: at Israel portio Dei est.* Sensus est: Sicut cæteræ gentes à suis regibus, ita populus Hebræus à Deo ipso regebatur, dacebaturque. Erat enim θεοκρατία, ut Josephus loquitur. In aliis exemplaribus Græcis aliqua hic intertexta sunt, tum ante ea, quæ jam recitavimus, tum post ea verba. Videntur autem defuncta hæc additamenta ex diversis locis scripturæ, ut Gen. 8, 21. Deuter. 29, 4. Ezech. 11, 19. Deuter. 32, 8. 9. Exod. 4, 22. Jer. 31, 3.

Vers. 16.

ET OMNIA OPERA ILLORVM VELVT SOL IN CONSPECTV DEI) *Et* non est in Græco, sed δὲ in quibusdam codicibus. Verum & hoc abest in Sixtino. Sicut homines in solem inspiciunt, sic Deus in omnia illa quæ Israelitæ agebant.

ET OCVLI EJVS SINE INTERMISSIONE INSPICIENTES IN VIIS EORVM) ἐπὶ ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, *supra* δίκαις *eorum.*

Vers. 17.

NON SVNT ABSCONSA TESTAMENTA PER INIQVITATEM ILLORVM) In Græco. *Non latebunt illi in justitia eorum.*

ET OMNES INIQVITATES EORVM IN CONSPECTV DEI) *Et* hic valet *imo*, *omnes* vero *singulæ.* Quod in Græcis codicibus quibusdam sequitur, id non minus à Sixtino codice, quam à Latino abest.

*Observandum hic sedulo B. Ofiandro monente, quando autor noster de homine, qualis fuit in statu innocentiæ, in paradiso loquatur, & quando de populo Dei, post lapsum agat: ne hæc duo confundantur. Homo enim per peccatum præcipitatus est in servitutem miserabilem. Interim tamen ingentia beneficia Deus homini etiam post lapsum præstat: inter quæ hoc maximum est, quod voluntatem suam in verbo nobis revelavit, & veram viam ad æternam vitam monstravit. Hæc bona agnoscenda sunt & grata mente prædicanda.*

Vers. 18.

ELEEMOSYNA VIRI) Omnia dilectionis opera in egentes.

QVASI SIGNACVLVM CVM IPSO) Quod semper nobiscum gestare, ac sollicite custodire solemus. Jer. 22, 24. Cant. 8, 6.

ET GRATIAM HOMINIS QVASI PVPILLAM CONSERVABIT) χάριν vocat omnia beneficia, quæ ab hominibus in homines proficisci solent: חן. Quasi pupillam, id est, diligentissime. Deuteron. 32, 10. Psal. 17, 8. Quod hic in Græcis quibusdam sequitur μισζὸν δώσει τοῖς μετανοοῦσι, sicut in Latinis non est, ita nec in Sixtino codice.

Vers. 19.

ET POSTEA RESVRGET) *Tandem resurget*: Quasi à somno excitatus.

ET RETRIBVET ILLIS RETRIBVTIONEM IN CAPVT IPSORVM) *Illis*, nempe de quorum peccatis actum supra 17. Contractius posuit Latinus interpres, quod cum repetitione est in Græco: καὶ ἀνταποδώσει αὐτοῖς, καὶ τὸ ἀνταπόδομα αὐτῶν εἰς κεφαλὴν αὐτῶν ἀνταποδώσει. In caput dicuntur reddi quæ exitium adferunt. Tibullus:

*--- capiti sint pecus illa meo.*

Mamercus apud Senecam: *Mihi & capiti meo.* Capiti suo, apud Ciceronem aliquoties. Virgilius:

*Di capiti ipsius generique referent.*

*Docemur iis verbis*, interprete Ofiandro, *non perire nobis beneficia, quæ propter Deum in proximum nostrum conferimus: etiamsi compensatio à Deo non statim subsequatur: quem admodum etiam peccatores sibi blandiri non debent, si pœnæ divinæ diu differantur. Quandoque enim Dominus videtur dormire, & neque beneficia, neque maleficia videre: sed cum ipse opportunum tempus adesse novit, reipsa demonstrat se neque dormivisse, neque dormitasse, Psal. 121.*

Vers. 20.

POENITENTIBVS AVTEM DEDIT VIAM IVSTITIÆ) In Græco: *Dedit reditum*: nempe in gratiam suam.

ET CONFIRMAVIT DEFICIENTES SVSTINERE) παρεκάλεσε τοὺς ἐκλείποντας ὑπομονὴν, *solet adhortere eos qui tolerantiam deserere.* Hic ἐκλείπειν ὑπομονὴν, quod ἀπόλουσθαι ὑπομονὴν, infra 41, 4. Quid autem sit quod admoneat, sequitur: *Convertere ad Dominum &c.*

ET DESTINAVIT ILLIS SORTEM VERITATIS) Non est in Græco.

Vers. 22.

PRECARE ANTE FACIEM DOMINI) Bene, supplevit interpres illud, *Domini*: Est enim locutio frequens, κατὰ πρόσωπον Θεοῦ εὐξασθαι, ut videre est 1. Par. 16, 4. 27. 29. Id autem significat versus adytum. 2. Par. 4, 20. 1. Paral. 16, 6.

ET MINVE OFFENDICVLA) *Minue offensam.* Fac Deum posthac minus offendas.

ET RELINQVE PECCATA TVA) Quod in quibusdam Græcis hic sequitur: αὐτὸς γὰρ ὁδηγήσει ἐν σκότει εἰς φῶτισμὸν ὑγείας, id in Sixtina editione abest.

ET NIMIS ODITO EXSECRATIONEM) *Et valde odio prosequere omne flagitium.* ἐφόδεμα in Græco. βδέλυγμα hic sume ut supra 15, 13.

Vers. 24.

ET COGNOSCE IVSTITIAS) Hæc usque ad illa *sæculi sanctis*, non sunt in ullis Græcis. Contra est in Græcis quod in Latino deest: ᾅδης τίς σε αἰνέσῃ ὁ ἅδης, *quis apud inferos laudes Deo canet?* sumtum ex Psal. 6, 6. Sensus est, non differenda ea quæ nostri officii sunt, quasi post mortem expleri possent. Interpres judaica videtur mutasse in sensum Christianorum, qui credidere sanctos mortuos in Dei laudibus occupari.

Vers. 25.

CVM VIVIS ET DANTIBVS CONFESSIONEM DEO) Pendet ab eo quod præcessit in Græco: *Quis apud inferos Deo laudes canet una cum vivis Deum laudantibus?* ᾠδοποιλόγησις. Hellenistarum sermone est הודאה, quod alibi αἴνεσις vertitur. Nam qui Deum laudat, agnoscit ejus potentiam ac beneficia.

Vers. 26.

NON DEMORERIS IN ERRORE IMPIORVM, ANTE MORTEM CONFITERE) Hic etiam mutatio facta: nam in Græco est: ἀπὸ νεκροῦ, ὡς μὴ ὄντος, ἀπόλυται ἐξομολόγησις. *A mortuo, utpote qui non sit, periit laus*: id est, abiit laudandi facultas. Mortui non sunt, id est, non sunt homines. Animæ autem separatæ à corpore an aliquid agerent, valde incertum & controversum erat apud Hebræos veteres, plerisque in negantem partem propendentibus.

Vers. 27.

CONFITEBERIS VIVENS, VIVVS ET SANVS: CONFITEBERIS ET LAVDABIS DEVM ET GLORIABERIS IN MISERATIONIBVS ILLIVS) In Græco brevius: ζῶν καὶ ὑγιὴς τῇ καρδίᾳ αἰνέσεις τὸν κύριον. *Is qui vivus est, & corde valet, debet Dominum laudare.* Eo felicet modo qui sequitur. Valetudo cordi tribuitur, quia ibi fons est vitæ, vitalisque spiritus.

Vers. 28.

Vers. 28.

ET PROPITIATIO ILLIUS) Parata illius indulgentia.

CONVERTENTIBUS AD SE) In Græco additur ἀτόλως, non simulate, sed fide optima.

Vers. 29.

NEC ENIM OMNIA POSSUNT ESSE IN HOMINIBUS) Non omnia hominibus constare possunt, non omnia respondent ad regulam exactissimam.

QUONIAM NON EST IMMORTALIS FILIUS HOMINIS) Non est talis naturæ, qualis sunt Angeli.

ET IN VANITATE MALITIÆ PLACUERUNT) Deest in Græco.

Vers. 30.

QUID LUCIDIUS SOLE, ET HIC DEFICIET) ἐκλείπει, deliquium patitur, Lunæ corpore interposito.

AUT QUID NEQUIUS QUAM QUOD EXCOGITAVIT CARO ET SANGUIS?) Variant hic Græcæ lectiones. Optima earum est: πονηρὸν, ὑπονοήσουσιν σάρξ καὶ αἷμα. Cum sol deficiat, quid mirum si deficiant interdum homines? Nam cum corpus eorum constet ex carne & sanguine, facile illis oboriuntur appetitus, qui carni & sanguini magis quam rationi conveniant.

Vers. 31.

VIRTUTEM ALTITUDINIS COELI IPSE CONSPICIT) *Arcem cœli altissimi* (id est, sidereï) *ipse* (sol) *perlustrat*. רקיע, quod στερέωμα verti solet, sæpe exercitum, sæpe & arcem significat.

ET OMNES HOMINES TERRA ET CINIS) *Et* pro *at*. Sol in sublimi versatur, homines humi: Ille deliquium patitur, quid mirum si homines.

## CAPUT XVIII.

*Progreditur in celebrandis Dei magnalibus, ejus potentia, & misericordia, nosque ad misericordiam exhibendam, Deum serio colendum, pravas concupiscentias fugiendas excitat.*

Vers. 1.

QUI VIVIT IN ÆTERNUM CREAVIT OMNIA SIMUL) κοινῇ, id est, re nulla excepta. Sic יחד sumitur Psal. 14, 3.

DEUS SOLUS JUSTIFICABITUR ET MANET INVICTUS REX IN ÆTERNUM) *Deus solus justificabitur*, id est: in omnibus actionibus suis justissimus reperietur. Ita לבדו sumitur Psal. 51, 6. Illud *& manet invictus Rex in æternum*, non est in Græcis: sed Græci multi codices hoc loco habent: κύριος μόνος δίκαιος, καὶ ὡς ἐγὼ πᾶσιν αὐτὸς. ὁ δικαιῶν κόσμον ἐν σπλάγχνοις χρηστὸς αὐτοῦ· ὃς πάντας ὑπακοὴν τῷ θελήματι αὐτοῦ· αὐτὸς γὰρ βασιλεὺς πάντων, ἐν κράτει αὐτοῦ διαστέλλων ἐν αὐτοῖς ἅγια ἀπὸ βεβήλων. Hoc postremum, ut Judaicum, videtur displicuisse Christianis.

Vers. 2.

QUIS SUFFICIT ENARRARE OPERA ILLIUS) Græce: *Cui supperditabit facultatem operæ sua enarrandi?* Nam quis id posset, nisi Deus ei explicaret; quam multa enim sunt vitæ humanum fugientia.

Vers. 3. QUIS ENIM INVESTIGABIT MAGNALIA EJUS?) Id est, quanto minus homo perveſtigare potent Dei miracula, nempe quomodo illa fecerit?

Vers. 4.

VIRTUTEM AUTEM MAGNITUDINIS EJUS QUIS ENUNTIABIT?) *Vim majestatis ejus quis enumerabit?* id est, metietur? solent enim ista permiscri.

AUT QUIS ADJICIET ENARRARE MISERICORDIAM EJUS?) Id est, *quis præterea posset enarrare beneficia ejus?* חסד in Hebræo significat aut iterum, aut plus aliquid facere, et יסף, quod ὀλιγεῖν verti solet, omne beneficium significat.

Vers. 5. NON EST MINUERE, NEQUE ADJICERE, NEC EST INVENIRE MAGNALIA DEI) Nihil est, quod detrahi aut apponi debeat: id est, funt exactissima.

Vers. 6. CUM CONSUMMAVERIT HOMO, TUNC INCIPIET) ubi omnia dixerit, tam parum dixerit, quasi demum incipieret loqui.

ET CVM QVIEVERIT, OPERABITVR) *Obstupescet*. Tam multa fecerit se omisisse, ἀπορεῖν pro obstupescere habet 1. Macc 3, 3 1.

Recte *Isidorus* l. de natur. rerum c. XLIV. *Quis investigabit magnalia ejus? Ergo quod mortalium naturæ secretum est, hoc divinæ potentiæ relinquendum est.* Conf. Psal. 106, 2. Rom. 11, 33. *Deum invenire*, ait *Plato, non facile, intelligere impossibile est.*

Vers. 7.

QUID EST HOMO, ET QUÆ EST GRATIA ILLIUS?) Legit χρεόντες, ubi nos habemus χρέος. Quæ Deo unitas ex homine? Job. 35, 7.

ET QUID EST BONUM?) Quod bonum ab homine ad Deum redit?

AUT QUID NEQUAM ILLIUS?) *Quid malum illius?* Dei nempe ab homine: quid homo Deo nocet? vide dictum Jobi locum.

Vers. 8. NUMERUS DIERUM HOMINUM VT MULTUM CENTUM ANNI) Pauci eo perveniunt. Ps. 90, 10. Quod hic in Græcis quibusdam sequitur, ἀλογίσῃ δ' ἐκείνῳ πάσιν ἡ κοίσεως, deest in Sixtina, neque videtur huc pertinere.

QVASI GVTTA AQUÆ MARIS DEPUTATI SUNT, ET SICUT CALCULI ARENÆ, SIC EXIGUI ANNI IN DIE ÆVI) Non legit χρόνοι ὧν, ut hi habent quidam libri, sed ἀλίγοι, ut Sixtina: ἐν ἡμέραις αἰῶνος, id est, si comparentur cum immenso Dei ævo, cui nos humana imaginatione dies affingimus. Quid sunt centum anni ad illam sine principio durationem?

Vers. 9. PROPTER HOC PATIENS EST DEUS IN ILLIS) Far ferme sensus qui Sap. 15, 1. 2. Non festinat Deus pœnam de hominibus sumere, quia etiamsi maxime sint mali, non diu humano generi erunt graves. Fortasse satis erit temporis pœnas exigendi.

ET EFFUNDIT SUPER EOS MISERICORDIAM SUAM) Id est, dat illis multa vitæ ærumnabilis solatia.

Vers. 10.

VIDIT PRÆSVMTIONEM CORDIS EORUM QUONIAM MALA EST, ET COGNOVIT SUBVERSIONEM ILLORUM, QUONIAM NEQUAM EST) Etiam hic sensum explicatiorem voluit facere interpres: nam in Græco est tantum: *vidit exitum eorum sore malum*: nempe si peccare pergerent. κατορθοῦν hic est hujus vitæ figuificat, ut supra 9, 14. Job. 15, 21. 21, 17. Gen. 19, 27. Oſe. 8, 7.

Vers. 11.

IDEO ADIMPLEVIT PROPITIATIONEM SVAM IN ILLIS) διὰ τοῦτο ἐπλήσθυνε τὸν ἐξιλασμὸν αὐτοῦ. *Placabilitatem suam auxit.* Multis modis ostendit suam bonitatem & animum, quamvis fontibus, placabilem. Hæc explicantur per verba sequentia.

ET OSTENDIT EIS VIAM ÆQUITATIS) Hoc non est in Græco. Sensus est in his quæ illico sequuntur.

V. 12. MISERATIO HOMINIS CIRCA PROXIMUM SUUM) Id est, erga eos quibuscum negotium habet, qui pauci sunt.

MISERICORDIA AUTEM DEI SUPER OMNEM CARNEM, QUI MISERICORDIAM HABET DOCET ET ERUDIT QVASI PASTOR GREGEM SUUM) Hæc quia divulsa legit interpres, ideo quædam interposuit necendo sensui. Sic autem continuo spiritu legenda sunt Græca: ἔλεος δὲ κυρίου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα, ἐλεγχων καὶ παιδεύων καὶ διδάσκων, ὡς ποιμὴν τὰ πρόβατα αὐτοῦ. nam ἔλεος hic est masculini generis, declinationis secundæ. *Misericordia autem Dei ad omnem carnem*, (id est hominem) *pertinet, arguens, castigans, docens & revocans, ut pastor gregem suum.*

Vers. 14.

MISERETUR EXCIPIENS DOCTRINAM MISERATIONIS, ET QUI FESTINAT IN JUDICIIS EJUS) Egit de beneficio communi, nunc de speciali agit, hoc modo: *Eos miseretur, qui castigationem recipiunt*, (nempe ut mali remedium) *& qui festinant ad præcepta ejus* exsequenda. κρίματα hic sumetur supra 17, 9. & alibi sæpe.

*Deus enim præsentior est diligentibus, negligentibus absit*, ait *Ambros.* l. IX. in Luc. c. 10. & l. IV. in c. 4. *Non dormientibus divina beneficia, sed observantibus deferuntur.*

V. 15. FILI IN BONIS NON DES QUERELAM) Beneficiis ne adde reprehensionem; hoc enim panem lapidosum vocabant veteres. Da prius, & alio tempore dictis castiga.

ET IN OMNI DATO NON DES TRISTITIAM VERBI MALI) Hoc enim est absynthium miscere melli. Non probasset hic sapiens illud Gracorum:

„ Ἄγου δὲς πέτρον, καὶ κάθηλον ἀνθρ' ἐπ' αὐτῷ.

Vers. 16.

NONNE ARDOREM REFRIGERABIT ROS?) Æstum. καύσωνα, infra 43, 24. in Græco.

SIC ET VERBUM MELIUS QUAM DATUM) Benignæ allocutiones plus sæpe solatii præstant infelicibus, quam beneficia.

V. 17. NONNE ECCE VERBUM SUPER DATUM BONUM: SED UTRAQUE CUM HOMINE JUSTIFICATO) Legit κεχαριτωμένον, sed Græci libri multi habent κακὰ χειρόνων. Dixi quidem verba plus sæpe habere quod juvet quam dona, sed ubi illa duo conjuncta sunt, cares longe gratissima hominibus.

Vers. 18.

STULTUS ACRITER IMPROPERABIT) Exprobrabit beneficia: quod vere stultum.

ET DATUS INDISCIPLINATI TABESCERE FACIT OCULOS) Invidi (id est, avari, ut supra diximus) *donum tabefacit oculos*, Exigua dat cum magno fastu, quæ accipi sine mœrore non possunt. πάσσοντος ὀφθαλμοὺς, id est, dolet, apud Theocritum. Vide & Deut. 28, 65.

*Isidor. Pelus.* l. iv. Ep. 114. *Ecce sermo melior est dono: utraque autem sunt penes virum pollentem* De dono li-benter dato. *gratia. Salvianus* l. 1. ad Eccles. Cathol. *Oblata*, ait, *non pretio, sed affectu placent; nec enim animus dantis datis, sed animo commendantur data, nec pecunia fidem insinuat, sed pecuniam fides.* Conf. Rom. 12, 8. *Ingratum faciunt bonum donum verba injuriosa*, ait hic Rabanus. *Sæpe sermonis obsequium magis recreat accipientem, quam donum ipsum*, inquit Chrysostom. in cap. 18. Gen. hom. 41. & l. 3. de Sacerd. *Donum ipsum donantis cultus, gestusque centuplicat.* Ideo monet *Gregor. M.* l. xxi. moral. c. 14. *Dilectio nostra semper exhibenda est & veneratione sermonis & ministerio largitatis. Ac plerique sunt*, ut Seneca queritur l. 2. de benef. c. 4. *qui beneficia asperitate verborum & supercilio in odium adducunt, eo sermone usi, & ea sapientia, ut impetrasse pœniteat.*

Vers. 19.

ANTE JUDICIUM PARA JUSTITIAM TIBI) Non est in Græco.

ET ANTEQUAM LOQUARIS DISCE, ANTE LANGUOREM ADHIBE MEDICINAM) In Græco καὶ non est in principio, sed connectit hæc duo membra eleganter.

*Principiis obsta: sero medicina paratur,*
*Cum mala per longas invaluere moras.*

Imo etiam principia anteveni per τὸν προφυλακτικὸν ἀγῶνα, ut medici Græci loquuntur. Pari modo antequam tibi loquendum sit in publico, disce dicendi artem. Hæc viam struunt ad id quod sequetur, quo præcipue tendebat scriptor.

ET ANTE JUDICIVM INTERROGA TE IPSVM, ET IN CONSPECTV DEI INVENIES PROFITIATIONEM) πρὸ κρίσεως ἐτοίμασόν σεαυτὸν καὶ μὴ ἔσῃ ὡς ἄνθρωπος πειράζων τὸν θεόν: *ante judicium parate, ut velle agat*: Corrige vitam in tempore, Illud *in conspectu Dei* non est in Græco: ἐν ὥρᾳ ἐπισκοπῆς εὑρήσεις ἐξιλασμόν: in tempore quo pœna exigetur. Idem hoc quod κρίσις.

*Ephrem* de Juliano Anachoreta in vita ejus: *Quemadmodum qui carcerati detinentur custodia, dum coram tribunali judicii producendi sunt, præ timore & angore plangunt, sic & B. Julianus assidue tremendi tribunalis Christi recordabatur: quare & continenter flebat judicium futurum cogitans. Vbi autem compunctio & lachryma, & humilitas, ibi nequaquam insabilitas, & quæcunque res perversa, ac improba regnat, sed optimus ordo viget, ac disciplina, & omnis res bona.* Memoria judicii divini,

Vers. 20. ANTE LANGVOREM HVMILIA TE) Ante morbum jejuna. Nam jejunare Hebræi dicunt תְּעַנֶּה, ταπεινῶν, Lev. 16, 29. 31. 23, 29. nimirum quia per jejunium deprimuntur vires corporis. Quidam codices habent adjectum, ἐγκρατείᾳ, sed id ex interpretamento est.

Vers. 21.

ET IN TEMPORE INFIRMITATIS OSTENDE CONVERSATIONEM TVAM) Legit, ἀσθενοῦντά σε, ubi in Græco recilus est: ἀναστρεφόμενον: & pro *conversationem*, scripsit puto *conversionem*: nam in Græco est, ἐπιστροφὴν: id est, ubi te peccasse animadverteris, præveni pœnam, & factis ostende te jam emendatum.

Dum adhuc sanus es, humilia te coram Deo; *De pœnitentia.* sera enim pœnitentia raro est vera, & dum egrotus per seriam pœnitentiam & orationem ad Deum convertere; Pœnitentia enim vera nunquam est sera. *Quia*, dicente *Cypriano* tract. de passione, *nec in ultimis Dei clementia pœnitentes excludit, nec ulla hora sera est, cui compunctio districta occurrit.*

Vers. 22.

NON IMPEDIARIS ORARE SEMPER) μὴ ὑστερήσῃς ἐν εὐχῇ (ita in Sixtina, non ἐκκλίνῃς) τοῦ ἀποδοῦναι ἐν καιρῷ σου: *Ne prohiberi te patere, quo minus votum reddas tempori.* Idem est quod Deuter. 23, 21. Eccl. 5, 3.

ET NE VEREARIS USQUE AD MORTEM JUSTIFICARI) *Et ne differ ad mortem usque justus fieri.* δικαιωθῆναι hic proprie sumitur ut Apoc. 22, 10. & alibi. Intellige autem justitiam eam quæ in votis reddendis apparet.

QUONIAM MERCES DEI MANET IN ÆTERNUM) Hoc Christiane addidit interpres.

Vers. 23.

ANTE ORATIONEM PRÆPARA ANIMAM TUAM) *Priusquam voveas te para*: etiam atque etiam cogita quid voveas.

ET NOLI ESSE QUASI HOMO QUI TENTAT DEUM) Irritat Deum, qui vovet prava: quod multi Judæi faciebant. Vide quæ diximus libro secundo de jure Belli ac Pacis 13, 7. & ad Matth. 15, 5.

Vers. 24. MEMENTO IRÆ IN DIE CONSUMMATIONIS) Memento iræ (divinæ) tandem adventuræ, Sic ἐν ἡμέρᾳ τελευτῆς, supra 11, 27. vide & 16, 23.

ET TEMPUS RETRIBUTIONIS IN CONVERSATIONE FACIEI) *Et temporis vindicta, cum avertet vultum Dei.* Vultum avertere Deus dicitur, cum misereri non vult, supra 4, 4.

Vers. 25.

MEMENTO PAUPERTATIS IN TEMPORE ABUNDANTIÆ) Cogita mutari posse fortunam, eoque tibi datis noli prodige uti.

Vers. 26. A MANE USQUE AD VESPERAM IMMUTABITUR TEMPUS) Seneca,

*Quem dies vidit veniens superbum,*
*Hunc dies vidit veniens cadentem.*

ET HÆC OMNIA CITATA IN OCULIS DEI) *Facilia.* Vide supra 16, 13.

Etc. xi. 27. in *die bonorum ne immemor sis malorum.* In mundo hoc fublunari & volubili dominantur *mors & sors, duo imperiosa numina*, ut Tragicus ait, quæ nihil in sua quiete, & statu relinquunt, unde Cato in distichis monet:

*Tranquillis rebus quæ sunt adversa caveto,*
*Rursus in adversis melius sperare memento.*

Vers. 27.

HOMO SAPIENS IN OMNIBUS METVET) Hoc deest in Græcis quibusdam, sed extat, & recte in Sixtina: ἄνθρωπος σοφὸς ἐν παιδείᾳ δόκιμος ἔσται, *qui sapit in omni re sibi cavebit*: à crimine scilicet, ut sequitur.

ET IN DIEBUS DELICTORUM ATTENDET AB INERTIA) ἀπὸ πλημμελείας, UNO, à culpa graviore. In diebus delictorum, id est, tunc etiam cum malorum exemplorum ingens erit seges. Non exigua laus illa, quæ Nervæ tribuitur.

*Temporibusque malis ausus es esse bonus.*

Vers. 28.

OMNIS ASTUTUS AGNOSCIT SAPIENTIAM) *Vir prudens quilis novit sapientiam & eruditionem*: Id est, facile eam agnoscit in aliis hominibus.

ET INVENIENTI EAM DABIT CONFESSIONEM) *Et ei qui eam assecutus est, laudem dabit.* Hoc enim est ἐξομολογήσεως his scriptoribus, ut modo diximus supra 17, 22.

Vers. 29.

SENSATI IN VERBIS, ET IPSI SAPIENTER EGERUNT) *Docent alios*: nam ita σοφιζόμενοι sumitur Pf. 19, 8. 105, 21.

ET INTELLEXERUNT VERITATEM ET JUSTITIAM) Non est in Græco.

ET IMPLEVERUNT PROVERBIA ET JUDICIA) In Græco est: *& depluerunt sententias accommodatas ad vitam*: id est, ad vitæ usum. Depluerunt, id est, largiter communicaverunt. Sic ἐξαμβρύουσι babilonius supra 1, 24. in Græco. Hic in quibusdam Græcis legitur: κρίσεων δὲ παῤῥησία ἐν διεπέτην μέσῳ εἶπεν τοῖς καιρίοις τοῦτο ἀντίγραφον. Est sententia ab studioso aliquo adscripta, & sic legenda:

gendas? ὑπὲρ τοῦ παιδὸς τοῦ ἀνηγμένου. De cujus monitu sensu vide dicta ad Matth. 8, 22. At in Sixtina hic interponitur titulus sententiarum sequentium hoc modo, ΕΓΚΡΑΤΕΙΑ ΨΥΧΗΣ. Similes tituli fuere & alibi, sed perierunt.

Vers. 30.

POST CONCVPISCENTIAS TVAS NE EAS) *Ne patere te duci à cupiditatibus* peccatum parientibus, Jac. 1, 15.

ET A VOLVNTATE TVA AVERTERE) *Et ab appetitu tuo* (ad illicita ferente) *cohibetor.* Id est, tu met cohibe. Niphal pro Hithpael, more Hebræo.

Vers. 31.

SI PRÆSTES ANIMÆ TVÆ CONCVPISCENTIAS EJVS) ἐὰν δῷς τὴν ἐπιθυμίαν αὐτῆς, *cupiditatem ipsi placentem*, id est, rem cupitam. μετωνυμία.

FACIET TE IN GAVDIVM INIMICIS TVIS) Quod hic additur in Græcis quibusdam, ὃς βασκανεῖ σε, ex interpretamento est additum, abeste quæ a Sixtina. Dorēt nos in Rhetoricis Aristoteles nullo argumento facilius nobis alliquid diffundendi, quam si ostenjatur nobis, inde vobis Junctam caputeos inimicos nostros, exemplo adferens Homericum illud:

Ἕκτορ γ' ὀτρύνει Πρίαμος Πρίαμίδαι τε πάϊδες.

Cui suppar illud Virgilii:

*Hoc priamus velit, & magno mercentur Atridæ,*

Et Horatii:

*Gaudeat ut populus Priami, Priamique inhumato.*

*Leo M. ad Anatholium* (quod repetitur *dist. 47. cap. virum Catholicum*) post concupiscentias tuas ne eas. *Mens enim concupiscentiæ avida nec abstinere novit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum.* Idem *Bernhard.* serm. XLIV. in Cantic. agens de filio prodigo, qui sua dissipavit cum meretricibus. *Quænam*, ait, *hæ meretrices? Carnales utique concupiscentiæ, de quibus script. falluerunt monet: Post concupiscentias tuas ne eas.*

Vers. 32.

NE OBLECTERIS IN TVRBIS NEC IMMODICIS; ASSIDVA ENIM EST COMMISSIO ILLORUM) Legit hic interpres: μὴ τρυφῶν ἐκπλακῇς τύφῳ· ἐν γὰρ πρὸς ὀνείδεσιν συμβολὰς αὐτῶν, & *ne luxu illaqueatus* interpretatus est *superbiæ*, quomodo sæpe fiunt. Sed nos rectius habemus: μὴ ἐν ὀχλήσεσι ἐπὶ πολὺ σχολάσῃς, μηδὲ περὶ δεῖπνα συμβολὰς αὐτῶν: ita enim in Sixtina: non τρυφᾷς, nec περὶ δεῖπνα, nec συμβολὰς, ut in libris corruptioribus. Sensus est; *nolis indulgere deliciis, neq; illigari convivijs eorum*, id est, delitiosis. Vide versum sequentem, & supra 9, 10.

Vers. 33.

NE EVERIS MEDIOCRIS IN CONTENTIONE EX FOENORE) Etiam hic συμβολικὸν putavit esse ab eo significata συμβολὰς, quo idem valet quod συμπλοκὰς, cum συμβολοκοπεῖν sit edere de symbolis, &c. Jaxius procedente vocis usu, convivari, ut apparet dicto loco 9, 10. Noli, inquit, pauper cum sis, convivari mutuo sumtus in id pecunias. Tales erant familiares Catilinæ. Vide Sallustium.

ET EST TIBI NIHIL IN SACCVLO) Hebraismus, pro *cum tibi nihil in sacculo sit*, id est, cum tuum habeas nihil. μάσσων & μασσάριον voces sunt veteres Græcæ, ut ex Xenophonte apparet. Latini inde habent marsupium.

ERIS ENIM INVIDVS VITÆ TVÆ) In Græco: ἐπὶ γὰρ ἐπιβίωσιν τὰ ἴδια ζωῆς πλάττεις. Sed abest hoc in Sixtina.

Conf. *Prov. 23, 20. 21.* Latinam versionem emendans Osiander ita exponit Græci textus sententiam: *Ne oblecteris in multo luxu, neque deditus sis conuessationibus: ne ad pauperiem redigaris, & pro favore mutuum sumere cogaris, quando nihil in marsupio habueris.*

## CAPUT XIX.

*Ebrietas & scortatio periculosa sunt. Detractationes fugiendæ. Inimicitiæ non temere suscipiendæ.*

Vers. 1.

ET QVI SPERNIT MODICA PAVLATIM DECIDET) Sicutin republica, ita in re familiari non spernenda, quæ sidenter exigua, quia multa talia in summam proficiunt. τὰ ὀλιγοστὰ τῶν παρ' ὀλίγα.

Vers. 2.

VINVM ET MVLIERES APOSTATARE FACIVNT SAPIENTES) Faciunt ut à Deo ejusque lege deficiant. Exemplum in Israelitis apud Madianitas.

ET ARGVENT SENSATOS) Non est in Græco.

NAM οἶνος καὶ γυναῖκες ἐκφρονεῖν ἀνθρώπους ποιοῦσι καὶ τὸν νοῦν τὸν ἐπιεικῆ ἐκβάλλει. *Vinum etiam ex sapientibus stultos facit.*

Vers. 3.

ET QVI SE IVNGIT FORNICARIIS, ERIT NEQUAM) In Græco: *Qui se conjungit scortis, audax erit*, Euripides:

Ἔχει δὲ τόλμης καὶ θράσους πλεῖστα κέντρα
Ἐν τοῖς ἀμύχθοισιν ὑποστρώτοις ἐρᾶν.

PVTREDO ET VERMES HÆREDITABVNT ILLIVM) Mire hoc convenit in illum morbum, qui nostro sæculo vagas libidines sequitur. Sed & olim Venus nimia corpus enervatum gravibus haud dubie morbis tradidit.

ET EXTOLLETVR IN EXEMPLVM MAJVS) Ut major sit exemplo, etiam tabescet: nam id esse ἐκκαίδεκα diximus alibi. Quod in Latino sequitur, *& tollitur de numero animarum*, non est in Græco.

Notus est Crateris versus:

Πορνίδιον δὲ πολλῶν πάντων ὀπτήριόν ἐστι.

*Cupiditas est primus fons omnium malorum.*

Apage vero disputationem apud *Joh. Mariana* l. de Ipectac. c. 16. *an expediat in urbe Christiana per mittere meretrices, & lupanaria?* Apage pernicionem *Anti-Christianam*, quicquid *Thomas* l. IV. de regim. princ. asserat, *meretrices tolerari, ut sentinæ instar in eas omnes sordes influant.* Prohibitæ enim sunt divinitus meretrices. *Deut. 23, 17.* inter *Judæos.* Quanto minus admittendæ inter *Christianos!* Ideo *Hieronym.* ad Occam: *Cæsarem*, ait, *non Christum, Justinianum non Paulum viris impudicitiæ frena laxare, & lupanaria permittere.* Et *August.* l. IV. de Civ. Dei c. 18. *Usum scortorum*, inquit, *terrena civitas licitam turpitudinem facit.* Porro de *damnis scortationis Chrysost.* hom. LVI. ad popul. Antioch. *Non tam vehementer pluvialium aquarum cursus ipsas ripas corrodere solet, sicut delitiæ & luxus omnia valetudinis nostræ firmamenta facile subruere.*

*Papist. imnam* l. de *lupanario.*

Vers. 4.

QVI CREDIT CITO, LEVIS CORDE EST) *Qui facile se committit* (sortis nempe, de quibus agi certe) *levis corde est.* Non sapit. Et, ut Græci loquuntur, κενὸς τὴν διάνοιαν ἐστὶν, pro committere se alicui, frequens hunc libro locutio est. Subauditur autem dativus, ut supra 18, 17.

ET MINORABITVR) Non est in Græco.

*Epicharmus: Nervos atque artus Sapientia esse*, ait, *non temere credere. Euripides:*

Σοφρονῶν δ' ἀπιστίας ἐκ τοῦ σοῦ δέδυσται μᾶλλον ἢ βεβαιότης.

*Prudenti diffidentia melius nihil mortalibus.*

ET QVI DELINQVIT IN ANIMAM SVAM INSVPER HABEBITVR) Legit ὁ ἁμαρτάνων ἐν ψυχῇ αὐτοῦ recta est lectio in Græcis codicibus: ὁ ἁμαρτάνων τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν πολλαπλῆ. *Qui peccat* (scortando) *in animam suam delinquit.* Est enim πολυσήμαντος ἀφορισμὸς.

Vers. 5.

QVI GAVDET INIQVITATE DENOTABITVR) In Græco: ὁ εὐφραινόμενος ἐπὶ πονηρίᾳ κατακριθήσεται. *Is qui delectatur* (scortis) *condemnabitur* (à Deo) *ad malum corporis habitum*, κακεξίαν. Jonice idem quod vulgo κακοξίαν, quam malum corporis habitum dixit Celsus 2, I. & 3, 22.

ET QVI ODIT CORREPTIONEM MINVETVR VITA) Legit: ὁ δὲ μισῶν ἐλεγμὸν πονηρὸς ἐπακτὸς τῇ ζωῇ αὐτοῦ Verum rectius in nostris codicibus habemus: ὁ δὲ ἀνυπόμονων ἐλεγμὸν ἐκβαλεῖ τὸν ζωὸν αὐτοῦ. *At qui voluptatibus illis* (veneris) *repugnat, is vitam suam coronat.* id est, bene florentemque servat. Equitur jam titulus novus de loquendo: ejus initium est in Græcis multis: ὁ ὑγκρατευόμενος γλώσσῃ, ἀσφαλῶς συμβιώσεται. Ita enim distinguenda est hæc sententia. Sensus est: qui linguæ suæ potens erit, is cum homine, quamvis invicto (hoc est duro, atque intractabili) convivere poterit.

ET QUI ODIT LOQUACITATEM EXTINGUET MALITIAM.
Multa mala præcavet, qui susurronibus aures non præbet.

Vers. 6.

QUI PECCAT IN ANIMAM SUAM POENITEBIT.) Hoc repetitum est aliis verbis ex commate 4.

ET QUI IUCUNDATUR IN MALITIA DENOTABITUR. Et hoc repetitum e commate quinto, utrumque rectè deest in Græco. Rursus in Græcis est quod deest in Latino: ὁ μισῶν λαλίαν, ἐλαττῶσει κακίαν. *Qui loquacitatem odit, minus habebit mali.* Nam κακία hic sumitur, ut Matth. 6, 34. & apud LXX. interpretes sæpe.

Vers. 7.

NE ITERES VERBUM NEQUAM ET DURUM, ET NON MINORABERIS.) Etiam hic aliquid addidit Latinus interpres. Nam in Græco tantum est: μὴ ἀνταποκρίνου λόγῳ, καὶ οὐκ ἔσῃ ἐν ἐλαττώσει, aut, ut alii habent codices: καὶ οὐκ ἔσῃ ἐν ἐλαττώσει. *Nolit odiose eadem sæpe eggerere, nihil ob id tibi peribit:* nihilo minus intelligeris. Vide supra 7.15. infra 42, 1.

V. 8. AMICO ET INIMICO NOLI NARRARE SENSUM TUUM.) In Græco: *Sive amico sive inimico noli narrare vitas alienas:* nempe animo alios infamandi. In Sixtina non rectè deest. βίος ἀλλοτρίους.

ET SI EST TIBI DELICTUM NOLI NVDARE) Optime legit hic interpres: εἰ ἔστι σοι ἁμαρτία, μὴ ἀποκάλυπτε: non autem εἰμὶ ἔσῃ, ut nunc in Græcis legitur, nullo sensu. In hoc præceptum peccabant illi Romæ de quibus Juvenalis:

*Quis nunc diligitur, nisi conscius. & cui ferbens*
*Æthnea occultus animus, semperque tacendo?*
*Nil tibi se debere putat, nil conferet unquam*
*Participem qui te secreti fecit honesti.*

Vers. 9.

AUDIET ENIM TE, ET CUSTODIET TE, ET QVASI DEFENDENS PECCATVM ODIET TE, ET SIC ADERIT TIBI SEMPER.) Aliter in Græco: ἀκήκοε γάρσου καὶ φυλάξατό σε ὡς κυρίου μισῆσε. *Postquam audierit* (illud) *observabit te* (aliquandiu,) *sed occupant enata odium tui monstrabit.*

Vers. 10.

AVDIVISTI VERBUM ADVERSUS PROXIMUM TUUM.) Hæc *adversus proximum tuum* additit interpres: Sed verbum intellige hic ex superioribus peccatum ami. i ab ipso tibi indicatum.

COMMORIATVR IN TE) Dum vivis, ne exeat.

FIDENS QVONIAM NON TE DIRVMPET) Eleganter dictum. Arcanum retentum te non rumpet, ut vinum æstuans rumpit dolia.

Conf. *Prov.* 17, 9. & 24, 21. *Seneca* in Proverbiis: *Quod tacitum*, inquit, *esse vis, nemini dixeris. Quia non poteris ab alio silentium exigere, si tibi ipse non præstas.* Quo facit Proverbium Arabicum Cent. 1. n. 60. *possidet animam suam* (vel dominatur animo suo) *qui occultat secretum suum ab amico suo.* Adversus detractiones vero & detractatores Arabum Cent. 2. n. 3. hoc est dictorium. *Qui denunciat tibi diffamatoria super aliquo, ipse est diffamator.* De quibus monet S. Hieronym. Epist. 2. ad Nepotian. *Cave, ne aut linguam, aut aures habeas prurientes*, id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. *Chrysostom.* hom. 3. ad popul. Antioch. *Fugiamus dilecti, fugiamus detractiones, docti, quod est totum. Satanicum barathrum insidiarum ejus hæ infectio. Ut enim nostris negligamus, & graviores nobis reatus consituamus, in hanc nos consuetudinem Diabolus induxit. Augustin.* serm. 3. in Matth. *Domat*, inquit, *homo ferum, non domat linguam; domat leonem, & non refrenat sermonem: domat ipse, & non domat seipsum: domat quod timebat, & ut se domet, non timet quod timere debebate. Bernhard.* serm 24. in Cantic. *Omnis qui detrahit, primum quidem seipsum prodit vacuum charitate: Deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi ut is, cui detrahit, veniat in contemtum vel odium ipsis apud quos detrahit.* Idem sermone de triplici custodia manus linguæ & cordis: *Nunquid*, inquit, *non est vipera lingua detractoris? ferocissima plane, nimirum quæ lethaliter tres inficiat flatu uno. Nunquid non lancea est ista lingua? Profecto & acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. Lingua*, inquit, *eorum gladius acutus; gladius equidem anceps, imo triceps est lingua detractoris.*

Detractatores.

Remedium vero contra detractationes optimum est, quod *in Severo Imperatore* celebrat *Dionysius: fuisse nempe eum ἐμμελῆ τῶν πραγκτέων ἀμελῆ, δὲ τῶν μὴ αὐτῷ λογοποιουμένων intentum in ea, quæ erant agenda, & negligentem fabellarum, quæ de eo fingebantur.*

Vers. 11.

A FACIE VERBI PARTURIT FATUUS) Bene legit ἀδῖνον, dolore distenditur. Nam ἀδῖνον pro ὠδῖνι usurpat hic scriptor etiam infra 48, 22. more Græcis frequente. *A facie verbi*, Hebraïca locutio, id est, *ex verbo* commisso scilicet.

TANQUAM GEMITUS PARTUS INFANTIS) Tanquam ex intante fœmina paritura.

Quo facit illud *Clementis Alex.* l. VI. Stromat. *Quidam ante tempus informem & mortuum fœtum pariunt, alii expletis mensibus enituntur. Est enim tempus tacendi & tempus loquendi.*

Vers. 12.

SAGITTA INFIXA FEMORI CARNIS, SIC VERBUM IN CORDE STULTI) Sicut fagitta femori infixa dolori est donec exeat, ita & dictum arcanum alterius. In Græco, pro *in corde*, est ἐν καιρῷ. Bene vertit Latinus interpres, sicut & Græci בְּעֵת, καιρῷ. Prov. 22, 18. Abac. 3, 15.

V. 13. CORRIPE AMICUM, NE FORTE NON INTELLEXERIT, ET NE DICAT, NON FECI) In Græco: *argue amicum*, (si quid intellexeris ab eo minus rectè factum) *ne forte id non fecerit:* (& sic occasionem habeat se ibi purgandi) *si autem fecit, ne faciat amplius.* Id enim est תוֹכִיחַ, יֹסִיף, ut diximus sæpe. Huic sensum exigit membrum sequens, ubi de sermone idem dicitur quod hic de facto.

*Moncre, & moneri proprium est veræ amicitiæ*, ait *Cicero*, l. de amicit. *Ambrosius* l. 3. de offic. c. 16. *Amicus*, inquit, *si quid in amico vitii cognoverit, debet corripere occulte; si non audierit corripere palam.* Conf. Prov. 27. c. 28, 23.

Vers. 14.

NE FORTE ITERET) Dicere scilicet. ἀντεῖπῃ, ut שׁוּבוֹ Hebræis signifiat dictum factumve repetere. 1. Sam. 26, 8. 2. Sam. 20, 10. 1. Reg. 18, 34. Jer. 2, 36.

Vers. 15.

CORRIPE AMICUM, SÆPE ENIM FIT COMMISSIO) Legit συμβολὴ, ubi codices Græci nunc habent διαβολὴ. Non opus est addi μαστιξ, ne ipse habet Sixtina. Argue amicum, sæpe enim intervenit calumnia. Argue hic nihil est aliud, quam cæ illi quid audieris.

ET NE OMNI VERBO CREDAS) *Credat cor tuum:* In Græco sensu eodem. Menander:

*Ὅστις δὲ διαβολαῖσι πείθεται τυχὸν,*
*Ἧττον πονηρὸς αὐτὸς ἢ τοὺς τρόπους.*
*Ἡ παντάπασιν ἠμφοτερῶν γνώμην ἔχει.*

Vers. 16.

EST QUI LABITUR LINGUA, SED NON EX ANIMO) Multis aliquid excidit κατορθώσεται.

V. 17. QUIS ENIM EST, QUI NON DELIQUERIT IN LINGUA SUA) *Qui non delinquat.* Est enim aoristus, pauci sane tales. Jac. 3, 2.

CORRIPE PROXIMUM TUUM, ANTEQUAM COMMINERIS) Id est, si quid eum in te peccasse existimes, amice eum mone, antequam ad aspera aut verba aut facta venias. Vide quæ dicta Matth. 18, 15.

Præclare S. Bernhard. serm. de Nativ. S. Johan. Arguere & increpare interdum necesse est. Ferveat ergo in nobis Amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo fratris vitia palpet, peccata dissimuler nemo. Nemo dicat: Nunquid ego sum custos fratris mei? Est enim consentire, silere rem cum arguere possis: & sciamus, quia similis pœna manet facientes & consentientes. De modo autem corripiendi pulchre Rabanus: Si disciplina adhibetur cum modestia, generat de præteritis malis verecundiam atque pœnitentiam, de futuris vero exhibet diligentiam atque cautelam. Conf. Gal. 6, 1.

Vers. 18.

ET DA LOCUM TIMORI ALTISSIMI) Legit φόβῳ ὑψίστου, rectius quam quod nos habemus τοῦ. Addunt

Addunt libri quidam γνώμες & ἀμωμῆ, ubi non dubito quin scripserit auctor operis, aut qui hoc addidit, ἐυ μίτοις, ostendens te placidum. Hic in exemplaribus Græcis quædam sequuntur, quæ ut in Latino, sic & in Sixtina editione desunt. Initium eorum est φόβος κυρίε ἀρχὴ προσλήψεως, ubi πρόσληψις est prima familiaritas, quam sequitur ἀγάπησις dilectio: utriusque origo pietas, quæ probos inter se conglutinat. Arbor immortalitatis sive vitæ hic memorata, vita significat æternam, ut & in Apocal. 2, 7. 22, 2. 14.

QUIA OMNIS SAPIENTIA TIMOR DEI) πᾶσα σοφία φόβος κυρίε. Ita enim Sixtina, non φόβος παρὰ κυρίῳ, ut habent libri alii. Hoc dicit, timorem Dei esse omnem sapientiam, nempe eam quæ homini sit necessaria. Vide Prov. 1, 7. & infra 40, 28.

ET IN ILLA TIMERE DEUM) Abundant hæc, nec sunt in Græcis.

ET IN OMNI SAPIENTIA DISPOSITIO LEGIS) πάντως τόμε; *præstatio legis.* Omnes sapientiæ partes eo tendunt, ut sequamur legis præcepta. Addunt quidam codices non male, καὶ γνῶσις σὰς πανταχοῦ ἐστὶς δυνάμεως, nempe Dei, ut hoc ad partem sapientiæ contemplatricem, sicut id quod præcessit, ad actricem, pertineat. Non est autem in Sixtina quod hic addimus est in Græcis aliis editionibus: διότερ λέγει τῷ δεσπότῃ, ὡς ἀρίστων ὁ πάντα, ἵνα μετὸ ταῦτα ποιήσῃ, παρεγγίζει τὸν ῥήματα. Aliunde transumtum. Minuit culpam fanatus animus. Matth. 21, 29. Neque tamen levis erat culpa verbis detractasse obsequium.

*Gregorius Nazianz.* in distichis, *Curabis*, inquit, *ut solas divinitatis opes tibi compares, mundumque universum aranearum telis similem semper arbitreris. Cætera omnia quæ possident homines aliena ab hac vita sunt. Nam si vere dicendum est, sola virtus vita dicenda est.*

Vers. 19.

NON EST SAPIENTIA NEQUITIÆ DISCIPLINA) Egregium monitum, ne homines vafros ac dolosos sapientes putemus. Non debet, ut recte ait Cicero, ratio bono consilio à Deo data in fraudem malitiamque converti.

ET NON EST COGITATUS PECCATORUM PRUDENTIA) In Græco: *Ubi consilium est improbum, ibi non est prudentia.* Plato inquit, recitante Cicerone, scientiam quæ remota est à justitia calliditatem potius quam sapientiam appellandam. Alibi idem Cicero: *Calliditas perversa imitatur prudentiam.*

Vers. 20.

EST NEQUITIA, ET IN IPSA EXSECRATIO) Talis malitia exsecranda est, non honestis appellanda nominibus.

ET EST INSIPIENS QUI MINUITUR SAPIENTIA) *Et est aliquis imprudens, ideo quod defectur sapientia.* Hoc vult, hujus conditionem meliorem esse, quam ejus qui calliditate famam venatur prudentiæ. Quod latius explicant sequentia.

Vers. 21.

MELIOR EST HOMO QVI MINVITUR SAPIENTIA, ET DEFICIENS SENSU IN TIMORE DEI, QUAM QUI ABUNDAT SENSU, ET TRANSGREDITUR SENSUM ALTISSIMI) In Græco Sixtino: κρείσσων ἀνθρωπος ὁ συνιεὶς ἐαυτόν, ἢ περισσεύων ἐν φρονήσει καὶ παραβαίνων νόμιμα ὑψίστε. *Melior est qui intus habet intellectu, timens* (Deum) *quam qui prudentia abundans Dei præcepta violat.* Qui mali sunt, quo plus ingenio valent, eo sunt pejores.

V. 22. ET SOLERTIA CERTA, ET IPSA INIQUA) *Est versutia quædam accurata* (id est, magna arte se obtegens) *ac tamen injusta.*

Huc facit *Platonis* Epitaphium: πᾶσα ἐπιστήμη χωρὶς οὐσίης δικαιοσύνης, καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς φανερὴ μὲν σοφία φαίνεται. De cætero, ut ibidem quoque habetur, ὅσω ἂν ὀξύτερον βλέπει ψυχὴ φαύλου, τοσόυτω πλείω κακὰ ἐργάζεται. *Quo acutius est ingenium* (virtute non excultum) *eo plura mala facit.*

Vers. 22. ET EST QUI EMITTIT VERBUM CERTUM ENARRANS VERITATEM) Longe aliter in Græcis: καὶ ἔστι διαστέλλων χαλῶ τὰ ἐκβαίνοντα κρίματα. *Et est qui perverti* (causæ momenta) *ut enuntiet sententiam.* Utilem scilicet ei cui favet. Docet versutiam illam, de qua agere cœperat, in judiciis vel maxime versari. Nam qui omnia norunt jura & distinctiunculas, facile imperitis nubem objicunt: τὸν δίκαιον λέγει, faciunt τὸ κρεῖττον: quod Socrati inique tribuit in nubibus Aristophanes. Quod hic in quibusdam Græcis sequitur: καὶ ἔστι δικαίως κρίνει; σοφός. *Qui justa in judicio sectatur, is vere sapit.* Id abest à Sixtina.

EST QUI NEQUITER HUMILIAT SE, ET INTERIORA EJUS PLENA SUNT DOLO) Legitur quidem in Græco, ἔστι πονηρευόμενος συγκυπτῶν μεθοδίᾳ, καὶ τὰ ἔσω αὐτὸ πλήρη δόλε. Sed legendum est, συγκυπτῶν φόβῳ. Error natus tum ex vicinia vocum, tum quia sequitur συγκύψων. Sed συγκύπτειν non potest conjungi cum μεθοδίᾳ, id est, nigrore, quam vocem Græcam etiam in Latino sermone Plinius usurpat 24, 8. Commemorat & alia versutorum genera, quorum unum est eorum qui animos vulpinos egregie celare norunt, & secum dicunt:

- - - - *pulcra Laverna*
*Da mihi fallere, da justo sanctoque videri:*
*Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.*

Quod Horatio nox, id huic scripturi μεθοδία.

Vers. 24.

ET EST QUI SE NIMIUM SUBMITTIT A MULTA HUMILITATE, ET EST QUI INCLINAT FACIEM SUAM, ET FINGIT SE NON VIDERE QUOD IGNORATUM EST; ET SI AB IMBECILLITATE VIRIUM VETETUR PECCARE, SI INVENERIT TEMPUS MALEFACIENDI, MALEFACIET) In Sixtina editione hæc sic habent: συγκύψων (scribendum συγκυφῶν) σφόδρα καὶ ὑπολαμβάνων; ita enim est in annotatis melius quam in textu ὑπερκυφῶν) ὅταν δ' ἐπιτυχὼν προσδοκᾷ τὸ κακοποιῆσαι· πρὸ δὲ τοῦ ἐλαττώματος ἰσχύος κακὰ ἀνδρὸς ἀμαρτῶν, ἐὰν ὑγρὰ κακὸν, κακοποιεῖ. *Aliud demittens vultum* (reverentiæ testandæ causâ, ut supra 12, 11. & *furdum simulans, ubi non cognoverit*, (id est, ubi remo tale quid expectabit *præterit, tibi nocturus; quod si ob virium inopiam impediatur* (ad tempus) *peccare*, (in te, *ubi occasionem reperierit, nocebit.* Aliud varforum genus describit, delatores scilicet, qui gestibus omnibus non amicitiam tantum, sed & reverentiam testantes, simulantesque se non audire verba libera, cum minime putes ea deserunt, occasionem nacti. Tacitus de tali quodam: *Citeus hic Sorani, tunc emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat, habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, cæterum animo perfidiosus, & subdolus.*

Vers. 26.

EX VISU COGNOSCITUR VIR) Menander:

Οὐκ ἔστιν ὅστις ὄψιν ἔσω φράσειεν
Ἀφ' ὧν ποιεῖτες γίγνεται, οἷος τυγχάνει;

Sic & de femina ex oculis judicium fit. Æschylus:

Νέας γυναικὸς ἥ με μὴ λάθῃ φόβῳ
Ὀφθαλμὸς, ἥτις αὐθρὸς ἢ γεγενμένε

ET AB OCCURSU FACIEI COGNOSCITUR SENSATUS) Præcedit de facie; jam de vultu loquitur, qui est status quidam faciem pro affectibus mutans, qui sermo quidam tacitus mentis est, ut Cicero in Pisonem ait: imago animi, eidem in oratore. Plinius libro VII. 1. 19. *Scaurum clarum sapientia eodem semper visum vultu, nec aut hilari magis, aut turbato.*

*Ambros.* lib. de Helia c. 10. *Vultus*, inquit, *quidam cogitationis arbiter & tacitus cordis interpres. Facies index plerumque est conscientiæ, & tacitus sermo mentis.*

Vers. 27.

AMICTUS CORPORIS) Hinc illud:

Ὡς ἀνδρὸς ἔσλου σῶμα σὺν νόσῳ σαθρὸν.

*Augustus*, teste Suetonio, *vestitus*, inquit, *ipsi De habitu genio ac mollis superbia vexillum est, nudusque luxuriæ. molli-*

Vers. eod.

EST RISUS DENTIUM) Qui modicus sapienti, stulto effusus, infra 21, 23.

Ideo monuit *August.* l. 1. contr. Acad. c. 5. *Ratio proveniat risum tuum. Nihil enim est tadius risu irrisione dignissimo.*

Vers. eod.

ET INGRESSUS HOMINIS NUNTIANT DE ILLO) βῆμα, gressus, Cicero de Off. 1. decorum ait in corporis motu statuque cerni, neque tarditatibus in gressu utendum mollioribus, neque suscipiendas nimias celeritates. Ibidem: *Status, incessus, sessio, accubitus, vultus, & culi, manuum motus, tenant illud decorum.* Alexis:

Ἐκ τῶν τοιούτων τὸν ἀνελεύθερον
Ἔτνει τὸ βαδίζειν αὐτὸν καὶ τοῖς ὄσοις,
Εὖ καλεῖ.

Idem *Cicero* lib. 3. de Oratore: *Omnis motus animi suum quendam à natura habet vultum, & sonum, & gestum: animi imago vultus est. Nam hæc una pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot*

*significationes & communicationes possit efficere. Gregor. Nazianz.* ex vultu, vestitu, risu habituque dissoluto occultam Juliani Apostatæ impietatem deprehendit, ut exclamaret: *O quale malum alit Romana Respublica!* Ideo monet *Ambrosius* lib. 1. Off. c. 18. *Est in ipso motu, gestu, incessu tenera verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordi nostro absconditus aut levior aut præstantior, aut turbidior: aut contra gravior & constantior, & purior & maturior æstimatur. Itaque vox quadam est animi, corporis motus.*

Vers. 28.

EST CORREPTIO MENDAX IN ORE CONTUMELIOSI, ET EST JUDICIUM QUOD NON PROBATUR ESSE BONUM) ἔστι ὄνειδος, ὃς οὐκ ἔστιν ἔπαινος: *Est quadam castigatio non tempestiva:* nempe quæ

σφηγῶντα θυμὸν ἡσυχάσαι βίᾳ.

ut loquar cum Æschylo.

ET EST TACENS, ET IPSE EST PRUDENS) Hebraismus, pro est qui prudenter taceat. Horatius:

*Est & fideli tuta silentio*
*Merces,*

Ex Græco:

Αἶνος ἔστι σιγῆς ἀκίνδυνον τέρας.

*Pindarus* in Nemus Ode 5. *Scire tacere est sæpe sapientissimum. Seneca* in Proverbiis: *Libentius audias, quam loquaris. Tacere qui nescit, nescit loqui.*

## CAPUT XX.

*Prosequitur quæ monuit de correptione & silentio, ac de vitiis & virtutibus linguæ, de fatuis fatuorum sermonibus, & oppositis sapientum dictis, & factis agit.*

Vers. 1.

QUAM BONUM EST ARGUERE, QUAM IRASCI) ὡς καλόν ἐστι λέγειν, ἢ θυμοῦσθαι, subaudito μᾶλλον, ut

βέλτιον ἐγὼ λαὸν σὸν τιμῶντα ἢ ἀπολλύναι.

Quanto est melius, inquit,

*Amicum castigare, ob meritam noxiam,*
quam iram alere in odium exitiam,

ET CONFITENTEM IN ORATIONE NON PROHIBERE) In Sixtina: τοῦ ἀυτομολοῦντος ἀπὸ ἁμαρτίας καλὸν θάνατος: id est, *Vt hoc modo is qui culpam fatetur à damno liber sit.* Non incurrat verbera aut multetas. Sententia judicis.

Vers. 2.

CONCUPISCENTIA SPADONIS DEVIRGINABIT JUVENCULAM, SIC QUI FACIT PER VIM ET JUDICIUM INIQUUM) Legit ἀποπαιδεύσει, ubi codices Græci recte, ἀποπαιδεύσαι: & βίᾳ, ubi quidam codices βίᾳ. Qualis est cupiditas Spadonis ad puellam devirginandum (amat enim & nihil potest, ut ait Terentius, & hic scriptor offenditur infra 30, 20.) talis & ejus qui de homine judicia vult facere, beatus sit an miser, quandiu vita ei manet. Vide supra 11, 30.

*Ergo sine effectu pravis uterque labor.*

Ut Martialis utar verbis.

Vers. 4. QUAM BONVM EST CORREPTVM) Est hoc comma in Græco infra 7.

SIC ENIM EFFUGIES VOLVNTARIVM PECCATVM) In Græco ἑκούσιον. Aristoteles Nicomachiorum III. 2. ἑκούσια τοίνυν ἔοικεν εἶναι, δοκεῖ.

V. 5. EST TACENS QVI INVENITVR SAPIENS) Vide 19, 28.

ET EST ODIBILIS QVI PROCAX EST AD LOQVENDVM) Est qui ob multiloquentiam odiosus fit.

Τυραννικόν τι ποιῶν ἀβλαβῆ λέγειν.

Cicero de officiis prim.: *Nec vero tanquam in possessionem venerit, vacabatur alius; sed cum reliquis in rebus, tum in sermone communi, sic fit, audiretur non insipiens putet.*

Vers. 6.

EST TACENS NON HABENS SENSVM LOQVELÆ Quia bene fari nequit.

ET EST TACENS SCIENS TEMPVS APTVM) Et loquendi. Est tacendi, & torus titulus apud Stobæum, περὶ τοῦ δικαίου λόγου. Vide & Ecclesiast. 3, 7.

V. 7. LASCIVS AVTEM λασκεύει, jactator. Ita Cicero ad Atticum IX. 16. cum memorasset ingentes copias quas Cæsarem habere dicebat Marrius, addit, *si hoc λασκεύει.*

V. 8. QUI MULTIS UTITUR VERBIS LÆDIT ANIMAM SUAM) In Græco: βδελυχθήσεται, id est, odio erit, ut sequitur.

ET QUI POTESTATEM SIBI SUMIT INJUSTE) ὁ ἐνδυναστεύων, *qui sibi arrogat*, nempe semper loquendi. ἐνδυναστεύειν est plus sibi assumere quam par est, 47, 22.

*Tunc solum loquendum est, monente Chrysost. in Psal. 140. quando quæ dicuntur plus prosunt, quam silentium. Et Gregor. M. part. 3. Pastor. admon. 15. Sapiens, inquit, tacebit usque ad tempus, ut nimirum cum opportunum considerat, postposita censura silentii, loquendo, quæ congruunt, in usum se utilitatis impendat. Et rursum scriptum est: Tempus tacendi, & tempus loquendi. Discrete quippe vicissitudinem pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet per verba inutiliter defluat, aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat. Quod bene Psalmista considerans dicit: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis: Non enim pomi ori suo parietem, sed ostium petit, quod videlicet aperitur, & clauditur. Unde & nobis caute dicendum est, quatenus os discretum & congruo tempore vox aperiat, & rursum congruo taciturnitas claudat. S. Ambrosius* l. 1. de Off. c. 10. *Scio loqui plerosque cum tacere nesciant. Rarum est tacere quenquam, cum sibi non prosit loqui: Sapiens ut loquatur multa prius considerat quid dicat, cui cui dicat, quo in loco, quo tempore. Est ergo & tacendi & loquendi modus. Δύο ποιεῖ κακοὺς τὸ λέγειν ἢ σιγᾶν· ὅν δεῖ καὶ σιγᾶν, ὅτε δεῖ καὶ λέγειν εἰπεῖν. Panitentia super silentio melior est panitentia super sermone* ajunt *Arabes* Proverb Cent. 1. n. 99.

*minus sermonis.*

V. 9. EST PROCESSIO IN MALIS VIRO INDISCIPLINATO, ET EST INVENTIO IN DETRIMENTUM) Pergit facere sententias, ἐξ ἀδιδάκτου. Varia est in Græco lectio. Optime Sixtina: ἔστι ἐυρέσις ἐν κακοῖς ἀνδρὶ, ὑφ' οὗ ὕφημα εἰς ὄλεθρον: id est, *interdum in malis hominis profectus sita est, & interdum acquisitio adfert damnum:* quia adversa intendit, imum, divitiæ relaxant pigritiæ acquisito, sive lucrum שלו Jer. 38, 2. 39, 18. 45, 5.

Vers. 10. EST DATUM QUOD NON EST UTILE) δῶρα hic est quælibet erogatio. Multi perdere sciunt, donare nesciunt.

ET EST DATUM CUJUS RETRIBUTIO DUPLEX) Beneficium bene locatum.

Vers. 11. EST PROPTER GLORIAM MINORATIO) Galba omnium consensu capax imperii, nisi imperasset. Tacitus Histor. 1. Sophocles:

Λαμπρὸν δὲ πάντως ἐστὶν εὐκλεᾶ θανεῖν
ἥτις τε τοῦ φέροντος, εἰ γένοιτ', ἄριστ' ἂν
λέγοιτο τἀνδρὸς εἰ τύχοι φωτός.

ET EST QUI AB HUMILITATE LEVAT CAPUT) Multi per adversa illustrati sunt.

- - - *multi suam*
*Rem bene gessere, & publicam patria procul.*

ait Ennius Medea. Epaminondam inimicitiarum curatorem fecerant: quod minus vile haberi solebat Thebis, ille muneri dignitatem addidit: τοῦτο δὲ τὸν ἀνδρὸν ἔδοξε. Adde quæ apud Valerium III. 4.

V. 12. EST QUI MULTA REDIMAT MODICO PRETIO, ET RESTITUENS EA IN SEPTUPLUM) Ut quisibi comparant domos male fundatas, cibos corruptos aut insalubres, vasa non bene compacta, vinum fricens, & inde in morbos aut damna incidunt. *Restituens*, in Græco est ἀποδώσων, id est, *rependit.* Est id verbum Gen. 31, 39. & Psal. 69, 5.

V. 13. SAPIENS IN VERBIS SE IPSUM AMABILEM FACIT) Etiam verbis sibi amicitias conciliat.

GRATIÆ AUTEM FATUORUM EFFUNDENTUR) Sqltorum etiam beneficia fructu carent, quia seruntur sine delectu, & ipsi exprobrando sua data corrumpunt. Philemon:

Κακὸς πανοῦργος, ὁ κακὸς ἀνόητος,
ἔργον κακοδαίμονος τὸ μὴ λέγειν.

Vers. 14. DATUS INSIPIENS NON ERIT UTILIS TIBI) Inspiens & jactabundus est, & avarus. Quare quod in Græcis quibusdam sequitur, ὀλίγον δὲ τοῦ δαπανᾶν ἀφ' ἑαυτοῦ, abest in Sixtina, & satis subillo generali vocabulo comprehenditur.

OCULI ENIM ILLIUS SEPTEMPLICES SUNT) In Græco: Oculi enim illius (id est, eo spectat) ut pro uno accipiat multa:

*Munera magna quidem mittit, sed mittit in bamo:*
*Et piscatorem piscis amare potest.*

Vers. 15.

EXIGUA DABIT, ET MULTA IMPROPERABIT) Sæpe exprobrabit quæ dedit, quamvis non magna: multi sunt ninnii commemorando quæ meruere, ut Tacitus loquitur. Multa habet contra hoc vitium Seneca circa finem de beneficiis. Inter alia hoc: *Nunquam ne quereris quidem dicam:*

- - - - *ejectum littore egentem*
*Excepi, & regni demens in parte locavi.*

*Non est illa admonitio. Non; confitium est. Hoc est in odium beneficia perducere.*

ET APERTIO ORIS ILLIUS INFLAMMATIO EST) Legit ὀξυθυμία, ubi nos rectius habemus, ὀξυχειρία. *Tam late os suum aperiet, ac si præco esset.* Juvenalis:

*Tu miser exclamas? ut flentora vincere possis.*

Vers. 16.

HODIE FOENERATUR QUIS) *Hodie dat mutuum:* nempe insipiens. Δανείζειν recte dicitur de quovis mutuo. Mutuum naturam commodati imitatur. Est in commodato repetitio quædam importuna. L. in commodato 5. 3. D. commodati: sic & in mutuo.

ODIBILIS EST HOMO HUJUSMODI.) Non aliter Sixtina: μισητὸς ἀνθρώπῳ ὁ τοιοῦτος. Alii codices: μισητὸς παρὰ πᾶσι ἀνθρώποις ὁ τοιοῦτος.

Vers. 17.

FATUO NON ERIT AMICUS, ET NON ERIT GRATIA IN BONIS ILLIUS) In Græco aliter: *Dicet stultus non est mihi amicus, nulla est gratia bonis meis:* Id est beneficiis, quomodo ἀγαθοῖς vocem sæpe sumi hic scriptor, ut 18, 15. Queritur homo insipiens & imputator nullam beneficiis suis gratiam referri. Egregius χαριστηριμὸς, quales hic multi.

Vers. 18.

QUI ENIM EDUNT PANEM ILLIUS FALSÆ LINGUÆ SUNT) Et hæc in Græco verba sunt, non scriptoris, sed insipientis: *οἱ ἐσθίοντες τὸν ἄρτον μὴ ζωῆλοι τῇ γλώσσῃ. Qui de meo edunt, linguam habent fordam:* sapores non bene discernentem. Nesciunt quanti sint meæ epulæ. Ex una facili specie cætera intellige.

QUOTIES ET QUANTI IRRIDEBUNT EUM) *Quanti*, id est, *quot.* Gnatho apud Terentium dicente de rege Thraso: *Imo hic homo est perpaucorum hominum:* clanculum dicit: *Imo nullorum arbitror si tecum vivit.* Et alibi de eo.

*Fatuus est, insolsus, tardus, sterilis nolisque & diei.*

Artotrogus apud Plautum de Pyrgopolinice.

*Assentiendum est, quicquid hic mentitur.*

Vers. 19.

NEQUE ENIM QUOD HABENDUM ERAT, DIRECTO SENSU DISTRIBUIT, SIMILITER ET QUOD NON ERAT HABENDUM) Hoc in Sixtina non est, sed alii libri Græci sic habent: οὔτε γὰρ τὸ ὄφελι ἐν ἀρετῇ πεῖσαι ἄλογον· τοῦτο μὴ ὄφελι οὐσίας ἀδιάφορον αὐτῷ. *Neque enim quod habet recto sensu* (id est, cum bene utendi arte) *accepit, & quod non habet id ille ex aquo est.* Nimirum, ut in Latino est versus:

*Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.*

Vers. 20.

LAPSUS FALSÆ LINGUÆ QUASI IN PAVIMENTO CADENS, SIC CASUS MALORUM FESTINANTER VENIET) In Græco: ὀλισθήματα ἀπὸ ἰδιώτου μᾶλλον, ἢ ἀπὸ γλώσσης, οὕτως πίπτοντα κακῶν κατὰ σπουδὴν ἔρχει. *Lapsus ex pabimento* (ex lapide aliquo exstante) *potius* (opprandus) *quam lapsus ex lingua, adeo subito ruina malorum advenit:* ex linguæ lubrico. Æschylus:

Γλώσσης μαντὶς ζωμὸς πρεσβεύειν.

Euripides:

*Αχαλίνων σωμάτων*
*Ἀνόμων τ' ἀβρούνας.*
*Τὸ τέλος δυσνύμφευτον.*

Insignes ab hac culpa exitus Cornelii Galli & Fabii Maximi. Augusti temporibus. Adeo verum illud:

Ἡ γλῶσσα πολλοὺς εἰς ὄλεθρον ἤγαγεν.

Vers. 21.

HOMO ACHARIS QUASI FABULA VANA, IN ORE INDISCIPLINATORUM ASSIDUA ERIT) ἄνθρωπος ἄχαρις, μῦθος ἄκαιρος, ἐν στόματι ἀπαιδεύτων ἐνδελεχισθήσεται. *Vir bona ingratus, sit sermo importunus: frequens tamen est in ore male institutorum.* Idem sensus qui supra 15. 18.

V. 22. EX ORE FATUI REPROBABITUR PARABOLA) In contemtum veniet bona sententia, quia eam non suo loco usurpat, ut sequitur.

Vers. 23.

EST QVI VETATVR PECCARE PRÆ INOPIA, ET IN REQVIE SVA STIMVLABITVR) Bene legit, ὃ τῇ ἀνάπαυσι αὐτὸ κατανυγήσεται, non ὃ κατανυγήσεται. Qui ob inopiam luxui & libidini se dare non possunt, vitam habent quietam, sed eam quietem dolente animo tolerant. Terentius Adelphis:

- - - - *hæc si neque ego, neque tu facimus,*
*Non sivit egestas facere nos. Tu nunc alia*
*Id laudi ducis, quod tum facilli inopia.*
*Impurum est; nam, si esset unde facere,*
*Faceremus.*

Vers. 24.

EST QVI PERDET ANIMAM SVAM PRÆ CONFVSIONE) διὰ αἰσχύνη, hoc est, διὰ δυσωπίαν. Quod res, quamvis illicitas aut periculosas, negare non audeat. Hæc est αἰδώς, quæ μέγα σώζουσα, quæ est κακῶν ἔναιρε, ut diximus supra 4, 25.

ET AB IMPRVDENTI PERSONA PERDET EAM: PERSONÆ AVTEM ACCEPTIONE PERDET SE) Duplex interpretatio, ἐκ διττογραφίας nata irrepsit in textum. Nam in Græcis aliis est, ἀπὸ ἀδρόνου πρόσωπου: in aliis, ἀπὸ λαλίας προσώπου. Posterius rectum, nam perversius ille pudor ex alterius hominis reverentia nascitur. Id autem est λαλία προσώπου. Sic & infra 42, 2. αἰδοῦμαι & καταισχύνω πρόσωπον conjunguntur.

Vers. 52.

EST QVI PRÆ CONFVSIONE PROMITTIT AMICO) Ex pudore aliquid facturum se promittit: *Multi sunt quos liberales facit frontis infirmitas.* Seneca de beneficiis 2, 1.

ET LVCRATVS EST EVM INIMICVM GRATIS) Postea ubi pœnitentia tactus fidem promissis non implet, pro amico inimicum sibi quæsivit, idque חִנָּם, *frustra*, id est, frustra. μάτην ἀναίτιος, δικαίως: nam omnibus his vocibus illud חִנָּם redditur. Inimicum habet sine causa, alia fellius, quam sua nimia in promittendo facilitate: neque enim ei quicquam quicquam.

Vers. 26.

OPPROBRIVM NEQVAM IN HOMINE MENDACIVM) *Vitium grave*, nam מוּם, ex חָמַם Hebræo, vitium quodvis significat, ut videre est Levit. 21, 17. & sequentibus: 22, 20. & sequentibus: 24, 19. 20. Num. 19, 2. Deut. 15, 21. 17, 1. Simile dictum Sophoclis:

- - - - ὁ ψευδὴς ἀνὴρ
ψευδὴ καλεῖσθαι, κἂν πράσσειν ἃ καλά.

ET IN ORE INDISCIPLINATORVM ASSIDUE ERIT) *Attamen in ore male institutorum id perquam frequens est.* In Græco est δὲ, quod sæpe valet attamen.

Vers. 27.

POTIOR FUR) αἱρετὸν κλέπτης, minus malum ἀφῃρέτης. Fur raro furatur. Mendax nihil ferme agit aliud. Ex furto res, ex mendacio fama sæpe, nonnunquam & vita in periculum adducitur.

PERDITIONEM AVTEM AMBO HÆREDITABUNT) Male petire solent & fures, & mendaces. Fures sæpe occiditis qui eos deprehendit; & cujus læsa fama est, solet se aut sua manu aut per judicem ulcisci.

Basil. Ep. LXXV. Mendacium, inquit, Diaboli fœtus est. Thomas opusc. de erudit. Princip. Qui loquitur mendacium, Diaboli figuram gerit & imaginem: hic enim mendax est ab initio.

Vers. 28.

MORES HOMINVM MENDACIVM SINE HONORE) Consuetudo mentiendi ignominiosa est. ἄτιμίας in Græco, pet μετωνυμίαν adjuncti pro concreto, quæ frequens Hebræis.

ET CONFVSIO ILLORVM CVM IPSIS SINE INTERMISSIONE) Hic in editione Sixtina novus est titulus: ΛΟΓΟΙ ΠΑΡΑΒΟΛΩΝ: quia pleræque sententiæ quæ sequuntur, comparationem quandam in se continent.

*Tigur.* vertunt, *familiaris homini mendaci est ignominia, fiumque dedecus comitatur eum assidue.* Mendaces Magistratu apud Persas excludi in perpetuum *Xenophon* in Cyro l. 3. autor est. *Indi* ei qui *ter* mentitus esset *perpetuum* indicebant *silentium*, referente *Diodoro lib. 3. Bibl. c. 10.* & *Ariano l. 3. de gest. Alex.* De mendacibus.

Vers. 29.

SAPIENS IN VERBIS PRODVCET SEIPSVM) προάξει ἑαυτὸν, invenit rationes, quibus ad honores perveniat. Ναι πρόκριμι est ad honores provehere, etiam Plutarcho in Numa. Pari sensu profectum & processum dicunt Latini.

Sapi-

*Sapientia & eloquentia* sunt nervi evehentes ad gubernationem & necessaria præsidia & ornamenta gubernatorum:

Σοὶ δ' ἔτι μὲν μορφὴ ἑτέρου, ἔτι δὲ φρένες ἄλλαι.
*Mente vales juncta est facundia gratia dictis.*

Vers. 20.

QVI OPERATVR TERRAM SVAM. INALTABIT ACERVVM FRUGVM) σωρηδὸν, pro qua voce σωρὸς ponit Symmachus, Cantic. 7, 2.

QVI PLACET MAGNATIS EFFVGIET INIQVITATEM) Id est, etiamsi quid peccaverit, facile pœnam effugiet. Semper hic interpres μεγιστᾶνας vertit magnates.

Vers. 31.

XENIA ET DONA EXCÆCANT OCVLOS IVDICVM) κυφὸν in Græco, id est, quamvis sapientum: efficiunt dona, etiam illa quæ molliori vocabulo ξένια vocantur, ne verum appareat: nam

- - - - *male verum examinat omnis*
*Corruptus judex.*

ET QVASI MVTVS IN ORE AVERTIT CORRVPTIONES EORVM.) Sixtina: καὶ ὡς φιμὸς ἐν στόματι ἀποστρέφει ἐλεγμούς, id est, *pari modo* (silentium, velut camus in ore averti objurgationem. ἐλεγμὸν hoc sensu sæpe usurpat hic scriptor: comparat silentium donis, quod utrumque vim habeat animos divertendi a proposito: Sensum Latinus bene pervidit.

*Do muneribus.* *Hieronym.* in c. 3. Micheæ sic legit: *Munera execcant oculos etiam sapientum, & quasi frenum in ore avertunt increpationes. Chrysost.* hom. LXIV. in *Joh. Gravis*, inquit, *morbus est avaritia, oculos excæcat, & aures obstruit, & quavis bestia saviores reddit.* Conf. *Deut. 16, 19.* Ideo *Justinianus* Imperat. §. *oportet* de mandat. Princ. Authent. Coll. 3. & Noveil. 25. *Oportet*, inquit, *te pure sumentem administrationem & sine omni suffragio & præ omnibus aliis mundas servare manus Deo, nobisque & legibus, & nullum contingere lucrum neque majus, neque minus.* Quo facit observatio *Plutarchi* libr. de Iside. *Thebis*, ait, *judicum imagines visuntur absque manibus, & summi judicis oculi connivent, eo quod justitia nec muneribus capiatur, nec hominum cultu flectatur.* Pulcre *Nazianz.* in distich. *Auro loquente mers est omnis oratio. Persuadet enim illud etiamsi nullam vocem edat.*

Vers 32. ET THESAVRVS INVISVS) ἀφανὲς.

*Ignotum argenti pondus & auri.*

Vt Virgilius loquitur. Abdita terris lamina, ut Horatius. Sic talentum desossum Matth. 25, 18.

Vers. 33.

MELIOR EST QVI CELAT INSIPIENTIAM SVAM, QVAM HOMO QVI ABSCONDIT SAPIENTIAM SVAM.) Id est, melior est vir qui metu nequid erret plurimum tacet, quam is qui docere alios cum posset, non vult. Sequitur in Græcis quibusdam: κρεῖσσον ὑπομονὴ ἀπαιτοῦντος ἢ ζητοῦσα κοπὴ, ἢ ἀδύνατος ἐγκρυπτόμενος τὰς ἰδίας ζωάς, ubi, ὑπομονὴ ἀπαιτοῦντος est indefessa constantia. Sed abest hæc sententia in Sixtino; Itaque ab aliquo aliunde adscriptam, par credi est.

Seneca Epist. VI. *In hoc gaudeo aliquid discere, ut doceam. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illa inclusam teneam, nec enunciem, rejiciam.*

## CAPUT XXI.

*A peccati iteratione & superbia cavendum. Mores stulti & sapientis, & illius immodestia in risu, visu, auditu, voce, & sermone.*

Vers. 1. FILI, PECCASTI: NON ADJICIAS ITERVM) Cave in posterum.

SED ET DE PRISTINIS DEPRECARE, VT TIBI DIMITTANTVR) *Vt tibi dimittantur*, addidit Latinus Interpres. Vtramque partem pœnitentiæ bene expressit.

NEcessaria quidem hæc sunt *pœnitenti*: non tamen propriæ *partes* sunt *pœnitentiæ*; Hæ enim sunt *contritio*, & *fides. Novæ obedientiæ*, quæ fructus est pœnitentiæ, est desistere à peccato. De periculo autem *perseverantiæ in peccato*, pulcre *Fulgentius* de fide ad Petrum c. 31. *Nullus*, inquit, *hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutius remanere peccatis, cum etiam in viso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare. Tales enim, qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt & sibi de eo indulgentiam reprommittunt nonnunquam, ita prævenuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant.* *Non peccandum spe gratiæ.*

Vers. 2.

QVASI A FACIE COLVBRI FVGE PECCATA) Nam & primi peccati suasor coluber appellatur.

ET SI ACCESSERIS AD ILLA SVSCIPIENTE) Legit hic interpres δέξεται, quomodo est in libris Græcis quibusdam: sed vera lectio est δέξεσαι, quam repræsentat Sixtina. Peritat enim hic scriptor in comparatione colubri qui mordet.

Notat Chrysost. emphasin in voce *accesseris* homil. LIX. in Epist. ad Roman. *Non enim*, inquit, *peccatum ad nos accedit, verum nos ad illud transfugimus*, additque *Diabolum inter nos habitare quasi latronem quendam & tyrannum, qui nisi quem apprehenderit inermem ac solitarium in suas spheluncas descendentem, accedere sane eum sustinet.* Fugiendum magis peccatum est, quam Satanas ipse, qui stimulo quo nos transfigat destituitur, cum peccatum à nobis declinatur. Non autem peccatum tantum fugiendum, sed etiam occasio peccati, facies colubri, non solum coluber.

Vers. 3.

DENTES LEONIS DENTES EJVS) Duplex figura: nam & initio *quasi* subintelligitur, & secundum illud *dentes* vim exitialem significat à specie ad genus.

Vers. 4. QVASI ROMPHÆA BIS ACVTA) ὡς ῥομφαία δίστομος, secans ab utraq; parte, חרב פיפיות: Jos. 3, 6. חרב פיפיות, Psal. 149, 5. חרב פיות. Prov. 5, 4. Bicipitem solet dicere Hieronymus.

Δίστομον *quasi ex duabus partibus scindens animam simul & corpus perforat, occidit, & ad gehennam transmittit*, dicente Rabano.

Vers. 5.

OBIVRGATIO ET INJVRIÆ ANNVLLABVNT SVBSTANTIAM) *Tritita & contumelia destruent divitias, καταπάτησις* est teritare.

*Multos necesse est timent, quem multi timent.*

ET DOMVS QVÆ NIMIS LOCVPLES EST ANNVLLABITVR SVPERBIA, SIC SVBSTANTIA SVPERBI ERADICABITVR) Sæpe evenit in hoc libro, ut duæ versiones diversorum interpretum in unam coalescerent. Hic in Græco est: ὕβρις οἴκου ὑπερηφάνου ἐρημωθήσεται: *sic & superborum domus destruetur*: non minus feliciter quam rixose rum. Superbus enim homo omnibus injuriam facit: itaque mirum non est, si multos inimicos habeat.

Vers 6.

DEPRECATIO PAVPERIS EX ORE VSQVE AD AVRES EJVS PERVENIET) *Preces pauperis ex ore aurium ipsius tenus*: id est, non ultra quam ad aures perveniunt, animum non attingunt.

ET JVDICIVM FESTINATO ADVENIET ILLI) *Judicium ejus* (id est, pœna) *festine veniet.* Deus immisericordes immisericorditer tractat.

Vers. 7.

QVI ODIT CORREPTIONEM VESTIGIVM EST PECCATORIS) In Græco: ὁ ὤρθρος διαστολῆς, id est, per veligia incedit hominis peccare confecti.

ET QVI TIMET DEVM CONVERTETVR AD COR SVVM) *In corde suo*: id est, mentis reipiet: non committet ut quod fecit in consuetudinem transeat.

Est enim *reprehensio* veluti *quædam chirurgia affectionum animæ, medicamentum autem est probri insimulatio*, ut pulcre docet Clem. Alexand. l. I. Pædagog. c. 8.

Vers. 8.

NOTUS LONGE POTENS LINGUA AUDACI, ET SENSATUS SCIT LABI SE AB IPSO) *Longe celeber* (est vir) *longe potens*: (nam illud *audaci* in Græco non est) *at vir mente præditus intelligit ubi ille labitur.* Alios pertrahit in assensum limpidus ille eloquentiæ torrens. At qui judicio & rerum cognitione valet, is ficta novit à veris discernere.

Vers. 9.

QUI ÆDIFICAT DOMUM SUAM IMPENDIS ALIENIS) Ære alieno, ὑχρέωσιν ἀλοτρίοις.

QUASI COLLIGIT LAPIDES SUOS IN HTEME) Legit ἑαυτῷ, pro ἑαυτῷ, & εἰς χειμῶνα, quod & nunc codices nonnulli habent, pro εἰς χῶμα τάφου. Par ei est qui ad sepulchrum suum lapides congerit, sibi enim ruinam parat.

Vers. 10.

STUPPA COLLECTA SYNAGOGA PECCANTIUM) Multitudo hominum malorum est velut stuppæ congeries, quæ facillime ignem concipit. Gant. trium puer. 17.

ET CONSUMMATIO ILLORUM FLAMMA IGNIS) Addunt quidam codices, εἰς ἀπώλειαν. Sed id satis comprehensum in voce συντέλεια, & abest in Sixtina. Peribit tam subito, quam quæ igne consumuntur.

Vers. 11.

VIA PECCANTIUM COMPLANTATA LAPIDIBUS) Facilis incessu, ut viæ stratæ.

Τῶν μὲν γὰρ κακοπηξ ἐλαδὸν ἐστιν ἐλέσθαι
ῥηϊδίως. λείη μὲν ὁδὸς, σχεδὸν δ' ἐγγύθι ναίει.

ET IN FINE ILLORUM INFERI, ET TENEBRÆ ET POENÆ) Christiane admodum. At in Græco est tantum ἐν τοῖς ἐκείνου αὐτῶν ἀσεβοῦσιν. In fine ejus, id est, tandem ducit ad sepulchrum, id est, ad mortem, à judice, aut ab iis quos læserunt, aut à Deo denique.

Vers. 12.

QUI CUSTODIT JUSTITIAM CONTINEBIT SENSUM EJUS) *Qui legem* (Dei) *custodit, is compos fit sensuum legis.* Confer, Johann. 7, 17. & id quod sequitur.

Vers. 13. CONSUMMATIO TIMORIS DEI) Id est, finis ejus,

SAPIENTIA EST SENSUS) σοφίας περιλήψις, sapientiæ augmentum,

Vers. 14.

NON ERUDIETUR QVI NON EST SAPIENS IN BONO. EST AVTEM SAPIENTIA QVÆ ABVNDAT IN MALO, ET NON EST SENSVS VBI EST AMARITVDO) Varias interpretationes ex varia lectione in unum misceuerunt exscriptores. Græca sic habent: ὁ πανδυσώπευτος δὲ ἐν τῷ πανηγύρει ἔσται, γὰρ πανήγυρις πλουσίων πικρίας. Sicut ante πήχεσιν, ita hic πανηγύρει vocem distinguit, est enim vox per se media. Observavit id Basilius in Proverbia, dicens, πανηγύρεις δύσνυκτος ἑσπὴ, & laudabilem πανηγύριν esse eam: ἡ ὡς ὄντως τῶν σεφεγγυίων ἔσται δεῖπνα δυσώλυστος τῶν ἀσεβούντων πανήγυρις. Ergo dicit hic scriptor subtilitatem quandam ingenii requiri in eo qui ad magnum doctrinæ fastigium sit perventurus. Sed aliam quoque esse subtilitatem, quæ de se producat malitiam. Id enim valet πικρία Deut. 29, 18. Act. 8, 23. Hebr. 12, 15.

Vers. 16.

SCIENTIA SAPIENTIS TANQVAM INUNDATIO ABVNDABIT) Augetur quotidie sicut diluvies. Vide Genes. 7, 9. & sequentibus.

ET CONSILIVM EJVS SICVT FONS VITÆ PERMANET) ἡ βουλὴ αὐτῆς ὡς πηγὴ ζωῆς. Nam ἀγωγὴ non est in Sixtina. Fons vitæ Hebraïs est fons perennis, Psal. 36, 10. Prov. 10, 11. 13, 14. 14, 27. 16, 22. 18, 4. Jerem. 2, 13. 17, 13. Apocal. 7, 17. Non magis ei consilium deerit, quam aquæ fonti perenni. Ovidius de Homero.

---*cujus de fonte perenni*
*Fatum Pierides ora riganter aquis.*

Vers. 17.

COR FATVI QVASI VAS CONFRACTVM) Dolium Danaidum.

ET OMNEM SAPIENTIAM NON TENEBIT) Infusa illi effluent. Quod hic libri nonnulli adjiciunt, ἐν ζωῇ αὐτῆς, id Sixtina non habet.

Vers. 18.

ET AD SE ADJICIET) Sibi applicabit.

AVDIVIT LVXVRIOSVS) ἀσώτου, impudens.

PROJICIET ILLVD POST DORSVM SVVM) A tergo rejiciet, ut quæ non curamus.

Vers. 19.

NARRATIO FATUI QUASI SARCINA IN VIA) Res molesta ac tædiosa.

NAM IN LABIIS SENSATI INVENIETUR GRATIA) *Ait in labiis.* Placebunt, quæ vir sapiens dixerit.

Vers. 20. OS PRUDENTIS QUÆRITUR IN ECCLESIA) Magno cum desiderio expectatur ejus sermo in senatu, aut concione.

ET VERBA ILLIUS COGITABUNT IN GORDIBUS SUIS) Hoc suo loco est in Sixtina. In aliis codicibus Græcis male transponitur. Digna judicantur ejus verba, quæ infigantur memoriæ.

Vers. 21.

TANQUAM DOMUS EXTERMINATA, SIC FATUO SAPIENTIA) Ut domus destructa, sine ordine ac decore; lapides, non domus.

ET SCIENTIA INSENSATI INENARRABILIA VERBA) ἀδιήγητα λόγια, verba impræmeditata,

Vers. 22.

COMPEDES IN PEDIBUS STULTO DOCTRINA, ET QUASI VINCULA MANUUM SUPER MANUM DEXTERAM) Etiam super dextram. Ideo præcepta odit, quia videt futurum, ut per ea vetetur suis malis moribus vivere.

Vers. 23. FATUUS IN RISU EXALTAT VOCEM SUAM: VIR AUTEM SAPIENS VIX TACITE RIDEBIT) Explicatio fusior ejus quod dictum supra 19, 27. Seneca: *Risus sit sine cachinno.* De Jove, Virgilius:

*Ille subridens hominum sator atque Deorum.*

*Basil.* ad filium spiritual. *Noli dissolutis labiis risum proferre; amentia namque est cum strepitu ridere: sed subridendo tantummodo mentis lætitiam indica. Gregor. Nazianz. in Tetrastich.*

*Risum meretur qualibet risus procax.*
*Tristem esse præstat, quam solutis moribus.*

Vers. 24.

ORNAMENTUM AUREUM PRUDENTI DOCTRINA) *Velut torques.*

ET QUASI BRACHIALE IN BRACHIO DEXTRO) Vide Esa. 3, 17.

V. 25. PES FATUI VELOX IN DOMUM PROXIMI) Nullis de causis ingeritse in alienum larem.

Hoc vitio notatus fuit *Crates Thebanus*, qui idcirco vulgo dictus Θυρεπανοπτὴς, id est, ostiorum apertor, quod in omnes domos irrumperet, & si quid displicuisset reprehenderet *Cynica* libertate, teste *Laërtio* l. VI. c. 5. Quocirca Socrates, ut suos à curiositate rerum alienarum avocaret, crebro usurpabat illud Homeri:

*Ædibus in nostris quæ prava aut recta gerantur.*

Vers. eod.

ET HOMO PERITUS CONFUNDITUR A PERSONA POTENTIS) In Græcis exemplaribus quibusdam est ἀπὸ προσώπου, quod hic interpres explicavit, addita *potentis* voce. Sed melior est lectio altera, ἀπ' αὐτοῦ, à tali more abstinebit; quod & sequentia firmant.

V. 26. STULTUS A FENESTRA PROSPICIET IN DOMUM) Imo à janua, ἀπὸ θύρας. Curiosus introspector est rerum alienarum.

VIR AUTEM ERUDITUS FORIS STABIT) Vir bene institutus foris commodum expectabit ejus quem aditurus est: id enim est verecundi. Vide Deut. 24, 11.

V. 27. STULTITIA HOMINIS AUSCULTARE PER OSTIUM) Quid intus geratur.

ET PRUDENS GRAVABITUR CONTUMELIA) Καρυθήσεται ἀτιμίαν. Vir prudens non poterit talem injuriam non graviter ferre.

Vers. 28. LABIA IMPRUDENTIUM STULTA NARRABUNT) *Loquacium labra disserunt de iis quæ ad se non pertinent.* Ut Olus apud Martialem.

VERBA AUTEM PRUDENTIUM STATERA PONDERABVNTUR) Id est, sapientes, quid dicturi sint prius intra se ad libellam exigunt: nihil dant nisi coctum.

V. 29. IN ORE FATUORUM COR ILLORUM: ET IN CORDE SAPIENTUM OS ILLORUM) Dictum elegans. Illorum mens in lingua natat, his linguam mente comprimunt.

V. 30. DUM MALEDICIT IMPIUS DIABOLUM, MALEDICIT IPSE ANIMAM SUAM) Nempe quia paribus partis conveniunt. Impius autem ingenium trahit de Satana: ita ut etiam ex eo natus dicatur Joh 8, 44.

V. 31. SUSURRO COINQUINAT ANIMAM SUAM) id est, dum alios vult dedecorare, semet dedecorat.

ET

ET IN OMNIBUS ODIETUR, ET QUI CUM EO MANSERIT, ODIOSUS ERIT: TACITUS ET SENSATUS HONORABITUR) Pro his omnibus in Græcis tantum est: κρὸς δὲ ἐαὶ σωφρονίση μισηθήσεται. At in Sixtina: κρὸς τὸ σωφρονεῖν μισηθήσεται, recte: *Odio erit omni vicinia.*

Notat in hac altera capitis parte B. *Chytræus* descriptionem veræ Sapientiæ, & antithesin stultitiæ: *Sapientia est vera agnitio Dei, & veraprætas regens consilia & actiones vitæ omnes juxta verbum Dei. Stultitia est ignoratio & contemtus Dei, errans in opinionibus, consiliis, dictis, & factis. Quia non verbum Dei, quod unica veritatis norma est, sed sui capitis somnia sequitur. Recitat autem Siracides quinque vel sex discrimina, quibus stulti & sapientes agnosci & discerni possint. Sapiens sua judicia, consilia, mores, actiones & vitam totam dirigit ad normam mentis divinæ expressam in verbo, in quo se patefecit Deus. Stultus spreta verbi divini regula sui capitis somnia sequitur. Sapientes sunt dociles, patiuntur se verbo Dei erudiri, moneri & regi. Stulti sunt indociles & pertinaces. Sapientum consilia dicta & facta, sunt ordinata, recta, salutaria, & hominibus sanis grata & suavia. Stultorum vero consilia & sermones sunt inordinati, confusi, distorti, inutiles & permitiosi. Sapientes sunt modesti, verecundi, circumspecti, graves. Stulti sunt curiosi, πολυπράγμονες, imprudentes, præcipites. Sapientes sunt in loquendo cunctantiores, circumspecti, prudentes, & verba singula aurificis libella expendunt. Stulti sunt garruli, præcipites, futiles, αὐθαδόγλωσσοι, ἀχαλινόστομοι. Sapientes sunt graves, sedati, alieni ab omni scurrili levitate. Ecentra per risum multum debes cognoscere stultum.*

## CAPUT XXII.

*Stulti inutiles, contemtibiles (etiam indisciplinati liberi) inemendabiles, & intolerabiles; & de cavendis vitiis amicitiam violantibus.*

Vers. 1.

IN LAPIDE LUTEO LAPIDATUS EST PIGER) συνεβλήθη, & hic & sequenti commate sumsit interpres in sensu quo συμβαλεῖν ἐπὶ κακὰ, id est, jacere dixit Sophocles: sed revera ponitur hic in sensu comparandi. Hoc dicit: Pigrum Lapidi per madorem corrupto esse similem, id est, nulli usui.

ET OMNES LOQVENTVR SVPER ASPERNATIONEM ILLIVS) *Quibus sibilabit*, ad significandum, *ejus* contemptum. Exhibilare spernentium est. Lament. 2, 15. Ezech. 27, 36.

Sic fere etiam & Tigurini: *Lapidi conspurcato comparandus est piger, quem ignominiæ causa omnes irrideant.* Pro *pigro* Arabs & Syrus *stultum* habent. Pigritia enim species est stultitiæ, quæ hominem non tantum otiosum sibique & aliis inutilem facit, sed & noxium, multisque vitiis commaculat, quum otium & pigritia pulvinar Diaboli sit, & causa omnis mali.

Vers. 2.

DE STERCORE BOVM LAPIDATUS EST PIGER) Comparatur bubulo stercori.

OMNIS QVI TETIGERIT EVM EXCVTIET MANUS) *Qui sustulerit de terra*; qui expertus est, uti eo nolet.

Vers. 3.

CONFVSIO PATRIS EST DE FILIO INDISCIPLINATO) Euripides de liberis:

Καὶ γὰρ κακοὶ γεγῶτες, αἰσχίστη νόσος.

FILIA AVTEM IN DEMINORATIONE FIET) *Filia vero* (nempe male educata ἀπὸ κακῶν) *erit ad damnum.* Volet incedere censibus indutа nepotum, & habere patrimonia de auribus pendentia.

V. 4. FILIA PRVDENS HÆREDITAS VIRO SVO) Optime sensum vertit. Hellenistæ, quia non habebant voces quibus Hiphil Hebraum redderent, activum simplex pro duplici activo posuere. Ita κατακλύειν est pro הכליל, facere regnare. Et hæc ipsa vox κληρονομεῖ, pro והחליל, Prov. 13, 22. Sensus est: Filia prudens sinum virum locupletabit, nempe moderate rebus utendo. Legendum autem κληρονομεῖ ἄνδρα, ut in Sixtina, non ἀνδρός.

NAM QVÆ CONFUNDIT IN CONTUMELIAM FIT GENITORIS) *Et quæ dedecorat maritum* (ad egestatem eum redigendo sumptibus) *dolori est quæ ipsam genuit.*

Vers. 5.

PATREM ET VIRUM CONFUNDIT AUDAX) Patrem & virum dedecorat θρασεῖα, quæ omnia audet facere, quæ famam non veretur.

ET AB IMPIO NON MINORABITUR) Alieno loco insertum hoc, nec est in Græcis.

AB UTRISQUE AUTEM INHONORABITUR) *Spernetur.* ἀτιμασθήσεται. *Ab utroque*, id est, à Patre & marito.

Vers. 6.

MUSICA IN LUCTU IMPORTUNA NARRATIO) *Cantica in luctu importuna conversatio.* Hoc significatu διήγησιν etiam infra habes 38, 26.

FLAGELLA ET DOCTRINA IN OMNI TEMPORE SAPIENTIA) In Græco: μάστιγες δὲ καὶ παιδεία ἐν καιρῷ σοφίας: sed legendum omnino: μάστιγες δὲ καὶ παιδεία ἐν καιρῷ, σοφία. Ad flagra & castigatio in tempore, sapientia: id est, opera sapientiæ. Quæ hic sequuntur in Græcis quibusdam, sicut in Latinis abfuit, ita & in Sixtina.

Sic & *Syrus: Sicut Musica inter luctum narratio importuna*, (ita) *correptio & doctrina in omni tempore* (ex adverso) *sapientia est, id est, sapientiam paris.*

Vers. 7.

QVI DOCET FATUUM, QUASI QUI CONGLUTINAT TESTAM) Perinde perdit operam, ac si testarum fragmenta glutine velit jungere.

Vers. 8. QUASI QUI EXCITAT DORMIENTEM DE GRAVI SOMNO) Id est, veterno laborantem.

Vers. 9. CUM DORMIENTE LOQUITUR) Cum dormitante, νυστάζοντι. In Glossis: νυστάζω, *dormito.*

QUI ENARRAT STULTO SAPIENTIAM) Hoc *sapientiam* non male interpres addit: nam in Græco tantum est: ὁ διηγούμενος μωρῷ.

ET IN FINE NARRATIONIS DICIT, QUIS EST HIC? Legit τίς ἐστι. Sed Græci codices habent, τί ἐστι, quid est quod ais? ut solent auditores supini.

*Pythagoræ* hoc erat symbolum: *In nive ne scribito:* hoc est, incapacibus & mollibus animis dogmata tua ne committas. Proverbium Ben Sira Alph. I. L. v. Lamed hoc erat. *Sapientem nutu, & stultum fuste.*

Vers. 10.

SUPRA MORTUUM PLORA, DEFECIT ENIM LUX EJUS: ET SUPRA FATUUM PLORA, DEFECIT ENIM SENSUS) Hic mutila est editio Sixtina. Aliæ editiones recte & plene: ἐπὶ νεκρῷ κλαῦσον, ἐξέλιπε γὰρ φῶς. καὶ ἐπιμωρῷ κλαῦσον, ἐξέλιπε γὰρ σύνεσις, ἐξέλιπε φῶς: *Occidit brevis lux:* ut ait Catullus. Et bene mentem luci comparat: nam quod lux corpori, id mens animo.

Vers. 11.

MODICUM PLORA SUPER MORTUUM, QVONIAM REQUIEVIT. NEQVISSIMI ENIM NEQUISSIMA VITA, SUPER MORTEM FATUI) Brevius elegantiusque in Græco: ὀλίγα κλαῦσον ἐπὶ νεκρῷ ὅτι ἀνεπαύσατο. τὰ γὰρ μοχθηρὰ ὑπὲρ θάνατον ἀφρόνου ἐζωὴ. *Levius fle super mortuo:* (quam si per stultum) *requievit enim:* (is qui mortuus est) *at stulti vita super mortem flebiles.* Quidam ζῶντες τεθνήκασι, ut ostendit Paulus 1. Tim. 5, 6. nempe qui à Deo separati sunt. Deus enim animo, quod animus corpori. Vide quæ dicta à nobis & aliis ad Matth. 8, 22.

Vers. 13.

LUCTUS MORTUI SEPTEM DIES) More antiquissimo. Gen. 50, 10. Vide quæ attulimus ad Matth. 9, 23.

FATUI AUTEM ET IMPII, OMNES DIES VITÆ ILLORUM) Semper lugendi tales. Cenotaphia ejus generis hominibus exstruebant Pythagorici.

Tigurin: *Mortuum tamen lævius defleas, utpote quiescentem: vita vero stulti morte pejor est.* Syrus: *Non est plorandum super mortuo qui requiescit: pejor enim morte est vita prava.* S. *Anshelmus* etiam *peccatum pejus* esse *ipsa morte inferni* pronuncia- *Peccatum quantum malum?*

bat,

bat, cum diceret, ut in vita ejus habetur, *si hinc inferni ardorem, inde peccati horrorem cernerem ac necessario mihi alterutrum eligendum foret, mallem in infernum insilire quam peccatum committere.* Alius tamen hic sensus: nimirum, quod *major causa sit plorandi vitam fatui, qui quamdiu vivit, subinde peccata peccatis addit, suamque auget condemnationem.* Dum autem moritur, peccando cessat, & si pœnitentiam ante mortem agat, beatitudinem adit.

Vers. 14. CUM STULTO NE MULTUM LOQUARIS) Neque cum femina, addunt Rabbini.

ET CUM INSENSATO NE ABIERIS.) *Adinsipientem ne accedito.* Causa sequetur: sed interponunt hic Græci codices nonnulli: ἀκουστῶν γὰρ ἐμβύσεται σε τὰ πάντα: *nam ut est stupidus, omnia tua* (dicta *contemnet.*

Vers. 15. ET NON COINQUINABERIS PECCATO ILLIUS) In Græco: ἐν τῇ ὑστεροῦντι αὐτὸν, jactatione ipsius, id est, sputo. Per sputum autem verba probrosa intelligit.

Vers. 16. ET NON ACEDIABERIS IN STULTITIA ILLIUS) In Græco: καὶ μὴ ἀκηδιάσῃς ἐν τῇ ἀφροσύνῃ αὐτοῦ. *Ne tædio afficiaris, ob ipsius stultitiam.* Ἀκηδία est vecordia, sive pervicax quædam audacia; cujus descriptionem habes apud Theophrastum. ἀκηδία autem tædium. Psalm. CXIX. 28. interdum dolor, mœror, Et. LXI. 3. Baruch. III. 1. & inde verbum ἀκηδιάζειν, Psalm. CXLIII. 4.

Vers. 17 SUPER PLUMBUM QUID GRAVABITUR? ET QUOD ALIUD ILLI NOMEN QUAM FATUUS?) Græce, τίνος μολυβδοτέρα (ita ponendi accentus) ἐφορτίστερον γὰρ τί ἐστιν αὐτοῦ, ἀλλ' ἢ μωρός; Ita enim Sixtina, non ut in aliis codicibus: ἀλλ' ἢ μεγάλως. *Est aliquid plumbo gravius, & quod nomen (ei rei) aliud quam stultus?* Ejus præsentia & sermones omnibus graves sunt supra quam dici potest.

Vers. 18. ARENAM ET SALEM ET MASSAM FERRI FACILIUS EST FERRE, QUAM HOMINEM IMPRUDENTEM, ET FATUUM, ET IMPIUM) In Græco tantum est, *hominem imprudentem;* & sumta est sententia ex Prov. XXVII 3.

*Bernhard.* Tract. de vita solitar. *Malus homo,* inquit, *nunquam tute secum habitat, quia cum malo homine habitat: & nemo ei molestior est, quam ipse sibi.* Si sibi, utique & aliis.

Vers. 19. LORAMENTUM LIGNEUM COLLIGATUM IN FUNDAMENTO ÆDIFICII NON DISSOLVETUR) ἱμάντωσις, quod hic loramentum vertitur (sicut in Glossis ἱμάντωμα, loramentum) est, Suida explicante, δέσις ξύλων ἐμβαλομένων ἐν τοῖς οἰκοδομήμασι. Hieronymo lignum, quod ad continendos parietes in medio structuræ ponitur.

SIC ET COR CONFIRMATUM IN COGITATIONE CONSILII) Sequitur in Græci: ἐν καιρῷ ἐπιλήψεως. *In agendi tempore non trepidabit* Sic enim restius in Sixtina, quam in aliis: Ἐν παντὶ καιρῷ φόβου ἐπιλήψεται. Sensus est, constantem esse eum in agendo, qui prius quam agat, causas agendi, & consequentia ita expendit, ut dicere possit:

*Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.*

Vide quæ dicta ad Mauth. VII. circa finem.

Vers. 20. COGITATUS SENSATI OMNI TEMPORE METU NON DEPRAVABITUR) Alter in Græco: καρδία εἰδήσεως ἐπὶ διανοίᾳ συνέσεως, ὡς κέντρον ἁλισμοῦ ἐπὶ τοίχῳ ξύλου. *Animus fixus super consilio prudentiæ, est ut arenatum restorium in pariete bene adagiatum.* Sicut tale tectorium imbrem non metuit, ita neciille adversa. Tectoria ex luto diffluunt, & disjiciunt parietem. Ezech. XIII. 10. 12.

Vers. 21 SICUT PALI IN EXCELSIS, ET CÆMENTA SINE IMPENSA POSITA CONTRA FACIEM VENTI NON PERMANEBUNT: SIC ET COR TIMIDUM IN COGITATIONE STULTI CONTRA IMPETUM TIMORIS NON RESISTET.) Nihil de cæmento in Græco, ut cujus mentio præcesserit: sed sic: χάραξες ἐπὶ ὑψηλοῖς κείμενοι κατὰ πρόσωπον ἀνέμου οὐ μὴ μείνωσι, οὕτως καρδία δειλὴ ἐπὶ διανοήματι παντὶ κατέναντι παντὸς φόβου οὐ μὴ ὑπομείνῃ. χάρακες sunt vari qui a venatoribus poni in summis montibus solent: qui & Theocrito in Epigrammate: τηλωπὶς ἢ ἀγρίτας γᾶς ἀν' ὄρη. Tales varos vehemens ventus disjicit. Pari modo homo levis metu quovis ingruente sententia dejicitur.

Vers. 22. SICUT COR TREPIDUM) Deest hæc sententiajin Græco, & recte.

B. *Chytræus* ita de hoc loco: *Insignis sententia est de fide, qua est fiducia cordis in Deo nobis propitio & favente acquiescens, & certo statuens se Deo curæ esse, se propter Christum mediatorem a Deo diligi, exaudiri & in omnibus periculis servari, defendi & æterna salute donari. Hæc fides reddit cor tranquillum & lætum, ut in periculis & aruminis omnibus non frangatur trepidatione, metu & terroribus ullis, sed solida petræ Christo constanter innitatur & omnes dubitationum & pavorum fluctus à se repellat & vincat. Matth. 7. Firma fide innitens Deo, similis est homini prudenti, qui ædificat domum suam super petram. Et in Psalm. 124. Qui confidunt in Domino, tanquam mons Sion non commovebuntur. Psalm 61. Nonne Deo erit subjecta anima mea &c.* Hæc Chytræus. Non absimiliter B. Oiander: *Hæc incommode conversa hanc habent sententiam: Quemadmodum domus firmis compagibus ligneis connexa, etiam turbine ventorum graviter impulsa non dissolvitur, ita etiam cor confirmatum in sententia sui consilii (temporibus adversis) non mulicbriter trepidat (Magnum autem domum Dei est; si quis etiam in tristibus eventibus certo statuere potest, quod consilia sua recta, honesta, & pia fuerint, etiamsi eventus non semper statim respondeat. Ut autem hanc animi certitudinem & firmitatem consequamur, necesse est, ut verbo Dei simus probe eruditi, & ut secundum illud consilia & actiones nostras instituamus. Sic etiam in asperrimis casibus bona & tranquilla conscientia frue mur.) Nunc per collationem ostendit, quam misera res sit, quando conscientia non est certa, firma & quieta.* Sicut ornatus arenosus in pariete limpido, & sicut paleæ in excelsis & cæmenta sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt, sic & cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet. *Hac incommode conversa hanc habent sententiam: Quemadmodu cæmentum in pariete infirmo, aut sepes in alto loco posita impetuosis ventis subsistere nequeunt: Sic etiam cor timidum in deliberationibus stultorum consistere nequit, stolide enim consultant: deinde quum primum negotium non ex animi sententia succedit mulicbriter trepidant, nec, quid consilii capiant, inveniunt. (Non enim in rebus adversis firmiter stare potest cor hominis, quod non innititur mandatis & promissionibus divinis.*

Vers. 24. PUNGENS OCULUM DEDUCIT LACRYMAS,) νύσσων bic non est pungere, sed vellere, vellicare: quod tetere dixit Terentius:

--- --- *una falsa lachrymula.*
*Quam oculis terendo miseris, sive ut expresserit.*

ET QUI PUNGIT COR PROFERT SENSUM) Qui animum alicujus irritat, efficit ut prodeat ultio.

V. 25. MITTENS LAPIDEM IN VOLATILIA) Ut ille apud Horatium, qui

*insequitur cerbos telluque natoque.*

DEJICIET ILLA) *Abigit.* Id enim est ἀποσοβῆσαι, ut Deut. XXVIII. 26. Jerem. VII. 33. In Glossis, ἀποσοβῶ, abigo.

SIC ET QUI CONVITIATUR AMICO DISSOLVIT AMICITIAM) Malunt multi amicum quam dictum perdere. ὕβρει δίνεται συνιμένειν τὸ λοιπὸν, ait Aristoteles Nicom. VIII. 6.

Vers. 26. AD AMICUM ETSI PRODUXERIS GLADIUM NON DESPERES) *Adversus amicum etiamsi gladium eduxeris, noli desperare:* refarci posse amicitiam.

EST ENIM REGRESSUS) Est locus pœnitentiæ. Sic ἐπιστροφὴ sumitur supra XVII. 18.

AD AMICUM SI APERUERIS OS TRISTE NON TIMEAS) Non est *triste* in Græco. Aperite os hic significat dirum aliquid eloqui.

EST ENIM CONCORDATIO) *Datur reconciliatio* in talibus.

EXCEPTO CONVITIO ET IMPROPERIO) In Græco tantum πλὴν ὑπερηφανίας, excepta benefícii exprobratione. Sic ὑπερήφανος supra habuimus XX. 14.

ET SUPERBIA) Id est, contemni amici.

ET MYSTERI REVELATIONE) Arcani creditI.

Οὐκ ἐλέγχῃ γὰρ παρακατάθηκην πυρὶ καῦσαι;
ἐξιστᾶν δ' ὀλίσει τέκνα, ἢ ἀπορατὸς ἴσχαι.

Ait Anaxandrides:

ET FLAGA DOLOSA) Nocumenta per insidias illata. Qui fquid nocet πληγὴ dicitur, ut Hebræis נֶגַע & נֶגֶף.

IN HIS OMNIBUS EFFUGIET AMICUS) *Propter hæc effugiet quivis amicus.* Id eſt, quamvis lenis & patrens.

Verſ. 28. FIDEM POSSIDE CUM AMICO IN PAUPERTATE ILLIUS) id eſt, ſerva fidem in adverſis.

UT ET IN BONIS ILLIUS LÆTERIS) Ut & rerum meliorum ſis particeps.

Verſ. 29. UT ET IN HÆREDITATE ILLIUS COHÆRES SIS) Ut cum ipſo fruaris iis quæ ipſi mancupii jure obvenient. Quod hic in Græcis quibusdam ſequitur: ἐ κατ᾽ ἀγωνιστὴν γὰρ ἀεὶ τῆς περιγραφῆς, βέβ᾽ ὁμωμοχὼς πολέσθαι τῶν ἐκ ἔχων, id abeſt in Sixtina. Videtur autem quiſquis ejus ſententiæ auctor eſt, περιγραφῆς nomine intellexiſſe res arctas.

Verſ. 31. ANTE IGNEM CAMINI VAPOR ET FUMUS IGNIS INALTATUR) In Græco tantum, *bapor & fumus.* Plautus: *flamma fumo proxima eſt.*

SIC ET ANTE SANGUINEM MALEDICTA, ET CONTUMELIÆ ET MINÆ) Pro his omnibus in Græco eſt, λοιδορίαι, *conbitia.* Alexis:

------ φιλεῖ γὰρ ὁ μακρὸς συνοικία,
Καὶ τὰ συμπεσόντα τὰ πολλὰ κἀν καιρῷ ἑκάστῳ, πεῖσαι
Σκαλλῶν ἢ σκοῦφα δι᾽ λυπεῖ πλείονι ἢ τέτρτι πολύ.
Τὰ κακὰν λέγειν γὰρ ἀρχὴ γίνετ᾽. ἂν δ᾽ ὕστερ᾽ ἄπαξ,
Ἐυθὺς ἀντέκρουσας τὸν λοιδορεῖν δέδοκται,
Εἶτα τόντεῦτα δέδοκται, κἀν παρανῖν᾽ ταῦτα γὰρ
Κατὰ φύσιν πέφυκεν ἀνατρέπειν τὰ μικτεῖσι ἰδεῖ.

Verſ. 30. AMICUM SALUTARE NON CONFUNDAR) ſcripſit interpres *ſalvare.* Eſt enim in Græco ἐκπλάγῃ. Nullus pudor me prohibebit quo minus amico periclitanti opem feram.

A FACIE ILLIUS NON ME ABSCONDAM, ET SI MALA MIHI EVENERINT TER ILLUM SUSTINEBO) *Sufinebo* non eſt in Græco. Senſus eſt: non vitabo amici conſpectum, etiamſi ipſius cauſa incommoda mihi aliqua obvenerint.

Verſ. 32. OMNIS QUI AUDIET CAVEBIT SE AB ILLO) Pendet à ſuperiori; *etiamſi, quisquis audiet* mihi ſcilicet propter illum mala eveniſſe, *ſibi ab eo cavebit*, non dimovebor ab amicitia talibus exemplis.

Verſ. 33. QUIS DABIT ORI MEO CUSTODIAM) Id eſt, utinam habeam in ore cuſtodiam. Sic enim Hebræi uſurpant מִי יִתֵּן.

SIGNACULUM CERTUM) *Signaculum ſolers*, id eſt, magna arte factum.

UT NON CADAM AB IPSIS) *Per ipſa*, nempe labia. Addit vir in Græco ἀπροβούλως, id eſt ſubito.

ET LINGUA MEA PERDET ME) Vide ſupra XX. 20.

*De amico.* Pertinent ad has gnomas de amicitia ſententiæ P. Syri: *Amicum perdere eſt damnorum maximum. Tanti homo eſt absque amico, quanti corpus ſine ſpiritu.* Item: *Amicitiæ coagulum eſt fides:* Item: *Amicum, an nomen habeat, aperit calamitas. Amico ea exhibeto, quæ velis tibi. Ambroſ.* l. III. de officc. 16. *Amicus neque noxio gratificari, neque innocenti inſidiari.*

## CAPUT XXIII.

*Oratio adverſus pravas cogitationes, ſuperbiam & ventris cupidinem. Pœdia oris adverſus vitia linguæ, imprimis vero circa tabulam primâ pejerationes, & blaſphemiam. Pœdia item mentis contra vitia tabulæ ſecundæ, iracundiam, & concupiſcentiam veneream, quæ oculos Dei nec fugit, nec vindictam effugiet.*

V. 1. DOMINE PATER, ET DOMINATOR VITÆ MEÆ) ζωῆς μου, ut in Sixtina. Nam alii libri habent ζωῆς ἀνάπαυσις. Videtur hæc precatio cohærere cum iis quæ præcedere XXII. 22. & titulus de amicitia inter iſta inſertus alieno loco.

NE DERELINQUAS ME IN CONSILIO EORUM) *Ne permittas me regi illorum* (ſultorum) *conſilio.*

NEC SINAS ME CADERE IN ILLIS) Id eſt, per illos, in gravia mala incidere.

Verſ. 2. QUIS SUPERPONIT IN COGITATU MEO FLAGELLA) Id eſt, utinam ſemper ſit aliquis, qui me caſtiget, ubi ulla mihi inſedit mala cogitatio. μάστιξ per translationem dicitur omne id quod cum aliquo doloris ſenſu nos docet. Vide ſupra XXII. 6.

ET IN CORDE MEO DOCTRINAM SAPIENTIÆ) Et qui me in rectam viam monendo retrahat.

UT IGNORATIONIBUS EORUM NON PARCANT MIHI) In Sixtina: *ἵνα ἐπὶ τοῖς ἀγνοήμασί μὲ μὴ φείσωνται.* Id eſt, *non parcendo delictis meis.* Delicta omnia ἀγνοήματα Helleniſtis. Diximus ad Judith. V. 19.

ET NON APPAREANT DELICTA EORUM) Variat hic Græca lectio. Sixtina in textu habet: καὶ ὡς μὴ παρῇ τὰ ἁμαρτήματα αὐτῶν. Alii hæc cum ſuperioribus ſic habent: *ἵνα ἐπὶ τοῖς ἀγνοήμασί μὲ μὴ φείσῃ τὸ ὠφέλι, τὰς δὲ ὑβρεις τῶν ὐ ἐπαγγείλῃς ἁμαρτωλῶν μὴ παρῇ.* Veram lectionem puto: καὶ παρῇ τὰ ἁμαρτήματά τις αὐτῶν: *ne quis illorum* (amicorum) *mea male facta diſſimulet.* Παρεῖναι diſſimulare, ut Eſth. VII. 4. & alibi.

V. 3. ET NE ADINCRESCANT IGNORANTIÆ MEÆ) *Et* non eſt in Græco: ſed ὅπως μὴ πλεῖόν σου αἱ ἀγνοιαί μὲ: *ne delicta mea creſcant.* Optime:

*Principiis obſta ſero medicina paratur,*
*Cum mala per longas invaluere moras.*

Ut & ſupra diximus XVIII. 19.

ET PECCATA MEA ABUNDENT) Additur in Græcis quibusdam αἱ συντρῶσι. Cujus ſenſus idem qui in verbis ſequentibus.

ET INCIDAM IN CONSPECTU ADVERSARIORUM MEORUM) Cadam inimicis ſpectantibus. Vox ὑπεναντίον pro inimicis frequens etiam apud puros ſcriptores Græcos.

ET GAUDEAT SUPER ME INIMICUS MEUS) Me cadentem ſcilicet conſpiciens. Conf. quæ ſupra XVIII. 31. Quod hic in editionibus quibusdam Græcis ſequitur: ὧν μακρὰν ἔστω ἡ ἐλπὶς τῦ ἐλέες σου. Id abeſt à Sixtina.

V. 4. NE DERELINQUAS ME IN COGITATU ILLORUM) Hæc repetita ex commate primo, deſunt in Græcis.

V. 5. EXTOLLENTIAM OCULORUM MEORUM NE DEDERIS MIHI) *Meorum* non eſt in Græco. μετεωρισμὸς ὀφθαλμῶν eſt ſuperbia: Sic Græci ſuperbos vocant, τὰς τὰς ὀφρῦς αἴροντας. Dicitur autem Deus dare in quod incidere aliquem patitur.

ET OMNE DESIDERIUM AVERTE A ME) In Græcis plerisque eſt amplius: καὶ γαστρὸς ἀκρατοῦς ψυχὴν ἀπόστρεψόν μὲ παντὸς ἀπὸ δούλων σου, ἐπιθυμίας κενὰς καὶ ἀπόστρεψόν με ἀπ᾽ ἐμοῦ. Gigantea anima eſt ea quæ eo venit arrogantiæ, ut jura negat ſibi nata Sap. XIV. 6. ὑπέρθυμος ex eo quod præceſſit intellige κενὰς, vota temeraria, qualia deſcribit ſic Ranus:

Αἰὲν ὑπερτελὴς ἡ φιλαπεινίστου νόου
Ἰσα δὲ βρυχῶν· κἀξαλὸν δ᾽ ὀϊστὸς ἀγχόνα ἴσχε
Κοίτης ἐὸν ὀδλγῷ· μέλεσιν δ᾽ ὑπτιάζει Λύσσαν.

Quod vero hic in Græcis quibusdam ſequitur: καὶ κρατῆσαι τοῦ διάνοιά σου δοῦλόν μὲ παντὸς, deeſt in Sixtina.

Verſ. 6. AUFER A ME VENTRIS CONCUPISCENTIAS, ET CONCUBITUS CONCUPISCENTIÆ NE APPREHENDANT ME) Brevius in Græco? *Ventris cupido, & concubitus ne me detineant.* Id eſt, eſcæ aut potus nimii appetitus, aut veneris extra conjugium. In auteo carmine:

------ κρατεῖ δ᾽ οὐδὲν τῶν δε,
Γαστρὸς μὲν πρώτιστα καὶ ὕπνου λαγόνες τε

Bene autem conjunguntur iſta: ὁ πλεονασμὸς γὰρ κάπρος.

ET ANIMÆ IRREVERENTI ET INFRUNITÆ NE TRADAS ME) Quod hic ſequitur in Græcis quibusdam, τοῦ δούλου σου, id abeſt à Sixtino. Latinus autem interpres unum Græcum ἀναιδῆ duobus adjectivis Latinis expreſſit. Vox infrunitus eſt apud Feſtum & Senecam. Ψυχὴ ἀναιδὴς, ut infra XXVI. 14. ἀβδελυκτὸς ἀναιδὴς, ſcortum ſignificat.

*De reprobis & in hoc ſeculo fatigantur deſideriis, & in futuro ardentis tormentis.*

*De reprobis* Bedæ in Proverbiis: *Reprobi & in hoc ſeculo fatigantur deſideriis, & in futuro ardentis tormentis. Quis hoſtis,* ait Seneca Ep. XXXIX. *in quemquam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates ſunt. Tunc autem conſummata eſt infelicitas, ubi turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent; Impudens & deſinit eſſe remediо locus, ubi quæ fuerunt vitia, ita in mores ſunt.* De tali impudenti corde vere Xenophon: τίνι ἄνεμι χυντείαν ὑπογίνεται ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἡγεμόνα, *impudentiam eſſe maximum ducem ad omnem turpitudinem.*

V. 7. DOCTRINAM ORIS AUDITE FILII) In Sixtina præponitur hic titulus: ΠΑΙΔΕΙΑ ΣΤΟΜΑΤΟΣ. Sequitur deinde πολλοὶ κύριοι ἀνάγκην ἔπεσαν ἐπὶ ἀνδρὶ ἕνι ἐλλοδνῆ, quod male addunt alii codices.

ET

ET QVI CVSTODIERIT ILLAM NON PERIET LABILIS) καὶ ὁ φυλάσσων, μὴ ἁλῶ ὁ τοὺς χείλεσιν αὐτοῦ, id est, quam doctrinam quisquis observaverit, is non capietur per labia sua, is non efferet verba per jugulum, editura.

NEC SCANDALIZABITVR IN OPERIBVS NEQVISSIMI) Non est in Græco, nec sensui congruit.

Vers. 8. IN VANITATE SUA APPREHENDITVR PECCATOR) *In imprudentia ejus*, (oris scilicet) *comprehenditur peccator.*

ET SVPERBVS ET MALEDICTVS SCANDALIZABITVR IN ILLIS) *In illis*, supple labiis, σκανδαλισθήσεται, id est, offendet.

Vers. 9. IVRATIONI NE ASSVESCAT OS TUUM) Monitum Evangelico præcepto viam parans, ἐκ περισσείας ὀμνύειν, ut ait Philo, & faciles fieri ad juramentum homines contemptu religionis, dixit Ulpianus. Tractavimus hæc ad Matth. V. 34.

MVLTI ENIM CASVS IN ILLA) Abest hoc à Græco.

Vers. 10. NOMINATIO VERO DEI NON SIT ASSIDVE IN ORE TVO, ET NOMINIBVS SANCTORVM NON ADMISCEARIS: QVONIAM NON ERIS IMMVNIS AB EIS) Interpres hic sanctos nobis posuit pro sancto, id est, Deo. Nam in Græco pro his omnibus verbis hæc tantum habemus: ὀνομασία τῷ ἁγίῳ μὴ συνηθιζέτω, ne assuesce illum Sanctum nominare. Inter nomina Dei est sanctus. Esa. XXX. 12. 15. Ezech. XXXIX. 7. Videtur interpres in animo habuisse morem Christianorum non optimorum, quos irridens paganus Poëta scribit:

*Per cineres Pauli, per cani limina Petri,*

Vers. 11. SICVT ENIM SERVVS INTERROGATVS ASSIDVE) Id est, tortus: nam ἐξετάζεσθαι Græcis sæpe id significat, ut & Latinis quærere, unde quæstio. Inter genera quæstionum una est per flagra. Hoc μάστιγι διατείνεσθαι, dixit Lucas, Act. XXII. 24. Sic II. Macc. VII. μετὰ στρεμμάτων κεκολάσθαι. Adde quæ diximus ad Matth. XVIII. 10.

A LIVORE NON MINVITVR) *Non erit liberticus.* Ita enim sumitur διαβλητικὸς, in his scriptoribus, respondens Hebræo נוֹכֵחַ, ut II. Sam. III. 29. Jer. XLIV. 18.

SIC OMNIS IVRANS ET NOMINANS IN TOTO A PECCATO NON PVRGABITVR) Id est, qui jurare & Deum nominare in consuetudine habet, nunquam carebit peccato: ex uno peccato in alterum incidet.

Vers. 12. VIR MVLTVM IVRANS) πολύορκος. Vide quod supra V. 9. adduximus ex Philone.

ET NON DISCEDET A DOMO ILLIVS PLAGA) Hesiodus:

Ὅρκιον· ὃς δὲ κ' ἑκὼν ὀμόσσεται ἀνδρὶ ἢ ἑταίρῳ
Ἠμὲν ἐπιορκήσῃ, ὅτε κεν τις ἀλιτήσῃ ἑκόντα.

Vers. 13. ET SI FRVSTRAVERIT DELICTVM ILLIVS SVPER IPSVM ERIT) ἐὰν πλημμελήσῃ, id est, si oblitus fuerit se jurasse, ΑΣΥ modo per ἀγνοίαν, modo per πλημμελῆ vertitur. Delictum super ipsum erit, id est, etiam sic reus erit.

ET SI DISSIMVLAVERIT DELINQVET DVPLICITER) καὶ ὑπερίδῃ, id est, si meminerit quidem, sed non tanti habeat, ut implere curet.

Vers. 14. ET SI IN VACVVM IVRAVERIT) Id est, si ab initio cum juraret, joco id, non serio fecerit, putetque elabi se posse dicendo.

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοκ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

NON IVSTIFICABITVR) Non recipietur ista excusatio.

REPLEBITVR ENIM RETRIBVTIONE DOMVS ILLIVS) πλησθήσεται γὰρ ἐπαγωγῆς ὁ οἶκος αὐτοῦ. *Imo malis implebitur domus ejus.* ἐπαγωγὴ hic sume, ut supra II. 2. V. 10. X. 14.

*De juramentis non stoli:* Præclare *August.* serm. XXIIX. de verbis Apostoli: *Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est. Chrysost. hom.* XII. in Matth. *Nisi juramentum* (frequens, ut postea explicat) *interdicatur, non possint amputari perjuria. Ex juramento enim perjurium generatur. Nemo est enim qui frequenter jurat, & non aliquando perjurium committat.* Conf. *Ex. XX. 7. Lev. V. 7.*

Vers. 15. EST ET ALIA LOQVELA CONTRARIA MORTI) Legit bene ἀντιπαραθολικὴ, non ἀντιφθογγολικὴ, *Est quædam elocutio qui mors respondet.* Hebraï blasphemiam non nominant, sed aut circumscribunt, aut per ἀντίφρασιν significant. Vide legem Levit. XXIV. 15. 16. Postquam de juramentis dixit, venit ad alia loquelæ pericula.

NON INVENIATVR IN HÆREDITATE JACOB) Absit tam grave crimen à populo Israelitico.

De blasphemia etiam explicant *Rabanus, Lyranus, Iansen. & Palatius.* Conf. *Lev. XXIV. 23.* De *loquela* tamen *seductrice* ad apostasiam alii nonnulli intelligunt: *Deut. XIII. 6.* Potest utraque conjungi. Nam loquela hæreticorum seductrix & blasphemia conjunctissima sunt.

Vers. 16. ETENIM A MISERICORDIBVS OMNIA HÆC AVFERENTVR) *Auferentur:* quasi dicat. *Di meliora pii.* ἐυσεβεῖς hîc pii, non, ut alibi, misericordes.

ET IN DELICTIS NON VOLVTABVNTVR) Non *voluntemer.* futurum pro precativo: *in delictis*, supple talibus.

Vers. 17. INDISCIPLINATÆ LOQVELÆ NON ASSVESCAT OS TVUM) *Male* in quibusdam Græcis codicibus: ἀκολαθὸς λόγος οὐ διέρχεται τὸ στόμα σου. nam de juramento supra absolutus est sermo. Sixtina habet: ἀκαταστασία ἀνυμνῇ μὴ διέρχῃ τὸ στόμα σου. Est ἀκαταστασία generale nomen ad omne id, quod non decet, ut supra IV. 30. XXI. 27. Ea generalitas hic restringitur, addita voce ἀνυμνεῖν quod obscœnum significat, exponiturque à Græcis εἰδωλοφόρος, ἀκάθαρτος.

Vers. 18. MEMENTO PATRIS ET MATRIS TVÆ: IN MEDIO ENIM MAGNATORVM CONSISTIS: NE FORTE OBLIVISCATVR TE DEVS IN CONSPECTV ILLORVM, ET ASSIDVITATE TVA INFATVATVS IMPROPERIVM PATIARIS, ET MALIVSSES NON NASCI, ET DIEM NATIVITATIS TVÆ MALEDICAS) Bene legit μεγιστάνων, ut est in Sixtina, non μεγιστῆρας, ut in aliis. Sed totus locus videtur sic corrigendus & verendus: μνήσθητι πατρὸς καὶ μητρὸς σε, καὶ ἀνακίσου μεγιστανικαὶ συνεδρίοις· μήποτε ἐπιλάθῃ ἐνώπιον αὐτῶν, καὶ τῇ ἐμείρᾳ τὸν τόκετὸ σε καταράσῃ. *Memor esto* (nempe cum reverentia) *patris ac matris tuæ, etiamsi inter summates viros consideas; noli, cum apud hos es,* (illorum) *oblivisci, ac consuetudine* (hac mala) *desipere, aut optare natum te non esse, aut exsecrari diem natalem.* Persequens ea in quibus loquendo peccari solet, a Deo ad parentes, ut terrestres deos, venit, docetque modicis ortum parentibus, etiamsi ad magnas ipse perveniat dignitates, nunquam debere ita de eis loqui, quasi ipsorum se pudeat, id enim esse stultorum, & initia sua exsecrantium. Hoc contra illos est, qui dicunt non meminisse quis fuerim. Talis apud Sophoclem rex Oedipus, qui dicit:

Ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν σαφῶς τῆς τύχης νέμω
Τῆς εὐδαίμονος, ἣν ἀστυμαθὴς ἔσχημα.
Τὰς γὰρ τεκούσας μητέρ', οἱ δὲ συγγενεῖς
Μόνις με μικρὸν ἦρμεν μεγαν διώπται.

Curtius Rufus videtur mihi ex te natus, dicebat Tiberius.

Vers. 20. HOMO ASSVETVS VERBIS IMPROPERII, IN OMNIBVS DIEBVS SVIS NON ERVDIETVR.

*Syrus* pro *probrosis* ponit *otiosa. Vir qui discit verba otiosa, omnibus diebus vitæ suæ sapientiam non discet.* Sed rectius *Vatablus: Homo verbis probrosis assuetus disciplinam per omnem vitam suam non admittet.* Qui enim hoc morbo laborant, ut aliena vitia (nulla necessitate cogente) traducant, ii propria non corrigunt, ut recte Oleander.

Vers. 21. DVO GENERA ABVNDANT IN PECCATIS, ET TERTIVM ADDVCIT IRAM ET PERDITIONEM) Ita solent præfari Hebræi, ubi res diversas volunt comparare inter se, ut Proverb. XXX. 15. 18. 21. 24. 29. Similia habebis & infra XXV.

*An hîc Novatiani præsidium habeant?*

Non ergo illorum probandus sensus, qui hoc dictum ad Novatianum abripiunt errorem: quod *bis peccare nimium sit. Cum autem tertio scelus idem admittitur pœna sequatur, nec facile locus sit gratiæ.* Aliud sibi velle gnomen prælentem *contextus* docet, ut & *modus loquendi* Ebraïs usitatus, ut recte observavit post alios Interpp. *Grotius.*

Vers. 22. ANIMA CALIDA QVASI IGNIS ARDENS) Id est, homo iracundus.

NON EXTINGVETVR DONEC ALIQVID GLVTIAT) *Donec absumtus sit.* nam κατατήκεσθαι, cum sensum solet habere, ut videre est PC. CVII. 17. Ez. XXVIII. 7. Of. VIII. 8. & alibi.

Si Cornelium à Lapide audias, anima calida est anima æstuans libidine: quo etiam abit Syriaca

versio: Anima quæ luxuriatur cum ignominia carnis suæ. Sed rectius de anima bile & ira æstuante accipitur; ira enim est efferveſcentia sanguinis circa cor. Et de libidine æstuante alterum genus intelligendum.

Vers. 23. *ET HOMO NEQUAM IN ORE CARNIS SUÆ NON DESINET, DONEC INCENDAT IGNEM)* Legit male pro πόρνῳ, πυκνοῖς, & pro σώματι, σάρκι. Πόρνῳ apud Græcos nativos pro catanito pomifice. Et Hellenistis est, ὁ πορνεύσαντι, qui scorta sectatur. Itaque quod est 1. Corinth. V. 9. & II. Corinth. VI. 9. Ephes. V. 5. I. Tim. I. 10. πόρνοις, id Syrus vertit זנין. Ea autem vox significat scortatores, ut videre est in Chaldaico, Jerem. IX. 2. & hoc sensu sæpe usurpant Rabbini. Beneautem dicitur πόρνῳ ἐν σώματι σαρκὸς αὐτοῦ: quia ὁ πορνεύων εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει. 1. Corinth. VI. 18. totum quasi corpus in partem delicti venit.

*NON DESINET DONEC INCENDAT IGNEM)* Donec Venere nimia, quasi igne, addatur. Vide supra IX. 3.

Vers. 24. *HOMINI FORNICARIO OMNIS PANIS DULCIS)* Multivolum & multivagum describit: qualem semet Ovidius II. 4.

*Non offerta meos quæ forma invitet amores;*
*Centum sunt causæ, cur ego semper amem.*

Quod ibi late exsequitur. Omnis panis, id est, omnis Venus, quæ escæ & potui comparatur. Prov. V. 15. XXX. 20.

*NON FATIGABITUR TRANSGREDIENS USQUE IN FINEM) Donec moriatur.* Non prius cum vitia quam vita deseret. Omnia peccata hoc habent, quod quo frequentius fiunt, eo exuuntur difficilius; sed hoc præcipue.

*De igne libidinis.* De *igne libidinis* ita *Chrysost.* hom III. de verb. Esa. vidit Dominum: *ut ignis ubi fœnum aliquod aut culmen arripit, nihil moratur, sed simul lucidam accendit flammam; ita & ignis concupiscentiæ, qui est in nobis simul atque per oculorum intuitum elegantem ac venustam attigerit formam, protinus exurit animum.*

Vers. 25. *OMNIS HOMO QUI TRANSGREDITUR LECTUM SUUM)* Hic jam tertium genus, id est, mœchos describit, παραβαίνων ἀπὸ τῆς κλίνης αὐτοῦ, id est, transiens de suo lecto in alienum. Hi sunt qui libidini addunt injuriam.

*CONTEMNENS IN ANIMAM SUAM, ET DICENS, QUIS ME VIDET?)* In Græco: *Dicens in animo suo, quis me videt?* Latebit, quod ago.

Vers. 26. *TENEBRÆ CIRCUMDANT ME) Quæ in femina nox operit* Tacitus Annalium XV.

*ET PARIETES COOPERIUNT ME) Abigit teſtem, seraque* ait Martialis.

*DELICTORUM MEORUM NON MEMORABITUR ALTISSIMUS)* Quasi Deus non curet talia. Sequitur in Græco: καὶ οὐδαμοῦ οὐδενὸς ἐ φείδῃ αὐτῶν, supple, tantum. Satis se tutum putat, si humanos oculos effugiat.

Vers. 27. *ET NON INTELLIGIT)* Hoc comma in Græco abest, Sensus est in præcedentibus & sequentibus.

Vers. 28 *OCULI DOMINI MULTO PLUS LUCIDIORES SUNT SUPER SOLEM)* Id est, perspicaciores.

Πάντα ἰδὼν διὸς ὀφθαλμός.

*ET PROFUNDUM ABYSSI)* Non est in Græco, nec quod sequitur, *hominum corda intuentes*, sed est κατανοοῦντες εἰς ἀπόκρυφα μέρη, *noscentes partium abstrusissimas.*

Vers. 29. *DOMINO ENIM ANTEQUAM CREARENTUR, OMNIA SUNT AGNITA)* Id est antequam fiant; quem sensum exigit membrum sequens, κτίζω, Hellenistis dicuntur omnia, quæ ullo modo producuntur. Itaque ברא plerumque κτίζειν vertitur, modo ποιεῖν, aut καταδεικνύειν. Et עשה plerumque ποιεῖν, interdum κτίζειν. Thales interrogatus an quis agens aliquid Deo latere posset, dixit, ne cogitans quidem. Idem hujus loci sensus.

*SIC ET POST PERFECTUM RESPICIT OMNIA)* Etiam post rem factam, videt eam, id est, ejus semper meminit.

*Contra mœchorum cogitationes de tenebris circumdantibus.* *Senecæ* Ethnici minime Ethnica sententia erat: *Etiamsi scirem homines ignoraturos, & Deum ignoscituram, tamen peccare nollem ob peccati turpitudinem.* Interea præclare has cogitationes mœchorum retundit, & confundit *Chrysost.* hom. XI. in 1. ad Cor. *Noli dicere, in tenebris sum, pariete claudor, quis me videt? Qui enim omnia corda nostra effinxit, ipse omnia novit. Quoniam tenebræ apud eum nihil obscurius reddunt. Recte autem inquit peccator:* Tenebræ circumdant me & parietes: *Nisi enim in tenebris animus esset, non sane Dei timore abjecto tanta auderetur licentia. Nam nisi prius rationalis pars caligaret, non tam licenter peccata in nos impetum facere potuissent. Quamobrem* ne dicas, nemo me videt: *est namque qui ad animam usque & spiritum articulos & medullas penetrat. Te autem ipsum non vides neque potes nebulas expellere. sed tanquam muro undiq; circumdaris, & sic nequis cœlum suspicere.*

Vers. 30. *HIC IN PLATEIS CIVITATIS VINDICABITUR)* Capitali supplicio afficietur in publico.

*ET QUASI PULLUS EQUINUS FUGABITUR)* Non est hoc in Græco.

*ET UBI NON SPERAVIT, APPREHENDETUR)* Id est, *Comprehensus, ubi minime putabit.* Nam prius est comprehendi, quam puniri.

Vers. 31. *ET ERIT IN DEDECUS OMNIBUS, EO QUOD NON INTELLEXERIT TIMOREM DOMINI)* Excommunicabitur. Hæc Christiane additit interpres Latinus extra Græcum.

Vers. 32. *SIC ET MULIER OMNIS RELINQVENS VIRUM SUUM) Omnis* non est in Græco. Relinquere maritum dicitur, non quæ ab eo abit, sed quæ à fide ipsi data recedit. At interpres de divortio accepit, ut sequentia ejus demonstrant.

*ET STATUENS HÆREDITATEM EX ALIENO MATRIMONIO)* κρίνῃ περιεῖσα κληρονόμους ἐξ ἀλλοτρίου. *Et hæreditatem* (id est, hæredes: abstractum pro concreto, more Hebræo) *parans ex alio*, id est ex adultero.

Vers. 33. *PRIMO ENIM IN LEGE ALTISSIMI INCREDIBILIS FUIT)* Primum enim legi Altissimi fuit inobsequens: legi quam Deus initio rerum dedit.

*SECUNDO IN VIRUM SUUM DELIQUIT)* Cui fidem fefellit.

*TERTIO IN ADULTERIO FORNICATA EST, ET EX ALIO VIRO FILIOS STATUIT SIBI)* Peccavit & in se, & in familiam totam.

Vers. 34. *HÆC IN ECCLESIAM ADDUCETUR)* In conspectum populi, ut de ea pœna sumatur secundum legem.

*ET IN FILIOS EJUS RESPICIETUR)* ἐπισκοπὴ ἔσται, id est, inquisitio fiet, an scilicet legitimi sint, an non. Nam ex adulterio nati jus connubii cum civibus non habebant, Deut. XXIII. 2.

Vers. 35. *NON TRAHENT FILII EJUS RADICES)* Non habebunt firmas sedes. Sap. IV. 3.

*ET RAMI EJUS NON DABUNT FRUCTUM)* Intercidet posteritas.

Vers. 36. *DERELINQUET IN MALEDICTUM MEMORIAM EJUS) Suam.* Relinquet post se memoriam detestabilem. Phædra apud Euripidem reluctans adhuc pravæ cupidini, sic ait:

Ὦ μῆτερ ἀνδρὸς τὸν ἐμὸν αἰσχύνας' ἄλλῃ,
Μὴ παισὶ δοὺς ὄνειδος ἀλλ' ἐλευθέροις
Παῤῥησίᾳ βάλλοντες, οἰκεῖοι πόλει.
Κλεινὴν Ἀθηνῶν μητέρες ὄντες ἐπικλέες.

Vers. 37. *ET AGNOSCENT QUI DERELICTI SUNT)* Si qui de posteritate ejus erunt superstites. Vid. Sap. III. 16.

*ET NIHIL DULCIUS QUAM RESPICERE IN MANDATIS DOMINI) Nihil* eo *dulcius* (id est, gratius apud homines) quam qui mandatis Dei attendit.

Vers. 38. *GLORIA MAGNA EST SEQUI DOMINUM* Res plena laudis.

*LONGITUDO ENIM DIERUM ASSUMETUR AB EO) Et Longævitas, assumi ab eo*; id est, causa est vitæ longæ, ab eo amari.

Notat hic Cornelius à Lapide *quintuplicem in juriam* adultera commissam; primam in *Deum*, cujus legem violavit, secundam in *maritum*, cui fidem fregit, tertiam in *matrimonium* cujus jura & sanctitatem læsit: quartam in *filios legitimos*, quibus nothi partem hæreditatis adimunt, quintam *in se ipsam*, quod corpus & animam S.S. templum polluit. Eique quintuplicem pariter pœnam assignari observat: 1. quod *in cœtum populi* adducenda, ut de adulterio convicto damnetur & lapidetur. 2. quod in *liberis* punienda sit, qui infamia notandi. 3. quod *filii* ejus longævi non sint. *Sap. IV. 3. Non agent filii ejus radices*: ut hic Tigurini reddunt.

*Quintuplex injuria adultera.*

*Et pœna.*

dunt. 4. quod filii ejus *steriles* futuri sint. *Rami ejus non afferent fructus.* Qua pœna sæpe, licet non semper Deus adulteros punit. *S. Derelinquet in maledictum memoriam suam.*

## CAPUT XXIV.

### *Encomium Sapientiæ.*

Vers. 1. SAPIENTIA LAVDABIT ANIMAM SVAM) Commendabit semetipsam. Id est, introducere eam volo laudes suas verissimas prædicantem. Ideo in Sixtina titulus hujus capitis est, ΑΙΝΕΣΙΣ ΣΟΦΙΑΣ. Sapientiam autem hic intellige tum in fonte, ut est in Deo, tum in rivis, ut Prov. VIII. & supra c. 1.

ET IN DEO HONORABITVR) Non est in Græco.

ET IN MEDIO POPVLI SVI GLORIABITVR) Apud amantes sui.

Vers. 2. IN ECCLESIIS ALTISSIMI APERIET OS SVVM) *In cœtu altissimi.* ὶ ἐκκλησίᾳ. Ita κατ' ἐξοχὴν vocatur magnum Synedrium.

ET IN CONSPECTV VIRTVTIS ILLIVS GLORIABITVR) In templo ubi est arca, quæ עז Hebræis.

Vers. 3. ET IN MEDIO POPULI SUI EXALTABITVR) Hoc comma & sequens absunt in Græcis, subauditur autem in Græcis *dicens.*

Vers. 5. EGO EX ORE ALTISSIMI PRODIVI) Nempe cum *dixit & facta sunt.* Pars altera hujus commatis & pars prior sequentis in Græco desunt.

*Confuso sapientiæ hypostatica, & verbi scripti divini, ut & verbi manducati,*

CONfunditur in hoc Encomio *Sapientia Dei hypostatica* cum *Sapientia in verbo Dei comprehensa.* Neque vero tum ex *ore Dei* prodiit Sapientia illa, quæ se in Latino textu *primogenitam* dicit *ante omnem creaturam*, cum dixit Deus & facta sunt, sed ab æterno, ut è Prov. IIX. 23. seqq. constat.

V. 6. ET SICUT NEBVLA TEXI OMNEM TERRAM) *Tanquam pruina.* Eadem vox Hebræis reddi solet modo ὁμίχλη, modo πάχνη. Pruinam autem & rorem permisceri Hebræi. Sensus est, obtexi terram herbis & virgultis, sicut à rore obtegi solet.

Convenientior videtur aliorum explicatio: *Sicut nebula solet tegere terram, sic Sapientia per tenebras primigenias quasi sui nubem & nebulam terram texit.* Conferunt in eum sensum *Iob.* XXXIIX. 19.

*Iob. XXXIIX. 19.*

Vers. 7. EGO IN ALTISSIMIS HABITAVI) In summo cœlo.

ET THRONVS MEVS IN COLVMNA NVBIS) Super nubes, ut Psalm. CIV. 3. 4. Columnam autem dicit, quia rex Hebræus in templo sedem habebat columnam. Vide Græca II. Reg. XI. 14. XXIII. 3.

Hæc ad *creationem* cœli, qui *thronus* Dei *Es.* LXVI. 1. rectius referuntur: inde enim progressus fit ad *mare & terram.*

Vers. 8. GYRVM COELI CIRCVIVI SOLA) *Orbes cœli sola* (ego) *circumdedi*, stellis scilicet. nam κυκλῶ eo sensu sumi solet.

ET PROFVNDVM ABYSSI PENETRAVI) Perambulavi, id est, excavavi alveum totius Oceani capacem.

IN FLVCTIBVS MARIS AMBVLAVI, ET IN OMNI TERRA STETI, ET IN OMNI POPVLO, ET IN OMNI GENTE PRIMATVM HABVI) In Græco brevius: *In unda maris, & in omni terra, & in omni populo* scil. *agente obtinui*, nempe loca in quibus me ostenderem.

V. 10. ET OMNIVM EXCELLENTIVM ET HVMILIVM CORDA VIRTVTE CALCAVI) Deest in Græco.

ET IN HIS OMNIBVS REQVIEM QVÆSIVI) *Post hæc omnia quæsivi locum* [illegible].

ET IN HÆREDITATE DOMINI MORABOR) *κατὰ τὴν κληρονομίαν τῶν ἁγιολογούντων; & in cujus solo sim mansurus?* Res soli vocantur κληρονομίαι, quia secundum legem in familia manent, aut ad eam redeunt.

V. 12. ET QVI CREAVIT ME REQVIEVIT IN TABERNACVLO MEO) *Requiescere fecit tentorium meum.* Similitudo sumta à vita sentarum, qui modo hic, modo illic pangunt tentoria, donec tandem sedem tutam ac commodam reperiant.

V. 13. ET DIXIT MIHI: IN JACOB INHABITA) In terra Israelis, nempe in qua & notitia & cultus unius Dei viguit, & leges ad vitam honeste agendam egregiæ. Sapientiæ autem hæ vel præcipue sunt partes.

ET IN ISRAEL HÆREDITARE, ET IN ELECTIS MEIS MITTE RADICES) In Græco: *Et in Ierusalem possessionem firmam habe.* Id enim significat κατασκήνωσόν.

V. 14. AB INITIO ET ANTE SÆCULA CREATA SVM) πρὸ τῶ αἰῶνος ἀπ' ἀρχῆς ἔκτισέμε, legit hic interpres, non ἔκτισέ με; bene sane. Optime enim id respondet membro sequenti: *Ante* (hoc) *sæculum ab initio apparui, & quamdiu erunt tempora, non deficiam* νεὶ ἐκλείπω hic est in lucem produci, per opera scilicet, ut supra 1, 4. 8. VII. 16. & alibi.

Ad Filium Dei hæc applicat *Cornelius à Lap.* & *Corn. à* quidem juxta Latinam versionem: *Tunc præcepit & Lap. Arius dixit mihi Creator omnium, & qui creavit me.* Quæ *Arianus.* v. *Arianam* potius hæresin, quam *Catholicam fidem* sapiunt.

Vers. 8od. ET IN HABITATIONE SANCTA CORAM IPSO MINISTRAVI) *In tabernaculo sanctos* eo scilicet quod Moses fecit. Ibi omnia ministeria sapientissime fuere ordinata.

Vers. 15. ET SIC IN SION FIRMATA SVM) Ibi iterem fixi. David & Salomon reges sapientissimi fuere.

ET IN CIVITATE SANCTIFICATA SIMVL REQVIEVI, ET IN IERVSALEM POTESTAS MEA) Non in aula tantum regum, sed & in civitate apparuit sapientia per synedrium magnum in quo residebat ἐξουσία regali non minor. In Græco est, ἡγιασμένῃ, *in civitate dilecta.*

Vers. 16. ET RADICAVI IN POPVLO HONORIFICATO) Firmam ibi sedem sum nacta, ut arbor quæ radices egit.

ET IN PARTE DEI MEI HÆREDITAS ILLIVS) In Græco: *Et in parte Domini, quam Dominus proprio jure possedit:* id est, in sacerdotibus & Levitis. Deus illorum pars & proprietas. Num. XIIX. 20. ipsi vicissim Dei portio dicuntur.

ET IN PLENITVDINE SANCTORVM DETENTIO MEA) Deest in Græco.

Vers. 17. QVASI CEDRVS EXALTATA SVM IN LIBANO) Nam & Libanus pars olim regni Judaici. 1. Reg. VII. 2.

VT CYPRESSVS IN MONTE SION) Arbor semper virens. In Græco est, ἐν ὄρεσι ἀρμών. In montanis Hermon, quæ in Judæa. Deut. IV. 28. Psalm. CXXXIII. 3.

QVASI PALMA EXALTATA SVM IN CADES) Vt arbor maxime diuturna & valida. Sed in Sixtina ἐν Γαδὶ pro quo scribendum, ἐν Ἐγγαδὶ. Nobilis & hic in Judæa locus 2. Paral. XX. 2. Engaddam vocant Græci & Latini. Vineta ibi egregia. Cant. I, 13. & balsamum, ut ait Hieronymus.

ET QVASI PLANTATIO ROSÆ IN IERICHO) Vt rosetum apud Jerichuntem, ubi pulcherrimi flores, ut in valle irrigua. Sensus est: non Hierosolyma tantum, sed omnem tractum Judææ plenum fuisse sapientiæ.

V. 19. QVASI OLIVA SPECIOSA IN CAMPIS) Arbor & virens & fructuosa.

ET QVASI PLATANVS EXALTATA SVM IVXTA AQVAM IN PLATEIS) *Ab aqua*, id est, aqua dante auctum. *In plateis* abest à Græcis, & recte. Platani umbra gratissima.

V. 20. SICVT CINNAMOMVM ET BALSAMVM AROMATIZANS) In Græco: *& massa aromatum:* πάλαθος. Ab arboribus ad res odoriferas venit. Solet autem quidquid pergratum est, apud Hebræos exprimi odoris similitudine. Est autem sapientia pergrata gustum ejus habentibus aliquem.

QVASI MYRRHA ELECTA) Optima.

V. 21. ET QVASI STORAX) Non est in Græco.

ET VNGVLA) ὄνυξ. Continens pro contento. Onyx pro nardo. Horatius: *Nardi parvus onyx.* Propertius:

*Cum dabitur Syrio mixtus in ore lapis onyx,*

Martialis:

*Unguentum fuerat quod onyx modo parva gerebat.*

ET GVTTA) Ita Interpres vertit σταγών.

ET QVASI LIBANVS NON INCISVS) Legit, ὡς λίβανος ἄτομος: cum vera lectio sit quæ in Græcis extat, ὡς λίβανος ἀτμὸς, vel ἀτμὶς, *ut thuris vapor.*

VAPORAVI HABITATIONEM MEAM) In Græco *edidi odorem.*

ET QVASI BALSAMVM NON MISTVM ODOR MEVS) Deest in Græco.

V. 21. EGO QVASI TEREBINTHVS EXTENDI RAMOS MEOS) Plinius XIII. 6. *Syria & terebinthum habet.* Deinde: *In Damasco Syriæ magna, Materies & admodum ingens, ac fidelis ad fenestras, eximii ac nigri splendoris flos racemosus oliva modo.*

ET RAMI MEI HONORIS ET GRATIÆ) Pulchri & utiles.

*Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.*

Ver. 23. EGO QVASI VITIS FRVCTIFICAVI SVAVITATEM ODORIS) Vinum bene olens: infra L. 17. ἀνθοφόρια.

ET FLORES MEI FRVCTVS HONORIS ET HONESTATIS) Id est, *flores mei de se proferunt fructus speciosos & dibites. μετωνυμία.* Solet hic interpres honestatem pro divitiis dicere.

Vers. 24. EGO MATER PVLCHRÆ DILECTIONIS) Honestæ. Theocritus,

Τίτυρ' ἰὼν τὸ καλὸν πεφίλαμαι.

Vbi Scholiastes, καλὸν τὸν ἀδιάβλητον φιλίαν.

ET TIMORIS) Nempe Dei. Sic Hebræi religionem circumloquuntur.

ET AGNITIONIS) Notitiæ de Deo. Sed deest hoc comma in Græcis quibusdam.

Vers. 25. IN ME GRATIA OMNIS VIÆ ET VERITATIS, IN ME OMNIS SPES VITÆ ET VIRTVTIS) Hoc deest in Græco. Est autem in quibusdam exemplaribus aliud comma, sed corruptum: scribitur enim: δίδωμι δὲ συνπάσι τοῖς τέκνοις μὲ ἀσγενοῖς τοῖς λεγομένοις ὑπ' αὐτοῦ. Scripsisse vero videtur quisquis hoc primum addidit: δίδωμι δὲ συμπάσι τοῖς τέκνοις μὲ ἀσγενοῖς, ἐκλεγομένοις ὑπ' αὐτοῦ, id est, *electis à Deo.* Nam Hebræi sæpe הרן usurpant de Deo, aut affixa inde deducta, etiam ubi Dei non præcessit mentio.

V. 26. TRANSITE AD ME OMNES QVI CONCVPISCITIS ME) *Accedite ad me omnes.* Conf. simila Pr. VIII. & Ix.

ET A GENERATIONIBVS MEIS IMPLEMINI) ἀπὸ τῶν γενημάτων μου: id vero est, à fructibus meis, ut supra I.14. VI. 21.

Vers. 27. SPIRITVS ENIM MEVS SVPER MEL DVLCIS) *Recordatio mei.* Nam hic scriptores μνημόσυνον dicunt pro ἀνάμνησιν, respondetque vocibus Hebræis אזכרה זכרון זכר.

HÆREDITAS MEA) Possessio mea.

SVPER MEL ET FAVVM) *Super favum mellu.*

V. 28. MEMORIA MEA IN GENERATIONES SÆCVLORVM) Non est in Græcis.

Vers. 29. QVI EDVNT ME ADHVC ESVRIENT, ET QVI BIBVNT ME ADHVC SITIENT) Quo enim quis ediscit plura, eo magis ad alia discenda accenditur. Alio sensu dicit Christus, Dei sapientia salutaris, non esurituros, nec situturos, qui ad ipsum venirent, & ipsi confidunt, nimirum quia ad salutem necessaria pauca sunt, eaque semel hausta retineri sufficit.

Rectius hæc ita conciliantur; quod Christus loquatur de *sufficientia refocillationis*, quæ per verbum Dei habetur, ut aliunde refocillari & sitim extinguere opus non habeamus: Syracides a. de *suavitate & dulcedine*, quæ subinde magis magisque nostrum desiderium excitat, ut *quo plus sint potæ plus sitiantur aquæ* cœlestis sapientiæ, nunquam vero nobis nauseam vel fastidium pariant. *Augent* enim *spirituales delicias* ut *Greg. M.* hom. XXXVI. in Evangel. habet, *appetitum in mente dum satiant, quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod avidius ametur. Et ideo non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Proinde Psalmista nos admonet, dicens:* (Ps. XXXIV.) Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus, q. d. *Suavitatem ejus non cognoscetis, si hanc minime gustatis: sed cibum vitæ palato cordis tangite, ut probantes ejus dulcedinem amare valeatis.*

*Concilatio cum Joh. IV. 14.*

Vers. 30. QVI AVDIT ME NON CONFVNDETVR) *Qui mihi obedierit, eum ejus non pudebit.* διακαυθήσ, quod hic addunt quædam exemplaria, id in Sixtina non est.

ET QVI OPERANTVR IN ME NON PECCABVNT) *Qui mihi operam dant, nihil se indignum committent.* ἁμαρτήσει enim hic, ut sæpe, sumitur in sensu graviore.

Vers. 31. QVI ELVCIDANT ME VITAM ÆTERNAM HABEBVNT) Et hoc interpres Christiane addidit.

Vers. 32. HÆC OMNIA LIBER VITÆ ET TESTAMENTVM ALTISSIMI, ET AGNITIO VERITATIS) In Græcis: *Hæc cuncta liber fœderis divini:* id est, hæc promissa sunt ea quæ habes in libro fœderis: i. e. in lege Mosis, ut sequitur.

Vers. 33. LEGEM MANDAVIT MOSES) In Græco: *Lex quam mandavit Moses.* Alii libri habent νόμ@, alii νόμος. Perinde est. Nam illa constructio simplex est, ista adrelativam conformata, ut, *urbem quam statuo vestra est.*)

*& : Hos quos videtis stare hic captivos duos*
*Illi qui adstant: his stant ambo, hos sedent.*

IN PRÆCEPTIS IVSTITIARVM) Deest in Græcis.

HÆREDITATEM DOMVI IACOB, ET ISRAEL PROMISSIONES) In Græco: κληρονομίαν τὴ συναγωγὴς Ἰακώβ: Id est, quæ lex propria est possessio posterum Jacobi. Alix enim gentes eam legem non accepere. Deut. IV. 7. Psal. CXLVII. 19. 20.

Vers. 34. POSVIT DAVID) Deest in Græcis: nec minusin Sixtina deest, quod quidam libri Græci hic interponunt: μὴ ἐκλείσθε ἐγὼ εἰς ψυχάς, ἵνα κραταιωθῆ ὑμὶς αὐτὸς κολλήθητε πρὸς αὐτὸν. κύρι@ παντοκράτω@ θεὸς μόν@ εἶ, καὶ σὲ οὐκ ἔστι πλὴν σοῦ σωτὴρ.

Vers. 35. QVI IMPLET QVASI PHISON SAPIENTIAM) Deus est, *qui velut Phisón implet cuncta sapientia.* Omnia. id est, volentes omnes. Nominat hic quatuor flumina Mosis in Edenis descriptione memorata. His addit Jordanem. Vide quæ ad Genesin dicta. Cujus loci ἑλληνισμὸς (is libri titulus) explicans Philo, secundum veteres Hebræos, Edenem interpretatur Dei sapientiam: quatuor fluminis partes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam. Jordanes vero flumen judicii significat, & refertur ad ingenii sagacitatem.

ET SICUT TIGRIS IN DIEBVS NOVORUM) Diebus novarum frugum, vere, quo tempore, salutis nivibus hybernis, intumescunt amnes.

Vers. 36. ADIMPLET QVASI EUPHRATES SENSUM) Id est, intellectum, σύνεσιν. פרה unde פרת est fructum ferre.

QVASI IORDANIS IN TEMPORE MESSIS) Quo tempore maxime is amnis se effert. Jos. III. 15.

Vers. 37. QVI MITTIT DISCIPLINAM) Post vocem παιδείαν, & ἐγκράτειαν, & ὁσίους, & ὃς desunt in Sixtina, cui congruit hæc versio.

ET ASSISTENS) Deest in Græco.

QVASI GEHON IN DIE VINDEMIÆ) Quo tempore is limpidus fluit, idemque lucicomparatur.

Vers. 38. QVI PERFICIT PRIMVS SCIRE IPSAM) In Græco: *Non implebit primus scire ipsam:* id est, qui primus fuit sapiens, is eam perfecte non cognovit.

ET INFIRMIOR NON INVESTIGAVIT EAM) πρὶ αὐτοῦ ὁ ἐσχατ@ ἐκ ἐκτρήσει αὐτὸν. *Quin nec ultimus eam perscrutabitur.* Qui tot scilicet duces adjutoresque habuit, illi quoque multum ad summam deficit.

Alienus est sensus Cornelii: *Christus solus perfecte novit sapientiam, & quicunque Christo minor & infirmior est, hic nunquam plene eam investigabit.* Quæ neque Græco neque Latino conveniunt.

Vers. 39. A MARI ENIM ABUNDAVIT COGITATIO EJUS) *Supra mare enim abundarunt ejus cogitata.* Nam מ־ hic, ut alibi sæpe in comparatione majoris ad minus, valet מן Hebræum.

ET CONSILIUM ILLIUS AB ABTSSO MAGNO) *Supra Oceanum.*

Vers. 41. EGO SAPIENTIA EFFUDI FLUMINA) Deest in Græco. Sensus idem qui in sequentibus. Sic admotata ad marginem sæpe in textum irrupere.

Vers. 42. EGO QUASI TRAMES AQUÆ IMMENSÆ DE FLUVIO) ἐγὼ σοφία ὡς διώρυξ ἀπὸ ποτομοῦ. *Ego sapientia ut fossa à flumine.* Nam quas in Nili descriptione διώρυγας dicunt Græci, inter alios Strabo libro XVII. Sextus Aurelius in Augusto fossas dixit. Significat comparatio à Dei ubertate manare humanam sapientiam, & paulatim in immensum quid excrescere.

EGO QUASI FLUVIUS DIORTX) Est alia versio eorum verborum, quæ jam habuimus.

ET SICUT AQUÆDUCTUS EXIVI DE PARADISO) In Græco: *in paradisum.* Nempe paradisum mentem humanam intelligi dicit Philo in libro de Mundi fabrica. ὑδραγωγὸς rectè vertitur aquæductus. Ita enim sumitur vox hæc Græca II. Reg. XVIII. 17. XX. 20. Et XXXVI. 2. XLI. 18. Fossa dicitur ubi aperte fluit aqua: at aquæductus, ubi per tubos.

Vers. 42. DIXI, RIGABO HORTUM MEUM PLANTATIONUM) Hoc *plantationum* in Græco non est, sed rectè subintelligitur. Quod vero est in nonnullis Græcis, τὸν ἄμπελον, id abest à Sixtina.

ET INEBRIABO PRATI MEI FRUCTUM) In Græcis quibusdam est: τὸ μεθύσω μὲ τὸν πλανὸν τὸν δικαίων, sed τὸν δικαίων abest à Sixtina rectius: *& perfundam areolam meam.* Areolæ enim vel areæ vocantur hortorum quadra segmenta.

Vers. 43. ET ECCE FACTVS EST MIHI TRAMES ABUNDANS) *Et ecce facta est fossa, fluvius.* ἐγένετο εἰς ποτομὸν, pro ἐγένετο ποταμός. Hebraica locutio.

ET FLVVIVS MEVS APPROPINQVAVIT AD MARE) *Factus est mare.* Significantur, ut dixi, mira sapientiæ incrementa.

Illa v. 41. *Gregor. de Valent.* part. 1. Disp. 7. q. 6. de Parad. puncto 1. sic explicat: *Ego q. aqueductus exivi de paradiso*, id est; *Ego Filius, qui sum Sapientia genita processu de substantia Patris, in qua est tanquam uberrimus torrens voluptatis.* Sed *Paradisus* non notat substantiam Dei Patris: nec de sapientia *hypostatica* hic sermonem esse, sed de sapientia, quæ nobis per verbum communicatur, è contextu liquet. *Hac est Dioryx, & aqueductus* ait Cornel. à Lap. *sapientia increata, exiit, de Paradiso cœlesti in fauces terras, ut eas irriget*, vel potius *in Paradisum mentis humanæ*, ut Græcum rectè explicat Grotius, & *Ecclesiæ.*

*De sensu hujus loci.*

*Hic de sapientia hypostatica.*

Vers. 44. QVONIAM DOCTRINAM QVASI ANTELVCANVM ILLVMINO OMNIBVS) Hic desinunt verba sapientiæ tributa, & loqui rursum incipit Sirachides, præloquens ad ea quæ sequentur. ἔτι (ita Sixtina, male aliæ editiones ὅτι) παιδεύσω τὸς ὑφοῦς φρονεῖν. *Adhuc allucebo doctrinam quasi novum mane.*

ET ENARRABO ILLAM VSQVE AD LONGINQVVM) *Faciam longe appareat.* Sicut lux matutina quoquoversum funditur.

Vers. 45.

Vers. 45. *PENETRABO OMNES INFERIORES PARTES*) Hoc comma abest a Græcis, non male. Nam quod sequitur cum illo quod antecesserat bene cohæret, repetito ὅτι.

Vers. 46. *ADHUC DOCTRINAM QUASI PROPHETIAM EFFUNDAM*) Tam certum quam est prophetia.

*ET RELINQUAM ILLAM QUÆRENTIBUS SAPIENTIAM, ET NON DESINAM IN PROGENIES ILLORUM USQUE IN ÆVUM SANCTUM*) In Græco: *Et relinquam eam* multorum *sæculorum posteris.* Etiam hoc interpres Latinus refinxit in sensum magis Christianum.

V. 47. *VIDETE QUONIAM NON MIHI SOLI LABORAVI*) *Videte,* (per hoc scriptum) *me non mihi soli laborasse.*

*SED OMNIBUS EXQUIRENTIBUS VERITATEM*) In Græco: *exquirentibus eam*, nempe sapientiam.

Nulla apparet necessitas cur hæc non intelligamus pariter ut præcedentia à Sapientia ipsa, sed à Syracide dicta. Palatius; *Nullum grandius*, inquit, *Epiphonema fere potuit à Sapientia dici.* Et qui hæc discerpunt, in divortia eunt. Plerique ad v. 46. usq; sapientiam loqui ajunt, non ut Grotius tantum ad v. 44. Nonnulli etiam v. 46. cum *Rabano* sapientiæ vendicant, quem tamen *Lyranus* & *Jansenius* Siracidi tribuunt. Nonnulli ultimum etiam 47. versum sapientiæ affignant, ut tota hæc sapientiæ sit oratio per integrum caput. Ofiander hunc ultimum versum solum ad Siracidem refert. Ita enim de verfibus postremus 41. & seqq. habet: *Hæc valde incommode translata hoc modo converti debebant: De me (sapientia) multi rivuli fluunt in hortos, sicut aquæ duci solent. Ego rigo hortos meos, & prata mea. Ibi rivuli mei in fluvios & flumina mea in maria excrescunt. Doctrina enim mea lucet ut aurora & longe projicit lumen suum. Quia & mea doctrina prophetiam fundit, quæ in æternum constabit. (His verbis autor noster significare voluit sapientiam in verbo Dei comprehensam non modo recreare animos piorum, verum etiam fœcundos homines in bonis operibus reddere. Et agnitionem Dei & voluntatis ejus in piis subinde majora sumere incrementa, ut indies sapientiores evadant.) Sequentia verba puto autorem nostrum in sua persona referre:* Videte (*inquit*) quoniam (*pro quod*) non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem: *Græc. eam (id est, sapientiam: id est, solui hoc meo libello prodesse omnibus, qui studio cognoscendæ sapientiæ divinæ flagrant) (Quisque enim talento, quod à Domino accepit, proximo suo inservire debet.)* Vers. 41. seqq.

## CAPUT XXV.

*Tria pulebra, & tria abominanda. Decem optanda. Quinque tristia, & intolerabilia, & imprimis uxor mala.*

V. 1. *IN TRIBUS PLACIDUM EST SPIRITUI MEO*) In Græco: *In tribus exsulto.* nam ὑφηδύζεσθαι, vel εὐφηδύζεσθαι, solet explicari per εὐφραίνεσθαι.

Καὶ αὐτὸν ὑφηδὺς ἔκαθε κυρίῳ καὶ ἀνθρώποις.

Hic κύριος est pro relativo: *quæ pulchra sunt coram Deo & hominibus.* Illa φιλῆς κοινῷ in quibusdam exemplaribus bis ponuntur, κατ' ἀναφοράν, in Sixtina semel.

V. 2. *CONCORDIA FRATRUM*) ὁμόνοια ἀδελφῶν: in Sixtina & aliis male ὁμόνοιαι, ac similiter φιλίαι pro φιλία. Quam pulchrum sit φιλαδελφία, vide Plutarchi librum. Menander:

Ὡς ἡδὺ γ' ἀνθρώποισιν ὁμοιότης ὁρᾶν.

Quæ ipsa prope verba Psalmi CXXXIII.

*ET AMOR PROXIMORUM*) Proximi nomen satis late patet: at hic vicinos significat. Menander:

Ἐὰν δ' ἀγαθοῦ γένοιτ' ἔγγυτέρω γένου ἐσῳ,

Ὡς προσδιδάσκει ἀγαθὸν κἀκ προσημασιάσεις.

Hesiodus item erat:

Πῆμα κακὸν γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.

*ET VIR ET MULIER BENE SIBI CONSENTIENTES*) Homerus:

— οὐ μὲν γὰρ τούτῳ κρείσσων ἔπλετο μῦθος

Ἢ ὅτ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον

Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή.

Apollonides:

Οὐ χρυσὸς, ὦ ξυναικὸς, ὦ κάλλος χλιδὴ

Τοσοῦτον ὄφελ' διαφέρει τοῦ κόσμου,

Ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ γυναικὸς εὐβύλου

Γνώμη δικαία καὶ φρονοῦσ' ταὐτόν.

Euripides Medea:

Αὐτή τε πάντα συμφέρω' ἑαυτῇ,

Ἥκει μεγίστη γίγνεσθ' σωτηρία,

Ὅταν γυνὴ πρὸς ἄνδρα μὴ διχοστατῇ.

Vers. 3. *TRES SPECIES ODIVIT ANIMA MEA*) Tria hominum genera.

*ET AGGRAVOR VALDE ANIMA ILLORUM*) *Offender valde illorum vita.* Ita in Græco.

V. 4. *PRUDENTEM*) Quem Græci eleganciores vocant στοχαλάζοντα. Vide ostentatoris characterem in Hermanis. Alexis:

— εἶτα δ' αὐτὸς κἄγω στοχαλάζομαι

πολίτης τισι ἐμαυτοῦ, ὃς ἀρκοῦσι ὄχοι

Τὰ πάντα τ' ἀγοράσαι', ἐξαρκῆ καλῶ

Τὸν εἰκότ' ὄντα καὶ μέτριον ὄντα, χαίρειν δ'

Οὐδαμοῦ ξυμποσίοις, ἐπεὶ στεφανηφορῶ

Μὲν τὸν χειμῶνα ἡδὺ ἀγχυρωμάτων,

Νῦν παραδύς, ἐπὰν τὸν θερμὸν.

*DIVITEM MENDACEM*) Sophocles:

Καιοὶ τί κἀξὸν; ἢ 'πὶ πρὸς ἀνδρὸς ἀγγελεῖς;

Habent hoc multi divites ut semper promittant, dent nunquam, quales δυσνεῖται vocant Græci.

*SENEM FATUUM ET INSENSATUM*) In Græco: *Senem mœchum:* ac proinde *mente destitutum*, Græcum proverbium est:

Γέρων ἐραστὴς, ἐγκάρδιον κακὸν τέρας.

Plautus fine Bacchidum:

*Hi senes, nisi fuissent nihili jam inde ab adolescentia, Non hodie hoc tantum flagitium facerent cano capitibus.*

Cicero de officiis primo: Luxuria vero cum omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est. Sin autem libidinum etiam intemperantia accesserit, duplex malum est, quod & ipsa senectus concipit dedecus, & facit adolescentium impudentiorem intemperantiam.

Primum hic *ternarii virtutem*; utpote *concordia fratrum, proximorum, & conjugum*; & ternarii *vitiorum, pauperis superbia, divitis mendacitas, senis fatuitas* commemorantur, & censentur. Conf. *Prov. XXX. 18. Pf. CXXXIII.* 1. Auguft. *serm. CLXX.* de tempor. *Concordia fratrum voluntas Dei est, jucunditas Christi, perfectio sanctitatis, justitiæ regula, materia doctrinæ, morum custodia, atque in omnibus laudabilis disciplina.* R. Simeon in Pirk. Avoth. c. 1. *Tribus rebus hic mundus subsistit, ratione, veritate, & pace.*

Vers. 5. *QUÆ IN JUVENTUTE TUA NON CONGREGASTI, QUOMODO IN SENECTUTE TUA INVENIES?* Vide quæ diximus ad Prov. VI. 6. Plautus Aulularia:

— *fecit die si quid prodegerit*
*Profecto egere liceat nisi peperceris.*

V. 6. *QUAM SPECIOSUM CANITIEI JUDICIUM*) κρίσις, id est, recta judicium administratio.

*ET PRESBYTERIS COGNOSCERE CONSILIUM*) Et senibus nosse consilium. Euripides:

Γνώμαι δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν γαμετῶν,

Et alibi:

Βελαὶ δ' ἔχουσι τῶν γυναικείων κράτος.

Antiphanes:

Σοφὸν γὰ τοί τι πρὸς τὸ βουλεύειν ἔχει

Τὸ γῆρας, οἷς δὴ πολὺ ἐδόκει καὶ μαθεῖν.

Sophocles:

— τῷ γήρᾳ φιλῶ

Ὅ τοὺς ἐμοὺς καὶ τὸ βουλεύειν ἐδέ.

V. 7. *QUAM SPECIOSA VETERANIS SAPIENTIA*) Senibus sapientia.

*ET GLORIOSIS INTELLECTUS ET CONSILIUM*) *Et in honore positis intelligentia & consilium.*

V. 8. *CORONA SENUM MULTA PERITIA*) πολυπειρία, *verum multarum experientia.* nam *senes* Græci *usu ab annis.*

*ET GLORIA ILLORUM TIMOR DOMINI*) Pietas illis causa fiduciæ, quæ καύχημα his scriptoribus.

Huc facit illud Hieronymi Ep. 2. ad Nepotian. *De senum Senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis parentibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate sit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos* prudentia, & auctoritate.

*fructus metit.* Unde & sapiens ille Vir Græciæ *Themistocles*, cum expletis 107. annis se mori cerneret, dixisse fertur: *se dolere, quod tunc egrederetur è vita, quando sapere cepisset.* *Cicero* libr. de Senect. celebrat *Solonem*, qui solus restitit Pisistrato, Rempubl. per tyrannidem invadenti, cumque ille rogaret, qua re fretus hoc auderet? respondit: *senectute.* *Synesius* tract. de laude Calvitii caput calvum vocat prudentiæ domicilium, divinitatis templum. Conf. *Prov. XVI. 31.*

Vers. 9.

*NOVEM INSUSPICABILIA CORDIS MAGNIFICAVI* In Græco: *Nobem res, de quibus cogitabi in animo meo, beatas judicabi.*

*ET DECIMUM DICAM IN LINGUA HOMINIBUS)* Id est, *his decimum superaddam,*

Incommode vulgat. *Insuspicabilia:* Quod emendat Grotius, emendavit & Osiander: *Novem res in corde meo magnifacio, & decimum lingua mea celebrabo.*

Vers. 10.

*HOMO QUI JUCUNDATUR IN FILIIS)* Menander:

Οὐκ ἔστι μείζων ἡδονὴ ταύτης πατρὶ,
Ἢ σωφρονοῦντα κἀμφρονοῦντ' ὀφεῖν τινα
Τῶν ἐξ ἑαυτοῦ.

Diogenes:

Ζηλωτὸς ὅστις ἐυτύχησεν τὰ τέκνοις.

*VIVENS ET VIDENS SUBVERSIONEM INIMICORUM SUORUM,)* Tolerabile hoc in Judæis. Eupipides Hercule furente:

—— ἡδὺ γὰρ ἐχθρὰς θ' ὁρᾶσθαι δῆτ' ἐπὶ
Ἐχθροῖς, τιῶν τε τῶν ἀνδρειμίων δίκαι.

Quidam interrogatus quid optime oleret, dixit: cadaver inimici.

Vers. 11. *BEATUS QUI HABITAT CUM MULIERE SENSATA)* Theognis:

Οὐδὲν Κυρὴ ἀγαθῆς γλυκερώτερόν ἐστι γυναικός.

Hippothoon:

Ἀμεινον ἀνδρὶ κτῆμα, συμπαθὴς γυνή.

Euripides:

Μακάριος ὅστις εὐτυχεῖ γάμοις λαβών.
Ἐσθλὰς γυναικὸς.

Hesiodus:

Οὐ μὲν γάρ τι γυναικὸς ἀνὴρ λαίζηται ἄμεινον
Τῆς ἀγαθῆς.

*ET QUI LINGUA SUA NON EST LAPSUS)* καὶ ὃς οὐ γλώσσῃ οὐκ ὀλίσθησε, *qui lingua prolabi non solet.* Nam aoristus hic, ut & alibi, consuetudinem significat, Sensus idem qui Jacobi III. 2. Chares:

Γλώσσης μάλιστα πανταχῇ ποιοῦ κρατεῖν,
Ὃ καὶ γίγνεται καὶ τῶν ἴσων φέρει.

*ET QUI NON SERVIVIT INDIGNIS SE)* Euripides:

Ὡς ὠδὺ δοῦλος ἀνοήτους χρεὼν λαβεῖν,
Et alibi:

—— εἰ γάρ ἦσσοιτο
Τοῖς κρείσσοσιν φίλοισι δουλεύει βροτῶν.

V. 12. *BEATUS QUI INVENIT AMICUM VERUM)* Legit φῶ (id est, φίλοις,) γήσιον. Non rectius habemus φρόνησιν.

—— Περισσὸς ἐσθ' ἀνὴρ ὅτῳ φίλος.
Κἀρεθ' ὃς λαθεῖν ἄμεινον, ἢ δοὺς ὑφεσθοῦ.

*ET QUI ENARRAT JUSTITIAM AURI AUDIENTI) Justitiam* non est in Græco, sed ὁ διηγούμενος refertur ad id quod præcessit φρόνησιν. Felix qui cum prudens sit, discipulos habet discendi avidos: nam

Ἀργαλέον φρονέοντα παῦ' ἀφεστὸς πολὺ ἀγνοεῖσθαι.

Vers. 13. *QUAM MAGNUS QUI INVENIT SAPIENTIAM.*

ὦ ἐυτυχῆλιξ κτῆμα τιμιώτερον.

*ET SCIENTIAM)* Non est hoc in Græco.

*SED NON EST SUPER TIMENTEM DOMINUM)* Sophocles:

—— ἢ γὰρ ἐυσέβεια σωθήσεκ βροτοῖς
Κἀν ζῶσι καὶ θανοῦσιν, ἐκ ἀπώλυτος.

Vers. 14. *TIMOR DEI SUPER OMNIA SUPERPOSITUS)* In Græco: *At dilectio Dei super omnia fulgore præcellit.* Est quidem in Sixtina φόβος: sed ita decimum, quod se dicturum promiserat, deerit, nisi supra de amico & prudentia duas velis facere sententias.

Vers. 15. *BEATUS HOMO CUI DONATUM EST HABERE TIMOREM DOMINI)* Deest in Græco.

*QUI TENET ILLUM CUI ASSIMILABITUR?)* Qui tenet illum, Deum, amore nempe, de quo sermo præcessit.

*Decem* illa optanda ita numerantur, ob quæ quis beatus prædicatur: I. Liberos habere morigeros. II. Interitum inimicorum suorum (hostium scilicet Ecclesiæ) videre. III. Qui prudentem habet mulierem. IV. Qui sermonibus suis nec sibi, nec aliis nocuerit. V. Qui tali Domino servit, qui dignus sit, cui serviatur. VI. Qui invenit amicum verum. VII. Qui intellectum invenerit. IIX. Qui enarrat (justitiam) auri audienti. IX. Qui sapiens est & multarum bonarum rerum cognitionem habet. X. Qui timet Dominum; quod est super omnia. *Decem optanda.*

Vers. 17. *OMNIS PLAGA TRISTITIA CORDIS EST)* Male hoc infarctum ex eo quod sequitur,

Vers. 18. *ET OMNEM PLAGAM ET NON PLAGAM VIDEBIT CORDIS)* *Omnem plagam* (malim scilicet, quod sequitur infra 23, ὑβριν) *quam Plagam cordis:* id est mœrorem.

ὦ ὀϊζὺ λύπης χεῖρον ἀνδρὸς κακοῦ.

Vers. 19. *ET OMNEM NEQUITIAM ET NON NEQUITIAM MULIERIS)* *Omnem malitiam quam malitiam mulierum* pati malim. Nam

Θυμοῦται ἐπὶ τῶν κακῶν κακὴ γυνή.

Vers. 20. *ET OMNEM OBDUCTUM ET NON OBDUCTUM ODIENTIUM)* *Quodvis adversum potius quam adversum illatum ab iis qui nos odere.* ἐπαγωγὴ quid sit vidimus supra II. 2.

Οὐ γὰρ γελᾶσται τλητὸν ἐξ ἐχθρῶν.

ait Euripides:

Vers. 21. *ET OMNEM VINDICTAM ET NON VINDICTAM INIMICORUM)* Sensus prope idem ei qui præcessit, nisi quod ἐκδίκησις majus aliquid est, quam ἐπαγωγή. Durum obtectationi inimicorum cadere.

Vers. 22. *NON EST CAPUT NEQUIUS SUPER CAPUT COLUBRI, ET NON EST IRA SUPER IRAM MULIERIS)* Aliter in Græco: ὦ ὀϊζὺ κεφαλῆς ὑπὲρ κεφαλῆς ὄφεως, καὶ ὀϊζὺς ὑπὲρ θυμὸν ἐχθρᾶς. Est autem hæc παρήχησις communis κάτω λογίαις dictis prioris. *Nullum caput serpentis capite nocentius, nec ulla ira nocentior ira inimici:* quæ non ex subito impetu venit, sed ex alto penitus emergit.

*COMMORARI LEONI ET DRACONI PLACEBIT, QUAM HABITARE CUM MULIERE NEQUAM)* *Malim commorari Leoni vel draconi, quam malæ mulieri,* In Græcis Proverbiis est.

Λέοντι συζῆν ἢ γυναικὶ συμβιῶσαι.

Item:

Ἧσσον γυναικὸς καὶ λεαίνης ὠμότης.

Euripides:

Ἀ δ' ἐς γύβριν καὶ πυρὸς πεφυτίκεν,
Οὐδὲν γυναικὸς φάρμακ' ἐξέχουσ' ἐσθ'
Κακοῦ.

Alius:

Οὐ γὰρ ἀνομοιότερον οὐδὲν θηρίοις
Γυναικός.

Menander:

Πολλῶν κατ' ἀγρὸν καὶ κατὰ θάλασσαν θηρίων
Ὄντων, μιγίστου ἐστὶ θηρίου γυνή.

Est & alterius dictum:

Τὸ πίθηκον ἀσπίδος, κακὴ γυνή.

Vers. 24. *NEQUITIA MULIERIS IMMUTAT FACIEM EJUS)* ubi mulier mali aliquid meditatur, solet id in vultu apparere. σκυθρὸν, malitia.

*ET OCCÆCAT VULTUM SUUM TANQUAM URSUS ET QUASI SACCUM OSTENDIT)* Hic quoque ut alibi fere, duæ lectiones in Græco diversæ, duas nobis interpretationes peperere, quarum utraque tandem in textum recepta est. Nam alii libri habent σκοτοῖ τὸ πρόσωπον αὐτῆς ὡς ἄρκος, alii, ὡς σάκκον, prior lectio melior.

*Fumantem filii nasum tentaveris ursi.*

Vrsas quam ursos ferociores esse docet Aristoteles, de Historia Animalium IX. 1.

*IN MEDIO PROXIMORUM EJUS INGEMUIT VIR EJUS, ET AUDIENS SUSPIRAVIT MODICUM)* ἀναστενάζει τῶν πλησίον αὐτῆ ἀναπεσόντων ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, καὶ ἀκούσας ἀναστενάζει ὀλίγον: aut ut Sixtina habet, ἀναστενάζει σταγόνα. Sed hoc σταγὼν natum videtur ex κακῶν, quod sequitur. Est hic καὶ cum verbo vice participii. *Maritus ejus cum vicinis accumbens cogitur ob ipsius suspirare,* sermone forte de mulieribus injecto. ἀναπίπτειν est accumbere, Luc. XIV. 10. XVII. 7. XXII. 14. Joh. XIII. 12. XXI. 20. Tob. II. 1. Judith. XII. 17.

(Vers.

Vers. 26.

*BREVIS OMNIS MALITIA SVPER MALITIAM MVLIERIS:* In Græco: *Exigua quælibet malitia ad malitiam mulieris* comparata.

*SORS PECCATORVM CADAT SVPER ILLAM*) Id est, talis homini flagitioso velut sortito obtingat.

Vers. 27.

*SICVT ASCENSVS ARENOSVS IN PEDIBVS VETERANI*) Iterum veteranum pro sene dixit, ut supra 7. Omnia ardua difficilia incessu, præsertim si & arena pedes tardet, & ætatis farcina accedat.

*SIC MVLIER LINGVATA HOMINI QVIETO*) Tranquillitatis amanti.

Vers. 28.

*NE RESPICIAS IN MVLIERIS SPECIEM*) μὴ προσνόησης εἰς κάλλος γυναικός: id est, ne vincatis à forma mulieris, ut ex hac sola causa eam expetas. Euripides:

Νοῦν χρὴ θεωδεῖ· δοῦν τι τῆς ὑμοζύγου.
Ὄφελ' ἄνευ ἴτυος μὴ φρένας καλὰς ἔχειν.

*ET NON CONCVPISCAS MVLIEREM IN SPECIE. Neq; desideres uxorem deliciarum causa.* Non sola voluptas in uxore spectanda est: sed quæri debet quæ digna sit in societatem assumi divini humanique juris, quæ domum regere, rem servare, liberos bene educare norit, quæ adjumentum sit in bonis rebus, in malis solatium. Vxor dignitatis nomen est, non voluptatis. Euripides:

Οστις δ' ἀτιμάζει τὴν γυναῖκ' ἀγει λαβὼν,
Σύνεγγύς ἐστ' ἐμοὶ διστοῦ κἀνὶ δυσποίνῳ ἕζει.

Vers. 29.

MVLIERIS IRA ET IRREVERENTIA, ET CONFVSIO MAGNA: MVLIER SI PRIMATVM HABEAT, CONTRARIA EST VIRO SVO) Hic quoque comma unum in duo discerptum est: nam in Græco habemus: ὀργὴ καὶ αἰσχύνη καὶ μεγάλη γονὴ ἐὰν ἐπιχορηγῇ τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς. id est, *Res est plena iræ atq; incundiæ, ac res pudenda, mulier quæ viro præbet:* nempe unde vivat. Antiphanes:

Οὐκ ἔστ' ἄθλιον βαρύτερον τῶν φορτίων
Οὔτως, γυναικὸς πρᾶσιν πεπλὴν φερομένης.

Menander:

Ὀργὴ γυναικὸς ἐπίλοιπον ἐνθυμεῖ λαβεῖν
Πλεῖσται, ἤτοι μόνη ἐστὶν θεῶν,
Ἣ δέλετ' ἀτυχεῖν μακάριος καλῶς.

Alexis:

Ἐπεὶ' ἔχει πρᾶσιν, ἀγὶ λιμὸν φύσομεν,
Πικρὰν γε κἀμετὸν γυναικὸς χολῆς.

Adde quæ ex Plocio Menandri edidimus. Plautus:

*Vxorem accepi, dote imperium vendidi.*

Vers. 31.

COR HVMILE ET FACIES TRISTIS, ET PLAGA CORDIS MVLIER NEQVAM) *Mulier mala.* Tum vero μετωνυμίᾳ est quæ causæ dat nomen effectuum. καρδίας πτῶσις hic est cor dejectum mœrore.

Vers. 32.

MANVS DEBILES ET GENVA DISSOLVTA) Sunt scilicet eidem mulieri. Nec laborare audet, nec procedere.

Οὐτ' ἂν μόλοις ψαύσοι τι, οὔτε κόσμιος
Ἀρίσει, οὔτε κόπτων ἐξ οἴκου θέλοι·
Οὔτε πρὸς ἴσιον ἀσθένης ἀλευάσῃ
ἐξοῦ.

ait Simonides.

MVLIER QVÆ NON BEATIFICAT VIRVM SVVM) Sic est in textu Sixtino. At in annotatis: ἔστιν ἡ παρακαλοῦσα (male quidam codices habent παρακαλοῦσι) τὸν ἄνδρα αὐτῆς ἐν στενοῖσι: quæ ipsa maritum in adversis ejus rebus non consolatur.

Vers. 33.

A MVLIERE INITIVM FACTVM EST PECCATI) Observat idem Paulus 1. Tim. 2, 14. ἀρχήκακον γυνὴ, ajunt Græci.

ET PER ILLAM OMNES MORIMVR) Quia Adamo peccandi causa fuit. Inde Adamus rum ipsa subjectus morti (quam alioqui Deus avertere potuerat) liberos posterosque fecit fuæ conditionis esse, sicut ex servis nascuntur servi. Num. V. 12. Sap. 2, 24.

Vers. 34.

NON DES AQVÆ TVÆ EXITVM, NEC MODICVM, NEC MVLIERI NEQVAM VENIAM PRODEVNDI) Aquæ Hierosolymis diligenter in cisternis asservabantur, dabaturque operæ ne quid aquæ ex cisternis effluret: pari diligentia opus, ut femina non bona abstineatur à publico. Menander:

Τὰς τὰς γαμετὰς ὅρους ὑπερβαίνειν γρεὼν
Δι' αὐδρίαν· πέρας γὰρ οὐδὲν ἔστιν
Ἐλευθέρᾳ γυναικὶ τετρεμεῖ ὀπιθεν.

Τὸ δ' ἐπιδιδόναι, μὴς τε τὴν ὁδὸν τρέχειν
Εἰς λοιδορημένη, κυνὸς ὡς ἴργον ῥέδει.

Æschylus in Thebas, ad mulierem:

Σὸν δ' αὖ τὸ σιγᾶν καμὲ μύθων ἐστὶ δέσποτ.

Maxime vero feminis quæ malæ sunt præcludendi exitus:

----- οἱ δὲ γείτονες
χαίρουσ' ὁμοῦντες κοὐκ ἐῶσ' ἁμαρτάνειν.

Vicini lætantur ubi infelicem aliquem in conjugio vident.

Vers. 35.

*SI NON AMBVLAVERIT AD MANVM TVAM, CONFVNDET TE IN CONSPECTV INIMICORVM TVORVM: A CARNIBVS TVIS ABSCINDE ILLAM, NE SEMPER TE ABVTATVR*) In Græco Sixtino: ἐὰν μὴ πορεύηται κατὰ χεῖρά σε, ἀπότεμε σεαυτὸν ἀπὸ σαρκός σου. *Si ad manum tuam non it* (id est, si tibi morigera non est, si non patitur manum) *abscinde eam à tua carne.* Id est, à tuo conjugio, quod ex duabus velut unam facit carnem: ad exemplum scilicet illorum, qui membra sibi abscindunt, ne inde gangræna ad partes alias perveniat. Hoc explicans aliquis in margine subjecerat: δὸς καὶ ἀπόδοσιν, δι (redde dotem) *& dimitte eam.* Id ex margine in textum irrepsit. Vxorem viro morigeram etiam Xenophon χαριόδη vocat.

Vide de *uxore mala* Chrysost. in Matth. c. XIX. hom. XXXII. *Quid aliud est,* inquit, *mulier quam amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta.* Idem Chrysost. dixit, *ferrum coquere facilius esse, quam mulierem castigare!* Et loco supra cit. inquit, *in hoc mundo bestia similis est mulieri malæ; quid inter quadrupedia animalia leone sævius? Sed nihil ad hanc; aut in serpentibus, quid Dracone atrocius? Sed ne hoc quidem juxta mulierem malam, & linguosam conferri potest.* vid. ibidem plura. *Gregor. Nazianz.* in Distich. *Horrendi sunt Dracones, subdolæ aspides: utrumq; ferarum mulier complexa est.* Ideo *Carolus* V. Nihil ajebat pejus quam hosti suo imprecari posse, quam *uxorem imperiosam. Menander, Thesaurus,* inquit, *malorum est mulier mala:* Ignis & mare & fœmina sunt tria mala: ubicunque mulieres sunt, ibi mala sunt omnia. Cave autem hæc promiscue de mulieribus accipias: Ut *Terentius* in Hecyra:

*In eodem OMNES mihi videntur ludo doctæ ad malitiam.*

*Uxore mala.*

De mala solum muliere hæc & alia accipienda: ut & illud *Secundi* Philosophi, si in meliorem partem id interpretari velimus: qui interrogatus, quid mulier esset, respondit, *viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, convivæ fera, solicitudo confidens, lœna complectens, exornata Scylla, animal malitiosum, necessarium malum.* Et quod habet *Telemachus* l. 2. Epigramm.

*Omnes mulieris ira: habet autem bonas horas duas*
*Unam in thalamo, unam in morte.*

Merito autem damnati *Severiani,* & *Archontici* hæretici, qui mulieres adeo exhorruêre, ut eas *opus Satanæ* dicerent. Vid. *Epiphan.* l. I. Hæres. T. III. n. 45. Nimirum mulieris malæ vituperationem instituit Siracides, quæ κακοῦργες, *rixosa, garrula, superba, morosa, Zelotypa, immorigera, ebria,* vel *impudica est,* Non ergo *sexus mulebris,* non *conjugium* ipsum, sed *vitia* tantum, quæ in mulieris cadunt, culpantur. De muliere *bona* Salomo *Prov. XIIX. 12. Qui uxorem invenit, invenit bonum.* Ideo olim Athenis in nuptiis præcinebat puer: ἔφυγε κακὸν εὗρον ἄμεινον.

*Severian. hæresis de mulieribus.*

CAPUT

## CAPUT XXVI.

*Laudes mulieris bonæ, & vituperia malæ. Tria timenda, & duo periculosa.*

Vers. 1.

*MULIERIS BONÆ BEATUS VIR*) Euripides: ὁ τυγχὰν δ' ἐὐλοῦς τυχὸν. Simonides:

Τὴν δ' ἐκ μελίσσης τὰν τις ἐυτυχὴς λαβὼν,
Κάτη γαῖ' εἰη μάκαρ· ἢ προσεχάρη,
Θάλασα δ' ὑπ' αὐτὸς κὰ πάϊξεται ξέφ.

Adde quæ sunt Prov. XXXI.

*NUMERUS ENIM ANNORUM ILLIUS DUPLEX*) Tranquillitas enim causa longæ vitæ. Simonides post jam prolata:

Φίλα δὲ σὺν φιλοῦντι γηράσκει πάτη.

Vers. 2.

*MULIER FORTIS OBLECTAT VIRUM SUUM*) ἀνδρία generosa, strenua.

Vers. 3.

*PARS BONA MULIER BONA*) Bona fors vitæ.

*IN PARTE TIMENTIUM DABITUR VIRO SANCTO PRO FACTIS BONIS*) In Græco tantum est: *Dabitur pro sorte iis qui timent Deum*: Vide Prov. XVIII. 22.

Vers. 4.

*DIVITIS AUTEM ET PAUPERIS COR BONUM*) Id est, *sibonum sit*. Quidam codices explicationis causa addunt, πτὸς κύριον. Sed id in Sixtina abest.

*IN OMNI TEMPORE FULTUS ILLORUM HILARIS*) *In omni tempore vultum habentes hilarem gaudebunt*. Magnum gaudium meus bene fibi conscia & in divite & in paupere.

Vers. 6.

*DELATURAM CIVITATIS*) διαβολὴ Græcis quidem calumniam significat, sed apud Hellenistas respondet voci שטנה, quæ inimicitias significat. Vide infra XXVIII. 11. Inimicitiæ civitatis, id est, contra civitatem, est proditio.

*ET COLLECTIONEM POPULI*) Id est, seditionem. ἐκκλησία nomen est significationis mediæ, hic significat coitionem illegitimam, quæ ἐκκλησία συγκεχυμένη. Act. II. 12. XIX. 32. sine rectore fcilicet. M. Æmilius Consul apud Livium XXXIX. sic alloquitur Populum Romanum: *Majores vestri ne vos quidem nisi cum aut vexillo in arce posito comitiorum causa exercitus edictus esset, aut plebi concilium Tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus ad concionem vocasset, forte, temere coire voluerunt: ubicunque multitudo esset, ibi & legitimum rectorem multitudinis censebant debere esse.*

Vers. 7.

*CALUMNIAM MENDACEM*) καλωσυνιμὸν, id est, accusationem falsam.

*SUPER MORTEM OMNIA GRAVIA*) *Morte pejora hac omnia.* Bene Latinus interpres, ὑπὲρ θάνατον, huc retulit, non ad ea quæ præcedunt.

Vers. 8.

*DOLOR CORDIS ET LUCTUS MULIER ZELOTYPA*) Additur in Græco, *contra mulierem*. Mulier mulieri æmula omnia tria ista mala superat. Affert enim cordolium perpetuum, sæpe & luctus graves. Seneca Medea:

*Nulla sic flammæ tumidis, Eventi*
*Tanta, nec teli metuenda torti*
*Quanta cum Conjux viduata tædis*
*Ardet & odit.*

Deinde post comparationes interpositas:

*Cæcus est ignis stimulatus ira,*
*Nec regi curat, patiturve frænos:*
*Haud timet pœnas, cupit ire in ipsos*
*Obvius enses.*

Euripides in ejusdem argumenti Tragœdia:

Οὐ δ' ἀνεκὰ φόνου. κλέος μὴ κείσῃ λίγ'.
Ἀλλ' ἐς τοῦτο θυσὶ, σὺ δ' ὀρθιμώτερος
Ἐυνὴς γυναικὸς πάντ' ἔχειν νομίζετε.

Et est Græcum Proverbium: ζηλοῦ γυναικὸς πάντα πυκνὰ δέμας. Hypsipyle in Ovidiana epistola:

*Pellicis ipsa meos impleffem sanguine vultus,*
*Quotque beneficiis abfuit illa fuit.*
*Medea Medea forem.*

Vers. 9.

*IN MULIERE ZELOTYPA FLAGELLUM LINGUÆ OMNIBUS COMMUNICANS*) In Græco: καὶ μάστιξ γλώσσης ἐπικοινωνέσα. *Flagellum autem linguæ omnibus* (illis nempe quatuor jam dictis) *commune est*. Id est, ista quatuor non peraguntur fine maledicentia, μάστιξ γλώσσης est maledicentia. Jobi 5, 20.

Vers. 10.

*SICUT BOUM JUGUM QUOD MOVETUR, ITA ET MULIER NEQUAM*) *Mala*. Sunt boves quæ juga jactant, ut loquitur Juvenalis: ez jugalibus plurimum incommodant.

*QUI TENET ILLAM QUASI QUI APPREHENDIT SCORPIONEM*) Vide supra X XV. 22.

*Scorpioni*, ait Plinius l. 2. c. 25. *semper cauda in ictu est, nullog, momento meditari cessat, ne quando desit occasioni. Ferit & obliquo ictu, & inflexo: Ita mala mulier, utut blandiatur in cauda*, id est, *in fine aculeum doloso exerit, imo occasioni invigilat, ut noceat.* Adeo *Antonius* in Meliſſa l. 2. c. 34. ex *Socrate* monuit; *Cum te amare atque appetere se dicit mulier, ab ea magis tibi metuendum, quam cum maledicit.* P. Syrus in Mimo, *Aperte*, inquit, *cum mala est mulier, tum demum est bona.* *Mala mulier.*

Vers. 11.

*MULIER EBRIOSA IRA MAGNA ET CONTUMELIA, ET TURPITUDO ILLIUS NON TEGETUR*) In Græco: ἔργὰ μεγάλα γυνὴ μεθυσθεῖσα καὶ ξαυδὰς, (legendum puto ξαυδὰ, nam id & de femina dicitur) καὶ τὴν αἰσχυνόμενον αὐτὸς ἀνυκαλύψει. *Mulier ebriosa, magna ira est*, (id est, iracunda admodum) *& fatigatur, & præterea non obtegit ea quæ tegenda sunt.* ξαυδὰ, & ξαυδύνη est vagari. Ez. XXII. 16. Cant. I, 6, in versione Symmachi, unde ξαυδάμεις, Sap. IV. 12. αἰσχυμοσύνη autem, Hebraice ערוה, dicitur ευσυμὸς, id in muliere quod aperte nominari non decet. Mulierem vinolentam hæc sequuntur mala: Primum, iracunda est, quia bilis vino accenditur: deinde domi se non continet: poſtremo, pudoris pudicitiæque non meminit. Curtius de feminis Babylonicis: *Feminarum convivia incuntium principio modestum est habitus: deinde summa quæque amicula exuunt, paulatimque pudorem prosanant: ad ultimum, bonos auribus habitus sit) ima corporum velamenta projiciunt.*

Vers. 12.

*FORNICATIO MULIERIS IN EXTOLLENTIA OCULORUM, ET IN PALPEBRIS ILLIUS AGNOSCETUR*) Oculi elati, & mobiles palpebræ arguuntimpudicas. φλύων ὀφθαλμὸς prodit ἀνδρὸς γογευόμενον, apud Æſchylum.

Vers. 13.

*IN FILIA NON AVERTENTE SE FIRMA CUSTODIAM*) *Filia quæ pudore non deterretur pone custodiam*, φυλαχὴν est pudore abſterrere aliquem, ut in Græco, Jobi XXXI. 34. Hinc ἀδιάφθορος, femina non teneræ frontis, hic & infra 30. Vitæ Jerem. III. 3.

*NE INVENTA OCCASIONE ABUTATUR SE*) Conſtruxit ἑαυτῇ, cum χρήσηται, ut libri plerique. Sed melior est distinctio, ἵνα μὴ ἐυρεῦσα ἀπὸν ἑαυτῇ, χρήσηται. *Ne quam sibi occasionem* (ad peccandum) *invenerit, ea utatur.*

Vers. 14.

*AB OMNI IRREVERENTIA OCULORUM EJUS CAVE*) *Pone impudentem oculum, custodi.* Id est, feminæ oculos habentis inverecundos vestigia preme.

*ET NE MIREBIS SI TE NEGLEXERIT*) *Et* hic est pro *aut. Aut non mirare si quid in te* (maritum suum) *peccat.*

Vers. 15.

*ET AB OMNI AQUA PROXIMA BIBET*) De quavis aqua quæ se obtulerit.

*ET CONTRA OMNEM PALVM SEDEBIT*) Palum intelligit ad quem viatores pangebant tentoria. De tali femina Simonides:

Οὐδὲ δι κρὴ πρὸς ἔργον ἀφροδίσιον
Ἐλθοῦσ' ἐτέρου ἀντιοῦν ἰδέσθαι.

*ET CONTRA OMNEM SAGITTAM APERIET PHARETRAM, DONEC DEFICIAT*) In Græcis tantum est: κρὶ ἐναντι βέλος ἀνοίξει φαρέτραν, id est, faciet copiam sui. Similis ferme locutio apud Plautum:

*Confemibatne in vaginam tuam machæra militis?*

*Chrysostomus* propriam mulieris passionem dixit *luxuriam esse. Basilius* ad Ef. III. 16. *Ipso intuitu obscenam demonstrat animæ impuritatem. Dum enim suaviter, & blandis arridet ocellis, prolicit ad explendam libidinem: jactu enim ocellorum sagittam plane exitialem emittit, cujusmodi tandem obtinet rumor de Basilisci natura, quem dicunt solo aspectu suos corrumpere spectatores.* *Mulier luxuriosa.*

Vers. 16.

Vers. 16.

GRATIA MULIERIS SEDULÆ DELECTABIT VIRUM) Sedulæ, non est in Græco, & χάρις intelligenda, morum amœnitas.

ET OSSA ILLIUS IMPINGUABIT) *Facies bene habitum.* Oppositum huic loquendi genus habet Prov. XVII. 23. Quod hic sequitur *disciplina illius*, in Græco, ἡ ἐπιστήμη αὐτοῦ, (scientia ipsius, bene vivendi ars, melius in Græco cum verbis, quæ jam habuimus connectitur, ut novam sententiam inchoet: ἔδεσι κυρίᾳ, &c.

DATUM DEI EST MULIER SENSATA ET TACITA) In Græco: *tatiturna & benigna.* Sophoclis est sententia,

Σίγων γυναικὶ κόσμος ἡ σιγὴ φέρει.

NON EST IMMUTATIO ERUDITÆ ANIMÆ) In Græco: πᾶν ἀκ ἔστι ἀντάσαγμα πεπαιδευμένης ψυχῆς. *Nullum est pretium quod æquari possit animæ* (muliebri) *bene instituæ.* Idem sequendi genus habuimus supra VI. 16. & Job. XXVIII. 15.

Vers. 19.

GRATIA SUPER GRATIAM MULIER SANCTA ET PUDORATA) In Græco: *mulier prudens & fida.* χάρις ἐπὶ χάριτι, id est, res summe grata & suavis.

OMNIS AUTEM PONDERATIO NON EST DIGNA CONTINENTIS ANIMÆ) Non legit hic additum αὐτῆς, quod & à Sixtina abest. Nullum pondus auri & argenti tanti est, quanti fœminæ animus in rebus omnibus modum servans.

Vers. 20.

SICUT SOL ORIENS IN MUNDO IN ALTISSIMIS DEI) *Mundo*, addidit interpres, Altissima Dei hic, regio siderea, comparata ad terram.

Vers. 21.

SIC MULIERIS BONÆ SPECIES IN ORNAMENTUM DOMUS EJUS) Bene ὡὴ reddidit per *sicut* & *sic.* Theocritus Helenes Encomio:

Λοὶ ἀντίοισα, καλὸν διάφαντε πρόσωπον.
Πέπλοι τοὶ ἔτε, λευκοὶ ἰὼ χρυσῶ ἀνθεσι ἦσαν,
Ὣδε καὶ ἀ χρυσέα Ἑλένα διέφαινεν ὐ ἰδών.

Vetus Poeta Latinus:

*Conspiterat exorientem auroram forte salutans,*
*Cum subito à læva Roscius exoritur:*
*Pace mihi liceat cœlestes dicere vestra,*
*Mortalis visus pulchrior esse Deo.*

Vers. 22.

LUCERNA SPLENDENS SUPER CANDELABRUM SANCTUM, ET SPECIES FACIEI SUPER ÆTATEM STABILEM) Hic per & vertit quod modo explicatius per *sicut* & *sic. Qualis est lychnus in lychnucho templi.* (de quo vide Num. VIII. & Levit. XXIV.) *talis pulchritudo facies in ætate stata:* id est, media: quomodo mediam formam, statam dixit Ennius, Gellio teste.

Vers. 23.

COLUMNÆ AVREÆ SUPER BASES ARGENTEAS, ET PEDES FIRMI SUPER PLANTAS STABILIS MULIERIS) Bene legit: ἐπὶ ἑτέραις ἑκατόδας, non ἑτέρας ut nunc legitur. τὰ σφυρὰ sunt firmamenta pedum, id est, plantæ. Columnas comparat tibiis, bases columnarum plantis. ἑκατόδης mulier dicitur, quæ recto est corpore. Quæ hic sequuntur in Græcis quibusdam, sicut in Latino exemplari, ita & in Sixtino textu non leguntur. In illis, μὴ δῷς ἀλλοτρίοις τὴν ἰσχύν σου: per ἀλλοτρίους intellige fœminas extraneas: per ἰσχὺν semen, quomodo Hebræi vocem parem explicant, Gen. XLIX. 3. ἴυγιος κλῆρος est mulier ex bono genere. Sic Euripides dixit:

---- πᾶσι δ' ἀγλαὸν βροτοῖς
ἔλπιδ' ἐν ἀνδρῶν ἰυγενὲς σπέρμα τίκτει.

Τυνὴ μεσία, id est, meretrix, opponitur ὁ πάλδες, id est, nuptæ. Comparatur meretrix ἐλλὸ, sui alibi. Nupta vero vocatur, σέμνᾳ ἀνάνδρῳ, id est, turris arcens mortem, quæ a multis periculis virum servat. Τυνὴ ἀσχήμων est quæ indecore se gerit, ἀτιμίας κατατρίψει ignominiam ipernet. De muliere linguace, εἰς πολλοὺς τροπὸν ξεινοῦσαν, lege: εἰς πολλοὺς τρόπους ξενίζει, *hostilem cum hostium gaudio.* Et in eo quod sequitur, pro ὁμολόγοις, assentio scribentibus, ὁμόγροις. *Vir qui cum ea vivit in tumultibus quasi bellicis vitam transiget.* Tales mulieres Epigrammatarii Græci vocant ἀνδρομάχας.

De muliere sedula & generosa in veteri versu dicitur:

Mulier sedula & generosa.

Ταμεῖον ἀρετῆς ὅτι γενναία γυνή.

*Virtutis est penu generosa fœmina.* Ideam formose, & omni laude matronali decoratæ fœminæ pingit *Lucianus* in libello, cui titulus est εἰκόνες.

De *modestia* & *taciturnitate* mulieris Euripides:

Γυναικὶ γὰρ σιγᾶν καὶ τὸ σωφρονεῖν
Κάλλιστον. εἰσὶ δ' ἥσυχον μένειν δόμων.
*Et fœminæ summum decus modestia,*
*Silentiumque, & ædibus non egredi.*

De *verecundia* Ambrosius l. 1. Offic. c. 18. *verecundia pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior est: bonus enim regendæ castitatis pudor est comes.*

Vers. 26.

VIR BELLATOR DEFICIENS PER INOPIAM) Rebus necessariis egens, quod Patriæ indecorum.

ET VIR SENSATVS CONTEMTVS) Vir eruditus ubi pro ejectamento habetur:

*Pellitur e medio sapientia.*

Vide Ecclesiastæ IX. 15.

Vers. 27.

ET QVI TRANSGREDITVR A IVSTITIA AD PECCATVM) A bona vita ad malam, ut Ezech. XVIII. 24. Tales plerumque pejores cæteris evadunt.

DEVS PARAVIT EUM AD ROMPHÆAM) Malæ morti eum destinavit.

*Tigurini* ita vertunt: *Duo cor meum contristant, & tertium mihi movet indignationem. Vir bellicosus laborans egestate: Viri cordati indigna patientes: & qui se a justitia transfert ad peccatum.* Osiander ita explicat illa: *Si quis Reip. causa in bellis strenuam operam navit, & in senectute non habet alimenta.* (Ingratitudo autem est eos negligere, qui cum periculo vitæ & jactura fortunarum suarum de Republica bene meriti sunt.) Et vir lenitatus, contemptus: *quando sapientes & fideles consiliarii in senectute abjecuntur & tanquam deliri senes contemnuntur: Cum tamen adhuc salutaria consilia subjicere possent.* (Et qui tales sapientes senes ludibrio habent, corumque consilia contemnunt magno suo malo discunt, quam male rebus suis consuluerint: id quod exemplum Regis Rehabeami luculenter demonstrat, qui sectatus juniorum consilia (spretis Senioribus Consiliariis) decem regni sui partes amisit.) Et qui transgreditur a justitia ad peccatum: *id est, qui abjicit veram religionem & sectatur falsam:* DEUS paravit eum ad rhomphæam: *talis gladio morietur.* (*Sæpe enim accidit, ut Apostatæ eorum gratiam amittant, quibus gratificati sunt in abjicienda & blasphemanda doctrina cælesti: postea ac fœda morte moriuntur: si non gladio, tamen cum fremitu & horribili desperatione.*

Vers. 28.

DVÆ SPECIES DIFFICILES ET PERICVLOSÆ MIHI APPARVERVNT) Non est in Græco, sed olim fuisse arbitror. Aliquid enim interponi debuit, quo distinguerentur hæc a tribus præcedentibus.

DIFFICILE EXVITVR NEGOTIANS A NEGLIGENTIA) *Mercator a delicto:* ut infra XXVII. 2. nempe vaniloquentiæ. Cicero de officiis I. *Sordidi etiam putandi qui mercantur a mercatoribus quod statim vendant: nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur.* Vide Prov. XX. 17.

ET NON JVSTIFICABITVR CAVPO A PECCATIS LABIORVM) *Labiorum* interpres de suo addidit, ad sensum non male. *Non justificabitur:* id est, *non erit immunis a culpa.* κάπηλος proprie est qui minutatim vendit res esculentas, aut potulentas: tam κάπη est ψοφὸ: κάπηλος est edax.

Osiander: *Negotiator*, inquit, *difficulter poterit cavere a delicto, & caupo non justificabitur (non immunis erit) a peccato. (Non rejicit autor noster hæc genera vitæ, quia ad societatis humanæ conservationem necessaria sunt: sed docet caute in iis ambulandum, ne conscientia gravetur, & maledictio divina attrahatur, dum opes per fraudes & impostiras corradere student mercatores. Quid? quod sæpe per nomen Dei falso jurant, ut merces suas malas pro bonis extrudant.*

CAPUT

## CAPUT XXVII.

*Avaritia multorum malorum causa. Linguæ regimen. Arcana non revelanda. Oculis annuentes, dolosi, de calamitatibus aliorum gaudentes.*

Vers. 1.

PROPTER INOPIAM MVLTI DELIQVERVNT) Legit ἀδικήσει, & interpretatus est inopiam pecuniæ, quia ἀδίκημα est pecunia, ut dictum supra VIII. 20. sed vtro de omni literarum genere optime merito Casaubono assentiter, qui legendum hic putavit χρέος ἀδίκημα, *pecuniæ causa*. Congruit enim id cum membro sequente.

ET QVI QVÆRIT LOCVPLETARIA AVERTIT OCVLVM SVVM) nempe a divina lege. Diphilus:

Πρὸς τὰληθὲς γάρ ἐσ' ὁ νόος, τἀδὲ πᾶν ὄρᾷ.

At Euripides:

Ὅστις γὰρ ἐπὶ τὸ πλεῖον ἔχειν πέφυκ' ἀνὴρ,
Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον, ὃστ' βέλτιον.

Vers. 2.

ANGVSTIABITVR PECCATVM) *Comprimitur.* Vtroque id agente ut lucrum faciat, quamvis cum damno alterius. Vide de hac re quæ diximus libro II. de jure Belli ac Pacis XII. II. & 26. Adde quæ supra XXVI. 28.

V. 3. CONTERETVR CVM DELINQVENTE DELICTVM) Hoc ex alia est versione verborum præcedentium.

V. 4. SI NON IN TIMORE DOMINI TENVERIS TE INSTANTER) In Græco est in tertia persona *tenuerit*, nempe vendere & emere solitus: & in eo quod cohæret, *domus ejus*. Simile dictum Euripidis:

Ἀδικοῦ δὲ μὴ χρὴ χρήματ' ἢ βίᾳ πολὺν
Χρόνον μελλόζηις ἡμιτεῦν· τὸ γὰρ δίκαιος
Οὐκ ἐσελθὸν' ὃν ἔχει σωτηρίαν.

*Diogenes* pauperiem sibi exprobranti, apud Stobæum serm. 95. respondit: *Infelix quid ais. At ego neminem vidi tyrannidem gerere per paupertatem, omnes vero propter divitias.* Aristides tale responsum reddidit: *mihi quidem paupertas nihil mali affert, tibi vero divitiæ non paucas perturbationes.* Conf. *Ez. XXIIX. 16. 1. Tim. VI. 9.*

Vers. 5.

SICVT IN PERCVSSVRA CRIBRI PERMANEBIT PVLVIS, SIC APORIA HOMINIS IN COGITATV ILLIVS) Ex Græco optime vertas: *Sicut in quassu cribri manent quisquiliæ*, (aliquæ, crassiores scilicet) *ita sordes hominis in dissertatione ipsius* σκύβαλα, non σκῶλα habet Sixtina editio. λογισμὸς autem hic, ut ex mox 7. & 8. non cogitationem, sed dissertationem significat. Sensus autem est: utcunque arte magna loquentis regantur verba, tamen per eam translucere non raro, quæ animo inhærent vitia: na n

Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐν λόγῳ γνωρίζεται.

Sequuntur hic dicta eodem pertinentia.

Vers. 6.

FASA FIGVLI PROBAT FORNAX) Nam quæ ex humo non ad id apta facta sunt rumpuntur, aut diffluunt.

ET HOMINES IVSTOS TENTATIO TRIBVLATIONIS) Verus sensus: sed non is qui in Græco est, qui talis: *Exploratio hominis est in dissertatione ejus.* Nam incipit hic titulus de sermone hominis.

Vers. 7.

SICVT RVSTICATIO DE LIGNO OSTENDIT FRVCTVM ILLIVS, SIC VERBVM EX COGITATV CORDIS HOMINIS) In Græco: γεώργιον ξύλου ἐκφαίνει ἑαυτὸ καρπὸς αὐτοῦ, οὕτω λογισμὸς ἀνθρώπου ἐν καρδίᾳ αὐτοῦ. Lege ἐκφάνσιμα. *Sicut fructus arboris culturam ejus ostendit, (artem agricolæ) ita dissertatio, cogitationes* (quæ sunt, *in corde hominis.*

Vers. 8.

ANTE SERMONEM NE LAVDES VIRVM: HÆC ENIM EST TENTATIO HOMINVM) *Exploratio:* ut modo. Quidam si tacuissent, pro Philosophis essent habiti.

Philosophus quidam *ex voce*, inquit, *agnoscimus hominem facie non conspecta, nam sita cuique vox: ita ex oratione licet mentem & vitam hominis conjectare.* Hinc illud: *loquere, ut te audiam.* Isocrates λόγος ἀληθὴς καὶ ὑμῖν καὶ δικαίως ψυχῆς ἀγαθῆς καὶ πιστῆς εἴδωλον ἐστί,

Vers. 9.

SI SEQVARIS IVSTITIAM APPREHENDES ILLAM) *Si setteris id quod factum est, etiam quod justum est adipiscaris.*

ET INDVES QVASI PODEREM HONORIS) *Indues illud* (id est justum) *velut poderem honoratum.* Ποδήρης non sacerdotum tantum, sed & magistratuum, ut patet Ezech. IX. 2. 3. Magnus honos, nomen viri justi obtinere. Cætera quæ Latine in hoc commate sequuntur absunt in Græcis.

V. 10. VOLATILIA AD SIBI SIMILIA CONVENIVNT) Nempe ea quæ sunt ὁμοιοπαθῆ.

ET VERITAS AD EOS QVI OPERANTVR ILLAM REVERTETVR) Id est, bona fide cum eis agetur qui bona fide agunt.

Vers. 11.

LEO VENATIONI INSIDIATVR SEMPER) Id est pecori.

SIC PECCATA OPERANTIBVS INIQVITATES) Insidiantur nempe. Ἡ δὲ κακὴ βάλη τῷ ἐαυτοῦ πλησίον κακόν. Turdus fibi malum cacat.

Vers. 12.

HOMO SENSATVS IN SAPIENTIA MANET SICVT SOL) Illud *sicut sol* interpres de suo adjecit, quia in altero membro lunæ fit mentio. In Græco est: διάγνωσις ἐν σοφίᾳ διάκοντος ἐν σοφίᾳ. *Dissertatio viri pii semper sapienter instituitur.* Hoc sensu διάγνωσις & σοφία ponitur 14.

NAM STVLTVS SICVT LVNA MVTATVR) *At stultus sicut luna mutatur:* nempe in sermonibus suis: nam de iis hoc titulo agitur. Luna mutabile fictus Poetis, & notus de ea Æsopi apologus.

*Ambros.* in Psalm. XXXVI. *Narratio justi semper in sapientia: Stultus autem sicut luna mutatur.* Stultus scilicet, *quod sæpe varietur, nec in sua perseveret sententia, & tanquam in tenebris lumen videatur affundere, nec tenere.* Et serm. IV. *Mutatis sicut luna, ut qui paulo ante fidei devotione fulgebat, postea perfidiæ infirmitate deficias.* Mutatis sicut luna, *dum cerebrum tuum ita exinanitur sapientia, sicut Lunæ obscuritas: te vero tetterrimæ tenebræ mentis invadunt, atque utinam, ô stulte sicut Luna muteris! Illa enim cito ad plenitudinem suam redit, tu ad sapientiam nec sero converteris: illa velociter colligit quod amisserat lumen, tu nec tardè fidem recipis, quam negasti. Gravior ergo tua, quam Lunæ mutatio est, Luna defectum luminis patitur, tu salutis.*

Vers. 13.

IN MEDIO INSENSATORVM SERVA VERBVM TEMPORI) In Græco: *In medium insipientium* (ut te inferas) *observa tempus.* Id est, ne te illis misceas, nisi ubi negotia id exigunt.

IN MEDIO AVTEM COGITANTIVM ASSIDVVS ESTO) *In medium prudentium assiduo tempus infer.* Ibi peregrinare, hic habita.

Vers. 14.

NARRATIO PECCANTIVM ODIOSA) *Dissertatio peccantium facit labi eos qui audiunt.*

ET RISVS ILLORVM IN DELICIIS PECCATI) Rident quia aliorum peccatis lætantur. σπαταλῆς, cum lascivia lætari. 1. Tim. V. 6. Jacob. V. 5.

Vers. 15.

LOQVELA MVLTVM IVRANS HORRIPILATIONEM CAPITI STATVET) In Græco est: *Loquela multum jurantis erigit pilos:* nempe audientibus, præ horrore: *Stetterunt, comæ.*

ET IRREVERENTIA IPSIVS OBTVRATIO AVRIVM) *Et pugna cum ipsis ejus obturatio auricum.* Non aliter tam facile jurantibus resistes, quam claudendo aures. Vide Act. VII. 57. Sæpe Hebræis Genitivus & non facientis, sed patientis.

Vers. 16.

EFFVSIO SANGVINIS IN RIXA SVPERBORVM) Si quæ oriatur vel levis contentio inter superbos, quia neuter alteri vult cedere, facile ad vulnera venitur.

ET MALEDICTIO ILLORVM AVDITVS GRAVIS) Molestia sunt auditu convitia, quibus inter se tales certant.

Vers. 17.

QVI DENVDAT ARCANA AMICI FIDEM PERDIT) Nam quisque sibi metuit quod alteri vidit accidere.

ET NON INVENIET AMICVM AD ANIMVM SVVM) Ex voto suo.

V. 18. DILIGE PROXIMVM) Christiane admodum. Sed in textu Græco est, *Dilige amicum.*

Non

Befolat. Secretor. amici.

Non minus *Judæis* in V. T. quam *Christianis in* N. T. dilectionem proximi demandatam esse vel è collatione *Lev. XIX. 18. Matth. XXII. 39.* liquet.

ET CONJUNGERE FIDE CUM ILLO) Fidem illi præsta. Id enim πιστεύω etiam infra XXIX. 3. Respondet Hebræo חבר, ut videre est 1. Reg. VII. 26.

Vers. 19.

QUOD SI DENUDAVERIS ABSCONSA ILLIUS, NON PERSEQUERIS POST EUM) Id est, noli posthac amicitiam ejus quærere. Nam frustra eris, ut ostendunt sequentia.

Vers. 20.

SICUT ENIM HOMO QUI PERDIDIT AMICUM SUUM, SIC ET QUI PERDIT AMICITIAM PROXIMI SUI) Græcum Sixtinæ: καθὼς γὰρ ἀπόλεσεν ἄνθρωπος τὸν ἑῳθρὸν αὐτοῦ, ὅτως ἀπώλεσας τὴν φιλίαν τῦ πλησίον. *Ut si quis hostem interfecerit, ita tu amicitiam tibi noti interfecisti.* Sic interfectæ pudicitiæ feminas dicunt Latini.

Vers. 21.

ET SICUT QUI DIMITTIT AVEM DE MANU SUA, SIC DERELIQUISTI PROXIMUM TUUM: NON EUM CAPIES) Eadem similitudine, sed adrem aliam Plautus utitur:

*Liber captivus abit fere consimilis est.*
*Semel fugiendi si data est occasio,*
*Satis est. Nunquam post illam possis prendere.*

Vers. 22.

NON ILLUM SEQUARIS, QUIA LONGE ABEST) Idem quod supra v. 19.

EFFUGIT ENIM QUASI CAPREA DE LAQUEO) Non dispar illa translatio, id est, curtata comparatio apud Horatium:

*------ si fugax aper & alter*
*Insidiatorem præceps fugerit hamo.*

QUONIAM VULNERATA EST ANIMA EJUS: ULTRA EUM NON POTERIS COLLIGARE, ET MALEDICTI EST CONCORDATIO: DENUDARE AUTEM AMICI MYSTERIA, DESPERATIO EST ANIMÆ INFELICIS) Aliter in Græco: *Vulnus obligari potest, & ab maledictis fieri reconciliatio. At qui arcana detexit, perdidit fidem.* Sensus idem qui supra XXII. 25. 26.

*Augustinus*, vel quisquis alius Autor libri de amicitia c. 13. *Secretorum revelatione inter amicos nihil turpius, nihil execrabilius, nihil amoris vel gratiæ relinquens inter amicos, sed omnia replens a maritudine, indignationis & odii, atque doloris felle cuncta aspergens. Isocrates* ad Democritum, *Diligentius*, inquit, *tuenda sunt deposita verborum, quam pecuniarum.* Unde *Simonides* homines *infimæ* notæ censebat eos, qui secreta continere non possent, ac similes servo illi apud Comicum, qui *rimarum plenus effundebat arcana.* Conf. *Proverb. XI, 13. c. XX. 19. c. XXV. 9.* Ephelat. Secretor. amici.

Vers. 25.

ANNVENS OCVLO FABRICAT MALA) Id est qui omnia alterius dicta factaque probat, annuendo & arridendo. Hoc est quod ἐκτυπηγάζειν in adulatoris descriptione Theophrastus vocat.

ET NEMO EVM ABJICIET) Legit ita ut in Sixtina est: καὶ οὐδεὶς αὐτὸν ἀπεστίσει ἀπ' αὐτοῦ. Sed melior lectio in aliis: καὶ ὁ οὐδεὶς αὐτὸν, ἀποστήσεται ἀπ' αὐτῦ. *Qui eum novit, ab eo recedet.*

Vers. 26.

IN CONSPECTV OCVLORVM TVORVM CONCVLCABIT OS SVVM) Scripsit interpres *conculcabit*, γλυκανεῖ. Omnia facit dicitque πρὸς χάριν, ut loquuntur Zeno, Critias, Euripides. λέγει καὶ πράττει οὐχ ἁπλῶς ἀλλὰ πρὸς ἡδονήν, ait Theophrastus.

ET SVPER SERMONES TVOS ADMIRABITVR) Gnatho in suæ professionis apud Terentium descriptione: *Eorum ingenia admiror.* Alius apud Eupolidem:

Καὶ καταπλήττομαι, θαυμάζων τοῖσι λόγοισι χαίρων.

NOVISSIME AVTEM PERVERTET OS SVVM) Alia loquetur apud alios.

ET IN VERBIS TVIS DABIT SCANDALVM) Periculum tibi creabit ex verbis tuis. Sensus idem qui supra XIX. 24. 25. 26.

Vers. 27.

MVLTA ODIVI, ET NON COÆQUAVIT) Multa odi, sed non quantum talem hominem.

ET DOMINUS ODIET ILLUM) Etiam Deus tam perfidos odit, sunt θεοστυγεῖς.

Vers. 28.

QUI IN ALTUM MITTIT LAPIDEM SUPER CAPUT EJUS CADET) Id est, sæpe sibi nocet qui meliori se nocere vult: πρὸς κρείττονας ἀντιφιλονεικῶν.

ET PLAGA DOLOSA DOLOSI DIVIDET AMUM) πληγὴ δόλιε δώσει τιμώματα. Ira enim in Sixtina est. Cum quis in tenebris inimicum vult vulnerare, sæpe evenit ut amicum qui adest vulneret.

Vers. 29.

ET QUI FOVEAM FODIT INCIDET IN EAM) Eadem est sententia: nec est & in Græco. Ex Psalmo VII. 16. & Ecclesiast. X. 8.

ET QUI STATUIT LAPIDEM PROXIMO OFFENDIT IN EO) Non est in Græco.

ET QUI LAQUEUM ALII PONIT, PERIBIT IN ILLO) Legit ἐν αὐτῷ ἀπολεῖται; sed melior lectio quæ in Sixtina: ἐν αὐτῷ πλουτεῖ. Ex Psalmo IX. 16. XXXV. 8.

Talionis pœna.

Talionis hæc pœna, juxta veterem versum:

Ὁ αὐτὸ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.
*Sibi ipsi mala struit, qui alteri insidiatur.*

Vers. 30.

FACIENTI NEQUISSIMUM CONSILIUM, SUPRA IPSUM DEVOLVETUR, ET NON AGNOSCIT UNDE ADVENIAT ILLI) Legitur in multis Græcis: πανοῦργα πανοῦργα ἐπ' αὐτὸν βουλεύσεται, sed verior & Latinæ congruentior Sixtina lectio: ὁ πανοῦργα πανοῦργα ἐπ' αὐτὸν βουλεύσεται. &est constructio Hebraica, pro ὃς τὰ πανοῦργα πανοῦργα βουλεύσεται, nempe πανοῦργα. In eum qui mala fecit mala devolventur. Sensus qui supra II. & bene addit, *non agnoscit unde adveniat.* Nam, ut Euripides ait:

Δίκα τοι δίκα γρήσιμον,
Ἂν' ὄμμα ὑπαπεσοῦσ'
Ἐλαθεν ὅταν ἔχῃ
Τὸ κέρδος ἄρσαντα.

Item de divina ultione:

------ σύγα γὰρ βραδεῖ ποδὶ
Στείχουσα μαράντ' τοὺς κακοὺς ἀεὶ φρονῶν.

Alius dixit. δίκη, ἀπιδοῦσ' ἐχ ὑφαιτίου.

Vers. 31.

ILLUSIO ET IMPROPERIUM SUPERBORUM, ET VINDICTA SICUT LEO INSIDIABITUR ILLI) Et hæc constructio est Hebraica, pro, *Illusione & opprobrio superborum vindicta imminet, velut leo insidiani.* Seneca:

*Sequitur superbos ultor a tergo Deus.*

Hæc est quam Nemesin vocant Græci.

Vers. 32.

LAQUEO PERIBUNT QUI OBJECTANTUR CASUI JUSTORUM) Quales illi de quibus in Psalm. XXII.

Vers. 33.

ET VIR PECCATOR CONTINENS ERIT ILLORUM) ἐγκρατὴς ἔσῃ αὐτῶν, id est, possidebit eas. Impropria est locutio, cum magis ipse ab ira ac furore possideatur. Sic & morbum habere dicimur.

*Basil.* apud Anton. in Melissa parte 2. cap. 50. *ira Dei ira, excitat rixam, rixa parit convitia, convitia illius, ictus vulnera & sæpe vulnera mors sequitur. Seneca* in Proverbiis, *Fulmen*, inquit, est, *ubi cum potestate habitat iracundia. Iracundiam qui vicit, hostem vicit maximum. Iratus etiam faciendum putat.* Non reprehenditur autem *pius zelus*, qui tamen & ipse regendus est judicio, ne metas egrediatur: *non irasci* enim, *in quibus oportet, insipientis est*, dicente *Aristotele IV. Ethic.* qualis ira est adversus vitia & scelera: sed damnatur *carnalis ira & furor*, cum quis ex animi commotione ea dicit & facit, quæ minime decent. Hanc iram quam primum senserimus, & extinguamus, & furori frenum injiciamus, ne quid ex iracundia committamus, cujus nos postea vehementer pœniteat.

## CAPUT XXVIII.

*Non expetenda vindicta. Contentiones non excitandæ aut fovendæ. Lingua refrenanda. Aures sepiendæ. Ori frenum imponendum.*

Vers. 1.

QVI VINDICARI VULT A DOMINO INVENIET VINDICTAM) *Qui se ulciscitur, is à Deo ultionem reperiet.* Id est, ejus etiam culpas graviter ulciscetur Deus. Ex scriptoris sensu interpretandum hoc de ultione earum injuriarum, quæ neque mortem cuiquam, neque vulnera intulere, quæ prohibita est Levit. XIX. Christiano autem sensu multo hoc latius patet. Vide quæ ad Matth. V.

VId. etiam ea, quæ adversus Grotium illic observavimus; utpote qui leges Mosaicas non ex interpretatione Spiritus S. sed juxta *sensum Pharisaicum* accepit, & Christum *novum Mosen* ac legislatorem cum Socinianis fecit.

Vers. Eod. ET PECCATA ILLIUS SERVANS SERVABIT) Omnino in memoria asservabit, & suo tempore pœnas exiget.

Vers. 2.

RELINQUE PROXIMO TUO NOCENTI TE) *Condona proximo illatam tibi injuriam.*

ET TUNC DEPRECANTI TIBI PECCATA SOLVENTUR) Multas veterum Hebræorum probas sententias dictis suis immisuit Christus, ut hanc Matth. VI. 14. Luc. VI. 37. Senecæ

*Det ille veniam facile, cui venia est opus.*

Quidni adhiberet è Scriptis Biblicis Christus dicta ad vindicandam legem à corruptelis pharisaicis! Aliorum autem *Ethnicorum* sententias adhibitas esse à Christo, vel etiam adductos libros *Apocryphos* haud facile docebitur. Aliud est *analoga esse dicta*, quæ convenientia in Vet. & Nov. Test. est perpetua: aliud *easdem allegatas esse sententias.*

Vers. 3.

HOMO HOMINI RESERVAT IRAM) Servat iram qui non condonat.

ET A DEO QUÆRIT MEDELAM) Id est, peccatorum suorum condonationem. Quid iniquius? Hunc sensum egregie ex æquitur parabola Matth. XVIII. 23. & sequentibus. Medela hic est peccatorum condonatio, ut Matth. XIII. 15. Luc. IV. 18.

*De vindicta privata.*

Pulcre *Ambrosius* l. IV. Ep. 29. ad Florian. *Peccanti in te non retribuas secundum culpam sciens quod in te venturum est judicium. Nam non habebis indulgentiam, nisi alteri donaveris. Odium enim hominem separat à regno, à cœlo subtrahit, à paradiso dejicit.* Chrysost. l. I. de compunct. *Christus non solum vult nos ignoscere delinquentibus, sed ut etiam amemus eos, & oremus pro ipsis. Nam si duntaxat non ladas eum, qui te lesit, avertas te tamen ab eo, nec libenter eum videas, manet sine dubio vulnus in pectore, & dolor augescit in corde. Quod si ita est, nondum utique quod Christus mandavit, impletur. Numquid tu ita vis tibi propitium fieri Deum, ut non quidem te ladat, avertat se tamen abs te, & peccatorum tuorum memoriam gerat, & te vivere nolit. Igitur qualem vis erga te esse Deum, cum delictorum veniam posis: talem te exhibere debes his, qui deliquerunt in te sicut & quidam sapientum scribit:* Homo homini tenet iram &c.

Vers. 4.

ET IN HOMINEM SIMILEM SIBI NON HABET MISERICORDIAM) Quem ei & naturæ paritas commendare & fragilitas communis excusare debuerat.

ET DE PECCATIS SUIS DEPRECATUR) In Græco additur, *ipsam*, Deum scilicet, tanto superiorem, tanto perfectiorem.

Vers. 5.

ET PROPITIATIONEM PETIT A DEO) In Græco hoc non est: sed idem sensus cum sequente.

QUIS EXORABIT PRO DELICTIS ILLIUS?) *Quis expiabit?* expiare erat Sacerdotum, sed hi nihil poterant, nisi Deo volente. Vide supra VII. 40.

Recolenda sententia *S. Bernhardi*, serm. de sept. panib. Sunt *aliqui qui donantes injuriam, ut non ulciscantur, saptus tamen improperant. Sunt & alii, qui* De plena *sileant licet, manet tamen alia mente reposita, & ran-* indulgentiacorem tenent in animo: quorum utique neutra plena indulgentia est. *Longe his hominibus benignissima est divinitatis natura, libenter agit. ignoscit plenarie: ita ut propter fiduciam peccatorum (sed panitentium) ubi abundavit delictum, soleat & gratia abundare. Isidorus Pelusiota* l. III. Ep. III. monuit, *inimicitiam in aqua scribi oportere, ut quam primum obliteretur: amicitiam autem in ære incidendam, ut perpetuo & firma immota conservetur. Ambros.* l. IV. Ep. 29. ad Florian. *Magna*, inquit, *gloria est, si cui potuisti nocere, parcas.* Quo facit illud Julii Cæsaris, qui ubi audiret Catonem sibi ipsi mortem consciviſſe, ne in Cæsaris manus incideret, dixiſſe fertur: *Invidit gloriæ meæ, quam illi parcendo peperissem.* Ulciscendi *Optima ratio* est, ait M. Antonius Imperator l. VI. de vita sua, *ne similis fiat ei, qui injuriam fecit.*

Vers. 6.

MEMENTO NOVISSIMORUM, ET DESINE INIMICARI: TABITUDO ENIM ET MORS IMMINENT IN MANDATIS EJUS) In Sixtina est: πτῶσιν ἐγγράφων καταφθορᾶν καὶ θάνατον. *Desine inimicitias gerere ad exitium & mortem.* Ἐκφορήσεις καταφθορᾶς, constructio Græca pro εἰς καταφθορᾶν. Mortalis odia ne gere immortalia, Sequitur in Græco: καὶ ἐμμενε ἐντολαῖς: *perstа in præceptis*, Dei scilicet observandis, & inter ea isto quod attulimus ex Levit. XIX. 18.

V. 8. MEMORARE TIMOREM DEI) In Græco: *præcepta*, Dei scilicet. Repetit quod dixerat

ET NON IRASCERIS PROXIMO) μὴ μνησίκακε. Ne manseas iratus. Nam μῆνις est χόλος ἐπίμονος, ut exponunt Scholiastæ ad Homeri primordium.

Vers. 9.

MEMORARE TESTAMENTUM ALTISSIMI) In Græco est: καὶ διαθήκης ὑψίστου, repetito tacite μνήσθητι, ex eo quod præcesit. Lex dilectionem populatium exigit. Exod. XXIII. 4. Deut. XXI. 1. Et I. 17.

Non *popularium* tantum ut Sociniani volunt, quos in his sequutus est Grotius, sed *cujuvis proximi* dilectionem legem requirere Christus ipse luculenter docuit *Luc. X. 29. seqq.*

Vers. eod.

DESPICE IGNORANTIAM PROXIMI) *Prætervide peccatum*, proximi scilicet, ἀγνοίας pro peccato dici vidimus supra XXIII. 3. Adde quæ dicta ad Judith. V. 19.

Vers. 10.

ABSTINE TE A LITE) ἀπὸ μάχης, à jurgio. Sic enim vox μάχης sumitur tum alibi, tum 2. Tim. 2. 23. Tit. 3. 9.

ET MINUES PECCATA) Minus peccabis.

Vers. 11.

HOMO ENIM IRACUNDUS INCENDIT LITEM) Quasi diceret, isti mores lenibus ingeniis non conveniunt.

ET VIR PECCATOR TURBABIT AMICOS) Flagitiosi est bene concordantes amicitias disturbare.

ET IN MEDIO PACEM HABENTIUM IMMITTIT INIMICITIAM) διαβολὴν, In Græco: sed recte id nomen per inimicitiam verti ostenditmus jam supra XXVI. 6.

Vers. 12.

SECUNDUM ENIM LIGNA SILVÆ, SIC IGNIS EXARDESCIT, ET SECUNDUM VIRTUTEM HOMINIS, SIC IRACUNDIA ILLIUS ERIT, ET SECUNDUM SUBSTANTIAM SUAM EXALTABIT IRAM SUAM) Varie hæc leguntur in Græco: sed lectio optima videtur, secundum versionem Latinam, hæc, recisis superfluentibus: κατὰ τὴν ὕλην τοῦ πυρὸς ἐκκαυθήσεται, οὕτως κατὰ τὴν ἰσχὺν τοῦ ἀνθρώπου ὁ θυμὸς αὐτοῦ ἔσται, καὶ κατὰ τὸν πλοῦτον τοῦ ἀνθρώπου ἀνυψώσει ὀργὴν αὐτοῦ. *Pro materia ardescit ignis: pari modo excandescentia cujusque est pro viribus ipsius, & pro modo divitiarum attoliit quisque iram suam.*

*Omnes homines uti fortuna se dat, ita superbi aut humiles sumus.*

Vers. 13. CERTAMEN FESTINATUM INCENDIT IGNEM, ET LITIS FESINANS EFFUNDIT SANGUINEM) Per ignem intelligenda hic bilis. Festinatio iram sequi solet, & magis magisque accendere, ita ut vulnera & cædes sequantur. Ideo Philosophi prima initia sentientibus ostri, præcipiunt ut dictis factisque moram interponant.

Vers.

Vers. 14.

SI SUFFLAVERIS IN SCINTILLAM, QVASI IGNIS ARDEBIT) In Græco tantum est: *Si flaveris in scintillam, accendetur.*

ET SI EXSPUERIS SUPER ILLAM EXSTINGUETUR) Sufficit exstinguendæ vel saliva.

UTRAQVE EX ORE PROFICISCITVR) Vult dicere, sic & ex ore proficisci verba quæ iram alterius nascentem inflamment, aut sedent.

*De non excitand. flamm. ira.*

Conf. *Prov.* XXV. 11. *Chrysost.* hom. III. de non accendis spectac. *Quemadmodum si insies in scintillam ignis, excidas incendium; Contra vero si insipuas extinguis, & utrumque tibi in manu est: Sic si inflatos & vecordes ingeras sermones, excitas ignem iracundi hominis; sin mites ac moderatos admoneas, priusquam excandescat, iram omnem extinxeris.* Quo abit illud vulgatum, *ignem gladio ne fodito.* apud *Basilium* Epist. ad Nepot. & *Platonis* monitum libr. de legibus, *ignem igni ne addat.*

Vers. 15.

SUSURRO ET BELINGUIS MALEDICTUS) In Græco: *Detractatori clanculario, & ore bilingui maledicite.* Id est, æquum est eos execrari. ψιθυρ- est clanculanius detractator, ut diximus supra 5, 16. δίγλωσσ-, qui aliud palam, clam aliud loquitur, dicto cap. 5. v. 17.

MULTOS ENIM TURBABIT PACEM HABENTES) In Græco: *Multos enim feliciter agentes* (id enim sæpe est εἰρηνεύοντ) *perdiderunt.*

Vers. 16.

LINGUA TERTIA MULTOS COMMOVIT) Lingua tertia dicitur ea, quæ se inter duos amicos interponit dissidia serendo. Sic autem tertiam dixit Martialis. Legit ut in Sixtina est γλῶσσα τρίτη. Qui vim hujus vocis assecuti non sunt, alii τριτὴ scripsere, alii τρυτὴ.

Vers. 18.

VIRTUTES POPULORUM CONCIDIT, ET GENTES FORTES DISSOLVIT) In Græco: *Et dissolvit de gente in gentem, & firmas urbes dejecit, & domos procerum evertit.*

*De lingua usu, & abusu.*

Quo de Græci: γλῶσσα πεῖ πορεύη; πόλιν κατασχεῖψω, καὶ πόλιν ἀνορθώσασα, *Lingua quo vadis: urbem eversura, & urbem servatura.*

Vers. 19.

LINGUA TERTIA MULIERES VIRATAS EJECIT) In Græco: γυναῖκας ἀνδρείας; id autem significat *mulieres generosas*, ut vidimus supra XXVI. 2.

ET PRIVAVIT ILLAS LABORIBUS SUIS) Rebus labore partis. Sic supra XIV. 15.

Vers. 20.

QUI RESPICIT ILLAM NON HABEBIT REQUIEM) Semper erit plenus suspicionis ac diffidentiæ.

NEC HABEBIT AMICUM IN QUO REQUIESCAT) In Græco: οὐ κατασκηνώσει μετὰ ἡσυχίας, *Non habitabit tranquillus.*

Vers. 21.

FLAGELLI PLAGA LIVOREM FACIT) μάστιγα, vibicem, ut supra XXIII. 9.

PLAGA AVTEM LINGUÆ COMMINUET OSSA) *Franget ossa:* id est, pugnas atrocissimas excitare solet.

Vers. 22.

MULTI CECIDERUNT IN ORE GLADII, SED NON SIC QUASI QUI INTERIERUNT PER LINGUAM SUAM) *Suam*, abest in Græco, & recte. Agitur enim hic de obtrectationibus, dilationibus, & calumniis, quæ non homines tantum, sed & civitates & gentes sæpe committunt.

Vers. 23. BEATUS QUI TECTUS EST A LINGUA NEQUAM) *Qui immunis est ab ea*, lingua scilicet dissidiorum satrice.

QUI IN IRACUNDIAM ILLIUS NON TRANSIVIT) Qui pœnas ei non dedit. Sic enim ἐργὰ sumi solet.

ET QUI NON ATTRAXIT JUGUM ILLIUS) Qui non sensit quam grave sit onus, in suspicionibus & inimicitiis vivere.

Vers. 24.

JUGUM ENIM ILLIUS JUGUM FERREUM EST, ET VINCULUM ILLIUS VINCULUM ÆREUM EST) Id est, intoleranda sunt quæ inde sequuntur.

Vers. 25. MORS ILLIUS MORS NEQUISSIMA) Mortem hic vocat bonæ famæ interfectionem. Vide supra XXVII. 20.

ET VTILIS POTIVS INFERNVS QVAM ILLA) Mors naturalis melior.

Vers. 26. PERSEVERANTIA ILLIVS NON PERMANEBIT) In Græco: *Non dominabitur pius:* non semper vim obtinebit pius nocendi, Deo tandem mendacia detecturo.

SED OBTINEBIT VIAS IMPIORVM) Hoc in Græco non est.

ET IN FLAMMA SVA NON COMBVRET IVSTOS) Amburet, non comburet. Ambusti Latinis dicuntur qui in magno fuere periculo.

Vers. 27.

EXARDEBIT IN ILLOS) Illos comburet. Perpetuam infamiam eis adferet.

ET QVASI PARDVS LÆDET ILLOS) *Perdet eos.* Ita enim sæpe sumitur λυμαίνεσθαι.

Vers. 28.

SEPI AVRES TVAS SPINIS) Non solent aures spinis sepiri. In Græco: *Circumvalla possessionem* tuam: id est, agrum, *spinis.* Nam spinis solebant agri circumdari, ne quis intraret. Ef. V. 2, 5. Sed quia per agrum hic intelligitur auris, affcripta interpretatio in textum venit. Sic & illud irrepsit quod in Græco non est: *Linguam nequam noli audire.*

ET ORI TVO FACITO OSTIA ET SERAS) Hoc insta positum habet textus Græcus.

*Paulinus* ad Celantium Ep. XIV. *Nihil tam inquietat animum, nihil est, quod ita mobilem mentem & levem faciat, quam facile totum credere, & obtrectationem verba temerario mentis assensu sequi: beatus, est, qui ita se contra hoc vitium armavit, ut apud eum nemo detrahere audeat.* Adde quæ habet *S. Hieron.* Epist. II. ad Rustic. *Neq, vero illa justa excusatio est: referentibus aliis injuriam facere non possum. Nemo invito auditori libenter refert, sagitta in lapidem nunquam figitur, interdum resiliens percutit dirigentem. Discat detractor dum te videt non libenter audire, non facile detrahere.* Abbas quidam Joh. Cyzicus *qui continere*, inquit, *vult linguam, aures obstruat, ne multa audiat.*

*Nimia credulitas.*

Vers. 29.

AVRVM TVVM ET ARGENTVM TVVM CONFLA) In Græco: *collige:* id est, aurum & argentum quod accepisti potius inexaminatum in sacculos defer, quam ut inexaminatum relinquas sermonem tuum.

ET VERBIS TVIS FACITO STATERAM) Græci quidam codices habent ζυγόσαι. Sed Sixtinus ζυγὸν καὶ σταθμὸν, id est, libram & pondus. Per ea significatur sollicita dijudicatio eorum quæ dicenda vel tacenda sunt.

Quo pertinet monitum Augustini; *Omne verbum prius ad limam, quam ad linguam veniat, &* Bernhardi in Specul. Monach. *Antequam verba proferas, bis ad limam veniant, quam semel ad linguam.*

*De lingua moderat.*

Vers. 30. ET FRŒNOS ORI TVO RECTOS) Pro hoc in Græco est id, quod modo diximus: *Ori tuo fac ostium & vectem:* id est, claude os ne cum talibus, quales describit, sermonem habeas. μαχαῖρα σοῦ γωνίαι, vectibus servare uxorem est apud Menandrum.

ET CADAS IN CONSPECTV INIMICORVM TVORVM) In conspectu insidiantis, id est cave ne insidiatore audiente aliquid dicas, quod tibi in ruinam sit. Multa ejus rei exempla apud Tacitum.

*Oris custodiendi.*

ET SIT CASVS TVVS INSANABILIS AD MORTEM) Deest in Græco.

*Chrysost.* in Ps. CXL. duos oris custodes constituit, scilicet *Dei invocationem* & gratiam, ac *loquentis rationem* & curam recte tacendi vel loquendi. *Sicut*, inquit, *non juvat domus, non urbs, non mœnia, non porta, non ostia, nisi sint, qui ea custodiant, & sciant, quando oportet ea quidem claudere: quando vero aperire: ita etiam oris & linguæ nulla est utilitas, nisi sit ratio, cui scienter, accurate, ac circumspecte ea claudere & aperire permissum sit, & sciat, qua sint efferenda, qua vero retinenda.*

## CAPUT XXIX.

*De mutuo. De Eleemosyna. De fidejussore. De peregrinis & hospitibus.*

Vers. 1.

QVI FACIT MISERICORDIAM FOENERATVR PROXIMO SVO) *Dat mutuum.* Sic enim δανείζειν apud Græcos sæpe sumitur, & apud Hebræos aliter sumi non debet. Vide supra VIII. 15. XX. 15. Sensus est: homini benefico satis semper fore, unde alios pecuniam dando mutuam juvet. Vide promissum legis Deuteron. XXVIII. 12.

ET QVI PRÆVALET MANV MANDATA SERVAT) Est inversa locutio, pro, *qui mandata servat, is prævalet manu:* id est, *præstabit opitum.* Sic ἰσχύειν, id est, manus sumitur. Levit. V. 11.

Vers. 2.

FOENERARE PROXIMO TVO IN TEMPORE NECESSITATIS ILLIVS) *De mutuum.* Confer. Matth. V. 42. Luc. 6. 34. 35.

ET ITERVM REDDE PROXIMO IN TEMPORE SVO) Tempore præstituto.

Vers. 3.

CONFIRMA VERBVM) *Tuum*, addit Græcus textus. Sine pactis. *Firmare* Hebræis est ratum facere.

ET FIDELITER AGE CVM ILLO) πιστώθητι. Quod verbum & supra habuimus XXVII. 17.

ET INVENIES IN OMNI TEMPORE INVENIES, QVOD TIBI NECESSARIVM EST) Si forte alio tempore opus habeas mutuo.

Vers. 4.

MVLTI QVASI INVENTIONEM ÆSTIMAVERVNT FOENVS) *Multi mutuo sumptam pecuniam pro acquisita habent:* id est, modum faciendæ rei putant mutuum sumere nec solvere. נשך Hebræis est acquirere, aut habere Levit. XXV. 28. Job. III. 22. Prov. XVI. 20.

ET PRÆSTITERVNT MOLESTIAM HIS QVI SE ADJVVERVNT) Qui ipsi sæpe pecunia opus habent.

Vers. 5.

OSCULANTVR MANVS DANTES) Qui mos honorem alicui habentium. Vide quæ diximus ad præceptum Decalogi secundum.

ET IN PROMISSIONIBUS HUMILIANT VOCEM SVAM) In Græco: *Et ob pecuniam alterius* consequendam, *voce utuntur supplice.* Hoc sensu ταπεινὸν habuimus & supra aliquoties.

Πρὸς τὸ λαβεῖν τίμιον, ἀτὰρ συγκεῖσαι λάβοντες.

*Dum poscunt laudes, odio sed tantur adepti.*

Vers. 6.

POSTVLABIT TEMPVS) Fiet tricæ nummarius.

ET LOQVETVR VERBA TÆDII ET MVRMVRATIONVM) In Græco tantum est, ἀπόδειξιν λόγου ἀκούσεις: verba tibi tædiosa reponet. ακηδία tædium. Psalm. CXIX. 28. Esa. LXI. 3. unde verbum ακηδιάζειν supra XXII. 16.

ET TEMPVS CAVSABITVR) Ut incommodum ad solutionem.

Vers. 7.

SI AVTEM POTVERIT REDDERE) In Græco Sixtino: ἐὰν δύνηται, id *etiam si valeat* reddere totum.

ADVERSABITVR) Non est in Græco.

SOLIDI VIX REDDET DIMIDIVM) Solidi, id est, totius summæ debitæ.

ET COMPVTABIT ILLVD QVASI INVENTIONEM) Alterum dimidium lucrifactum putabit. Vide supra 4.

Vers. 8.

SIN AVTEM) ἐὰν μή. Si non habeat unde reddat.

FRAVDABIT ILLVM PECVNIA SVA, ET POSSIDEBIT ILLVM INIMICVM GRATIS) Non modo pecunia credita perierit, sed & eum debitor quasi importunum fugiatorem fugiet. *Gratis*, δωρεὰν, חנם, id est, cum nullam justam inimicitiæ causam ei creditor dederit.

Vers. 9.

ET CONVITIA ET MALEDICTA REDDET ILLI) Vt Strepsiades duobus creditoribus facit in Nebulis Aristophanis.

ET PRO HONORE ET BENEFICIO REDDET ILLI CONTVMELIAM) In Græco est tantum: *Pro honore reddet illi contumeliam.* Sed quia beneficium est propter quod honos debetur, ideo hoc addidit Latinus interpres.

*Ambrosius* lib. de Tobia c. 21. *Quam deforme est, ut pro beneficio ei qui te adjuvit, rependas molestiam? Cum istum fraudaveris, cui debes, possis in tempore necessitatis tuæ non invenies Creditorem.* Et posteà: *dives*, inquit, *es? non summas mutuum. Pauper? non summas mutuum. Dives es? nullam pateris petendi necessitatem. Pauper es? Considera solvendi difficultatem.* Conf. *Ps. XXXVII. 21.*

Vers. 10. MVLTI NON CAVSA NEQVITIÆ NON FOENERATI SVNT, SED FRAVDARI GRATIS TIMVERVNT) Legit, ut in quibusdam est codicibus: πολλοὶ ἐκ κακίας παυσάμενοι, ἀπεστερήθησαν δι' ἀφορίαν ἀναθήσεως. Ab aliis libris abest ἀφορίαν, non male. *Multi desistunt* (nempe mutuum dare: quo sensu ἀπεστερῆσθαι est etiam apud Matthæum V. 42.) *non ob malos mores* (mutuum negantis,) *sed quia metuunt perdere* mutuo datum, per inopiam debitoris.

Vers. 11.

VERVMTAMEN SVPER HVMILEM ANIMO FORTIOR ESTO) *Ad tu circa inopem patiens esto:* nempe in exigendo. Hoc sensu μακροθυμεῖν habemus etiam Matth. XX. 26.

ET PRO ELEEMOSYNA NON TRAHAS ILLVM) Id est, non diu differ petenti dare mutuum. Convenit enim hoc misericordiæ. Vide Luc. VI. 35.

Vers. 12.

PROPTER MANDATVM) Dei, Deut. XV. 11.

ASSVME PAVPEREM) ἀντιλαβοῦ πένητος, *opitulare pauperi.*

ET PROPTER INOPIAM EJVS NE DIMITTAS EVM VACVVM) *Ne ei nega pro egestate ipsius:* id est, ex contrario da ei quanto eum videbis egere.

Vers. 13.

PERDE PECVNIAM PROPTER FRATREM ET AMICVM TVVM) Id est, da illis mutuum quasi perditurus. Ita minime fallens, habens pro donato.

ET NON ABSCONDAS ILLAM SVB LAPIDE IN PERDITIONEM) Id est, tuo malo. Deus enim odit argento inutili incubantes. Vide supra XX. 31.

Conf. *Chrysost.* homil. XXXIII. ad populum, *quod eleemosyna ars sit omnium quæstuosissima.* Et *Ambrosius* l. de Tobia c. XVI.

Vers. 14.

PONE THESAVRVM TVVM IN PRÆCEPTIS ALTISSIMI) In Græco: *Secundum mandata Altissimi.* Pone, id est, in pauperes populares collocа.

ET PRODERIT TIBI MAGIS QVAM AVRVM) Affervatum scilicet. Vide locum similem Matth. XIX. 21. & ibi dicta.

V. 15. CONCLVDE ELEEMOSYNAM IN CORDE PAVPERIS) Et hic in margine posita expositio familiarior textus locum occupavit. Nam in Græco est: σύγκλεισον ἐλεημοσύνην ἐν τοῖς ταμείοις σου, ubi ἀδαμαντικὰς penetralia dantis vocant eos qui accipiunt, & qui accipiendo causa sint cur Deus danti reddat velut deposita. Luc. XVI. v. 9.

ET HÆC PRO TE EXORABIT AB OMNI MALO) In Græco: *Hæc te liberabit ab omni malo.* Vni virtuti tribuitur quod ei eximie competit, non tamen sine cæteris: Vide Luc. XI. 41.

Vers. 17.

SVPER SCVTVM TVVM ET SVPER LANCEAM ADVERSVS INIMICVM TVVM PVGNABIT) Verba Græca sic habent: *Plusquam fortis clypeus & hasta valida, contra inimicum tuum pro te pugnabit:* nempe propter Dei favorem ita partum.

Neq; *eleemosyna*, vel *beneficentiæ* erga pauperes, neque aliis virtutibus competit *libertio nostri ab omni malo*, & *propitiatio* vel favor *Dei*, sed *fidei* soli qua & gratiam consequimur, & ab omni malo liberamur: cujus intuitu & beneficentia, & virtutes reliquæ unice Deo placent per & propter Christum μεσίτου καὶ ἱλασμοῦ, mediatorem & propitiatorem unicum. *Eph. I. 6. Ebr. XI. 6.* Liberare autem à malo, & defendere nos eleemosyna dicitur non propria virtute, sed *pauperum prece & intercessione*: de quo *S. Hieronym.* ad Nepotian. *Numquam*, ait, *memini me legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit. Habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.* Quo sensu intelligenda sunt illa apud *Chrysost.* hom. VII. de pœnitent. (& his simi-

*An Eleemosyna liberation, ab omni malo meritoria?*

similia apud Patres.) *Eleemosyna pennata est & levis, aureas habens alas, ipsos supra modum delectans Angelos, apud ipsum regalem thronum persistit cum judicamur, imminet, tormentisque nos eripit, suis complectens, & protegens alis.* Conf. *Luc. XVI. 9.*

Vers. 19.

VIR BONVS FIDEM FACIT PRO PROXIMO SVO) Id est, fidejubebit. Ita enim ἐγγυᾶσθαι sumitur & supra VIII. 16.

ET QVI PERDIDERIT, CONFVSIONEM DERELINQVET SIBI) In Græco: *deseret illum.* Homo durus & invercundus potius quam pro altero spondeat, in summis eum relinquet miseriis.

Vers. 20.

GRATIAM FIDEJVSSORIS NE OBLIVISCARIS) Beneficium.

DEDIT ENIM PRO TE ANIMAM SVAM) Id est, *semet.* Periculo damni aut etiam servitutis semet opposuit, ut te liberaret.

Vers. 21.

REPROMISSOREM FVGIT PECCATOR ET IMMVNDVS) Non est in Sixtino. Sensus idem sequitur.

Vers. 22.

BONA REPROMISSORIS ADSCRIBIT SIBI PECCATOR) In Græco: ἀγαθὰ ἐγγυᾶ ἁμαρτωλὸς ἀναγράψει. *Vir scelestus beneficia sponsoris ascribet.* Id est, nullo inloco habebit. ἀγαθὰ pro eo quod est beneficia frequens huic scriptori.

ET INGRATVS SENSV DERELINQVET LIBERANTEM SE) ἀχάριστος ὑπερασπίζοντα ἑαυτοῦ ἐγκαταλείψει ἑαυτὸν. *Is qui mente ingratus est, liberatorem suum relinquet,* in damno scilicet. Male alii codices ἀχαρίστου.

Vers. 24.

REPROMISSIO NEQVISSIMA MVLTOS PERDIDIT DIRIGENTES) *Fidejussio multos florentes perdidit:* nam *nequissima* non est in Græco: & κατευθύνοντας sono est activum, sensu passivum, sive reciprocum. Sic εὐθύνειν sumitur Ezech. XVII. 9. & alibi.

ET COMMOVIT ILLOS SICVT FLVCTVS MARIS) Jactavit eos sicut unda maris nautas jactat huc illuc. Exponunt id sequentia.

Vers. 25.

VIROS POTENTES GTRANS MIGRARE FECIT, ET VAGATI SVNT IN GENTIBVS ALIENIS In Græco & verso *per ut*, sic est: *Viros divites transtulit ita ut bagarentur inter gentes externas.* Multi ob id non fortunis tantum, sed & patria sunt evoluti.

Vers. 26.

PECCATOR TRANSGREDIENS MANDATVM DOMINI, INCIDET IN PROMISSIONEM NEQVAM) In Græco: *Incides in fidejussionem:* id est, fidejussione irretitus tenebitur, de suo luet, Deo resita diligente.

ET QVI CONATVR MVLTA AGERE INCIDET IN IVDICIVM) ἐγγυητὴς hoc loco sunt redemturæ alienorum negotiorum actitium. Est eo sensu ἐγγυητὴς apud Demosthenem & apud Æschinem, nec minus apud Zonaram, ad secundum canonem Chalcedon. ensem. In Glossis ἐγγυητὴς *redemtor. Incides in judicium*, id est, causa cader, ut meretur. Vide titulum Codicis de Litigiosis.

Vers. 27.

RECVPERA PROXIMVM TVVM SECVNDVM VIRTVTEM TVAM *Opitulare alii.* Est enim iterum vox ἀλλαξαι, quæ supra 12.

ET ATTENDE TIBI NE INCIDAS) *Et* pro *sed*, Vide ne alios ab ære alieno extricando ipse in æs alienum incidas.

*Ambros.* libr. de Tobia c. XXIII. *Ita interveni ut si debitor solvendo non fuerit, de tuo noveris esse solvendum. In hac paratus accede.* Diogenes Laërtius inter tria Apollinis oracula tertium hoc recenset: *Sponde noxa in proximo est.* Conf. *Prov. VI. 1. c. XI. 15. c. XXII. 26.*

Vers. 28.

INITIVM VITÆ HOMINIS AQVA ET PANIS) Id est, præcipua ad vivendum. Quomodo vocem ἀρχὴ poni jam aliquoties observavimus.

ET VESTIMENTVM ET DOMVS PROTEGENS TVRPITVDINEM) Hic illud & prius pro *at* positum: alterum tam in Græco quam in Latino auferendum puto, & sensum esse: *Vestimentum vero est domus obtegens ea quæ nuda dedecent.* Est domus portatilis, tectum laneum.

Plutarchus: *Si contenti essemus necessariis ad hanc vitam, nulli plane funeratores essent, sicut nec hirundines, nec formicæ funerantur.* Confer. *I. Timoth. VI. 8.*

Vers. 29.

MELIOR EST VICTVS PAUPERIS SUB TEGMINE ASSERVM) In pauperis cella, ut Romani loquebantur.

QVAM EPVLÆ SPLENDIDÆ IN PEREGRE SINE DOMICILIO) In Græco: ἐν ἀλλοτρίοις, apud externos. Hoc est illud quod restituendum tribuunt Græci Poëtæ: οἶκον φίλον, οἶκον πάτριον.

Vers. 30.

MINIMUM PRO MAGNO PLACEAT TIBI) *Contentus esto sive parvis, sive magnis.*

Ἐπὶ παντὶ μικρῷ ἴκανὸς τοῖσι σώφροσιν

ut ait Euripides. Vide I. Tim. VI. 6.

ET IMPROPERIVM PEREGRINATIONIS NON AUDIES) Deest hoc in Sixtina, sed male. In aliis exstat: sed corrigendum ex Latino interprete in hunc modum: καὶ ὀνειδισμὸν παροικίας οὐ μὴ ἀκούσῃς. Si paucis contentus fis, nihil opus est alia quærás loca, ubi peregrinitas tibi exprobretur. Nam talia expectanda de patria exeunti, ex sequentibus intelliges.

Vers. 31.

VITA NEQVAM HOSPITANDI DE DOMO IN DOMVM) *Vita molestia de domo in domum;* quæ est laris incerti. πτωχῆς, non πτωχοῦ.

ET UBI HOSPITABITVR NON FIDVCIALITER AGET, NEC APERIET OS) In Græco: ὃ παροικεῖς, οὐκ ἀνοίξεις στόμα, *Ubicunque peregrinus eris, ibi os non aperies:* libere scilicet. Jocatæ apud Euripidem dicenti:

Τίς ὁ τρέφος οὗτος; τί φυγάδι τὸ δυσχερές;

Respondet Polynices:

Ἐμοὶ μητρὸς· οὐ ξένη παίδευσις.

Vers. 32.

HOSPITABITVR ET PASCET, ET POTABIT INGRATOS ET AD HÆC AMARA AUDIET) Duæ interpretationes vocis ξενίσει in textum pariter recepta. Non dubito autem quin legendum sit: ξενίσεις καὶ ποτιεῖς οὐ δίκαια, καὶ πρὸς ἐπιτάγματα πικρὰ ἀκούσει. *Vbi bene epulis & potu exceperis* (illos soli in quo tu peregrinaberis indigenas) *adhuc acerba audies:* ut Lothus Sodomis Gen. XIX. 9. itaque Homerus dixit;

κἀπέπιθον μάλα πολλά περ.

Et Propheræ ubi exhibet describunt mala hoc non reticent. Audies autem acerba, nempe qualia jam sequuntur μιμητικῶς dicta.

Vers. 33.

TRANSI HOSPES) Veni Hospes. Opponitur enim hoc ei quod sequitur ἐξελθὲ. & παρέρχεσθαι hoc sensu reperitur Jos. XVIII. 17. nec minus apud elegantiores Græcos.

ET ORNA MENSAM) Instrue.

ET QVÆ IN MANV HABES CIBA CÆTEROS) καὶ ἃ τι ἐν τῇ χειρί σου, ψώμισόν με. *Et si quid facultatis habes* (de hac locutione vide supra I.) *pasce me.* Hic prior sermo ejus apud quem divertit peregrinus; sequitur longe alius post aliquod tempus.

Vers. 34.

EXI A FACIE HONORIS AMICORVM MEORVM) In Græco: ἐξελθὲ πάρεσι ἀπὸ προσώπου τῶν ἐνίκων. *Exi peregrine,* tanquam *à facie gloriæ:* id est, tanquam è templo unde peregrini arcebantur. Notum id ex Tacito, Josepho, Rabbinis.

NECESSITVDINE DOMVS MEÆ HOSPITIO MIHI FACTVS EST FRATER) Puto scripsisse Latinum, interpretem: *Necessitudo mihi domus meæ: hospitio mihi salus est frater.* Opus domo mea ipse habeo: quia frater apud me divertit. Rectius enim legetur ἀνάξιόν τι, quam ἀναξιωτικῶς. Præsens pro proxime futuro. In Glossis ἀναξιωτικός, *hospitor.* Est id verbum eo sensu non apud Aristotelem tantum, Demosthenem, & Plutarchum, sed in Græca versione Prov. XXI. 7. respondet ibi גרר Hebræo. Sic apud Euripidem;

Ὦξεν τυράννους, ἐκπεδᾶν μεθίεσαν.

Apud Senecam:

*Melior vacua sine regnet in aula.*

Vers. 35.

GRAVIA HÆC HOMINI HABENTI SENSVM) Homini generoso.

CORREPTIO DOMVS ET IMPROPERIVM FOENERATORIS) Etiam hic in Græco & in Latino abundat copula. Optime enim legetur: ἐπιτίμησις οἰκίας, ὀνειδισμὸς δανειστοῦ. *Interpellatio ista de domo est,* velut

*exprobratio creditoris.* Si pecuniam tibi credidisset, durius eam reposcere non potuerat.

Seneca in Proverb. *Cuinusquam domus est, sine sepulchro mortuus est.* Euripides in Phœnissis:

*Et quid? carere patria magnum est malum?*
*Vel maximum; & re gravius est, quam dicitur.*

Sophocles in Tereo: domi manebit vir vere beatus.

Ιλικτοτάτους ἂν ἐν ἐνναλίοις αἰὲν ὄρεσσιν.
*Exilio pejus nil est mortalibus ægris*

## CAPUT XXX.

Περὶ τέκνων. καὶ περὶ ὑγιείας.
*De liberis, & de Sanitate corporis & animi.*

Hoc caput in Sixtina titulum præscriptum habet, ΠΕΡΙ ΤΕΚΝΩΝ.

Vers. 1.

ASSIDVAT ILLI FLAGELLA) Virgas. Est enim satis generale μάστιξ. Vide supra XXII. 6.

VT LÆTETVR IN NOVISSIMO SVO) *Ejus*, id est, *ne tandem aliquando de eo* filio suo correcto *gaudeat.* Sic sumunt Hebræi.

ET NON PALPET PROXIMORVM OSTIA) Non est in Græco.

Vers. 2.

LAVDABITVR IN EO) Sixtina habet, ὀνήσεταί ἐν αὐτῷ. *Fructum ex eo percipiet.*

ET IN MEDIO DOMESTICORVM IN ILLO GLORIABITVR) *Inter familiares.*

Vers. 3.

QVI DOCET FILIVM SVVM IN ZELVM MITTIT INIMICVM) *Invidebitur ab inimicis.*

Vers. 4.

MORTVVS EST PATER EJVS) Id est, si moriatur Pater ejus.

ET QVASI NON EST MORTVVS) Erit quasi non mortuus.

SIMILEM ENIM RELIQVIT SIBI POST SE) Imaginem sui vivam. Æschylus in feriis:

Πεύθῃδε γὰρ αὐδὴ κλήδονες σωτόμοι
Θανόντι.

Vers. 5. IN VITA SVA VIDIT, ET LÆTATVS EST IN ILLO) Nam:

— κἄδει ᾧτω λωιτὸν, ὅτ' ἴδοιτ καλὸν,
Ὡς τοῖς ἄπαισι κωπέδω δοθήκιμοις,
Παῖδων ἰσοχρόνων ἐν δόμοις ἴδειν ὅμιλον.

IN OBITV SVO NON EST CONTRISTATVS) Solatium mortis habuit, filium bonum superstitem.

NEC CONFVSVS EST CORAM INIMICIS) Non est in Græco.

Vers. 6.

RELIQVIT ENIM DEFENSOREM DOMVS CONTRA INIMICOS) *Domus* non est in Græco. *Reliquit famæ suæ vindicem.*

ET AMICIS REDDENTEM GRATIAM) Qui bene de patre meritis vicem reddat.

*De curâ liberorum.* *Nullam majorem parentibus curam esse debere, quam ut liberos rectè educent Chrysostomus* docet Homil. IX. in I. ad Tim. II. *quia*, inquit, *nulla nobis possessio, nullus fundus æque nobis gratus & charus esse potest, quippe hæc omnia filiis quæruntur.* Et hom. LIII. ad Popul. Antioch. *Ne consideremus*, inquit, *quomodo filios divites relinquamus, sed quomodo virtute præditos. Nam si divitiis confident, nil aliud cumulant habentes unde morum malitiam obumbrent pecuniarum abundantia. Si vero se viderint illarum consolatione destitutos omnia facient, ut aliquam paupertatis revelationem per virtutem inveniant.* Ælianus lib. XII. variæ historiæ refert Diogenem inertiam Megarensium reprehendisse dicendo, *malim esse Megarensis alicujus aries, quam filius, quod pecoris majorem curam gesserint, quam filiorum.*

Vers. 7.

PRO ANIMABVS FILIORVM SVORVM COLLIGABIT VVLNERA SVA) Legit περὶ ψυχῶν, ubi in Græcis est: περιλήψεται υἱοῦ καταδεδεμένους τραύματα αὐτοῦ: id est, *Pater cum filium stringit* (id est, virgis cædit) *tunc maxime ejus vulnera obligat.* Ejus vitiis medetur.

ET SVPER OMNEM VOCEM TVRBABVNTVR VISCERA EJVS) Ad quemvis rumorem. Micio apud Terentium:

*Ego, quia non rediit filius, quæ cogito,*
*Quibus nunc sollicitor rebus, ne aut ille asserit,*
*Aut ut ipsum occiderit, aut perfregerit*
*Aliquid.*

Vers. 8.

EQVVS INDOMITVS EVADET DVRVS, ET FILIVS EMISSVS EVADET PRÆCEPS) Iterum copula vice comparationis. Equus durus, id est, intractabilis, equitis impatiens. Filius remissus ἀνειμένος, id est, negligenter habitus, evadit præceps, πρόπολος, quod Hesychio exponitur πρόπετης, temerarius.

Vers. 9.

LACTA FILIVM) τίθηνεν, id est, blandire filio nutricularum more.

ET PAVENTEM TE FACHET) Ob vitia sua.

Vers. 10.

OBSTVPESCENT DENTES TIBI) γομφιάσει τοὺς ὀδόντας σε, *dolere tibi dentes faciat.* Hoc enim sensu Græci hoc verbum, & nomina γομφιασμὸν usurpant: quanquam sacrarum literarum interpretes pro stupore dentium ea ponunt. Ezech. XVIII. 2. & Amos IV. 6. Dentium autem dolorem hoc loco scriptor hic posuit pro dolore valde acri.

Vers. 11.

NON DES ILLI POTESTATEM IN JVVENTVTE) Virendi ut vult.

ET NE DESPICIAS COGITATVS ILLIVS) Legit ἐνθύμια. At in Græcis legimus ἀγνοίας, *ne dissimules delicta ejus.* In Sixtina & hoc & sequentis sententiæ initium transpositum est.

Vers. 12.

CVRVA CERVICEM EJVS IN JVVENTVTE) Assuefac ferendo jugo.

ET TVNDE LATERA EJVS) Vide supra I.

DVM INFANS EST) *Dum puer est.* Nam νήπιος Græce sic usurpatur. Vide Matth. XXI. 16. Prov. XXIII. 13. ubi est pro Hebræo נַעַר.

NE FORTE INDVRET, ET NON CREDAT TIBI) *Ne forte induratus tibi sit inobsequens.* Id enim ἀπειθὴς.

ET ERIT TIBI DOLOR ANIMÆ) *Et sit tibi dolor animæ:* Causa doloris. Hoc in Græcis quibusdam deest.

V. 13. OPERARE IN ILLO) Operam de ei bene instituendo.

NE IN TVRPITVDINEM ILLIVS OFFENDAS) *Ob turpitudinem ejus:* id est, flagitia. Offendas, id est, in offensa sis apud populum.

*De educat. liberor.* Conf. *Prov. III. 4. 5. c. XIII. 24. c. XXII. 15. c. XXIX. 5, 17.* *Solonis* dictum erat, *Liberis ne arrideas, ut in posterum non fleas. Themistoclem*, qui feraci & mutabili in adolescentia fuerat ingenio, quum mirarentur nonnulli ob mores mutatos, dixisse ferunt: *Asperos & indomitos pullos in optimos equos evadere, si quis illis adhibeat disciplinam rectam, institutionem:* ut perhibet *Plutarchus* in Lacon. *Sicut nulla fere arbor, quæ non sterilescat & tortuosa fiat, si cultura desit; ita nullum tam felix ingenium, quod non degeneret citra rectam educationem*, ait idem Plutarch. De liber. educat. *Animus dum tener est* (ita habet *Basil.* in quæst. diffuse explic. q. XV. *adhuc ritu cereæ quæ ipsa impressas à se formas quascunque facillime recipit, mollissime cedit, confestim ab ipso initio omnium rerum bonarum imbui exercitatione debet, quo videlicet ubi postea rationis usus accesserit, & habitum illum rerum dijudicandarum ætas major attulerit, pietati jam ab ineunte ætate assuetus, nullo impedimento cursu utatur facilione: cum & ratio quid expediat, admoneat, & ad id assequendum facilitatem præbeat consuetudo.*

Vers. 14.

MELIOR EST PAVPER SANVS, ET FORTIS VIRIBVS) *Et robusta constitutione corporis.* Id enim plus est, quam valere tantum. Hic positus est in Græco novus titulus, ΠΕΡΙ ΤΥΦΛΙΑΣ.

QVAM DIVES, IMBECILLIS, ET FLAGELLATVS IN MALITIA) Malitiam hic posuit interpres pro miseria, ut Matth. VI. 34. At in Græco est; ὑπὸ πλήγης μεμαστιγωμένος εἰς τὸ σῶμα αὐτοῦ. *Quam dives flagellatus in suo corpore.* Hellenistæ omnes morbos μάστιγας vocant, ut videre est Marci III. 10. V. 29. 34. Luc. VII. 21. Simonides in reconsendis partibus humanæ felicitatis primas dat bonæ valetudini, alteras bono ingenio, tertias bene partis divitiis.

In

In corporalibus tria hæc petenda à Diis *Pythagoras* dicebat: *Formam, Divitias & bonam valetudinem. Plato* libr. 1. de legibus: *Primum*, inquit, *locum obtinet bona valetudo, secundum forma, tertium robur, quartum oper haud cæca, sed acutum cernentes.* Secundum Philosophum l. 2. Rhetoric. *bene valere optimum. Thales* rogatus, quis esset felix respondit, *qui corpore sanus est, animo autem eruditus.* Bona corporalia quæ optanda?

Vers. 15.

*SALVS ANIMÆ IN SANCTITATE IVSTITIÆ MELIOR EST OMNI AURO ET ARGENTO*) Hoc quoque interpres in sensum religiosiorem transtulit: nam in Græco tantum est: ὑγιὴς καὶ ἰσχυρὸς, βέλτιον παντὸς χρυσίου. Est autem ἰσχὺς bona corporis habitudo.

Vers. 16

*NON EST OBLECTAMENTVM SVPER CORDIS GAVDIVM*) Id est, animi tranquillitatem.

Vers. 17.

*MELIOR EST MORS QVAM VITA AMARA, ET REQVIES ÆTERNA, QVAM LANGVOR PERSEVERANS*) In Græco: *potior mors vita amara, aut morbo perpetuo*; nam mors κακῶν φάρμακον, κακῶν ἰατρεῖον, Græcis Poetis. Sophocles Antigone:

Οὐτε γὰρ ἰν πολλοῖσιν, ὡς ἐγὼ, κακοῖς
Ζῆν, τὸν δ' ἅπαξ κατθανόντ' οὐκ ἔστ' ἄφαν

*Misera est vita*, ait Gregor. M. *quæ valetudine destituitur & morbis premitur, adeoque non tam vita quam lenta mors ducenda est.*

Vers. 18.

*BONA ABSCONDITA IN ORE CLAVSO, QVASI APPOSITIONES EPVLARVM CIRCVMPOSITÆ SEPVLCHRO*) In Græco alii codices habent ἀγαθὰ κεκλεισμένα, quomodo legit hic Latinus, alii ἐκκεχυμένα, quod præcedentibus & sequentibus convenit. Sensus enim est: Opes multas circumfusas ei qui ob morbum frui non possit, perinde habendas ac epulas appositas sepulchro, qui mos vetus Phœnicum fuit, à Phœnicibus ad Afros Phœnicum traduces transiit, manstque ad tempora Augustini.

*S. Augustinus* serm. XV. de Sanctis: *Miror cur apud quosdam infideles hodie tam permitiosus error irrepserit, ut super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant.*

Vers. 19.

*QVID PRODEST LIBATIO IDOLO?*) In Græco: κάρπωσις, quam vocem habes & infra XLV. 21. & Levit. IV. 10. 19. XVI. 24. XXII 27. Frequentius κάρπωμα dicitur, & proprie respondet Hebræo אשה, quo significatur quidquid in Dei honorem igne absumitur. Per excellentiam vero dicitur de eo quod proprie dicitur עלה, ὁλοκάυστωμα.

*NEC ENIM MANDVCABIT, NEC ODORABIT*) Omne κάρπωμα dicitur cibus Dei & odor gratus. Levit. III. 16. Num. XXVIII. 24. In Hebræo. Mal. I. 7. 12. Lev. I. 9. At hujus honoris sensum nullum habent aut imagines, aut diu imaginati.

*SIC QVI EFFVGATVR A DOMINO PORTANS MERCEDES INIQVITATIS*) In Græco: *Sic quem Dominus persequitur.* Id est, morbis excruciat. διώκειν Hellenistis significat cujusvis mali illationem. Vide Matth. V. 10. Homini in morbo cubanti nihil sapit, nihil dulce est.

Vers. 21. VIDENS OCULIS ET INGEMISCENS, SICVT SPADO COMPLECTENS VIRGINEM ET SVSPIRANS) Id est, frui impos. Durat sermo de ægroto. Similitudinem eandem Spadonis supra habuimus XX. 2. sed in alio argumento. Sunt hæc nimirum excripta ex diversis γνωμολόγοις, quorum alter alterum aliqua cum mutatione imitatus est.

Vers. 22. ET NON AFFLIGAS TEMET IPSVM IN CONSILIO TVO) Consulta sine anxietate.

Vers. 23. IVCVNDITAS CORDIS, HÆC EST VITA HOMINIS)

*Non est vivere, sed valere vita.*

ET THESAVRVS SINE DEFECTIONE SANCTITATIS) Interpres scripsit *sanctitas*. Soler enim prudentiæ præcepta quædam pietatis admiscere, extra Græcum quale & hoc est.

ET EXVLTATIO VIRI EST LONGÆVITAS) Exultationis voce bene temperatam hilaritatem intellige.

Vers. 24.

*MISERERE ANIMÆ TVÆ PLACENS DEO, ET CONTINE, ET CONGREGA COR TVVM IN SANCTITATE EJVS, ET TRISTITIAM LONGE REPELLE A TE*) Hic quoque pari de causa interpres quædam addidit: nam in Græco sic se habet hæc sententia: *Curam habe tui ipsius, & solatia cordi tuo adhibe, tristitiam vero longe abs te repelle.*

Vers. 25.

*MVLTOS ENIM OCCIDIT TRISTITIA*) In Græco est: *Multos enim perdidit*, (id est, miseros fecit) *quin & interfecit mœror*, Sophocles:

Τίκτουσι γὰρ τοι κἀρὸς οὐδυμοῦς.

Philemon:

— Δεῖ λύπης κἀμὲ μικρὰ μοῖραν γίγεσθαι
Πολλοῖσι καὶ γὰρ τοῦτο τὸ ἰδίωμα.

*ET NON EST VTILITAS IN ILLA*) Hoc in Græcis quibusdam deest, sed est in Sixtina: & sine eo brevior hæc est periodus cæteris. Et sensus est optimus. Philemon:

Νῦν δ' ἀ προῖξα τὰ κράγματ' ἐξ' ἀπώλετο
Καὶ τελλάγης, ὡς τὰ μὲν, παρῆν τότε.

*Gregor. Nazianz.* in distichis: *Mœrores præcoces senectutem mortalibus parunt. Neque enim ea effecta unquam tempus instaurabit, quæ mœroribus diruta fuerint ac profligata. Mens solicita instar tineæ ossa corrodit. Corpus autem curis omnes valere jubens eximie floruit. Chrysost.* l. III. de Provident. *Omni diabolica operatione perniciosior est immodica mœrore, & acedie magnitudo. Nam quos dæmon superat, per mœrorem superat. Quod si mœrorem sustuleris, nihil omnino mali, & incommodi tibi ab eo continget.* Unde autem mœror sit, & quodnam ejus remedium sit præclare idem aureum os docet *homil. I. Quod nemo læditur nisi à seipso*; ut & *homil. XV. ad populum. Nihil aliud*, inquit, *est triste, nisi Deum offendere. Quod cum aberit, non tribulationes, non insidiæ, non quicquam aliud sapientem animam poterit contristari, sed quemadmodum, si exiguam scintillam in locum dejeceris profundum, statim extinxeris: ita & omnis tristitia superabundantia in bonam missa conscientiam extinguitur.* Ideo libr. III. de Provident. *Tum demum*, inquit, *tristari debemus, non cum malo afficimur, sed cum ipsi malum aliquod perpetramus.* Et *S. Bernhardi* monitum fuit tract. de inter. Dom. c. 45. *Vis nunquam esse tristis? bene vive. Bona vita semper gaudium habet. Conscientia rei semper in pœna est.* Conf. *Eccles. III. 2.* Mœroris Causæ, & remedium,

Vers. 26.

*ZELVS ET IRACVNDIA MINVVNT DIES*) Invidia & iracundia. Nam φθόνος & φρικώδη πάντα, teste Menandro:

Τὰκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα κἀρκάδιον.

Ut est in Epigrammate Græco. In Latino vero:

*Livor tabificum malis venenum.*

De morbis ex ira supra diximus.

De *invidia Bias* apud Laërtium l. 1. c. 6. *ut ferrum rubigine absumitur, ita invidus suo ipsius vitio contabescit.* Similiter *Basil. M.* homil. in aliquot script. locos. *Hic est alius morbus vitæ hominum peculiaris, & animis nostris à natura insitus, & corda magis conficimere aptus, quam rubigo ferrum.* De *ira* Heraclitus: *Durum est pugnare contra iram, quæ vitam adimit.* De insidiis.

Vers. 27.

*SPLENDIDVM COR ET BONVM IN EPVLIS EST; EPVLÆ ENIM ILLIVS DILIGENTER FIVNT*) In Sixtina hæc sententia est in fine capitis XXXIII. tum vero quæ sequuntur hic in Græco, in Latino partem faciunt ejusdem capitis XXXIII. & caput XXXI. in Græco, est XXXIV. in Latino: caput XXXII. est ibi caput XXXV. capitis vero XXXIII. prior pars est caput XXXVI. sic & XXXIV. in Latino est XXXII. & XXXV. est XXXII. At XXXVI. partim est ex Latino XXXIII: partim cum capite paris numeri in Latino congruit. Nos Latinum nunc ordinem sequemur. Hæc autem sententia ex Græco sic exponi debet: *Vir qui animo est tranquillo ac defæcato, is in mensa de cibis*, non de rebus aliis, *cogitat.*

Non probanda, quæ hic habet cum *Palacio Cornelius à Lapide*; *Ecclesiasticus*, inquiens, *sint ex ludeis, quibus propter probos mores temporalia bona promittebantur sc. vita longior, anni felices, epulæ largiores, vid. seculum hoc felix. Multo est altior vita Christiani.* Judæis in V. T. non solum bona temporalia, sed etiam spiritualia & cœlestia promissa fuisse, uti Christianis in N. T. sæpius, imprimis contra Grotium, monuimus.

## CAPUT XXXI.

*Avari sunt valde miseri. Divites commendantur, qui suis divitiis recte utuntur. Præcepta convivialia.*

Vers. 1.

VIGILIA HONESTATIS TABEFACIET CARNES) Iterum honestatem pro divitiis ponit. Vigilia divitiarum dicitur quæ divitiarum causa suscipitur:

— Μάτ' ἐγὼ ἀστυγνωτὸν ὀΐσσ' ὑλη νεφέλαιον'
Μὴ σὺ μὲν ἀτλήτοισιν ἐπ' ἄλγεσι θυμὸν ἐέλσῃς.

Euripides:

Εἰ πλοῦτ', ὅσῳ μὴ ῥᾴστα καὶ βίᾳ φέρειν·
Πόνοι δὲ καὶ σοὶ τοῦ φθορᾶς πεφυκότος βίᾳ
Ἔσται.

Ideo sentibus hæ curæ recte comparantur Matth. XIII. 22.

Vers. 2.

COGITATUS PRÆSCIENTIÆ AVERTIT SENSUM, ET INFIRMITAS GRAVIS SOBRIAM FACIT ANIMAM) Legit multo aliter quam nos habemus in Græco, nempe: μερίμνα ἀγρυπνίας ἀφαιρήσεται ὕπνον, καὶ ἀῤῥωστήμα βαρὺ ἐκπτύσει θυμόν. Sed Græcus sensus optimus est, & huic loco conveniens, si pro ἐκπτύσει scribas ἐκτίνει hoc modo: μέριμνα ἀγρυπνίας ἀφαιρεῖται ὕπνον, καὶ ἀῤῥώστημα βαρὺ ἐκτίνει ὕπνῳ. Cura pervigil requirit soporem, & gravem morbum eluit somnus. Est enim somnus λύσις τῶν καθ' ἡμέραν κακῶν, & φίλος ὕπνος διαλυτὴς τόνου Euripidi: & alii

Ὕπνος πόνου σύμπαντ' ἀκεσφόρος

Avaritiam. BErnhard. de converſ. c. XII. *Divitiarum amor insatiabilis plus torquet animam desiderio quam refrigeret usu.* Item: *acquisitio divitiarum laboris, possessio timoris, amissio plena doloris invenitur.* Et c. XV. *Labor avarorum non solum periturus, sed etiam peremptorius:* Auguſt. *Divitias*, ait, *invenisti, requiem perdidisti: cum vigilas de his cogitas, cum dormis, latrones somnias: in die solicitus, in nocte pavidus, semper autem mendicus. Avaritia*, inquit, Gregor. M. *desideratis rebus non extinguitur, sed augetur. Nam more ignis cum ligna, quæ consumat, accepit, magis accrescit.*

Vers. 3.

LABORAVIT DIVES IN CONGREGATIONE SUBSTANTIÆ ET IN REQUIE SUA REPLEBITUR BONIS) Id est, is quem divitem nunc vides, diu laborat, ut ea congeret et quibus fruitur in senectute.

Vers. 4.

LABORAVIT PAUPER IN DIMINUTIONE VICTUS, ET IN FINE INOPS FIT) Is quem nunc inopem vides sua dilapidavit, ideoque in senectute egetet. Βίος non victum hic, sed facultates significat, quomodo dicitur:

Ἐ. Εἶα δεύμεσθ' ὦ ἑκάεργε βίου.

Vers. 5.

QUI AURUM DILIGIT, NON JUSTIFICABITUR) Non manebit innocens:

Ὅστις γὰρ ἐστὶ τὸ πλέον ἔχειν πέφυκ' ἀνὴρ,
Οὐδεὶς φρονεῖ δίκαιον, οὐδ' ὠφέλιμον.

ET QUI INSEQUITUR CONSUMPTIONEM, REPLEBITUR EA) Nihil hoc ad præsentem materiam. Legimus in Græco: καὶ ὁ διώκων διαφθορὰν ἔσται πλησθήσεται. At olim scriptum fuisse pro certo habeo: καὶ ὁ διώκων διαφορὰν, ἔσται ἐλλιπέστερος. *Et qui pecuniam quærit, is labetur:* id est, multa peccabit. Frequens γνωμολόγημα idem bis dicere, verbis aliis. De significatu vocis διαφθορὰ vide quæ dicta supra VII. 20. & XXVII. 1.

Vers. 6. MULTI DATI SUNT IN AURI CASUS) In Græco: *Ob aurum vincti sunt multi.* Id est, ob sua injusta facinora dati in carcerem.

*ET FACTA IN SPECIE IPSIUS PERDITIO ILLORUM*) In Græco: *Et exitium ipsorum ipsis in conspectu fuit.* Id est, proximi exitio fuere.

Vers. 7. *LIGNUM OFFENSIONIS EST AURUM SACRIFICANTIBUS, Lignum offendiculi* (est aurum) *sacrificantibus ipsi.* Id est sicut idola fulent exitialia esse venera toribus suis, sic & aurum. Idem est πρόσκομμα, πρόσοχθισμα. Solent autem idola Hellenistis vocari προσκυνήματα, ut videre est 1. Regum XI. 33. XVI. 32. 2. Regum. XXIII. 13. Ezech. V. 11. VII. 10. XXXVII. 23. Avaritia est quædam idololatria Ephes. V. 5. Coloss. III. 5. & pares solet habere exitus.

*VÆ ILLIS QUI SECTANTUR ILLUD*) Non est in Græco.

*ET OMNIS IMPRUDENS DEPERIET IN ILLO*) *Ab eo capietur.* Servus sit rei cuiimperare debuerat.

*Qui terrenorum amore obstringitur*, ait Auguſt. sententt. c. CVII. *Terrena non possidet, sed possidetur.* De avaris. *Qui divitiis sic servit*, ait Haymo, *servus est divitiarum: quia non distribuit ut dominus, sed custodit ut servus. Avarus*, secundum Innocentium de vilit. hum. Condit. *Offendit Deum, offendit proximum, offendit se ipsum. Deo detinet debita, proximo denegat necessaria, sibi subtrahit opportuna.* Pulcra est *Avari* imago, quam exhibet *Bernhard.* serm. XXXIX. in Cantic. *Avaritia vehitur quatuor rotis vitiorum, quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemtus Dei, oblivio mortis. Jumenta trahentia sunt tenacitas, & rapacitas, his unus auriga ambobus præsidet habendi ardor. Ipse injuncti operis promtus & infatigabilis executor urgendis sane jumentis trahentibus flagris utitur acerrimis libidine acquirendi, & metu amittendi. Avaritia* Auguſtino serm. XLIIX. ad fratres in eremo dicente, *est servitus idololatriæ, mater usuræ, genitrix Simoniæ, fomes culpæ, via aternæ pœnæ, nutrix gehennæ. Est abyssus insatiabilis, quæ nunquam dicit sufficit, semper famescit, semper dolet, semper tristatur in cunctis. Est pestis interminabilis & famelici rabies. Nam omnia suis terminis clauduntur, sola avaritiæ nullo claduntur fine. Omnia in homine senescunt vitia, sola avaritia juvenescit.* Avaritia. Avaritiæ imago.

Vers. 8.

*BEATUS DIVES QUI INVENTUS EST SINE MACULA*) ἄμωμος, cujus divitiæ in reprehensionem non cadunt.

*ET QUI POST AURUM NON ABIIT*) Qui se servum non fecit pecuniæ. Servi dominos sequi solebant: Sic quidam fola colunt, dicuntur παρέπεσθαι ὀπίσω θεῶν ἑτέρων, Jud. II. 12. & alibi.

*NEC SPERAVIT IN PECUNIA ET THESAURIS*) Hoc addidit Latinus hic interpres ex Paulo 1. Tim. VI. 17.

Vers. 9.

*QUIS EST HIC, ET LAUDABIMUS EUM?*) Quis est hic, ut beatum eum dicamus?

*FECIT ENIM MIRABILIA IN VITA SUA*) Legit: ἐν ζωῇ αὐτοῦ. Nos habemus, ἐν παρεμβολαῖς. *Rem præstitit popularibus admirabilem.*

V. 10. *QUI PROBATUS EST IN ILLO, ET PERFECTUS EST*) In Græco: Τίς, quis Sensus eodem redit: *Quis est is qui exploratus per divitias, probus est repertus? τελειωθεὶς* hic, ut alibi δικαιωθεὶς, est probum conspici.

*ERIT ILLI GLORIA ÆTERNA*) In Græco: κρίνεται εἰς καύχημα, habebit in quo sibi placeat.

*QUI POTUIT TRANSGREDI, ET NON EST TRANSGRESSUS*) Arduum est in peccandi licentia non peccare. Magna illa laus, quæ in Epitola Senecæ est ad Polybium: *Nemo patientiam ejus injuria sensit.*

Vers. 11. *IDEO STABILITA SUNT BONA IPSIUS IN DOMINO*) Illud *in Domino* addidit interpres ex Paulo 1. Tim. VI. 17.

*ET ELEEMOSYNAS ILLIUS ENARRABIT OMNIS ECCLESIA SANCTORUM*) In Græco est: ἐκδιηγήσεται ἐκκλησία: id est, populus omnis.

Pindarus, *Beatus*, inquit, qui *simul opes, & mentem possidet.* Similiter Menander: *Beatus est ille, qui opes & mentem habet.* Is enim honeste, & ut decet iis utitur. *Non ipsa divitiæ*, monente *Salviano* lib. 1. ad Eccleſ. Cath. *per se noxiæ sunt, sed mentes*

*mentes male utentium sunt criminosæ: nec ipsæ opes homini pœnæ causa sunt, sed de opibus sibi pœnas divites faciunt, quia dum uti divitiis bene nolunt, ipsas sibi divitias in tormenta convertunt.* Recte ergo monet *S. Ambrosius* l. IIX. in Luc. cap. XIIX. *non in facultatibus crimen haberi, sed in iis, qui uti nesciant. Nam divitiæ, ut impedimenta sunt reprobis, ita adjumenta virtutum sunt piis. Accidentia vitia divitiis,* dicente Tertulliano l.IV. c.15. adverſ. Marcion. *illa in Evangelio pœ divitibus adscribunt. Superbiam dico, & gloriam & sæculi studia, & Dei injuriam per quæ pœ merentur illi à Deo creatore.* Conf. *Prov. X. 22. Syr. XIII.30. Psal. LXII. 11.* in quem locum *Cassiodor. Non damnat,* ait, *largas divitias, quibus dispensatio modificata præstatur. Nam si cor eis non apponitur, ut in ipsis singularis felicitas judicetur, profecto necessaria sunt. Inde enim egentibus subvenitur, inde reficiuntur ægroti, inde pauperum nuditas operitur. Seneca* l. de vit. beat.c.XXVI. *Divitiæ,* inquit, *apud sapientem virum in servitute sunt, apud stultum in imperio.* Pelagianorum error in Concilio Diospolitano damnatus hic fuit: quibus accedunt *Papistæ* quadantenus: *Divites baptizatos nisi omnibus abrenuntient, si quid visi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse regnum Dei.*

Error Pelag. de divitiis.

Vers. 12.

SUPRA MENSAM MAGNAM SEDISTI) *Ad sedisti mensæ magnificæ.* Hic incipiunt præcepta convivalia, & decurrunt in caput sequens usque.

NON APERIAS SUPER ILLAM FAUCEM TUAM PRIOR) Hoc *prior* non est hic in Græco, neque infra 16. Ne nimium avide te immerge in patinas.

Vers. 13.

NON DICAS SIC: MULTA SUNT QVÆ SUPER ILLAM) Ne cogita, quia magna ibi edendi copia, modum in edendo abs te excedi debere.

Vers. 14.

MEMENTO QUONIAM MALUS EST OCULUS NEQVAM) In Græco: *malum est.* Ingens est malum, avarus convivator. Hebræi oculum πονηρὸν, & de invido dicunt, & de avaro.

Vers. 15.

NEQUIUS OCULO QUID CREATUM EST?) Tali scilicet, id est, avaro.

IDEO AB OMNI FACIE SUA LACHRTMABITUR) In Græco: *Qui ab omni facie* (id est, ab omni conspectu) *lachrymat. διὰ τοῦτο*, ut Hebræum פנים sæpe pro *quia* ponitur. Ab omni conspectu, nempe impendii. In Epigrammate Græco est:

Δακρύει ξενίων ἐ φιλήγυος· οὐχ ὅτι πένεται,
Ἀλλ᾽ ὅτι πάντα μάτην σοφὸν ἐφράσατο.

Phædrus in descriptione avari:

*Obsonioram pretia cui gemitum exprimunt.*

Vers. 16.

NE CONTENDAS MANUM TUAM PRIOR) In Græco hæc cohærent: *ἐὰν ἐνβλέψῃς, μὴ ἐκτείνῃς χεῖρά σου. Ne immittat manum in eam rem quam ille respexerit.* Edequæ ante de sunt, non quælonge sunt posita. Præcepit id Arrianus libro secundo Epictetorum. Multo magis cavendum ne convivatori præripiatur quod ipsi placet.

Vers. 17.

NE COMPRIMARIS IN CONVIVIO) In Græco: *Ne colliderè cum eo in patina.* Da ipsi locum vacuum.

Vers. 18.

INTELLIGE QUÆ SUNT PROXIMI EX TE IPSO) Id est, ita te adversum convivatorem & convivas alios gere, quomodo ipse velles alios se adversum te gerere.

Vers. 19.

UTERE QUASI HOMO FRUGI HIS QUÆ TIBI APPONUNTUR, NE, CUM MANDUCAS MULTUM, ODIO HABEARIS) Aliter hæc in Græco habent: *σῷζε ἐπὶ σαυτοῦ ἑαυτὸν διαγνώμῃ*: (alii libri habent, *σεαυτῷ*, sensu eodem) *de re quæbis* (etiam minima) *cogitæ*, quid decorum sit scilicet. Deinde: *φάγε ὡς ἀνδρωπος τὰ παρακείμενά σοι, μὴ διαμάσῃ, μὴ πισθῇς. Ede ut homo quæ tibi apposita sunt, & cave bores*, (ferarum modo) *ne odiosus fias.*

Conveus monet: *Modestum esse decet eum, qui alienis vescitur.*

Vers. 20.

CESSA PRIOR CAUSA DISCIPLINÆ) *Primus desine* (edere) *honestatis causa.* Id enim est quod hic *κοσμίως* vocat.

ET NOLI NIMIUS ESSE, NE FORTE OFFENDAS) Cave offendas te insatiabilem, ne offendas, nempe eos qui adsunt.

Vers. 21.

ET SI IN MEDIO MULTORUM SEDISTI) Si cum pluribus aliis vocatus es.

PRIOR ILLIS NE EXTENDAS MANUM) *πρότερος*, & propriæ est prior: sed & pro *primus* sumitur. Arrogantis est, ante alios de cibis sumere.

NEC PRIOR POSCAS BIBERE) Non est in Græco: Sed ut par pari interpres hoc addidit.

Vers. 22.

QUAM SUFFICIENS EST VIRO ERUDITO VINUM EXIGUUM) *Quam sufficit bene instituto modicum?* in cibo scilicet potuque.

ET IN DORMIENDO NON LABORABIS AB ILLO, ET NON SENTIES DOLOREM) In Græco est: *Non difficulter in cubili spiritum trahes*; quod plus æquo saburratis solet evenire.

Vers. 23.

VIGILIA, CHOLERA ET TORTURA VIRO INFRUNITO) Hoc in Græco rectius infra est hoc modo: *Labor, vigilia, cholera, & torminæ viro insatiabili.* Cholera vocem in Latino reliqui cum Plinio & Celso IV. 11. Idem Celsus II. *στόφος* interpretatur, ubi circa umbilicum intestina torquentur. In Glossis *στόφος, torsio, διεντερικὸν πάθος* edacitatem sequi notat Cicero ad familiares VII. 26.

Vers. 24.

SOMNUS SANITATIS IN HOMINE PARCO) *Somnus* plenus *sanitatis, ubi intestina moderate se habent:* id est, non nimis farcta sunt.

DORMIET USQUE MANE, ET ANIMA ILLIUS CUM IPSO DELECTABITUR) In Græco: *Mane anima ipsius* (id est, mens ipsius) *cum ipso est.* Ubi surget, valet illi animus Contra:

— — *corpus onustum*
*Hesternis vitiis animum quoque prægravat.*

Vers. 25.

ET SI COACTUS FUERIS IN EDENDO MULTUM, SURGE E MEDIO, ET VOME: ET REFRIGERABIT TE, ET NON ADDUCES CORPORI TUO INFIRMITATEM) In Græco: *Si compressus cibis fueris, surge per medios* (convivas) *transiens, vome, & sic quiesces.* Veteres *ἐμετικὰς* levi de causa utebantur. Cicero pro Dejotaro ad Cæsarem: *cum te vomere post cœnam velle dixisses.*

Vers. 26.

ET IN NOVISSIMO INVENIES VERBA MEA) Tandem invenies vera esse quæ dixi.

*Socratis* apud Laert. l. 2. c. 35. hoc erat axioma: *Qui frugaliter vivunt longe plus habent voluptatis ac animus cruciatuum, quam qui indulgent genio.* S. Hieronymus Eustochiam monet Epist. de custod. virg. *sit tibi moderatus cibus, & venter nunquam expletus, sint tibi quotidiana jejunia, & refectio satietatem fugiens. Illico mens repleta torpescit, & irrigatis humus spinas libidinum germinat.* Rabanus, *manifestum est,* ait, *quod parvus & tenuis victus tam corpori quam animæ utilis sit, & ecconturio superfluus cibus vel potus ægritudinem generet, & sensum animæ minuat.* Chrysost. *Venter crassus,* inquit, *mentem subtilem non parit.* Item: *cibo non satiari sanitatem esse Medicorum filii pronuntiant.* (ita Hippocrates: *sanitatis studium est non satiari cibis & ad labores impigrum esse*) *Obsonii loco tibi sit inopia & fames. Condimentorum sensus ad palatum terminatur, deinceps vero indifferens est quodingeritur, omnia ad satorem usque alterante natura.* Clemens Alexandr. *Hominibus,* inquit, *sæpe damnum & molestiam procreavit voluptas: graves enim affectiones & oblivionem & insipientiam in animo pariet nimia alimenti copia.* Gregorius Nazianzenus in Carm. de diversi. vit. gen. *Ventrem escis saturatum sepulchrum* vocat. *Nam vivum sepulchrum circumferet, qui corpus cibo meroque distentum atque obrutum gestat.* Ex adverso vero *Continentiam*

Frugalis vitæ.

secun-

secundum Philonem *sanitas & robur sequitur, uti incontinentiam infirmitas & aegritudo morti vicina:* Et *virtutis conclave temperantia est* secundum Comicum.

Vers. 27. IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS ESTO VELOX) Id est, impiger in obeundis itineribus.

*De Labore.* Conjungi *labor* videtur, quod etiam conducat ad sanitatem. Huc facit problema Arist. sect. 1. Probl. n. 47. *Cur salubre sit cibum minuere, & laborem augere?* ad quod respondet, *quia causam aegrotandi affert excrementorum copia, quæ tum existit, cum aut cibus superest, aut labor deest.* Plato in Theæteto *Corporum habitus*, ait, *quiete & otio corrumpitur, & exercitiis & motibus magna parte conservatur.*

Vers. 28. SPLENDIDVM IN PANIBVS BENEDICENT LABIA MVLTORVM) Bene legit εὐλογήσει, ut est in Sixtina, non ἐυλογοῦσι. Liberalem convivatorem laudant multi. Panes pro cibo quovis, etiamque pro convivio sumere ratus Hebræis,

ET TESTIMONIVM VERITATIS ILLIVS FIDELE) *Testimonium fide dignum reddidit splendoris ipsius.* Fide dignum, quia à multis & idoneis. πιστὸς fide dignus, ut 1. Tim. I. 15. III. 1. IV. 9.

Vers. 29. NEQVISSIMO IN PANE MVRMVRABIT CIVITAS) De fordidis conviviis male loquitur populus.

*ET TESTIMONIVM NEQVITIÆ ILLIVS VERUM EST*) Fide dignum. Ἀκριβὲς idem quod modo πιστὸς. Quod autem *nequitiæ* vertit, in Græco est πονηρίας. Ea vox generalis hoc loco tenacitatem significat.

Vers. 30. *DILIGENTES IN VINO NOLI PROVOCARE*) *Ne virum te in vino præsta.* Noli eximi potatoris nomen tibi quærere.

*MULTOS ENIM EXTERMINAVIT VINUM*) *Perdidit.* πολυτελὲς βάκχος.

*Ebrietas.* *Multos*, inquit, Rabanus h. l. *exterminavit vinum*, id est, *multos subvertit ebrietas, quæ sensum minuit, iram, rixam & cædes excitat, libidinem inflammat, animi secretum per furorem aut amorem denudat.* Quo facit Ebræum Proverbium: *Vinum intrat, secretum exit. Nam vinum clave caret.* Et *quod in animo est sobrii, id in lingua natat ebrii.*

Vers. 31. *IGNIS PROBAT FERRVM DURUM*) πάντων δοκιμάζει τόνωμα ὁ βαθύς, id est, *Cum ferro in Camino posito aqua admixtus, tum apparet qualis sit ferri temperatura.* Martialis de Pugione:

*Pugio, quem curva signat brevis orbita pœna,*
*Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.*

Non dissimilis illa apud Theognidem comparatio:

Ἐν πυρὶ μὲν χρυσὸν τε καὶ ἄργυρον ἴδμεν ἄνδρες
Γνησιον· ἀνδρὸς δ' αὖ ὁμοῦ ἰδέειν νόον·
Καὶ μάλα τὸν πίνοντ', ἠὲ σίτῳ μετρίῳ ἠὲ πόνῳ.

*SIC VINUM CORDA SUPERBORUM ARGUET IN EBRIETATE POTATUM*) Legit καρδίας, ut in Sixtina est; non ὁι καρδίαι, ut in aliis. Pendet hoc ab eo quod præcessit δοκιμάζει. At recte legit ὁι μὲν, non ὁι μὴ χρῶ, ut habet Sixtina. Bona est comparatio. Petrum aqua tingitur, mens vino. Superbia accedit ut ignis. Ebrietas opera excludit, ut ait Horatius: maxime vero eum, qui latuerat fastum cum aliorum contemtu conjunctum.

Vers. 32.

*ÆQUA VITA HOMINIBUS VINUM IN SOBRIETATE: SI BIBAS ILLUD MODERATE, ERIS SOBRIUS*) *Æquiparabile vita hominibus vinum, si id bibas modo* qui ipsi *convenit.* Vocem ὑγιεινὸν habuimus & supra IX. 12.

Vers. 33. *QUÆ VITA EST EI QUI MINUITUR VINO?*) Desiderantur; quomodo σκληροῖς sæpe ab hoc scriptore sumitur. Adscripsit aliquis marginal sententiam huic oppositam, & suo quoque sensu veram: *Quid defraudat vitam? mors.* Sed ea in Græco non est, nec bene cohæret.

Vers. 34. *VINUM IN IUCUNDITATEM CREATUM EST*) *Et ipsum creatum est ad lætitiam hominibus dandam.* Et pro nam. Cui sim eddit cur vita vix vita sit fine vino: quia *Lætitia Bacchus dator.*

*ET NON AD EBRIETATEM AB INITIO*) Et hoc interpres de suo addidit.

Vers. 36. *EXSULTATIO ANIMÆ ET CORDIS, VINUM MODERATE POTATUM*) In Græco: *Gaudium cordis & animi lætitia, vinum sumtum quantum opus est, adque suo tempore.* Non enim in febri.

Vers. 37. *SANITAS EST ANIMÆ ET CORPORI SOBRIVS POTUS*) Non est in Græco.

*Vinum*, inquit Chrysost. hom. 1. ad popul. *medicina optima est, quando commensurationem habet optimam.* Augustin. homil. de castit. & sobriet. *vinum moderatum debilem stomachum reficit, vires deficientes reparat, algentem frigore calefacit, vulneribus inflictum medetur, antidotis etiam diversis quæ medicamentis adjunctum salutem operatur, tristitiam removet, languores animi delet, lætitiam infundit, convivas honesta miscere colloquia facit. Paulo amplius vero sumtum convertitur in venenum.* *Vini usus.*

Reprobantur hic *Manichæi* vinum à *Diabolo* productum dicentes, & *Eneratitæ* vino abstinendum esse asserentes, eo *quod vitis è Satana sit*, teste Augustino ad Quod-vult-Deum hæres. XXIV. nec non Catharistæ, qui *vinum* esse *fel diaboli* ajebant, & *uvis* tamen vescebantur. Quibus respondet *Chrysost.* hom. 1. ad popul. *vinum Dei, ebrietas autem Diaboli opus est: non vinum ebrietatem facit, ne Dei creaturam accuses, sed conservi insaniam argue.* Conf. *Ps. CIV. 15. Iud. IX. 3. 1. Tim. V. 23. Ambros.* de Elia c. XII. *Plutarch.* de lanit. tuenda. *Manich. error de vino.*

Vers. 38.

*VINUM MULTUM POTATUM IRRITATIONEM ET IRAM, ET RUINAS MULTAS FACIT: AMARITUDO ANIMÆ VINUM MULTUM POTATUM*) Et hic transposita verba. Nam Græca sic habent: πικρία ψυχῆς οἶνος πολὺς ἐν ἐρεθισμῷ καὶ ἀντιλήμματι. *Vinum ubi multum bibitur, est amarities animi, propter irritationes & rixas.* ἀντίληψις pro ruina est, & infra XXXII. 25. Vinum alios in iram, alios in casum, sæpe periculosum, impellit.

Vers. 40.

*EBRIETATIS ANIMOSITAS, IMPRUDENTIS OFFENSIO, MINORANS VIRTVTEM, ET FACIENS VULNERA*) In Græco: *Ebrietas insipientis auget iram ad malum ipsius; minuit enim vires, & adanget vulnera:* id est, pugnas. Ebrietas, Horatio teste,

*In prælia trudit inermes.*

Bubulus Comicus, cum crater ei vini primum dixisset esse sanitatis, voluptatis alterum, tertium soporis, addit:

— ὁ δὲ τέτρατος· ὦ τρυφή·
Ἤμεθες· ἐκ δ', ὕβρις· τὸ δὲ πέμπτον· βοὴ·
Ἕκτος· δὲ κῶμος· ἕβδομος· δ' ὄνειδος.

*De ebrietate.* Quo facit illud Græcorum τίκτει κόρος ὕβριν. *Satietas ferocium parit.* Et quod *Anacharsi* dixit, *tait.* Laërtio teste; *in vite tres racemi nascuntur, primus voluptatis, secundus ebrietatis, tertius insaniæ, furoris & violentiæ. Basil.* homil. de ebriet. *Ebrietas*, inquit, *est rationis interitus, fortitudinis pernities, senectus immatura, mors momentanea. Quid, quæso, sunt ebrii, nisi gentium idola! Oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt, manus paralysi affectas habent, pedes infirmos, ac facile offendentes. Quia, dic mihi, currus equorum indomitorum ita præceps fertur Dominum suum excutiens? Quod navigium ita gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatum & concussum, ut non sit ebrio securius?* Ibidem paulo ante: *Ebrietas est Dæmon voluntarius ex voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit. Sicut enim aqua ignem est adversa, sic vinum immodicum rationem supprimit. Chrysost.* hom. 1. ad popul. *Ebrius est mortuus animatus, est dæmon voluntarius; morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium. Cœlum ebrius est invisum.* August. lib. de Pœnit. *Ebrius confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam.* Et serm. CCXXXIII. de temp. *servum non vis habere ebriosum, & tu qui es Dei servus, ipse es ebriosus.*

Vers. 41.

Vers. 41. IN CONVIVIO VINI NON ARGUAS PROXIMUM) Non enim est is locus castigandi.

ET NON DESPICIAS EUM IN JUCUNDITATE ILLIUS) Si quid hilarius dixerit, fecerive, irridere noli; nam

*Absentem ledit, cum obrio qui litigat.*

VERBA IMPROPERII NON DICAS ILLI, ET NON PREMAS ILLUM IN REPETENDO) Legit ὀ ἀπαιτῶν, ut est in quibusdam libris. At melior lectio altera, ὁ ἀπαιτῶν. Si obvius illi factus fis, postea noli ei exprobrare, ac molestus ei esse de iis quæ in vino facta sunt.

Μετὰ μέθης συμπότην μὴ ἔλεγχε.

*Chilon* apud Plutarch. in conviviis ad cœnam invitatus *non ante condixit, quam nosset convivarum nomina.* Dicebat enim, *quibuscum necesse esset una navigare aut militare, eorum etiam molesto comitatu ac contubernio utendum esse. Ultro autem qualibuscunque se admiscere convivis, non esse sani hominis.* Cicero ad Pætum: *Moneo te, quod pertinere ad beate vivendum arbitror, ut cum viris bonis, jucundis, amantibus tui vivas. Nihil est aptius vitæ: nihil ad beate vivendum accommodatius. Nec id ad voluntatem refero, sed ad communitatem vitæ atque victus, remissionemque animorum quæ maxime sermone efficitur familiari, qui est in conviviis dulcissimus, ut sapientius nostri, quam Græci illi συμπόσια, aut συνδείπνα, id est, compotationes aut concenationes, nos convivia, quod tum maxime simul vivitur.* Quo facit monitum Epicteti: *vide*, inquit, *ne urgente ira in convivas sis injurius, sed potius cum mansuetudine & simplicitate illos exhibara.*

## CAPUT XXXII.

*Adhuc de moribus in convivio recte regendis. In omnibus actionibus verbum Dei sequamur, & cum pietate prudentiam conjungamus.*

Vers. 1. RECTOREM TE POSUERUNT) Hic in Sixtina ponitur titulus, ΠΕΡΙ ΗΓΟΥΜΕΝΩΝ. Sed ἡγούμενος hic intelligendus ὁ συμποσιάρχης, rex vini Horatio, modo imperator Varroni: nam pergit adhuc præcepta dare convivalia, ut ex sequentibus apparet. Pertinent autem hæc ad convivia ex Symbolis.

NOLI EXTOLLI) Ne isto honore tibi nimium place,

ESTO IN ILLIS QUASI UNUS EX IPSIS) Agc, sodaliter.

Vers. 2. CURAM ILLORUM HABE, ET SIC CONSIDERA) Nempe ut coquis & vini ministris, mensæque & vasorum apparatoribus, quæ res exiget, imperes, velut ex regali solio.

ET OMNI CURA TUA EXILICATA RECUMBE) In Græco: *Quæ opus sunt fac, & laudem ea de causa assecutus, accumbe*: me ἐκ ἰσιλικὸν cum aliis.

Vers. 3. UT LÆTERIS PROPTER ILLOS) Ut gaudeas, cum videbis illis placere quæ ordinasti.

ET ORNAMENTUM GRATIÆ ACCIPIAS CORONAM) *Boni ordinis* (per te constituti) *causa accipias coronam*: nempe à tota sodalitate, in signum bene gestæ præfecturæ.

ET DIGNATIONEM CONSEQUARIS CORROGATIONIS) Non est in Græco, sed interpres Latinus hoc addidit, ut intelligeretur de qua corona esset sermo. Corrogatio hic est συμβολή.

Vers. 4. LOQUERE MAJOR NATU, DECET ENIM TE PRIMUM VERBUM DILIGENTI SCIENTIA) Alii codices habent: λάλησον πρεσβύτερος, alii: λάλησον πρεσβύτερε, recte, ut ostendit oppositum membrum infra 10. Pergit monita dare conviris. Senes decet loqui gravia & utilia.

Vers. 5.

ET NON IMPEDIAS MUSICAM) Legit ut in Sixtina: καὶ μὴ ἐμποδίσῃς μουσικῇ. Ne *tamen impedias* tes musicas. Non ita velim te seriis operam dare, ut alia quæ delectant magisquam profint damnes.

*Clemente Alex.* l. 2. Pædag. c. 4. *autore admittenda sunt modestæ & pudicæ harmoniæ, à forti vero & nervosa nostra cogitatione molles & enervatæ harmoniæ amandandæ quam longissime, quæ improbo flexuum vocis artificio utentes ad delectatam & ignavam vitæ agendæ rationem deducunt. Graves autem & quæ ad temperamentum pertinent modulationes, ebrietatis proterviæ valedicunt, &c.*

Vers. 6.

*UBI AUDITUS NON EST NE EFFUNDAS SERMONEM*) Hic negativa male addita: nam in Græco est *Ubi est acroama, ne effunde sermonem.* Acroama dicuntur & Græcis & Latinis tum cantus, tum ipsi cantores, aut fidicines; iis interstrependum negat.

*ET IMPORTUNE NOLI EXTOLLI IN SAPIENTIA TUA) Noli extra tempus sapientem agere.* Sic Musonius apud Tacitum Historiarum III. omisit intempestivam sapientiam. Dandum & hilaritati tempus.

Vers. 7.

*GEMMULA CARBUNCULI IN ORNAMENTO AURI, ET COMPARATIO MUSICORUM IN CONVIVIO VINI) Quale est sigillum pyropi in annulo aureo, talis concentus Symphoniacorum in convivio.* συμφωνία musicum quid significat: sed forte scriptum fortasse συμποσίῳ. Idem dicit sententia sequens, nisi quod ibi Smaragdus, hic Carbunculus.

Vers. 10.

*ADOLESCENS LOQUERE IN TUA CAUSA VIX*) Dederat modo præceptum senibus convivis, nunc dat junioribus, qui bus loqui vix permittit, nisi multum urgeantur. *Loquere*, ait, *adolescens, si opus tui est*, puta, *si plus semel sis interrogatus.* Græcum est proverbium:

Νέῳ δὲ συγχὼ μᾶλλον ἢ λαλεῖν πρέπει.

Vers. 11. *HABEAT CAPUT RESPONSUM TUUM IN MULTIS ESTO QUASI INSCIUS, ET AUDE TACENS SIMUL ET QUÆRENS*) Non tantum raro vult in Convivio loqui juvenem, sed &, ubi loquendum est, pauca. Itaque sic ait: *Contrahe sermonem*: (dic) *pauci multa, ut* habearis velut sciens, & tamen tacens. κεφαλαίωσον hic quod ἀνακεφαλαίωσαι, Rom. XIII. 9. Ephes. I. 10. Qui pauca ad rem loquitur, is multo plura scire, sed pet verecundiam tacere creditur.

Vers. 13. *IN MEDIO MAGNATORUM NON PRÆSUMAS*) Ne te eis parem geras. Sophocles:

Ἀρχοντὶς εἶσι, δοῦ ὑπεντίου τίνι;

*ET UBI SUNT SENES NON MULTUM LOQUARIS*) Græcum dictum est:

Νέῳ δὲ μάλιστα τὸν γεραιτέρων ὄδει.

Vers. 14. *ANTE GRANDINEM PRÆBIT CORUSCATIO, ET ANTE VERECUNDIAM PRÆIBIT GRATIA*) Sicut fulgur cernitur priusquam audiatur tonitru, (de qua re vide Aristotelem II. Meteoron IX. Senec. am naturalium quæstionum II. 12.) ita in juvene verecundo, priusquam loquatur, ipse eum in vultu pudor commendat. Euripides:

Τό, τε γὰρ αἰδεῖσθαι σοφία,
Τάν τ' ἐξαιδοῦσαν χρὴ
Χάριν.

*ET PRO REVERENTIA ACCEDET TIBI BONA GRATIA*) Est explicatio dicti præcedentis addita à Latino interprete.

*S. Bernhard.* tract. de Ord. vitæ. *Silentium*, inquit, *est maximus actus verecundiæ.* Bonaventuræ monitum erat *inter multos ne multum loquaris.* De *Semibus* vero Macrob. l. III. Satur. *Senectus*, inquit, *nobis sit sapimus, adornda est.* B. Chytræus ad h. l. *Convivium*, ait, *simile sit Alphabeto, in quo sunt literæ, vocales, semivocales & mutæ. Vocales sint senes, docti prudentes, usu periti. Semivocales sint juvenes, qui interrogati breviter & modeste respondeant. Non interrogati sint mutæ, nec alios loquentes interpellent.*

Vers. 15. *ET HORA SPRGENDI NON TE TRICES*) In Græco: *In tempore surge, neque segnem audito.*

*PRÆCURRE ANTEM PRIOR IN DOMUM TUAM, ET ILLIC AVOCARE*) In Græco est: *Curre domum, neque* (ea in re) *piger esto.* Noli postremus discedere.

Vers. 16. *ET ILLIC LUDE ET AGE CONCEPTIONES TUAS, ET NON IN DELICTIS, ET VERBO SUPERBO*) Legit: μὴ ἐν ἁμαρτίαις. Sed melior est lectio Sixtina, ἐκεῖ παῖζε καὶ ποίει τὰ βουλήματά σου, καὶ μὴ ἁμάρτῃς ἐν λόγῳ ὑπερηφάνῳ. *Ibi lude, & fac quæ tibi usum fuerit, ita tamen ne quid stribi superbi peccet.*

Redeunti

Redeunti à convivio duo dat monita, alterum ad valetudinem pertinens, ut corpus suis aliquo exerceat: alterum ad vitandas rixas, ut caveat sibi à verbis insolentibus, quæ sæpe vinum sequi solent.

Vers. 17. ET SVPER HIS OMNIBVS) *Quod vero præcipuum est.*

BENEDICTO DOMINVM QVI FECIT TE, ET INEBRIANTEM TE AB OMNIBVS BONIS SVIS) Benedicere hic est Deo gratias agere, & inebriare μεθύσκειν vox media, quæ implere significat, ut vidimus supra I.13.

*Piorum veterum consuetudo.*

Conf. *Deut.* IIX.10. 1. *Tim.* IV.5. De piorum veterum consuetudine Christiana Tertull. Apol. c. XXXIX. *Non prius*, inquit, *discumbitur quam oratio ad Deum præmittetur. Editur quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse, ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina ut quisque de Scripturis Sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere, hinc probatur quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit, inde disceditur non in catervas cœtionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiæ, & pudicitiæ, ut qui non tam cenam cenaverint, quam disciplinam. Hieronym.* ad Eustoch. de consecrat. Mensæ, *ita tibi semper comedendum est, ut cibum & oratio sequatur & lectio.* Chrysost. *Convivium*, inquit, *quod à precatione ceptum in precationem desinit nunquam deficiet, sed quovis fonte uberius nobis omnia afferet bona. Ne igitur tantum negligamus lucrum. Absurdum fuerit, si quum famuli nostri, si quando partem aliquam eorum quæ nobis apposita sunt, acceperunt, nobis gratias agant, beneque nobis precantes abeant; nos cum tot tantisque fruamur bonis, nec hoc quidem honoris Deo persolvamus.*

Vers. 18. QVI TIMET DOMINVM EXCIPIET DOCTRINAM EJVS) In Sixtina: ἐκδέξεται παιδείαν, *eruditionem accipit*: ipso dante scilicet. Hic absolutis præceptis convivalibus, ad generaliora de pietate præcepta redit.

*ET QVI VIGILAVERINT AD ILLUM INVENIENT BENEDICTIONEM) Et qui mane surgunt*; nempe ad orandum Deum) *consequentur benevolentiam*, ipsius nempe, εὐδοκίαν hoc sensu habuimus Sap. VI.14. & hoc libro IV.13.

V. 19. *QVI QVÆRIT LEGEM REPLEBITVR AB EA)* Cognitione ejus.

*ET QVI INSIDIOSE AGIT, SCANDALIZABITVR AB EA)* καὶ ὁ ὑποκρινόμενος, σκανδαλισθήσεται ἐν αὐτῷ. *Simulator vero in eam offendet.* Qui legis studiosus credi vult, cum non sit, aliquando in flagitio aliquo, quod latere sperat, deprehendetur, & pœnas legi dabit.

Vers. 20. *QVI TIMENT DOMINVM INVENIENT IVDICIVM IVSTVM) Iustum* deest in Græco. Sensus est: facile videbunt quid in re quaque judicari debeat.

*ET IVSTITIAS QVASI LVMEN ACCENDENT)* Beneficia ipsorum longe lateque lucescent.

Vers. 21. *PECCATOR HOMO VITABIT CORREPTIONEM)* Admoneri non vult is qui peccandi consuetudine induruit.

*ET SECVNDVM VOLVNTATEM SVAM INVENIET COMPARATIONEM)* σύγκρισιν, id est interpretationem legis. Nam & somniorum interpretatio, σύγκρισις, & σύγκρισμα, apud Danielem. Hoc est quod Livius querebatur de suo seculo, quod leges sibi quisque aptas interpretando faceret.

*Duas*, inquit B. Chytræus, *insignes virtutes h. l. piis tribuit* Syracides; *primum quod sint dociles, non arroganter & impie contemnant doctrinam à Deo traditam, nec aliorum consilia & admonitiones aspernentur, & errores suos pertinaciter aliorum exemplis vel multitudine impiorum defendant: Sed verbum Dei audiant, & verbo Dei se erudiri, moneri & regi patiantur, & ad normam verbi & mandatorum Dei omnia vitæ consilia dirigant. Ad hunc scopum primo decem hujus textus sententiæ referantur. Secundo ait, Pios firma πληροφορίᾳ Fidei præditos esse, qua vere & indubitate statuant, doctrinam in verbo Dei traditam, ut omnium cogitationum de Deo & consiliorum ac morum nostrorum unica norma sit, certam & immotam esse, eamque constanter retineant, & propositis promissionibus præsentia, auxilii & liberationis divinæ, se in doloribus & crucis omnibus firmiter sustentent & consolentur. Econtra impii seu hypocritæ vel ignari doctrinæ à Christo patefactæ, vel judicantes inanem fabulam esse legem & Evangelium, nec coercentes suas opiniones de Deo, & vitæ mores intra metas verbi à Deo nobis circumdatas: hi opinionibus & cupiditatibus varie errantes vagantur sine Deo, & horrendis fluctibus ac euripis dubitationum concutiuntur, & cum dissimilitudinem & confusionis rerum & eventuum in vita humana intuentur, velut ratis in immenso mari hastans, circumsistans, multa adversa revertens, eorum cogitationes vagantur, & tandem vel in Epicureas vel Academicas blasphemias incidunt, & in calamitatibus ac crucis, velut cymba in savis tempestatibus quassata, nullum habent portum seu firmam consolationem, in qua acquiescant: Sed tandem succumbunt trepidationi & dolori, & fluctibus desperationis submerguntur, ut Socrates apud Platonem inquit: Homines non habere μόνιμον πίστιν de summo bono, sed velut imaginem aqua turbata instabilem illud mentibus humanis obversari.*

Vers. 22. VIR CONSILII NON DISPERDET INTELLIGENTIAM) *Vir prudens non præter videbit intellectum.* Id est, verum legis sensum.

ALIENVS ET SVPERBVS NON PERTIMESCET TIMOREM) Qui alienus à lege est, suoque judicio confidit, is nullius facti religione movebitur.

Vers. 23. ETIAM POSTQVAM FECIT CVM EO SINE CONSILIO, ET SVIS INSECTATIONIBVS ARGVETVR. FILI SINE CONSILIO NIHIL FACIAS, ET POST FACTVM NON POENITEBIS) In Sixtina habemus. καὶ μετὰ τὸ ποίησαι μετ' αὐτὸ ἄνευ βουλῆς. ἄνευ βουλῆς μηδὲν ποιήσῃς καὶ ὑ τῷ ποιῆσαι σε μὴ μεταμεληθῇ. In aliis Græcis deest ες. Non dubito quin illa μετὰ τὸ ποίησαι καὶ ἄνευ βουλῆς nullum sensum habeant, sintque corrupta ex interpretatione sequentium. Sequentia enim sic legenda arbitror: καὶ μετὰ τὸ ποίησαι ἄνευ βουλῆς μεταμεληθῇ. Si quid in consilio feceris, ejus te pœniteat; qui verus est hujus loci sensus. μεταμέλεια σύντροφον ἄλυπον, ait Plutarchus.

*Basil.* in Es. I.v.12. *Sacra quadam res est consilium, voluptatum unio, fructus dilectionis, humilitatis insigne. E diverso intolerabilis est superbia, argumentum existimare se nullius egere consilio, sed sibi unis attentum esse, quasi solus possit sibi consilio decernere quæ optima sunt.* Ita Plato *consilium rem quandam sacram esse* dixit. Aristoteles *consilium capere eorum, quæ inter homines sunt, divinissimum esse* ait. Conf. *Prov.* XII.15. *c.* XIII. 10.

Vers. 25. IN VIA RVINÆ NON EAS) Vbi viæ sunt arctæ & præcipites: id est, periculosa ne attenta.

ET NON OFFENDES IN LAPIDES) In Sixtina: καὶ μὴ προσκόψῃς ἐν λιθώδεσι. Etiam si per salebrosa loca incedas, vide necubi impingas.

NEC CREDAS TE VIÆ LABORIOSÆ) ἀπροσκόπτῳ habent quidam Græci codices. At Sixtinus, ἀπροσκόπτων. Sed legendum, ἀπροσκοπτῷ, id est, non bene explorate.

NE PONAS ANIMÆ TVÆ SCANDALVM) Non est in Græco, sed est pia explicatio ejus quod præcessit.

*Gregor. Nazianz.* Orat. IV. *Ubi plus periculi imminet tum vero obviam procedere, seque in discrimen obtrudere, non autem reprimere ac retinere temeritati ducendum est, sicut è contrario cedere cautioni & prudentiæ.* Pythagoræ symbolum erat; *Pede in limine illiso retrocedendum*, id est, quæ in ipso principio noxia sunt, non prosequenda esse.

Vers. 26. ET A FILIIS TVIS CAVE, ET A DOMESTICIS TVIS ATTENDE) Posterius hoc membrum adjecit interpres ex Matth. X. 36. Vide ne filii tes tuas dilapident.

Vers.

V. 27. IN OMNI OPERE TUO CREDE EX FIDE ANIMÆ TUÆ) In Sixtina est: ἐν παντὶ ἔργῳ πίστευε τῇ ψυχῇ σου. In aliis: ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ πίστευε τῇ ψυχῇ σου. Veram lectionem monstrant sequentia: legendum enim: ἐν παντὶ ἔργῳ θεῷ πίστευε τῇ ψυχῇ σου. Quidquid aggrediaris, Deo crede intra animum tuum.

HÆC ENIM EST CONSERVATIO MANDATORUM) μετανοημία; id est, hæc causa est, cur mandata serventur: nam

Vers. 28. QUI CREDIT DEO, ATTENDIT MANDATIS) Sollicitus est ne aut promissis excidat, aut minas incurrat, & de harum & de illorum veritate persuasus.

ET QUI CONFIDIT ILLO NON MINORABITUR) οὐκ ὀλιγωθήσεται, damnum non feret.

## CAPUT XXXIII.

*De piis, quos tuetur & regit Dominus; & Hypocritis ac contemtoribus verbi. Illos extollit Deus, hos abjicit propter impietatem. Bonum malum oppositum est, Deus autem novit malis bene ubi. Monita Oeconomica, de Liberis & agnatis, servis item malis & bonis.*

Vers. 1. TIMENTI DOMINVM NON OCCVRRENT MALA) *Non evenient malum*, permanens scilicet.

SED IN TENTATIONE DEVS ILLVM CONSERVABIT, ET LIBERABIT A MALIS) In Græcis plerisque: ἀλλ' ἐν πειρασμῷ καὶ πάλιν ἐξαιρήσεται αὐτόν: *Sed tentatus* Deus (nam hic nominativus sæpissime apud Hebræos subticetur) non semel tantum, sed *iterum*, id est, sæpius *eximet*. In Sixtina eodem sensu: καὶ πάλιν ἐξελεῖται, *eximetur iterum*.

Vers. 2. SAPIENS NON ODIT MANDATA ET IVSTITIAS) In Græco: *non odit legem*: præcepta legis ei non displicent.

ET NON ILLIDETVR QVASI IN PROCELLA NAVIS) In Græco Sixtino: ὁ δὲ ὑποκειμένῳ ἐν αὐτῷ, ὡς ἐν καταιγίδι πλοῖον. Optime. *Qui vero legis studium simulat* (qualis ille de quo supra XXII. 19.) *jactatur ut in procella navigium*: nunc enim pie agit, ut aliis placeat, nunc impie, ut sibi.

CONf. *Ps. XCI. 10. Syrach. XV. 6. c. XXV. 14. 1. Cor. X. 13.* De hypocritis recte Osiander: *(Hypocritæ, qui non pio & vero zelo verbum Dei audiunt vel tractant, non sunt constantes, sed ubi eos fastietæas ferveri verbi Dei ceperit, ad opiniones perversas & hæreticas delabuntur, & tanquam navis à ventis vehementibus agitata, huc inde jactantur, ut tandem, quid credam, ignorent. Hanc pœnam hypocriseos & fastidii verbi divini hodie multi cum jactura suæ salutis (justo Dei judicio) experiuntur.)*

Vers. 3. HOMO SENSATVS CREDIT LEGI DEI) *Confidit legi*: id est, promissis quæ sunt in lege.

ET LEX ILLI FIDELIS, QVI INTERROGATIONEM MANIFESTAT) Hæc in Latino male discerpta, in Græco cohærent: καὶ νόμῳ αὐτῷ πιστός, οὗ ἐρώτημα θέλων. Hæc enim vera lectio, unde duæ corruptæ θέλων & δίκαιος. Non magis eum lex decipiet, quam responsum per Vrim & Thumim, quod in rebus magnis principes populi consulebant. אורים vertitur voce δῆλον, Num. XXVII. 21. 1. Sam. XXVIII. 6. & infra XLV. 12. alibi voce δηλώσεως, ut Ezech. XXVIII. 26. Levit. VIII. 8. & Philoni in Allegoriis. Quod autem Hebraice dicitur אורים ותמים, id δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, vertunt LXX, & Philo. Est autem ἡ δὲ δυοῖν, pro δῆλωσις, aut τὰ δύο τῆς ἀληθείας, quomodo accepit hic scriptor infra XLV. 13. Vide quæ de hac re diximus ad librum primum de veritate Religionis Christianæ.

Vers. 4. PARABIT VERBVM, ET SIC DEFRECATVS EXAVDIETVR) In Græco aliter: ἑτοίμασον λόγον καὶ ὅτ' ἂν ἀκουσθῇς: id est, *ut libenter audiaris, quæ dicturus es para*: præmeditare.

ET CONSERVABIT DISCIPLINAM, ET TVNC RESPONDEBIT) In Græco: συνδησον παιδείαν καὶ ἀπόκριθητι. *Contrahe eruditionem* in pauca verba, *ac sic responde*, ἀποφθεγματικῶς scilicet.

Vers. 5. PRÆCORDIA FATVI QVASI ROTA CARRI; ET QVASI AXIS VERSATILIS COGITATVS ILLIVS) Nihil in eo stabile.

Vers. 6. EQVVS EMISSARIVS; SIC ET AMICVS SVBSANNATOR, SUB OMNI SUPRASEDENTE HINNIT) Scripsit, puto interpres, equus admissarius: nam in Græco, ἵππος εἰς ἐρώμενος. Non veretur is equitem offendere visa equa: ita & irrisor amico non parcit, ne dictum perdat.

Vers. 7. QVARE DIES DIEM SUPERAT, ET LVX LVCEM, ET ANNVS ANNVM A SOLE) In Græco hæc proponitur quæstio: *Cur dies diem superat, cum omnis lux diei per totum annum sit à sole?* Sequitur responsum.

V. 8. A DOMINI SCIENTIA SEPARATI SUNT) Decreto Dei: distincti sunt. Nam γνῶσις sæpe decretum significat: itaque דעת alibi γνῶσις, alibi βουλὴ vertitur. Vide Psalm. I. 6. Rom. XI. 33.

FACTO SOLE ET PRÆCEPTUM CUSTODIENTE) Non est in Græcis.

Vers. 9. ET IMMVTAVIT TEMPORA, ET DIES FESTOS EORVM) *Deus enim discriminavit tempora cætera, & festa tempora.*

ET IN ILLIS DIES FESTOS CELEBRAVERVNT AD HORAM) Hæc quoque in Græcis absunt.

Vers. 10. ET EX IPSIS EXALTAVIT ET MAGNIFICAVIT DEVS, ET EX IPSIS POSVIT IN NVMERVM DIERVM) *Quosdam eorum* (sacerum) *Deus extulit ac consecravit, alios constituit ad numerum dierum implendum.* Sic

*Nos numeri sumus.*

Id est, nihil in nobis eximii est. Reliquit eos in plebe dierum. Hæc dixit, ut ostenderet pari modo homines Dei omnis distingui. Similitudo est ex parte, ut plerasque. Vide quæ diximus ad Jac. II. 15.

ET OMNES HOMINES DE SOLO ET EX TERRA VNDE CREATVS EST ADAM) *Sic omnes homines ex humo. Nam Adam* (eorum parens) *ex terra formatus est.*

Vers. 11. IN MVLTITVDINE DISCIPLINÆ DOMINVS SEPARAVIT EOS) Ingens inter eos discrimen, Deo sic disponente, facit scientiæ modus.

ET IMMVTAVIT VIAS EORVM) Fecit ut vivendi rationes differrent.

Vers. 12.

ET IPSIS BENEDIXIT ET EXALTAVIT) Quosdam opibus & honoribus extulit, ut reges & principes.

ET EX IPSIS SANCTIFICAVIT, ET AD SE APPLICAVIT) Sibi proprios fecit, ut Sacerdotes & Levitas.

ET EX IPSIS MALEDIXIT, ET HVMILIAVIT, ET CONVERTIT ILLOS A SEPARATIONE IPSORVM) *Evertit eos à stationibus suis*, ut Canaanis progeniem.

Vers. 13.

QVASI LVTVM FIGVLI IN MANV IPSIVS) Hæc comparatio tantum ostendit quid Deus possit; nam in cautis est hunc sic, alium aliter tractet, aliæ sunt rationes, quamquam sæpe latentes. Vide Esa. XXIX. 16. XLI. 25. XLV. 9. LXIV. 8. Jer. XVIII. 6.

Confer & *Rom. IX. 21.* Recius hæc ita exponit à Grotio, quam à Calvinianis fieri solet, qui vehementer hac similitudine abutuntur, sed vindicavimus eandem *Theol. Apost. Rom. orat.* LXXII.

Vers. eod.

PLASMARE ILLVD ET DISPONERE) Hoc ab interprete additum est.

V. 14. OMNES VIÆ EJVS SECVNDVM DISPOSITIONEM EJVS) *Omnes viæ* (id est, formæ luti) *sunt pro ipsius* (plastæ) *arbitratu.* κατὰ τὸν εὐδοκίαν αὐτοῦ.

SIC HOMO IN MANV ILLIVS QVI FECIT) Hæc est ἀποδόσεως; manus enim potestatem significant.

ET REDDET ILLI SECVNDVM IVDICIVM SVVM) Hic & ponitur pro *sua*; ostendit enim in eo esse differentiam, quod homo justis sit capax, non autem lutum. Κατὰ τὸν κρίσιν αὐτοῦ, nempe hominis, prout eum tractari jus est. Sic שפט sumitur Levit V. 10. IX. 16.

Vers. 15.

CONTRA MALVM BONVM EST) Pythagoras ad bonum & malum, tanquam summas classes, referebat res omnes.

ET CONTRA MORTEM VITA) γενεὰ καὶ φθορά. Omnia ex contrariis constare, vetus Physicorum sententia, teste Aristotele. Id πῶς Empedocli.

SIC ET CONTRA VIRVM IVSTVM PECCA-

TOR) Non mirum ergo ait, si Deus & malos quosdam esse permittit, ut aliorum bonitas eo magis luceat.

ET SIC INTUERE IN OMNIA OPERA ALTISSIMI, DUO ET DUO, ET UNUM CONTRA UNUM) Bina ferme omnia videas, & quidem inter se pugnantia. Theophrastus: δέξαι δ' ἂν τὸν τὰ ἐχεῖ ἀπορήσαντα, εἰ μὴ ἄφα πεπερεγλαι τὸ ζητεῖν· τί δήποτε ἡ φύσις καὶ ὅλη ἡ πόλις τὴν παντοίαν ἐναντίωσιν ἔσχ. καὶ φῶλοι ἰσομοιρεῖ τὸ ἰχθῦσι τῷ ζελτίοι, καίδιον δὲ καὶ πολὺ πλείονος. Deinde: ἐξε δὲ καὶ τὸ δοκεῖν παραδιεξεργάζεσθαι ἀχρεῖόν τε ὄντα καὶ ἄσεν τῶν ἐναντίων.

Observandum autem hic illud *Augustini* Enchir. cap. 6. *Deus adeo est omnipotens & bonus, ut non sineret mala fieri, nisi ex eis eliceret majora bona. Nec sineret*, inquit, *bonus fieri male, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene.* Et quod habet Boetius l. IV. de consol. *Sola est divina vis, cui mala quoque bona sunt, cum eis competenter utendo alicujus boni elicit effectum.*

Vers. 16.

ET EGO NOVISSIMVS EVIGILAVI) Post tot sapientes lucubravi.

ET QVASI QVI COLLIGIT ACINOS POST VINDEMIATORES) Qui racemationem facit post vindemiam. Id simile quasi spicilegium dicat post messores, De utroque dicitur καλαμίζεσθαι, Jerem. VI, 9.

Vers. 17.

IN BENEDICTIONE DEI ET IPSE SPERAVI) Speravi Deum adfuturum mihi laboranti.

ET QVASI QVI VINDEMIAT REPLEVI TORCVLAR) Tantum vini feci quasi non racemator fuissem, sed vindemiator. Tot egregia monita partim collegi, partim reperi.

Vers. 18. RESPICITE QVONIAM NON MIHI SOLI LABORAVI, SED OMNIBVS EXQVIRENTIBVS DISCIPLINAM) Hoc exemplum meum vos quoque sequimini.

Vers. 19. ET OMNES POPVLI) Non est in Græco.

ET RECTORES ECCLESIÆ) Id est, populi.

Vers. 20. FILIO ET MVLIERI, FRATRI ET AMICO NON DES POTESTATEM SVPER TE IN VITA TVA) Id est, in iis rebus quæ te in vitæ periculum possint adducere, noli illis credere quæ prodendo te possint evertere.

ET NON DEDERIS ALII POSSESSIONEM TUAM) Noli bona tua omnia dare alteri.

NE FORTE POENITEAT TE, ET DEPRECERIS PRO ILLIS) Ne cogaris aliis supplicare propter bona, ubi te liberalitatis nimiæ serio pœnitebit.

NON IMMVTABIT TE OMNIS CARO) *Ne te mortali cuiquam mancipes*; id est, obnoxium facias.

Vers. 22. MELIVS EST VT FILII TVI TE ROGENT, QVAM TE RESPICERE IN MANVS FILIORVM TVORVM) Turpe pater filio supplex.

Ideo Æsopus, ut in vita ejus habetur, sane filio tale dedit præceptum: *Quotidie in diem crastinum recondes, melius enim mortuum inimicis relinquere, quam viventem amicorum indigere.* Notum est Proverbium vulgare, & ab experientia comprobatum: Patrem facilius alere decem liberos, quam decem liberi alunt unum parentem. *Possunt tamen tales circumstantiæ incidere, ut parens justas & graves habeat causas, cur bonam aliquam partem suarum facultatum liberis suis (dum ipse adhuc valet & viget) distribuat, sed in hoc casu prudenter est agendum, ne intempestive liberalitatis parentes paulo post pœniteat*, ut recte monet *Osiander.*

Vers. 23.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS PRÆCELLENS ESTO, NE DEDERIS MACVLAM IN GLORIA TVA IN DIE CONSVMMATIONIS DIERVM VITÆ TVÆ) *In cunctis quæ facienda sunt, fac tua auctoritas præponderet: neque hunc honorem patere in senectute tua. ulla macula aspergi*, ὑπερέχειν est præponderare, etiam infra XXXVI, 24. Magnum dedecus est viro seni, si dicatur ab uxore aut liberis regi.

ET IN TEMPORE EXITVS TVI DISTRIBVE HÆREDITATEM TVAM) Id est, non ante testamento, non contractu. Testandi mos quam sit verus ostendimus ad Gen. XV, 2. neque lex Hebræis hanc potestatem ademerat omnem, sed terminis quibusdam incluserat. Vide Deuteron. XXI, 16.

Vers. 25. CIBARIA) Pabulum. χορτάσματα. Hic in Græco adscriptus titulus: ΠΕΡΙ ΔΟΥΛΩΝ.

ET ONVS ASINO) Conveniunt scilicet.

PANIS ET DISCIPLINA ET OPVS SERVO) ὄλεθρ μαστὰς τροφὴ, ait Aristoteles. Vide ad hoc argumentum pertinentia de jure Belli ac Pacis libro I. cap. V. 27. libro III. cap. XIV. 6.

V. 26. OPERATVR IN DISCIPLINA, ET QVÆRIT REQVIESCERE) *Operare cum sac juxta disciplinam.* ἐργάζου hic est, עבד. Nam Hellenistæ, quia eam formam conjugationis non habent, activum simplex pro eo usurpant, ut βασιλεύειν, pro facere regnare, & similia multa. Si sedulo servum opere exerceas, nihil aliud quam somnum quæret.

LAXA MANVS ILLI, ET QVÆRIT LIBERTATEM) At si indulgenter eum habeas, de fuga cogitabit. Sic & milites otio lascivunt.

Vers. 27. IVGVM ET LORVM CVRVANT COLLVM DVRVM) In Græco: *Curvant collum*; nempe bovis.

ET SERVVM INCLINANT OPERATIONES ASSIDVÆ: SERVO MALEVOLO TORTVRA ET COMPEDES) In Græco prior pars deest: tantum est: *Servo autem male agenti vincula & tormenta*, supple debentur.

MITTE ILLVM IN OPERATIONEM, NE VACET: MVLTAM ENIM MALITIAM DOCVIT OTIOSITAS) Sæpe id monet Tacitus.

Vers. 30. IN OPERA CONSTITVE EVM: SIC ENIM CONDECET ILLVM) In Græco: *Operi eum admove, sicut eum decet.* Operi urbano, aut rustico, pro sorte ipsius.

QVOD SI NON OBEDIVERIT, CVRVA ILLVM COMPEDIBVS) Aggrava illi compedes, Plautus:

*Vbi ponderosas crassas capiat compedes.*

ET NON AMPLIFICES SVPER OMNEM CARNEM) In Græco legitur quidem: πολὺ μὴ πεπερεύσης ἐπ πᾶσῃ σαρκί. Sed legendum putem, πολὺ μὴ πεπερεύσης. *Attamen nihil perperam agas in quemvis hominem.* Id enim optime cohæret cum parte altera hujus dicti. In loco 1. Cor. XIII. 4. ἐ πεπερεύεται, Latina versio habet: *non agit perperam.* In Glossis quoque: πεπερεύομαι, *perpetram ago.*

VERVM SINE JVDICIO NIHIL FACIAS GRAVE) In Græco: *& sine judicio nihil facias.* Sensum bene expressit Latinus interpres: Vult enim dicere, non sine gravi causa servum ita tractandum, ut de vita periclitetur.

Conf. *Prov. XXIX, 19. Platò* l. VI. de legib. *castigandi cadendique semper dure sunt servi, nec ita monendi, ut liberi, ne molliores fiant. Cujacius* instit. de capit. diminutione & leg. 2. l. 1. ff. de cap. dimin. *servi*, inquit, *etiam ob amissam libertatem capite diminuti dicuntur: quia velut ratione & consilio privati proprio coguntur aliena ratione & consiliis agere & vivere. Essi autem* monente Osiandro *autor noster de mancipiis loquitur, qualia olim pecunia emebantur, tamen etiam hodie servis non nimium indulgendum est, ne nimium fiant petulantes. Etenim cum servi nimis indulgenter tractantur, insolescunt, & dominis insultant. Cavendum tamen est etiam à tyrannide, Eph. 6. Injusti autem sunt patres familiæ, qui multos labores à servis requirunt, neque tamen illis necessaria alimenta suppeditant. Imperia parentum*, ait Chytræus in h. l. *dominorum, magistratuum, hoc modo constituta sint, ut primo victum convenientem familiis concedant. Deinde labores certos eis imponant, quibus & Deo singuli in sua vocatione serviant, & victum sibi ac suis parent, & errantes cupiditates reprimant. Nam labores moderati per se ipsi freni sunt vagarum cupiditatum & homines ad intellectum & amorem virtutis assuefaciunt. Econtra vero nihil agendo homines mala agere discunt, & otia dant vitia. Item, Res secundæ & otium etiam sapientum animos fatigant. Nec ulla est, juxta Columellam, vel nequissimi hominis amplior custodia, quam quotidiana operis exactio. Tertio castigentur & puniantur non laborantes, aut alioquin contra normam legum delinquentes. Nam metus panarum, velut ἐργοδιώκτης & custos est officii & obedientiæ subditorum. Et*

natura

*naturæ quædam adeo serviles sunt, ut comitate & præcibus reddantur insolentiores, minis autem & verberibus facile in officio possint contineri, de quibus vulgo dicitur: Rustica gens est optima flens, sed pessima gaudens, ungentem pungit, pungentem rusticus ungit.*

Vers. 31. SI EST TIBI SERVUS FIDELIS) Illud *fidelis* non male additit interpres.

SIT TIBI QUASI ANIMA TUA) Sic Græci multi: ἴσον σοι ὡς ἡ ψυχή σου. Sixtina, sed ex margine, ut puto, ἴσον σοι ὡς σύ. Nam Hebræis כנפשך est, velut tu te ipse. Curam ejus habe ut tui ipsius.

QUASI FRATREM SIC EUM TRACTA) Hoc post in Græco sequitur, ut dicemus.

QUONIAM IN SANGUINE ANIMÆ COMPARASTI ILLUM) *Quia sanguine eum quæsisti:* id est, periculo vitæ tuæ. Agit de bello captis, quos Græci ἀνδραπόδους vocant. Post hæc verba sequitur in Græco: εἰ δὲ γὰρ σοι ἀκίνητος ἦν, ἀνὴρ δὲ ἀδελφὸς, ὅτι ὡς ἡ ψυχή σου ἀγαπήσεις αὐτόν. Scriptum fuisse puto: ὅτι ὡς ψυχὴν σου ἀγαπήσεις αὐτόν. *Si servus tibi fuerit, ut fratrem eum tractia; nam quasi eo habebis ut temet ipso.* Hæc sententia ad servos popularis pertinere videtur, qui fratres dicuntur Deuteron. XV. 12. Opus eo habebis, ut temet ipso, quia servus est, domini ὄργανον ἔμψυχον, ut ait Aristoteles.

Vers. 32. SI LÆSERIS EUM INJUSTE) Si male eum per injuriam tractaveris, ἐὰν κακώσῃς αὐτὸν ἀδίκως.

Vers. 33. ET SI EXTOLLENS DISCESSERIT, QUEM QUÆRAS, ET IN QVA VIA QUÆRAS ILLUM NESCIS) In Græco tantum: *& abiens fugerit, qua via eum quæras?*

*Semel fugiendi si data est occasio*
*Satis est, nunquam post illum posse prendere.*

Ut cum Plauto loquar.

Itaque Domini sic servos & officiarios suos tractent, ut libenter & prompte officium suum faciant, neque de mutandis Dominis cogitent. *Diogenes* apud Laertium l. VI. dicebat *inter servos ac Dominos malos præter vocabula nihil aliud interesse, nisi quod mancipia servirent Dominis, Domini cupiditatibus:* significans utrosque esse servos, miseriorem tamen servitutem servire Dominos, quam mancipia, si sint improbi. Nam qui *passionibus servis tot habet Dominos, quot cupiditates, eosque turpes, & inclementes.*

## CAPUT XXXIV.

*Vanitas somniorum & auguriorum, laus expertorum. Beatitudo timentium Deum, oblationes impiorum. Defraudatio pauperum, & simulata pœnitentia, Deo exosa.*

Vers. 1.

VANA SPES ET MENDACIUM VIRO INSENSATO) *Vana ac mendaces spes hominis stulto*, ex omnibus scilicet.

ET SOMNIA EXTOLLUNT IMPRUDENTES) Inanitum tollunt velut alis. Id enim est, ἀναπτεροῦσι, etiam apud elegantiores Græcos.

SIC QUI ATTENDIT AD VISA MENDACII) *Qui attendit somniis*, Euripides:

ψευδέσι χαίρειν· οὐδὲν ἦν ἄρα.

Vers. 3. HOC SECUNDUM HOC VISIO SENIORUM: ANTE FACIEM HOMINIS SIMILITUDO HOMINIS) Legitur quidem in Græco: τοῦτο κατὰ τοῦτο, sed κατὰ τοῦτο interpretamentum est illius τοῦτο, ut recta sit lectio: τοῦτο δμοῖα ἀνθρώπου, κατέναντι προσώπου ἐμφάνεια προσώπου. Ut imago in speculo visa nihil post se reliquit, ita nec somnia.

Vers. 4. AB IMMUNDO QUID MUNDABITUR?) Id est, quis purgari posset per cultum idolorum?

ET A MENDACE QUID VERUM DICETUR?) à diis falsis.

Vers. 5. DIVINATIO) Responsum vatum eorum qui idolis serviunt. Ideo *errorit* de suo addidit interpres Latinus.

ET AUGURIA MENDACIA) Hic quoque *mendacia* de suo addidit Latinus interpres, ἀνοσιουργὲς origine quidem sua augustia significat, sed ad omnia omnium genera transfertur.

ET SOMNIA MALEFACIENTIUM VANITAS EST) Hic quoq; rursum interpres addidit *malefacientium.*

Tom. III. V. T.

Vers. 6. ET SICUT PARTVRIENTIS COR SUUM PHANTASIAS PATITUR) Sicut seminæ gravidæ miras habent imaginationes (unde & appetitus absurdi nascuntur) ita & qui somniant.

NISI AB ALTISSIMO FUERIT EMISSA VISITATIO, NE DEDERIS IN ILLIS COR TUUM) Ne ex illis certi quiddam præsume, nisi à Deo missa fuerint, quod genus somniorum non agnoscit Aristoteles; tum tamen plurima ejus sint exempla, tum in sacris literis ut Gen. XLI. Dan. II. IV. VII. Matth. I. 20. Act. XVI. 9. tum & in profanis, quorum illustria attulimus in Annotatis ad librum primum pro veritate Religionis Christianæ. Dignoscuntur autem hæc sensu quodam vero, quem Deus animis imprimit.

Vers. 7. EXCIDERUNT SPERANTES IN ILLIS) Ut qui exspectatione imperiorum audaces, opum prodigi sunt facti. Vide exemplum memorabile apud Tacitum Annalium XVI.

Vers. 8. SINE MENDACIO CONSUMMABITUR VERBIS LEGIS) Si vis certas prædictiones, habes eas in legis pollicitationibus ac minis.

ET SAPIENTIA IN ORE FIDELIS COMPLANABITUR) Id est, etiam ea quæ viri sapientes fideliter monent, spernenda non sunt. Implentur enim ἐπὶ τὸ σαῴ. Exempla habes in Annotatis ad librum IV. pro veritate Religionis Christianæ.

Huc facit monitum *Nazianz.* in Tetrastichis,

*Ne somniorum ludicris fidem nimis*
*Accommodaris. Cuncta nec te terreant*
*Nec lata rursum visa te tollant nimis.*
*Laqueos frequenter hos parat Damon tibi.*

Vers. 9. QUI NON EST TENTATUS QUID SCIT?) Non est in Græco.

VIR IN MULTIS EXPERTUS COGITABIT MULTA) Optima lectio: ἀνὴρ πεπλανημένος ἴσως πολλά. *Vir peregrinatus nobis multa.*

Πλάνη βίου τίθησι σωφρονίστορα.

Est in Proverbio Græco. Exemplo fit Ulysses:

— ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε·
Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, γνῶ δὲ νόον ἔγνω.

Horatius:

*Rursus quid virtus, & quid sapientia possit*
*Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem:*
*Qui domitor Trojæ multorum providus urbes*
*Et mores hominum inspexit.*

ET QUI MULTA DIDICIT ENARRABIT INTELLECTUM) *Qui multa expertus est, intelligenter loquetur.*

Vers. 10. QUI NON EST EXPERTUS PAUCA RECOGNOSCIT) Sumsit ἐπιφορὰν, ut passivum sono, sensit activum, quomodo & apud Græcos ea vox reperitur.

Ἡ πολλὰ βροτοῖς ἴσα εἰδυῖα
Γυνή.

ait Sophocles. At Euripides.

— ἡ μετρία
Ἔχουσι λέξαι τῶν λεών σοφώτεροι.

QUI AUTEM IN MULTIS FACTUS EST MULTIPLICAT MALITIAM) In Græco. *Ait qui peregrinatus est, auxit versutiam.* πανοῦργος & πανούργημα voces sunt mediæ, ut apparuit l. 6. XIX. 22. Judith. XI. 6. Sic & Prov. XXVIII. 2. πανοῦργος est ערום *intelligens.* Et Prov. XIII. I. & XXI. II. est חכם sapiens.

Vers. 11.

QUI TENTATUS NON EST, QUALIA SCIT? QUI IMPLANATVS EST ABUNDABIT MALITIA) Hæc in Græcis non sunt, & apparet aliis verbis repetita ex superioribus.

Vers. 12.

MULTA VIDI ERRANDO) In peregrinatione: ἐν τῇ πεπλανῆσθαί με. Vide hujus libri præfationem, quæ est in Sixtina.

ET PLURIMAS VERBORUM CONSUETUDINES) Legit, ut quidam: πρὸ πλείστα τῶν λόγων συνῆθε μοι. Nos duplicem habemus in Græcis lectionem: πρὸ πλείστα τῶν λόγων με εὐίσκε μοι, *plura mihi nobis quam dico.* Hanc lectionem veram putem præ altera: πρὸ τὰ πλείστα.

Vers. 13.

ALIQUOTIES USQUE AD MORTEM PERICLITATUS SUM HORUM CAUSA, ET LIBERATUS SUM GRATIA DEI) Voces transpositæ, & additum *gratia Dei.* nam in Græco est: *Sæpe in mortem periculis adductus, per ipsa* (nempe quæ experiendo didiceram) *servatus sum.*

Experientia est rerum Magistra. Et nihil sapientius experientia. *Ipsa nos erudit experientia,*

*ipsa vexatio dat intellectum*, ait Bernhard. sermon. II. in Psalm. XCI. *Nazianzenus* in Jambicis: *Senex quidem sum, plurium at non nescius vitæ malorum: saga nam rerum parit usum: Unde sæpe nascitur prudentia.*

Vers. 14.

SPIRITVS TIMENTIVM DEVM QVÆRITVR) Legit ζητουντας: Sed rectius in Græco, ζητουσι. *Spiritus timentium Deum* fiet, diu felicet.

ET IN RESPECTV ILLIVS BENEDICETVR) Non est in Græco.

SPES ENIM ILLORVM IN SALVANTEM ILLOS, ET OCVLI DEI IN DILIGENTES SE) Pars hæc posterior abest in Græco.

Vers. 18. AD QVEM RESPICIT, ET QVIS EST FORTITVDO EJVS?) Id est, *Quantus est is quem respicit, cuique innititur?*

Vers. 19. PROTECTOR POTENTIÆ) ὑπερασπισμὸς δυναστείας. *Valida protectio.* A bello sumta similitudo. Genitivus substantivi pro adjectivo, more Hebræo.

FIRMAMENTVM VIRTVTIS ἐνίσχυμα ἰσχύος. Fultura firma. Similitudo ab ædificiis sumta.

TEGIMEN ARDORIS) In Græco: tegimen ab ardore. A pluribus aut viatoribus sumtum.

ET UMBRACVLVM MERIDIANI) In Græco repetitur vox σκιὰ, & additur, ἀπὸ μεσημβρίας. Sensus est, Deum piis esse pro tegmine adversus ardorem etiam meridianum.

Vers. 20. DEPRECATIO OFFENSIONIS) φυλακὴ ἀπὸ πταισμάτων. *custodia adversus offensum.* Similitudo à pueris aut senibus sumta, quos alii manu ducunt: quorum illud παιδαγωγὸν, alterum γερονταγωγὸν dicitur.

ET ADJUTORIUM CASUS) *Auxilium contra lapsum.* Similitudo ab eo sumta, qui casabundus ab alio sustinetur.

EXALTANS ANIMAM) Ad sublimia attollens, ut in hoc conditum.

ET ILLUMINANS OCULOS) Mentis. Vide quæ ad Matth. VI. 22.

DANS SANITATEM) Corporis, ex promisso legis.

ET VITAM) Longævam, itidem ex promisso.

ET BENEDICTIONEM) Id est, ejus, ut supra VII. 3.

*Dignus Alexandr.* apud Damascen. in Parallelis c. IV. *Fieri non potest, ut qui Dei timore præditus est mendacibus fidem det.* Conf. *Prov. XXIIX. 1.*

Vers. 21. IMMOLANTIS EX INIQVO OBLATIO EST MACULATA) *Est irrisio:* Deo fallaci. Sic μεμπτὰ habemus & Ierem. LI. 18.

ET NON SUNT BENEPLACITÆ SUBSANATIONES INJUSTORUM) Legit μεμῶνται, ut quidam habent libri, pro quo alii melius, διῴκηνται.

Vers. 23. DONA INIQUORUM NON PROBAT ALTISSIMUS) Oblationes, προσφορὰς, מנחות.

NEC RESPICIT IN OBLATIONES IN QUORUM) In Græco: *Nec placatur multitudine victimarum.* Seneca: *Non victimis quidem, licet opima sint, quoque præfulgeant, deorum est bonos, sed in pia ac recta voluntate venerantium.*

Vers. 24.

QUI OFFERT SACRIFICIUM EX SUBSTANTIA PAUPERUM) Ex rebus male quæsitis.

QUASI QUI VICTIMAT FILIUM IN CONSPECTU PATRIS SUI) Vt Pyrrhus, qui

*Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.*

Vers. 25. PANIS EGENTIUM VITA PAUPERUM EST) Quod habent pauperes, id ægre vitæ tuendæ sufficit.

QUI DEFRAUDAT ILLUM HOMO SANGUINIS EST) Par homicidæ qui pauperem vi aut dolo spoliat.

Vers. 26.

QVI AVFERT IN SVDORE PANEM, QVASI QVI OCCIDIT PROXIMVM SVVM) In Græco aliter: φονεύων τὸν πλησίον, ὁ ἀδικούμενος συναίσιον par est *hominem occidenti, is qui convictum tollit.* Id est: amica consilia & monita, in quibus vel maxime positam esse συμβίωσιν, ait Cicero ad Atticum X. 23.

Vers. 27. QVI EFFVNDIT SANGVINEM, ET QVI FRAVDEM FACIT MERCENARIO FRATRES SVNT) Idem sensus in Græco: sed verbis aliis: ἐκχέων αἷμα, ὁ ἀποστερῶν μισθὸν μισθωτοῦ. *Est ut fundens sanguinem, qui mercedem subtrahit ei cujus opera conducta est.* Sumtum ex Deuteron. XXVI. 15.

Vers. 28. VNVS ÆDIFICANS ET VNVS DESTRVENS, QVID PRODEST ILLIS NISI LABOR?) Si alter ædificet, alter diruat, quid lucrantur præter laborem? Hac similitudine illustratur quod sequitur.

Vers. 29.

VNVS ORANS ET ALTER MALEDICENS: CVJVS VOCEM EXAVDIET DEVS?) Orat pro se dives: at pauper ab eo spoliatus ei mala imprecatur.

Conf. *Prov. XV. 8. Esa. I. 11. De rapinis* ait Isidorus l. III. sentent. c. 60. *Eleemosynam facere, non est officium miserationis, sed emolumentum sceleris. Qui enim injuste tollit, juste nunquam distribuit, nec bene alteri præbet, quod ab alio male extorquet.* *De rapinis.*

Vers. 30.

QVI BAPTIZATVR A MORTVO) Id est, abluitur ex ritu legis. Num. XIX. 11.

ET ITERVM TANGIT EVM) Mortuum. Contractu enim contrahitur talis impuritas.

QVID PROFICIT LAVATIO ILLIVS?) Iterum abluendus est. Itaque prior opera in abluendo ei periit.

Vers. 31.

SIC HOMO QVI IEJVNAT IN PECCATIS SVIS) *Ob peccata sua.* Ἐπὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ, nempe in die הכפרים, id est, ἱλασμῶν.

ET ITERVM EADEM FACIENS) In Græco, κακὰ πλυνόμενος frequentem: Et vadens iterum, & eadem faciens.

QVID PROFECIT HVMILIANDO SE: ORATIONEM ILLIVS QVIS EXAVDIET?) In Græco, inverso ordine: *Quis preces ejus exaudiet?* (qualificat, nec Angeli, nec Deus) & quid profecit affligendo se? ταπεινώσεως respondet Hebræo עני; quæ vox propria est diebus piacularis, ut apparet Levit. XVI. 29. 31.

*Post lavacrum*, ait Rabanus, *mundus esse negligit quisquis post lachrymas vitæ innocentiam non custodit. Et lavantur ergo, & nequaquam mundi sunt, qui commissa flere non desinunt, sed rursus flenda committunt.* Conf. *Ef. I. 16. 2. Pet. II. 22.*

## CAPUT XXXV.

*De Sacrificio Deo grato. De Viduis, pupillis, pauperibus non opprimendis.*

Vers. 1.

QVI CONSERVAT LEGEM MVLTIPLICAT OBLATIONEM) Sensus non est, eum qui observans est legis multas facere oblationes, sed Deo perinde gratum esse, atque si multa offerret. Vide quæ hujus argumenti attulimus in Annotatis ad librum pro veritate Religionis Christianæ IV.

Vers. 2.

SACRIFICIVM SALVTARE EST ATTENDERE MANDATIS) Θυσιάζων σωτηρίᾳ, est breviter dictum pro θυσιάζων θυσίαν σωτηρίου. Θυσιάζειν autem dicuntur non sacerdotes tantum, sed & qui victimas sacerdotibus tradunt, ut supra XXIV. 20. & Exod. XXII. 20. Levit. VII. 6. & alibi. σωτηρίου, id est, שלמים: de quo sacrificio vide Lev. III. 2. id fiebat pro beneficiis acceptis, vel speratis.

ET DISCEDERE AB OMNI INIQVITATE) Non est in Græco, ut nec sequens comma.

Vers. 4.

RETRIBVET GRATIAM QVI OFFERT SIMILAGINEM) In Greco sic habemus: *Et qui reddit gratiam Deo, est tanquam si offerat similam.* Id est libum ex simila, מנחה, de quo Levit. II.

ET QVI FACIT MISERICORDIAM ET OFFERT SACRIFICIVM) καὶ ὁ ποιῶν ἐλεημοσύνην. Θυσιάζων αἰνέσεως. *Qui facit opera misericordiæ, perinde est ac qui offert victimam laudis.* Est autem hic εἰρωνεία, quæ supra, αἰνέσεως, id est, תודה. Sic enim vertitur Levit. VII. 2. 3. 5. & alibi sæpe.

Vers. 5.

BENEPLACITVM EST DOMINO RECEDERE AB INIQVITATI) Recte: nam

*Virtus est vitium fugere, & sapientia prima*
*Stultitia caruisse.*

ET PRECATIO PRO PECCATIS RECEDERE AB INJVSTITIA) Græce, ἐξιλασμὸς, expiatio peccatorum, aut placamentum pro peccatis. Vide Dan. IV. 24.

CONf. *1. Sam. XV. 22. Rom. XII. 1. August.* l. X. de Civit. Dei c. 6. *Verum Sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta servitute inhæreamus Deo, relatum sc. ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Gregor. M.* l. IX. Moral. c. 31. *Nos ipsos*

*ipsos sacrificium Deo offerimus, cum vitam nostram divino cultui destinamus. Odor suavitatis*, ait Clem. Alex. l. III. Pædag. c. 12. *Deo est cor, quod glorificat eum. Hæ sunt coronæ & sacrificia, & aromata & flores Deo.*

Vers. 6.

NON APPAREBIS ANTE CONSPECTUM DOMINI DEI TUI VACUUS) Bene, nam pauperes pauxillo defungi poterant, Levit. V. 7. 11. Luc. XXI. 2. Hoc exemplo etiam in Vetere Ecclesia Christiana offerebant aliquid omnes, etiam pauperes.

Vers. 7. HÆC ENIM OMNIA PROPTER MANDATUM DEI FIUNT) Quia deerat aliquid Græco sensui, addidit Latinus interpres, *fiunt*. Sed potest subaudiri, Deo grata sunt. Exod. XXIII. 15. XXXIV. 20. Deuteronom. XVI. 16.

Vers. 8. OBLATIO JUSTI IMPINGUAT ALTARE, ET ODOR SUAVITATIS EST IN CONSPECTU ALTISSIMI) Id est, cum virbonus victimas pingues (ex enim potiores Mich. VI. 7.) Deo offert, Deus eo facto tanquam optimo odore delectatur. *Et* pro *cum* & *tunc*.

Vers. 9. ET MEMORIAM EJUS NON OBLIVISCETUR DOMINUS) Id est non deponet. Bene exposuit, addito nomine, quod in Græco est passive, ἀνταποδόσεως.

Vers. 10. BONO ANIMO GLORIAM REDDE DEO) In Græco: *Bono oculo*: Id est, liberaliter. Eadem locutio Prov. XXII. 13. & in libro Aboth, aliisque Rabbinicis. Sensus est idem quin Epistola Alexandri ad Leonidam: μὴ μικροψυχεῖν πρὸς τοὺς θεούς.

ET NON MINUAS PRIMITIAS MANUUM TUARUM) μὴ συκοφάνης ἀπαρχὴν χειρός σου. Intellige per ἀπαρχὴν, id quod de fructibus datur ante decimam, & lege definitum non erat, תרומות. Id enim Græci modo ἀπαρχὴν vocant, modo ἀφόρισμα. Lex extat Deuteron. XVI. 1. ubi dicta vide.

Vers. 11. IN OMNI DATO HILAREM FAC VULTUM TUUM) Ve etiam quæ lex imperat facias libenter. 2. Cor. IX. 7.

ET IN EXSULTATIONE SANCTIFICA DECIMAS TUAS) Id est, offer. Decimas dixit tum illas pro Levitis, tum alteras tertii anni pro pauperibus & miserabilibus personis.

Vers. 12. DA ALTISSIMO SECUNDUM DATUM EJUS) Prout Deus tibi dedit.

ET IN BONO OCULO ADINVENTIONEM FACITO MANUUM TUARUM) Legit, καθὼς εὗρεν χεῖρές. Sed haud dubie legendum, κατὰ εὕρεσιν χειρός, prout manus tua affecuta fuerit, id est, pro facultatibus quas cadus es. Loquendi hoc genus vide Levit. XII. 8. ἐὰν μὴ pro re acquisita e iam supra XX. 8. XXIX. 4. 7.

ET SEPTIES TANTUM REDDET TIBI) Hebræorum mos est per septem exprimere quod multum est, ut Gen. IV. 24. Matth. XVIII. 22.

Vers. 14.

NOLI OFFERRE MUNERA PRAVA) μὴ διωρολόγει, ne donis eum corrumpe, id est, speres posse corrumpi, ut peccata tua dissimulet. διωρολογεῖν hoc sensu est in tertio Maccabaico.

NON ENIM SUSCIPIET ILLA) Tali animo data. Non est מרצע, id est, διορθώτης, qualis describitur Prov. XV. 27.

Vers. 15.

ET NOLI INSPICERE SACRIFICIUM INJUSTUM) *Ne operam da sacrificio injusto.* Id est, ex injuste partis, μὴ ἐπιχεῖρει.

QUONIAM DEUS JUDEX EST) Quis ausit rapinas suas ad judicem deferre?

ET NON EST APUD ILLUM GLORIA PERSONÆ) Æstimatio personæ, δόξα προσώπου. Non ex hominibus actiones, sed ex actionibus homines æstimat. Ita se res habet, quanquam multi aliter credunt, sibi atque aliis blandientes.

Rabanus *apud supremum*, inquit, *judicem non quantitas muneris, nec persona potentis appenditur, sed quantitas devotionis, & humilitas cordis.*

Vers. 16.

NON ACCIPIET PERSONAM IN PAUPEREM) Id est, contra pauperem. Nam sic frequente dativo non raro sumitur, ut Luc. XII. 53. Non favebit diviti contra pauperem, ut multi solent.

ET DEPRECATIONEM LÆSI EXAUDIET) *Et* pro *sed* ut sæpe. Pro *læsi*, in Græco est ἀδικουμένου, injuria affecti.



Vers. 17.

NON DESPICIET PRECES PUPILLI, NEC VIDUAM, SI EFFUNDAT LOQUELAM GEMITUS) Quod sæpe faciunt homines: Psalm. LXXII. 3. 4.

Vers. 18.

NONNE LACHRTMÆ VIDUÆ AD MAXILLAM DESCENDUNT?) Defluunt in genas.

ET EXCLAMATIO EJUS SUPER DEDUCENTEM EAS) Ipsa apud Deum queritur de eo qui lachrymas ejus defluere facit. Sic καταβοᾶν sumitur etiam Deuteronom. XXIV. 15.

Vers. 19.

A MAXILLA ENIM ASCENDUNT USQUE AD COELUM, ET DOMINUS EXAUDITOR DELECTABITUR IN ILLIS) Est expositio uberior præcedentium addita a Latino interprete.

Conf. *Exod. XXII. 21. Psal. IX. 34. Psal. LXIIX. 6.*

Vers. eod.

QUI ADORAT DEUM IN OBLECTATIONE, SUSCIPIETUR) Distinxit interpres aliter: *Qui adorat Deum, in oblectatione suscipietur.* Ὑποπτεύων, ὁ ἐνδόξως δεχθήσεται. *Qui pie Deum colit, benevole* (a Deo) *recipietur.*

Oratio justi cœlos penetrat. Nam *qui avertit aurem suam, ne audiat legem, Oratio ejus erit execrabilis*, ait *S. Bernhard.* serm. 3. de Epiphan. *Illius oratio*, inquit Cassiodor. in Psal. XVI. *est perfecta, cujus & causa clamat & lingua, & actus, & sermo & vita & cogitatio.*

Vers. 21.

ORATIO HUMILIANTIS SE NUBES PENETRABIT) Imo, humilis, id est, despecti, πτωχοῦ.

ET DONEC PROPINQUET NON CONSOLABITUR) Id est, non desistet. Est μετανοίας, qualis Matth. II. 18.

ET NON DISCEDET DONEC ALTISSIMUS ASPICIAT) *Respiciat.* Est προσωποποιΐα, quæ orationi tribuit propinquare Deo, sedari, abire, respici.

*Oratio justi*, secundum August. serm. CCXXVI. *De tempore. est clavis cœli, ascendit precatio, descendit liberatio. Perfectorum Orationes*, ait Ephem. de ludam. Spirit. c. 2. *cum magna exultatione ascendunt ad cœlum. Angeli & Archangeli cum gaudio accipiunt eis, & subsequentes eos usque ad thronum gloriæ Sancti Dei perducunt.* Pineda de hoc loco in c. IV. Eccles. v. 1. non inconcinne: *Amaxilla*, ait, *ascendunt*, (lachrymæ viduarum) *in cœlum, ubi instar vaporum, qui è terra excitati sunt, concrescere videntur in nubes, & pluviam: & Dominus exaudit or non delectabitur in illis, id est, cum vehementer discutiet illi viduæ oppressio ex illius lachrymis & clamore pluviam cansertam supplicii, tonitrua, fulmina, grandinem creat, quæ in impios & oppressores indignabundus ejaculetur.* efficacia orationis.

Vers. 22.

ET DOMINUS NON ELONGABIT, SED VINDICABIT JUSTOS, ET FACIET JUDICIUM, ET FORTISSIMUS NON HABEBIT IN ILLIS PATIENTIAM, UT CONTRIBULET DORSUM IPSORUM) Videtur interpres Græca legisse ordine meliore, hunc in modum: καὶ ὁ κύριος ὁ μὴ βραδύνων καιρὸν δικαίῳ, καὶ πατέρα κρίσεν οὐκ μὴ μακροθυμήσει ἐν αὐτοῖς, ὁ κραταιὸς ἕως οὐ τρίψῃ ὀσφὺς ἀνελεήμονος. *Deus non erit tardus quum judicabit* (id est, vindicabit, quomodo שפט sumi solet) *justos. & judicium* (in injustos) *exercebit. Non erit lentus in illorum* (piorum) *causa, quo minus immisericordium lumbos* (id est, vires) *conterat.* μακροθυμεῖν ἐπί τινι interpretati sumus, in causa alicujus lentum esse, quomodo sumitur & Luc. XVIII. 7. ut ibi diximus. Et per *lumbos* significari vires diximus Ezech. XXIX. 7. & alibi.

Vers. 23.

ET GENTIBUS REDDET VINDICTAM) Id est, & *vindicet populos oppressos.* Pendet adhuc sensus à superioribus. Dare aut reddere vindictam alicui, sæpe est arcere aut punire injurias ei illatas: ut Judic. XI, 36. II. Sam. IV. 8.

DONEC TOLLAT PLENITUDINEM SUPERBORUM) Multitudinem vi agentium, πλῆθος ὑβριστῶν.

ET SCEPTRA INIQUORUM CONTRIBULET) *Confringat.* Imperia quibus male sunt usi eis auferat.

Vers. 24.

DONEC REDDAT HOMINIBUS SECVNDUM ACTUS SUOS, ET SECUNDVM OPERA ADÆ, ET SECUNDVM PRÆSVMPTIONEM ILLIVS) Aliter legit quam in Græco habemus. Habemus autem sic: ἕως ἀποκαταδῶσει ἀνθρώπῳ κατὰ τὰς πράξεις αὐτοῦ, καὶ τὰ ἔργα ἀνθρώπων κατὰ τὰ ἐνθυμήματα αὐτῶ. Verum pro certo habeo illa, τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων, nata ex glossemate illius, κατὰ τὰς πράξεις αὐτῶ, deinde exferibentium nimia diligentia in textum recepta: qui rectius sic habebit: καὶ ἀποδῶσει ἀνθρώπῳ κατὰ τὰς πράξεις αὐτοῦ καὶ κατὰ τὰ ἐνθυμήματα αὐτῶ. *Respondet hominibus prout fuerint actus eorum, imo & cogitata.*

Vers. 25.

DONEC JVDICET JVDICIVM PLEBIS SVÆ) Piorum causam dijudicet.

ET OBLECTABIT JVSTOS MISERICORDIA SVA) In Græco, *ipsos*: Constructione πρὸς τὸ σημαινόμενον· ἐν ἐλέει, id est, *per beneficentiam suam* בחסדו.

Vers. 26.

SPECIOSA MISERICORDIA DEI) Rursum intellige *beneficentia*. Et *speciosa* per μεγαλωσύνη est, *amabilis, grata*. Solent enim amari pulchra.

QVASI NVBES PLVVIÆ IN TEMPORE SICCITATIS) Vt in tempore Eliæ I. Reg. XVIII. 44. ἀφορίας vocem in hoc sensu habes etiam Jerem. XIV. 1. XVII. 8. ἀνομβρίαν dixit Josephus.

Notare hic Siracidem tacite *Judæorum sui ævi afflictiones Cornel. à Lap.* censet, *quas passi sint à Ptolemæo Lagi Rege Ægypti*, ac prædicere brevi fore, ut Deus tribulum afflictionis dorso Ægyptiorum inducat eorumque opes & vires imminuat, quod etiam evenit, siquidem Ptolemæi Ægyptum & Ægyptios perdiderint. Quo etiam sequentem orationem applicat.

## CAPUT XXXVI.

*Orat pro Judæis & Gentilibus, ut bi ad Deum convertantur, illi ab hostibus protegantur. Monet, ne in credendo cuique nimis faciles simus. Laudet bonas uxores.*

Vers. 1.

ET OSTENDE NOBIS LVCEM MISERATIONVM TVARVM) Non est hoc in Græco.

ET IMMITTE TIMOREM TVVM SVPER GENTES QVÆ NON EXQVISIERVNT TE) Quales Ægyptii, inter quos vivebat hic scriptor. Quæ in hoc commare sequuntur, non sunt in Græco.

Vers. 2. ALLEVA MANVM TVAM) *Attolle*: ut solent verberatum.

Vers. 4. SICUT ENIM IN CONSPECTV EORVM SANCTIFICATVS ES IN NOBIS) Magnum nomen adeptus es, nos ex tot populis liberando.

SIC IN CONSPECTV NOSTRO MAGNIFICABERIS IN EIS) *Magnificare*: id est, magnum nomen gloriamque apud nos adipiscaris, illos pro meritis tractando.

Vers. 6.

VT COGNOSCANT TE SICVT ET NOS COGNOVIMVS) Ostendit spem de vocatione gentium, quæ ante tempora Messiæ cœpta, per ipsum vero impleta est.

Vers. 6. INNOVA SIGNA) Qualia olim in Ægypto hac fecisti.

ET IMMVTA MIRABILIA) Est idem sensus cum eo qui præcessit: nam שנה, quod ἀλλοιῶν plerumque vertitur, alibi vertitur δευτερόω & δεύτερον.

AD literam, inquit *Cornelius à Lapide*, Siracides orat Deum, ut Judæos à Ptolemæo Lagi captos, dispersos & afflictos liberet, idq; impetravit. Misit enim Deus Ptolemæum Philadelphum, qui non tantum eos liberavit, sed & magnis donis & privilegiis ipsos templumque honoravit. Verum ulterius respexit S. Spir. ad conversionem gentium ab idololatria ad cultum veri Dei, puta à gentilismo ad Christianismum futurum per Christum & Apostolos. Hæc ille. Sed hæc sensus διττότης non probanda, & quomodo ista *chronologiæ* conveniant è procemio constare poterit.

Vers. 10.

ET MEMENTO FINIS) In Græcis multis, μνήσθητι ἔργων. Sed in Sixtina melius, μνήσθητι ἐφετμῶν, memor esto jutisjurandi majoribus nostris facti.

VT ENARRENT MIRABILIA TVA) *Et enarrent*. In Græco: videant te confitentem in promissis.

Præmittitur σπεῦσον καιρὸν, *festina tempus*. *An hic* Cornel. à Lap. hæc accipit ceu *prophetiam de Christo* cum *Rabano, Lyrano, Palatio & Jansenio*, imo & *de Christo Augustino* l. XVII. de Civit. Dei c. 20. *qui hanc*, inquit, *sub optandi & precandi specie prophetiam per Jesum Christum videmus impletum*. Sed etsi Christum respicere possint hæc orationis verba (quo tamen an directa fuerint à Siracide, non satis manifestum est) *aliud* tamen est eum *precari* acceleratione dierum Messiæ, *aliud* eandem *prædicere*, neque precatio vel propheriam constituit, vel prophetam: & *Malachiam* ultimum fuisse Prophetam constat, post cujus tempora nullus ante Johannem Baptistam surrexit Propheta. *Prophetia*

Vers. 11.

IN IRA FLAMMÆ DEVORETUR QUI SALVATUR) Qui gladium evaserit, incendio pereat. Ezech. VI. 12. Imprecationes tales multum trahunt de Spiritu legis. Dolor illorum pœnas de inimicis desiderabat conspicere.

ET QUI PESSIMANT PLEBEM TVAM) οἱ κακῶντες, qui male tractant.

Vers. 12.

DICENTIVM, NON EST ALIUS PRÆTER NOS) Qui præ se nullum principem tali nomine dignum judicant.

Vers. 13. CONGREGA OMNES TRIBUS JACOB) Omnes eos qui aut temporibus iis non redierant, aut postea per bella ac calamitates erant dispersi.

UT AGNOSCANT QUIA NON EST DEUS NISI TU, ET ENARRENT MAGNALIA TUA) Hæc in Græcis desunt: repetita autem sunt ex superioribus.

ET HÆREDITABIS EOS SICUT AB INITIO) Est in Græco precativum, κατακληρονομήσαι: in aliis codicibus, κατακληρονόμησον: id est, fac iterum terras possideant: Sic enim κατακληρονομεῖν, quasi in forma Hiphil sumitur infra XLIV. 23. ὡς ἀπαρχῆς, ut olim fuere constituti Davidis & Salomonis temporibus. Notet Lector in exemplari quod secuta est Sixtina editio paginarum hic factam transpositionem magnam. Hæc enim à capite quod in Græco est XXXIII. (Latini enim capitum numeri discrepant) translata sunt in caput XXXVI. Latini interpretis exemplar melius habuit.

Vers. 14.

SUPER QUEM INVOCATVM EST NOMEN TUUM) In Græco: *Vocatum de nomine tuo*. Dicebatur enim populus יהוה.

ET ISRAEL QUAM COÆQUASTI PRIMOGENITO TUO) In Græco: *Quam primogenitum nominasti*, Exod. IV. 22. Vide quæ diximus ad Matth. II. 15. In Sixtina est ut in Latino: ὃν πρωτογόνου ὡμοίωσας. Sed aliter scriptorem Græcum scripsisse pro certo habeo.

Vers. 15.

MISERERE CIVITATI SANCTIFICATIONIS TUÆ) Urbis tibi tuoque cultui dicatæ.

CIVITATI REQUIEI TUÆ) Id est, in qua habitas singulari quodam modo. Eadem locutio II. Paralip. VI. 41. Psal. CXXXII. 14.

Vers. 16.

REPLE SION INENARRABILIBUS VERBIS TUIS) In Græco: πλῆσον Σιὼν ὅραμα τὰ λεγιά σου. Imple Sionem in attollendo oracula tua: id est, Sion piis cantibus personet.

ET GLORIA TUA POPULUM TUUM) Laudibus tuis.

Vers. 17.

DA TESTIMONIUM HIS QUI AB INITIO CREATURÆ TUÆ SUNT) Ostende eum populum tibi curæ esse, quem creasti, evocando eum ex Ægypto. Tunc enim populus primum esse cœpit, cum ante esset servorum multitudo. Sic κτίζειν sumitur in hac ipsa re. Isaiæ XLIV. 2. & Malach. II. 10. nec aliter Genes. IX. 18.

ET

*ET SUSCITA PRÆDICATIONES QUAS LOCUTI SUNT IN NOMINE TUO PROPHETÆ PRIORES*) Lege ut in Sixtina est: καὶ ἐγειρον προφητείας τὰς ἐν ὀνόματί σου, non ut in aliis est codicibus, προφήτας. Suscitare hic est קוּם, id est, implere prædicta. Habes hoc verbum eo sensu 1. Sam. 3, 12.

Vers. 18.

*DA MERCEDEM SUSTINENTIBUS TE, UT PROPHETÆ TUI FIDELES INVENIANTUR*) Sensus est: pro tuorum patientia hoc illis redde præmium, ut videant impleri quæ per Prophetas prædicta sunt, qualia sunt illa apud Danielem de destructione regnorum Syriæ & Ægypti. Ἐμπιστεύεσθαι dicuntur Prophetæ cum eventus fidem facit eorum verbis. Non dissimili modo Deus dicitur ἐμπιστεύειν τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ, infra l. 26.

Vers. 19.

*SECUNDUM BENEDICTIONEM AARON DE POPULO TUO*) Secundum illas preces quas tuo jussu pro populo concepit Aaron Num. VI. 24.

*ET DIRIGE NOS IN VIAM JUSTITIÆ*) Deest in Græco.

*UT SCIANT OMNES QUI HABITANT TERRAM, QUIA TU ES DEUS CONSPECTOR SÆCULORUM*) *Et norint omnes qui super terram sunt, te esse Deum sæculorum*: id est, æternum.

Vers. 20.

*OMNEM ESCAM MANDUCABIT VENTER, ET EST CIBUS CIBO MELIOR*) *Venter omnem cibum concoquit; Sed est cibus ipso cibo melior*: nempe promissa divina. Vide Deuteronom. 8, 3.

Vers. 21.

*FAUCES CONTINGUNT CIBUM FERÆ*) *Gustu dignoscunt ferinam à pecorina.*

*ET COR SENSATUM VERBA MENDACIA*) Averis. Huc spectat Plutarchi liber, quomodo internosci possit ab amico assentator.

*Quemadmodum venter omnes quidem cibos recipit, sed postea experientia docet, quosdam cibos fuisse homini perniciosos: ita homines imprudentes nimis facile omnibus credunt: postea vero cum damno suo sentiunt, se deceptos esse. Ut autem palatus discernit inter cibos, sic homo prudens inter sermones veros & fictos. (Etsi enim secundum charitatem Christianam bene sperare debemus: tamen Christus jubet nos etiam prudentes esse ut serpentes: ne dum nimium faciles in credendo sumus, in magnum aliquod malum incidamus.)* Ut paraphrasis Osiandrina habet.

Vers. 22.

*COR PRAVUM DABIT TRISTITIAM*) Dolorem dabit aliis.

*ET HOMO PETITUS RESISTET ILLI*) Latinus interpres Christiane emolliit, quod dictum erat satis judaice: *reponet illi*, dolorem scilicet, memor.

Καὶ ἄνθρωπος ἐὰν ἐπιτρέψῃ χαλεπήνω.

Vers. 23.

*OMNEM MASCULUM EXCIPIET MULIER, ET EST FILIA MELIOR FILIA*) *Sed est, ἐὰν δὲ*, ut est in Sixtina. Sensus est: non sola venus in conjugio spectanda: nam in ea quævis femina cuivis viro facile satisfaceat: sed mores sunt, qui puellas discernunt, & qui præcipue in deligenda uxore spectandi sunt. Filia בת, id est, puella, ut supra XXVI. 13.

Vers. 24.

*SPECIES MULIERIS EXHILARAT FACIEM VIRI*) *Vira* ad implendum sensum addidit interpres Latinus.

Vers. 25.

*ET SUPER OMNEM CONCUPISCENTIAM HOMINIS SUPERDUCIT DESIDERIUM*) In Græco est: ὑπεράνω: quod verbum & supra habuimus 33, 24. Recte ergo vertas: *Et excellit hoc supra quodvis hominis desiderium.*

*SI EST LINGUA CURATIONIS, EST ET MITIGATIONIS ET MISERICORDIÆ, NON EST VIR ILLIUS SECUNDUM FILIOS HOMINUM*) Si (præter formam) *est in lingua* (mulieris) *bonitas*, (nam ἐλεᾶν pro חסד poni monuimus aliquoties) *& lenitas & medicina*, (id est, consolatio) *non est illius vir quales cæteri homines*: sed multo beatior.

Vers. 26.

*QUI POSSIDET MULIEREM BONAM INCHOAT POSSESSIONEM: ADJUTORIVM SECUNDUM ILLVD EST, ET COLVMNA VTRIQVE*) *Qui uxorem sumit, is rei suæ familiari præsidii adjutricem sibi parem, & columnam requietis*: id est, cui incumbat domus. Hic ἐναρχόμενον verti quasi in forma Hiphil, pro facere imperare: sicut βασιλεύειν ponitur pro facere ut quis regnet.

Vers. 27.

*UBI NON EST SEPES DIRIPIETUR POSSESSIO*) Ager aut hortus.

*ET UBI NON EST MULIER INGEMISCIT EGENS*) In Græco: Vagus: id est, incerto lare.

Vers. 28.

*QUIS CREDIT ET QUI NON HABET NIDUM, ET DEFLECTENS UBICUMQUE OBSCURAVERIT, QUASI SUCCINCTUS LATRO EXSILIENS DE CIVITATE IN CIVITATEM?*) In Græco est: *Quis crediderit* (pulchrum munus aliquod) *expetito latroni erranti de urbe in urbem? Sic & homini non habenti nidum, & diverti tenti ubicunque vesper a eum deprehenderit.* Nidum vocat familiam. Familia autem fit ex viro, uxore, libetis.

Osiander ita παραφράζει: *Quemadmodum nemo fidit latroni, qui clanculum de uno loco in alium proficiscitur, & hinc inde vagatur, ut inveniat occasionem nocendi: sic suspectus est viduus (qui propriam uxorem non habet, nec tempestive aliam ducit) ne alienas uxores corrumpat, & ova in alienum nidum ponat. (Recte enim dicitur: Bona conscientia nobis opus est propter Deum: sed bona fama nobis opus est propter proximum. Et sæpe etiam boni viri (prater omnem culpam) in suspiciones incurrunt: quas vitare decet, quantum quidem fieri potest.)*

## CAPUT XXXVII.

*De delectu amicorum & consiliariorum. De sapientia fructibus & præmiis, & de pernitie crapulæ.*

Vers. 1.

*OMNIS AMICUS DICET*) Id est, quisquis amicus haberi vult dicet,

*ET EGO AMICITIAM COPULAVI*) ἑταῖρισμα κολλῶ. Etiam ego amicitiam colo. Est enim Aoristus pro Præsenti. φιλιάζω hoc sensu habemus, Jud. V. 30. 2. Paralip. 19, 2. XX. 36.

*SED EST AMICUS SOLO NOMINE AMICUS*) Quales illi mensarum amici, de quibus supra VI. 11. Euripides de talibus.

—— λόγῳ γὰρ ἥσαν, οὐ ἔργοις φίλοι.

Cicero 2. de offic. *Nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. Pessimum vitium est* ait Rabanus in h. l. *quemlibet hoc se fingere velle, quod penitus non est, cum malus se simulet bonum, injustus justum, iniquus æquum, inimicus amicum. Decipit veraciter semetipsum, cum se honestum deliberans putat esse aliorum.* Beda in Proverb. *Malus*, inquit, *ubi se simulat bonum, ibi est pessimus. Non vivas aliter in solitudine, aliter in foro. Scorpiones dici possunt, qui boni quidem in facie non resistunt, sed mox cum recesserint, detrahunt.*

Vers. 2.

*NONNE TRISTITIA INEST USQUE AD MORTEM? SODALIS AUTEM ET AMICUS AD INIMICITIAM CONVERTUNTUR*) Connectenda hæc sunt hoc modo: *Nonne dolor est ad mortem, sodalis & amicus ad inimicitiam versus?*

Vers. 3.

*O PRÆSUMPTIO NEQUISSIMA, UNDE CREATA ES? COOPERIRE ARIDAM MALITIA, ET DOLOSITATE ILLIUS*) Legit ἐκτίσθης pro ἐκυλίσθης. Sed lectio recepta melior: *O cogitatio improba, unde devoluta es ad terram obtegendam dolis?*

Vers. 5.

*SODALIS AMICO CONDOLET CAUSA VENTRIS*) συμπονεῖ; *Collaborat in iis quæ ad ventrem attinent*: id est in epulis.

*ET CONTRA HOSTEM ACCIPIET SCUTUM*) Sic in Græco legitur: καὶ ἔναντι πολεμίου λήψεται ἀσπίδα

At facilis emendatio: ἐὰν τὸν πόλεμον ὁ πλησίον ἀναιρῇ: *Vbi hostis apparuerit, fortum pro eo non sumet.* Non proteget eum.

De talibus Seneca: *Mel,* inquit, *muscæ, cadavera lupi, frumenta formicæ sequuntur: prædam sequitur turba illa, non hostem.*

Vers. 6.

NON OBLIVISCARIS AMICI TVI IN ANIMO TVO, ET NON IMMEMOR SIS ILLIVS IN OPLBVS TVIS) Erogandis scilicet. Legit hic interpres: μὴ ἀμνημονεύσῃς, quomodo & in Sixtina est. Male in alias: μὴ μνησικακήσῃς.

*De amicor. delectu.* Tigurina: *Ne capiat animum tuum oblivio amici, nec rebus secundis tuis sis ipsius immemor.* Autor libri de amicitia sub nomine Augustini c. 16. *Quæ tuor probanda sunt,* inquit, *in amico, fides, intentio, discretio, patientia. Fides ut ei te fecure committas. Intentio, ut nihil ex amicitia nisi eum & naturale ejus bonum expectes. Discretio ut quid præstandum amico, quid ab eo petendum, in quibus contristandum pro eo, in quibus amico congratulandum, pro quibus eum corripiendum, modum, tempus, & locum non ignoret. Patientia vero ne correptus doleat ne corripientem contemnat, vel odiat, ut cum pro amico qualibet sustinere adversa non pigeat.*

Vers. 7.

NOLI CONSILIARI CVM EO QVI TIBI INSIDIATVR) *Qui te suspectum habet.* In Glossis ὑποβαλλόμενον, *suspicor.* Sic vertitur Hebraum שָׁעָה, 1. Samuel, xviii. 9.

ET A ZELANTIBVS TE ABSCONDE CONSILIVM) *Ab invidentibus tibi.* Hæc sententia hoc loco deest in Sixtina, quia infra posita est 2.

Vers. 8.

OMNIS CONSILIARIVS PRODIT CONSILIVM) Profert ἐξαγορεύει.

SED EST CONSILIARIVS IN SEMET IPSO) ἐαυτῷ, id est, sui causa. Sic Martialis:

*Vtile quod nobis, do tibi consilium.*

In Apologo, canis crocodilo consilium danti:

— — *facerem me hercule*
*Nisi esse scirem carnis te cupidum meæ.*

Vers. 9.

A CONSILIARIO SERVA ANIMAM TVAM) Id est, *tibi cave.*

PRIVS SCITO QVÆ SIT ILLIVS NECESSITAS) τίς αὐτῷ χρεία, *quæ te opus habeat,* quid sibi quærat.

ET IPSE ENIM ANIMO SVO COGITABIT) *Nam ipse in suam rem consilium dabit,* ἑαυτῷ συμβουλεύσει idem quod πρὸς ἑαυτόν.

Vers. 10.

NE FORTE MITTAT SVDEM IN TERRAM) *Si forte mittet.* nam μή ποτε sic sumitur Luc. III. 15. 2. Tim 2, 25. & alibi sæpe. Tum vero pro κλῆρον, quod nos in Græco legimus, interpres recte legit, σκληρὸν, durum aliquid, quale fides, in quod impingere posset iter faciens. Nam hunc sensum exigunt quæ sequuntur, & cum his verbis connectenda sunt.

ET DICAT TIBI, BONA EST VIA TVA) Perge.

ET STET E CONTRARIO) Ex adverso, ἐξ ἐναντίας, unde conspicere te possit cadentem.

Vers. 12.

CVM VIRO IRRELIGIOSO TRACTA DE SANCTITATE, ET CVM INJVSTO DE JVSTITIA) Hæc addidit interpres, quasi de monitis ageretur, cum de cavendo consilio agatur. Docet sapiens, verbis quæ jam habebimus, frustra consilia sumi ab iis qui egrarem de qua agitur, male sunt affecti.

ET CVM MVLIERE DE EA QVÆ ÆMVLATVR) *Est* deest in Græco. Est enim nova sententia. Subaudiendum in singulis id quod infra sequitur, *non attendas in consilio.* ἀντίζηλος vocatur Hebræis ea quæ eidem viro nupta est. Duæ mulieres ejusdem mariti, inter se sunt ἀντίζηλαι. Habes hoc nomen in Græco Levit. 18, 18. 1. Sam. 1, 6. & hoc libro supra xxi. 7. Suadebit mulier omnia, quæ æmulæ nocitura sunt.

CVM TIMIDO DE BELLO) Solvunt cui classica ventrem. Diffugiebit fortia.

CVM NEGOTIATORE DE TRAJECTIONE) Interverret enim tibi lucrum.

CVM EMPTORE DE VENDITIONE] *Cum emptiente,* Vili enim rem æstimabit.

CVM VIRO LIVIDO DE GRATIIS AGENDIS) *Referendis* περὶ εὐχαριστίας. Suadebit ut quam minimo te liberes.

Vers. 13.

CVM IMPIO DE PIETATE) Pietatem interpres hic intellexit beneficentiam: nam in Græco est κατὰ ἀνελεήμονος περὶ χρηστοδοσίας; *cum homine duro de beneficentia.* Non dubium enim quin dictarus sit, cur tua vis perdere?

CVM INHONESTO DE HONESTATE) Non est in Græco.

CVM OPERARIO AGRARIO DE OMNI OPERE) Aliter legit quam nos habemus. Nostra lectio vera est; μετὰ ὀκνηροῦ περὶ παντὸς ἔργου: *Cum pigro de quovis opere.* Omnem laborem ut gravem diffugiebit.

Vers. 14.

CVM OPERARIO ANNVALI DE CONSVMMATIONE ANNI) In Græco tantum est, *de consummatione,* operis scilicet. Architecti quibus in annos & dies solvuntur mercedes, nunquam id consilium dabunt, quo celeriter absolvi opus possit.

CVM SERVO PIGRO DE MVLTA OPERATIONE) Hæc est altera interpretatio ex lectione meliori ejus quod supra habuimus 13. Itaque abundat, nec est in Græco.

Vers. 15.

SED CVM VIRO SANCTO ASSIDVVS ESTO) Recte legit: ἀλλὰ μετὰ ἀνδρὸς ὁσίου ἴσθι διὰ παντός, non ut nos habemus, ἀλλ' ἢ.

Vers. 16. CVIVS ANIMA EST SECVNDVM ANIMAM TVAM) Qui tibi est ὁμόψυχος, ut loquuntur Græci, ὁ φίλος, ὁ ἑταῖρος.

ET QVI CVM TITUBAVERIS IN TENEBRIS) *Si lapsus fueris.* Id est, si consilium male cesserit.

Hucfacit illud *Ambrosii* l. 2. offic. c. 22. *in quærendis consiliis plurimum valet vitæ probitas virtutis prærogativa, benevolentiæ usus, frugalitatis gratia.* De consiliis. *Quis enim in cæno fontem requirat? Quis de turbida aqua potum petat? Itaque ubi luxuria est, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio, quis inde sibi in liquid hauriendum existimet? Quis utilem judicet causæ alienæ, quem videt inutilem vitæ suæ? Quomodo enim potero judicare cum consilio superiorem, quem video moribus inferiorem?*

Vers. 17.

COR BONI CONSILII STATVIE TECVM) In Græco: *Cege consilium cordis:* quomodo & Comici Latini sæpe loquuntur. Id est cogitationes in omnem partem versa. Suspende omnia quæ momentum ad deliberationem afferre possunt.

NON EST ENIM TIBI ALIVD PLVRIS ILLO) In Græco: *Nemo enim tibi est* (corde tuo) *fidelior:* supple, consiliarius. Optimus sibi quisque consiliarius, modo affectibus imperare possit: novit enim omnia quæ ad rem faciunt, neque sibi inimicus est.

Vers. 18.

ANIMA VIRI SANCTI ENVNCIAT ALIQVANDO) In Græco: *enunciare interdum solet.*

VERA. Id est, veriora: Hebraismus.

QVAM SEPTEM CIRCVMSPECTATORES) Speculatores: σκοποί: צֹפִים.

SEDENTES IN EXCELSO AD SPECVLANDVM) *In excelsa specula.* In summa turre, unde longissime despectus est. 2. Sam. xviii. 24.

Ben Sira in Alphab. 1. litera Ψ. *Sexaginta,* inquit, *consiliaris si tibi fuerint, tamen consilium animæ tuæ non deseras,* Gregor. Naz. *Melior,* inquit, *est consulta tarditas celeritate temeraria. Consilium vitæ lucerna ubique præeat.* Senecæ hoc erat monitum: *Consilium tuum sic apud alios sit, ut abs te auctoritatem accipiat. Sic autem abs te auctoritatem accipiat, ne solus id probare videaris. Temeritas enim in assentiendo permitiosissima est.*

Vers. 19.

ET IN HIS OMNIBVS. *Super omnia.*

DEPRECARE ALTISSIMVM, VT DIRIGAT IN VERITATE VIAM TVAM) ὁ ἀληθινός. Sic enim in Sixtina, id est, sine errore. Laudo quod ad hanc rem non male dixit Procopius Vandalicorum 1. φιλεῖ γάρ ὁ θεὸς τοῖς ὕπερ ἀγχοῦ ὕπερ τι δεδεῆσι μαχομένοις εἴσω τε ἴσης, ὅν μὴ πόρρωθεν ἴσῃ, ἀπερυκόντα τὰ ἀσκητα, ἐπικωλύει τε τοῖς ἐχθροῖς βάλλεσθαι.

Vers

Vers. 20.

ANTE OMNIA OPERA VERBUM VERAX PRÆCEDET TE, ET ANTE OMNEM ACTUM CONSILIUM STABILE) In Græco: *Initium omnis factitatio, (silo) & ante actum consilium.* Idem sensus est in aureo carmine:

— — — λέγειν τε καὶ πρὸ ἔργου.

Vers. 21.

VERBUM NEQUAM IMMUTABIT COR, EX QUO PARTES QUATUOR ORIUNTUR) Aliter legit quam nos habemus. Lectio Græca non una est. Optime in Sixtina, distinctione tantum immutata: ἧς ἀδιάστατος καρδίας τέσσαρα μέρη ἀνατέλλει. *Quatuor sunt res quæ in corde fixligium relinquunt quo immutatur.* Valde philologice dictum: Nam vitia quæ animo oboriuntur notam quandam imprimunt, qua movetur appetitus.

BONUM.) Spes honoris, opum, voluptatis.

MALUM) Contrariorum metus.

VITA) Longa & sana.

MORS) Mortis metus, quem Aristoteles maximum esse ait.

ET DOMINATRIX ILLORUM EST ASSIDUA LINGUA) *His perpetuo præsidet lingua.* Maxime animum commovent aliorum sermones, sive boni, sive mali. Sic Naumachius ait:

Κεδνὰ γὰρ φθέγγει γυναικὸς ἦθος μόθοι.
Et apud Euripidem Hermione:
Καιρὸν γυναικὶ δεινὸν ἐν σιγᾶν μόνον.

EST VIR ASTUTUS MULTORUM ERUDITOR, ET ANIMÆ SUÆ INUTILIS EST) Plane idem isti Græco:

Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

Vers. 22.

VIR PERITUS MULTOS ERUDIVIT, ET ANIMÆ SUÆ SUAVIS EST) Hoc oppositum membrum de suo addidit interpres Latinus.

Vers. 23.

QUI SOPHISTICE LOQUITUR ODIBILIS EST, IN OMNI RE DEFRAUDABITUR) Legit ut in quibusdam est Græcis: ἔστι δ' ὁ σοφιζόμενος ἐν λόγοις μισητός, ὃς δ' ἄφρων τρόφιμος καθυφεθήσεται. *Odio est qui verbis (solis) sapientem agit. Hic omni alimento destituetur.* Nemo volet alere inutiliter & cum infamia sua loquacem.

Vers. 24.

NON EST ILLI DATA A DOMINO GRATIA) Per quam hominibus placeat.

OMNI ENIM SAPIENTIA DEFRAUDATUR *Quia defraudatus est omni sapientia*: vera scilicet, quæ agendo spectatur maxime.

Vers. 25.

EST SAPIENS ANIMÆ SUÆ SAPIENS) sibimet ipsi. Id est, qui se primum, deinde alios commonefacit.

ET FRUCTUS SENSUS ILLIUS LAUDABILIS) Legit αἴνετός, quod melius huic loco convenit quam πιστός. Utraque lectio inventur in Græcis: Sed in Græco plus est, ἐπὶ στόματι. *In ore ejus laudabiles sunt fructus intelligentiæ ipsius.* Illius verba grata sunt, qui ex pulchra mente prodeunt.

Vers. 26.

VIR SAPIENS PLEBEM SUAM ERUDIT) Populares suos bene instituit. Vir enim sapiens publicum est bonum.

ET FRUCTUS SENSUS ILLIUS FIDELES SUNT) Fida loquitur.

Vers. 27.

VIR SAPIENS IMPLEBITUR BENEDICTIONIBUS) Opibus, idque DEI munere ex promisso legis.

ET VIDENTES ILLUM LAUDABUNT) Beatum dicent, μακαρίσουσιν.

Vers. 28.

VITA VIRI IN NUMERO DIERUM) Definitum habet spatium.

DIES AUTEM ISRAEL INNUMERABILES SUNT) Respublica in id instituta est, ut sint immortales, & cum iis etiam immortalis bene de illis meritorum memoria, ut sequitur.

Vers. 29.

SAPIENS IN POPULO HÆREDITABIT HONOREM) Id est mancupii jure possidebit, non ut quæ usuraria tantum habemus.

ET NOMEN ILLIUS ERIT VIVENS IN ÆTERNUM) Dum stabit respublica, nomen ejus publicis monumentis celebrabitur.

Vers. 31.

FILI IN VITA TVA TENTA ANIMAM TVAM.)

— — — *Versate diu quid ferre recusent*
*Quid valeant humeri.*

Ut ait Horatius:

ET SI FUERIT NEQUAM NON DES ILLI POTESTATEM) In Græco: *Et si fuerit molestum aliquid, (κάκωσον legendum, non σκωμῆς) ne des illi:* id est, ne id animo tuo obtrude. Rectius

*Natura sequitur semina quisque suæ.*

Vers. 31.

NON ENIM OMNIA OMNIBUS EXPEDIUNT.)

*Non omnia possumus omnes.*

Et,

*Tu nihil invita facies dicesve Minerva.*

ET NON OMNI ANIMÆ OMNE GENUS PLACET) In Græco: *Non omnis anima in omni re laudem assequitur.*

Quo facit illud Persii:

*Mille hominum species & rerum discolor usus;*
*Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.*

Vers. 32.

NOLI AVIDUS ESSE IN OMNI EPULATIONE) In ullo cibo, ἐν πάσῃ τροφῇ. Ita enim legit hic interpres, & rectius quam τροφῇ.

ET NE TE EFFUNDAS SUPER OMNEM ESCAM) Ne te immerge in patinas.

Vers. 33.

IN MULTIS ENIM ESCIS ERIT INFIRMITAS, ET AVIDITAS APPROPINQUABIT USQUE AD CHOLERAM) Morbi genus, quod & supra in pari argumento habuimus xxxi. 22.

Vers. 34.

PROPTER CRAPULAM MULTI MORTUI SUNT) *Propter edacitatem.* In Græco eadem est vox quæ jam præ est, διὰ κακοστίαν.

QUI AUTEM ABSTINENS EST) Qui sibi attendit.

ADJICIET VITAM) Hebraismus, pro *diu vivet.*

Augustinus l. X. Conf. c. 31. *Hoc me docuisti* (Deus) *ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumtum accedam.* Ambros. de Elia & jejunio cap. IIX. *Jejunium continentiæ Magistrum est, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, pacificatio animæ, miserationis expensa, lenitatis institutio, charitatis illecebra, senilis gratia, custodia juventutis. Jejunium est infirmitatis levamen, alimentum salutis. Bonum itineris viaticum, bonum totius vitæ. Et medicorum* præcepta sunt: *Vescere citra saturitatem, surge è mensa non cum fastidio, sed cum fame; Omnis satietas noxia.* De jejunii usu.

## CAPUT XXXIIX.

*Medici & Medicinæ laus. Methodus recipiendæ sanitatis; luctus in morte amicorum. Cultores literarum aliis laboribus non sunt onerandi.*

Vers. 1.

HONORA MEDICUM PROPTER NECESSITATEM) In Græco: *Medicum honoribus honora ob utilitatem ejus.* Honoris nomine alimenta vel præcipue intelliguntur, ut diximus ad Decalogum. *Ob utilitatem*, vide infra 12.

ETENIM ILLUM CREAVIT ALTISSIMUS) Ideft, ordinavit, quomodo κτίζειν aliquoties habuimus. Sic & infra xxxix. 30. Adde quæ diximus in Prolegomenis ad Matthæum.

Ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.
*Vir Medicus par est multorum millibus unus.*

Vers. 2.

A DOMINO ENIM EST MEDELA) Vis medendi in herbis, ut infra 4.

ET A REGE ACCIPIET DONATIONEM) Medicus nempe. Legit δῶρα, ut in Sixtina, non ut in aliis, δόξαν. Erasistratus medicus Aristotelis filia genitus eorum talentis donatus est à rege Ptolemæo. Romæ Augusti ac deinceps temporibus fuere Medici CCL. festertia annua mercede. Stertinius festertiis quingentis annuis quod contentus fuit, principibus imputavit. Similia vide apud Plinium xxix. 1.

Vers. 3.

Vers. 3.

DISCIPLINA MEDICI) Scientia ἰατρικὴ.

Vers. 4.

ET VIR PRVDENS NON ABHORREBIT AB ILLIS) Ab illis, φαρμάκοις.

Vers. 5.

NONNE A LIGNO EDVLCATA EST AQVA?) Non arbitror agi hic de miraculis aut Mosis, aut Eliseï, sed de vi naturali glycyrrhizæ, similiumque radicum. Eandem vim polentæ tribuit Plinius XXIV. 1.

*An hic resipiatur miraculum Ex. XV. 25. descriptum.*

DE miraculo *Ex. XV. 25.* descripto plerique accipiunt, & verba ipsa sonare videntur. Hujus autem ligni virtus ea ratione *naturalis* dicenda foret; Siquidem de virtute naturali medicamentorum hic differetur. Ideoque non immerito notat hic autorem Osiander: *Existimo autem, non fuisse proprietatem quandam naturalem in illo ligno, ut aquas amaras redderet dulces: sed quemadmodum Propheta Eliseus MIRACVLO correxit aquas, quæ sterilitatem alias inducebant, cum in sraturiginem salu particulam injecisset: ita & hoc lignum, quod Moses jubente Domino in aquas amaras conjecit, amaritudinem fontis MIRACVLO emendavit. Itaque hæc probatio autoris nostri, qua à miraculo divino ad Physicas herbarum proprietates & vires argumentatur, paulo longius petita est.* Glossa Grotii alienior esse videtur, & vix alicui in mentem venit. Quod autem *Cornel. à Lap. Tirinus*, aliique Papistæ *vim dulcorandi* amaram aquam ligno illi à Mose adhibito *naturalem* esse dicunt, pro excudendo Siracide sit, sed citra suffragium veritatis. Ita etiam sequela illa Cornelii, nullum meretur calculum imo ἀναλλόϑ eſt: *si per lignum amarum Deus* (per miraculum) *tantam dulcedinem operatus est, quid faciet* (naturaliter) *per herbas quibus similes indidit vires & appositas ad hunc illumve morbum creandum!* Ratio est, quia à *miraculosis operibus ad naturales vires N. V. C.*

Vers. 6.

AD AGNITIONEM HOMINVM VIRTVS ILLORVM) *Ut ab hominibus vis ejus* (nempe ligni) *nosceretur.*

HONORARI IN MIRABILIBVS SVIS) *Ve ipse* Deus *per mira opera sua* gloriam consequatur.

Vers. 7.

IN HIS CVRANS MITIGABIT DOLOREM) *Aufert dolorem ejus.* ἴᾶται, *ejus*, id est, hominis.

ET VNGVENTARIVS FACIET PIGMENTA SVAVITATIS, ET VNCTIONES CONFICIET SANITATIS, ET NON CONSVMMABVNTVR OPERA EJVS: PAX ENIM DEI SVPER FACIEM TERRÆ) In Græco: μιγμάτιὰ τ τέτοις πεποίηται μίγματα, καὶ ὧν ἀεὶ συντελεῖϑ τὰ ἔργα αὐτ, καὶ ὑγίεια πᾶσ αὐτὸ ἐστὶ ἐπὶ προσώπ τ γ: sed legendum pro ὑγίεια est ἰσχνεία. *Pigmentarius ex illis* (nempe lignis, & aliis rebus aromaticis) *misma facit*: (habes hanc vocem Joh. XIX. 39.) *neque absolvetur opus suum, quin inde late se diffundat dulcis aura.* Olim medici erant & pharmacopœi & pigmentarii, nondum in tot particulas discerpta arte.

Vers. 9.

IN TVA INFIRMITATE NE DESPICIAS TE IPSVM) Noli negligens esse: μὴ παρὰβλεπε.

SED ORA DOMINVM, ET IPSE CVRABIT TE) Deus enim in conspicuis modis causarum naturalium vires auget, aut destruit.

Vers. 10.

AVERTE A DELICTO) Sæpe enim peccata causæ morborum, ut maledicentia lepræ.

ET DIRIGE MANVS) In rectis actionibus occupare.

ET AB OMNI DELICTO MVNDA COR TVVM) *Ab omni peccato*: non ab actibus tantum, sed & a cogitatibus malis abstine.

Vers. 11.

DA SVAVITATEM) ἡδυσμὸν, fustitum.

ET MEMORIAM SIMILAGINIS) מנחה, Græce, μνημόσυνον, propriè dicitur id quod de simila offertur, quia hominem Deo commendat. Levit. 2, 2.

ET IMPINGVA OBLATIONEM) *Et pinguem fa-*

*cimam.* Additur in Græco: ὡς μὴ ὑπάρχ ἐχων: sed legendum: ὡς μὴ ὑπάρξω, *velut moriturus.* Sic Ps. CXLVI. 1. ἐσ ὑπάρχω, donec vivam. Vide quæ de similibus locutionibus diximus ad Matth. VI. 18. Qui in morbum incidit, & dare Deo debent tanquam morituri, & medico ut tanquam victuri.

ET DA LOCUM MEDICO) *Attamen medico utere.*

Vers. 12.

ETENIM ILLUM DOMINUS CREAVIT) Vide supra 1.

QUIA OPERA EJUS SUNT NECESSARIA, QVANDO IN MANUS ILLORUM INCURRAS) γὰ γὰρ αὐτῦ χρεία ἐσὶ ἵνα καιρὸς γὰ ἐν χειρὶ αὐτῶν ἐυοδία. Ita enim hæc distinguenda sunt, Et ἐυοδία hoc loco legendum, ἐυοδία, ut modo. *Est enim tempore quo* (medici) *usus & (sæpe) adest operi ejus successus.* ἐυοδία pro bono successu est aliquoties in his libris, & Prov. XXV. 15, frequens & in eo sensu verbum ἐυοδῶσθαι.

Vers. 14.

IPSI VERO DOMINUM DEPRECABUNTUR) *Nam & ipsi Deum precabuntur*: nempe recum: non vult enim quæri medicos. ἆβιον.

Officium hoc Medici agnovit etiam *Hippocrates* etsi Ethnicus, in Procœmio artis suæ, *non solum*, inquiens, *ægrotus præstare se debet opportuna facientem, sed & Medicus, scilicet adhibere curationem, & DEUM deprecari, ut dirigat operas sua.*

Vers. eod.

UT DIRIGAT REQUIEM EORUM, ET SANITATEM PROPTER CONVERSATIONEM ILLORVM) *Ut des illis* (id est, per illorum laborem) *lenimentum ac deinde sanationem ad vitam diuturnam.* ἰμβίον Theophrasto & aliis scriptoribus Græcis est, diu vivere.

Vers. 15.

QVI DELINQVIT IN CONSPECTV EJVS QVI FECIT EVM) Qui Deum graviter offendit.

INCIDET IN MANVS MEDICI) Legit ἰμπεσεῖ. nos habemus per optativum ἐμπέσοι. Et eveniat diu esse sub Medicis: talis enim misera vita est.

*Morbi*, inquit Basil. in Regul. fusior. n. 55. *sunt flagella peccatorum, quibus nihil aliud agitur, nisi ut vitam nostram in melius commutemus.*

Vers. 16.

FILI IN MORTVVM PRODVC LACHRTMAS) Homerus:

Τὸν μὲν γὰρ οὐκ ἔσ᾽ ὀϊζυρὸς ὅτις τοι ἕταιρον
Κήδεσι τεθνηῶτα φίλον ἢ υἱὸν ἢ δάκρυα πορσεῖ.

ET QVASI DIRA FASSVS INCIPE PLORARE) *Vt gravia passus lessum incipe.* De hoc more vide quæ diximus ad Matth. XI. 17. Juvenalis:

—— *Vt primos edere planctus*
*Cassandra incipere.*

ET SECVNDVM IVDICIVM CONTEGE CORPVS ILLIVS) Legit, κατὰ δὲ τὸν κρίσιν, non κατὰ δὲ τὸν κρίσιν αὐτῦ. *Ita ut moris est, corpus mortui fascia.* ΤΦΙΩΝ, quod hic κρίσις, Hellenistice vertitur, sæpe consuetudinem significat. De hac consuetudine diximus ad Joh. XI. 44. & XX. 6, 7. Est autem vox σφενδόνη, valde propria huic negotio, ut apparet Ezech. XXIX. 5. Tob. XII. 14.

ET NON DESPICIAS SEPVLTVRAM ILLIVS) Cura honeste sepeliatur. Adesto exsequiis.

*August. 1.* De cura pro mortuis c. 2. *ista omnia, curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum magis vivorum solatia sunt, quam subsidia mortuorum.*

Vers. 17.

PROPTER DELATURAM AVTEM AMARE PER LVCTVM ILLIVS VNO DIE, ET CONSOLARE PROPTER TRISTITIAM, ET FAC LVCTVM SECVNDVM MERITVM EJVS VNO DIE, VEL DVOBVS PROPTER DETRACTIONEM) Est hic & transpositio, & repetitio, & omissio. Græca sic habent: πίκρασον κλαυθμὸν καὶ ὀϊμωγὴν κοπετὸν, καὶ ποίησον τὸ πένθος κατὰ τὸν ἀξίαν αὐτ, ἡμέραν μίαν καὶ δύο, χάριν διαβολῆς, καὶ παρακλῆσον λύπης αὐτ. Quæ recte sic verteris: *Amarum fletum & planctum calidum ede, & luge, prout mortuo convenit, diem unum & alterum, calumniæ* (vitandæ) *causa. Verum, de ea dolore fer consolationem.* κατὰ τὴν ἀξίαν intelligo pro modo propinquitatis. Parentes enim, ac reges, ut parentes publici, per septem dies lugebantur cum jejuniis & indumentis vilibus, ut videre-

est

est supra XXII. II. & apud Josephum fine libri Sexti, & aliis in locis quos adduximus ad Matth. IX. 23. In minus propinquis contractius erat tempus. Brevissimum laudat Simonides:

Τὸ μὲν δυώδεκ' ἐκ ἂν ὑδυμολόγοιμι
Ἔτη φρονοῦντ', πλοῦτ' ἡμέρας μιᾶς.

Quod autem dicit, morem gerendum mori calumniæ causa, rectum est, & ad multa alia pertinet. Illud παραπλήσιον spectat itidem ad morem per quem ad lugentes amicos aut ei veniebant eos solandi causa. Gen. XXIV. 64. 2. Sam. XIII. 39. Jerem. XVI. 5. 7. Job. XI. 19.

Ita *Ambrosius senes prudentes qui decedebant, magis lugere* solebat. l. 2. de Abel cap. 3. *Peritura*, inquiens, *urbis aut malorum imminentium, vel futuræ labis hoc primum indicium est, si decedant viri consultores. Quam gaudeo, cum aliquos mites ac sapientes diu vivere video, quia prosunt pluribus. Similiter cum hujusmodi decedit quamvis longa senectute depositus afficior: quia destituitur grex juvenum muro senili.* Ebræorum proverbium est, *justi protegunt generationem suam, & cum è medio tolluntur, contingit id propter iniquitates seculi. Quando luminaria percutiuntur*, (eclipsin patiuntur) *signum malum est in mundo. Occidente sole extinguitur dies.* Platonis sententia est: ὅταν μέλλει κακῶς πράξειν πόλις ἐξαίρει τὲς ἀνδρας ἀγαθὲς ἀπ' ταύτης τῆς πόλεως ὁ Θεός. *Quando civitati imminet calamitas evocat ex ea bonos viros Deus.* Cum intereimtum *Q. Cornelium Scipionem Africanum* perciperet *Q. Metellus Macedonicus* in publicum se proripiens voce tristi exclamavit: *Concurrite concurrite Cives, mœnia urbis nostræ eversa sunt. Stilico* Vandalus de ipso B. Ambrosio Episcopo Mediolanensi morbo lethali decumbente prædixit: *Si hic vir naturæ concesserit, ultimus Italiæ imminebit interitus.* Qui etiam sequutus est, post mortem Ambrosii *Gothis* ac *Vandalis* miserè Italiam vastantibus.

Vers. 19.

A TRISTITIA ENIM FESTINAT MORS ET COOPERIT VIRTUTEM, ET TRISTITIA CORDIS FLECTIT CERVICEM) Causam reddit cur mitigandæ sit tristitiæ non fovendæ: per tristitiam enim mors advenit, aut tristitia vim cordis deprimit, ἢ per aut verti, quo modo sæpe vertendum est. Ex nimio longoque mœrore mors advenit, aut certe animus impar negotiis,

— — τῶν μετρίων δὲ μείζονες
Λύπαι ποιῶσι τὸ φρονεῖν μετάστασιν.

Vers. 20.

IN ABDUCTIONE PERMANET TRISTITIA) Bene legit: ἐν ἀπαγωγῇ, quomodo & Sixtina habet editio & aliæ quædam: id vero est *in solitudine*. Nam ἀπαγωγὴ est abductio ab iis quibuscum vixeris, fumiturque pro exilio, Esa. X. 4. XIV. 17. & in tertio Esdræ.

ET SUBSTANTIA INOPIS SECUNDUM COR EJUS) Legit, οὗ πνεῦμα κατὰ καρδίαν, & διὰ interpretatus est id unde vivitur. Sed melior videtur lectio: οὗ πνεῦμα κατάρα καρδίας. *Maledicere cordi suo* (id est, cruciare cor suum, sicut benedicere est beare Hebræis) *ea fere vita est mendici.*

Vers. 21.

ET MEMENTO NOVISSIMORUM) Cogitans mortem sic facile accersi.

Vers. 22.

NOLI OBLIVISCI) Id quod dico.

NEQUE ENIM EST CONVERSIO) Via est irremeabilis.

ET HUIC NIHIL PRODERIS, ET TE IPSUM PESSIMABIS) Plane idem dicit quod Homerus:

Οὐδὲ μιν ἀντίοντες, πρὶν ὀφθαλμοῖσιν ἰδῶσι πάσχειν.

Vers. 23.

MEMOR ESTO JUDICII MEI) Legit, κρίμα μὲ: sed rectius in Sixtina est: κρίμα αὐτῦ. Ut fructum aliquem ex morte amici capias, vide quid ei evenerit: idemque tibi eventurum fcito. Jus idem dictum omnibus.

SIC ENIM ERIT ET TUUM) ὅτι ἔσται καὶ τὸ σὸν, non ἔστιν σοι,

MIHI HERI, ET CRAS TIBI) Est proverbiale, quod ad multa applicatur. Nec *mihi* hic primam personam, sed quemvis significat: quod omnibus ferme linguis commune esse alibi notavimus.

*Hugo* observat dici *hodie tibi*, non *tibi cras*, tum quia quotidie morimur, tum quia nemo de crastino securus esse potest. Ideo *Ephrem* serm. de his qui in Domino dormierunt; *Nemos*, inquit, *in hodiernum, vel crastinum diem impiura relaxet cogitatio: quoniam multi dum multa secum statuerunt, ad crastinum non pervenerunt.*

Vers. 24.

IN REQUIE MORTUI REQUIESCERE FAC MEMORIAM EJUS) Ipse quiescit: quiescat & ipsius memoria, luctuosa scilicet.

ET CONSOLARE ILLUM IN EXITU SPIRITUS SUI) In Græco: *Consolationem accipe de eo: de exitu*, inquam, *spiritus ipsius*: id est, *de morte.*

Ita & *Jansenius*: atque hoc magis convenit, quam sensus Cornelii, Jansenium temere redarguentis, *in morte defuncti depone memoriam ejus te cruciantem, sed ante mortem dum agit animam, consolare illam.*

Vers. 25.

SAPIENTIA SCRIBÆ IN TEMPORE VACUITATIS) סוֹפֵר, est vir literatus. Ejus doctrinam negat absque comparari, nisi in multo otio. Quotidiano alioquin labore impediti ad exactam legis cognitionem pervenire non possunt; nedum ut artes alias liberales edisCant. Ideo Levitis datum unde fine labore suo viverent. Nec aliunde scholæ, & scholasticorum nomen.

ET QUI MINORATUR ACTU, SAPIENTIAM PERCIPIET) Non legit negationem quæ in quibusdam codicibus deest, sed omnino adscribenda est hoc modo: καὶ ὁ ἐλαττόμενος πράξει αὐτῦ, οὐ σοφισθήσεται. *Qui operæ suo deprimitur, ad eruditionem non perveniet.* Ita ferme sumitur verbum ἐλαττοῦσθαι, Pf. 8, 6. Id jam subjectis exemplis explicabit.

QUI SAPIENTIA REPLEBITUR QUI TENET ARATRUM) Ita hæc distinguenda in Græco: τί σοφισθήσεται. *Quam eruditionem consequetur?*

QUI GLORIATUR IN JACULO, STIMULO BOVES AGITAT) *Qui sibi placet ubi dolone bobes agitat.* Hebræi qui paucas habent voces simplices multas circumloqui coguntur. Sic dolonem vocant δέρυ κέντρον, baculum cum stimulo. De dolone vide Alfenum L. fi ex plagis D. ad legem Aquiliam.

ET CONVERSATUR IN OPERIBUS EORUM) Boum.

EV ENARRATIO EJUS IN FILIIS TAURORUM) Ovidius.

— — — *de tauris narrat orator.*

Vers. 28.

SIC OMNIS FABER ET ARCHITECTUS) Pariter ad literarum studia est ineptus: longe alia cogitat.

QUI NOCTEM TANQVAM DIEM TRANSIGIT) Antelucana industria. *Noctem addens operi*: ait Virgilius.

QUI SCULPIT SIGNACULA SCULPTILIA) *Qui annulorum sigilla sculpit.*

ASSIDUITAS EJUS VARIAT PICTURAM) *Mutare varietatem*, est varias formas in gemmam introducere.

COR SUUM DABIT IN SIMILITUDINEM PICTURÆ) Laborabit in Gemma efficere quod pictor in tabula.

ET VIGILIA SUA PERFICIET OPUS) *Vigilia ejus est perficere opus*, Opus hic fume ut in isto Ovidii:

*Materiam superabat opus.*

Vers. 29.

SIC FABER FERRARIUS) Ærarius in Græco, χαλκεύς. Sed solent ista misceri, *Sic*, id est, pariter capiendæ eruditioni est inhabilis. Poëtice admodum omnia opificia describit.

VAPOR IGNIS URET CARNES EJUS) Liquabit, τήξει, id enim rectius quam quod aliis libri habent, πήξει. Sensus est: *In fudorem agit cum ignis vapor.*

ET IN CALORE FORNACIS CONCERTATUR) *Cum æstu fornacis conflictatur.*

Vers. 30.

VOX MALLEI INVOCAT AUREM EJUS) Scilicet interpres: *Vox malleiinvocat aurem ejus.* Est enim

enim in Græco: καινοῖ, id est, delectat, ut solent facere, res novæ; sic καινίζειν sumitur etiam Soph. III. 17. Quod autem quidam codices post ὑφάνας addunt, καὶ ἀκμὴν Θ', id rectius in aliis deest.

ET CONTRA SIMILITVDINEM VASIS OCVLVS EJVS) Id est, oculum intentum habet in exemplar operis sui. כלי Hebræis, σκεῦος Hellenistis, vocantur omnia mobilia.

Vers. 31.

COR SVVM DABIT IN CONSVMMATIONEM OPERVM) Primum rudi modo effinget quod vult.

ET VIGILIA SVA ORNABIT IN PERFECTIONEM) *Et vigilia ejus, ornare post consummationem.* Vbi integram figuram fecerit, mox studet eam magis magisq; expolire.

Vers. 32.

SIC FIGVLVS) Iisdem incapax est doctrinarum.

CONVERTENS PEDIBVS SVIS ROTAM] Jerem. XVIII. 2.

QVI IN SOLLICITVDINE POSITVS SEMPER PROPTER OPVS SVVM, ET IN NVMERO EST OMNIS OPERATIO EJVS) Legit κεῖ, ubi rectius, ni fallor, legeretur: ἀνάπαυσιν σπάνια ἡ ἐργασία αὐτῆ. *Ob opus suum in perpetua versatur sollicitudine, an scilicet numerus conflet omnia laboris suo.* Solet enim ignis multa absumere, ut vidimus supra XXVII. 6.

Vers. 33.

IN BRACHIO SVO FORMABIT LVTVM) Brachium pro manu sæpe dicunt Hebræi, ut Jerem. XLIX. 9. & alibi.

ET ANTE PEDES SVOS CVRVABIT VIRTVTEM SVAM) Id est, corpus suum, ut humum tollat. Sic בְּרֹךְ proprie ἰσχύν, improprie corpus significat.

Vers. 34.

COR SVVM DABIT VT CONSVMMET LINITIONEM) Ut opus perlinat ad inducendos colores.

ET VIGILIA SVA MVNDABIT FORNACEM) *Vigilia ejus, mundare fornacem.*

Vers. 35.

OMNES HI IN MANIBVS SVIS SPERAVERVNT) Ideo χειροτέχναι dicti Græcis.

ET VNVSQVISQVE IN ARTE SVA SAPIENS EST) Ad suam quisque artem est callidus. Dictum etiam apud Latinos celebre.

Vers. 36.

SINE HIS OMNIBVS NON ÆDIFICABITVR CIVITAS) Id est, sine his quidem omnibus.

Vers. 37.

ET NON INHABITABVNT) *Non peregre ἔσονται.* Non opus illis erit peregre vitam quærere. Domi eam reperient satis.

NEC INAMBVLABVNT) Nempe ut mendici.

ET IN ECCLESIAM NON TRANSILIENT) Non transilient septa intra quæ habetur senatus. Id aliquis exponere volens addidit: ἐν τῷ λαῷ ἢ ἐμπορεύσεται. Sed deest id in Sixtina.

Vers. 38.

SVPER SELLAM IVDICIS NON SEDEBVNT) ἐπὶ δίφρου. Est δίφρος proprie sella curulis. Solebat ea judicibus asseri, Deut XVII. 18. Job. XXIX. 17. Prov. IX. 14.

ET TESTAMENTVM IVDICII NON INTELLIGENT) Leges judiciales. Stimitur enim sæpe ברית pro præcepto, eoq; id etiam vertitur, ἐντολή.

NEQVE PALAM FACIENT DISCIPLINAM ET IVDICIVM) Id est, neque docebunt alios, neque sententiam de aliis ferent.

ET IN PARABOLIS NON INVENIENTVR) Non inscribentur auctores bene ac sapienter dictis.

Vers. 39.

SED CREATVRAM ÆVI CONFIRMABVNT) Sic & in Sixtina: κτίσιν αἰῶνος ἐφέξουσι, id est, usui sunt huic vitæ, per ædificia, alimenta, resque alias. Locutio est Hebræis hoc sensu usitata שִׁים בֵּין יִשְׂרָאֵל שִׁית עֵרָה id est, ea quæ bono publico sunt utilia. Talia probant Hebræi. Eas vero qui rugis vitiantur a testimoniis repellunt, quales sunt aleatores, fenebratores, & qui ad certamen animalia instituebant.

ET DEPRECATIO ILLORVM IN OPERATIONE ARTIS) A Deo alieni non sunt, quem inter operandum invocant.

ACCOMMODANTES ANIMAM SVAM, ET CONQVIRENTES IN LEGE ALTISSIMI) Hæc in Græco aliter habentur: πλὴν τὰ σπουδάσματα τῆς ψυχῆς αὐτῶ οὐ διατρίψουσιν ἐν τόμῳ ὑψίστε. quasi dicerent: enumeravi aliquot opificum genera. *Tales puta esse homines omnes extra paucos qui animum intenderunt legis divinæ studio.* Nam καὶ hic est loco *aut*. Legis divinæ studium apud Hebræos late patebat: comprehendebat enim Theologiam contemplativam & activam, & jus tam civile quam pontificium: præterea historias veteres. Tam consummatæ eruditionis virum jam incipit describere.

Recte *Isidorus* l. 2. sententc. 1. *Nullus sapientiam Dei recipit, nisi qui se ab omni abstrahere actionum cura contendit*: & *Gregor. Naz.* Ep. XXXVI. ad Basilium: *Mihi vero maximum negotium est ipsum otium. Usque adeo ad otiosam hanc tranquillitatem contendo, quasi omnibus lex quædam de ista magnanimitate lata putetur.* Huc facit lex *Platon.* l. IIX. de legib. *Ut ne civium quisquam* (cui cura civitatis incumbit) *opificio curæ operam navet. Quippe cui hoc tributum est à Natura muneris ut publicam civitatis salutem & publicum ornamentum tueatur, atque adeo non perfunctoria opera satis ei sit ad tanti muneris procurationem. Duas autem*, inquit, *artes, aut duo instituta commode tractare non potest ulla humana natura: nemo etiam vel uni arti satis curare potest, & simul aliarum exercenti præsse.* *Sapientiæ ab aliis se abstrahere curis opportet.*

## CAPUT XXXIX.

*Commendantur eruditi, pii & sapientes viri: Monemur, ut Dei sapientiam, bonitatem, & vindictam justam agnoscamus & celebremus.*

Vers. 1.

SAPIENTIAM OMNIVM ANTIQVORVM EXQVIRET SAPIENS) *Sapiens* in Græco deest, sed subintelligitur ex præcedentibus. Antiquorum חכמי קדמונים quales Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Josephus, Moses.

ET IN PROPHETIIS VACABIT) *In Prophetiis*, puta Samuelis, Nathanis, ac deinceps aliorum.

Vers. 2.

NARRATIONEM VIRORVM NOMINATORVM CONSERVABIT) Historiam Mosis, Josuæ, judicum, Davidis, & regum aliorum.

ET IN VERSVTIAS PARABOLARVM SIMVL INTROIBIT) Leget sententias veterum, tum sparsas, tum à Salomone & Ezechia collectas.

V. 3. OCCVLTA PROVERBIORVM EXQVIRET, ET IN ABSCONDITIS PARABOLARVM CONVERSABITVR) Sensum latentem ὑπ ἀδηγορίαις indagabit. Solent promiscue dici παροιμίαι & παραβολαί, quæ Hebræis משלים.

NAzianz. in Distichis: divinis, inquit, oraculis mentem assidue patere utilissimum est, hac enim ratione divinarum legum scientia comparatur. Conf. Joh. V. 39. 2. Tim. III. 15. 16.

V. 4. IN MEDIO MAGNATORVM MINISTRABIT) Regi alicui, ut Daniel, Zorobabel, Esdras, Nehemias.

ET IN CONSPECTV PRÆSIDIS APPAREBIT) *Præsidum*: In Græco.

Vers. 5. IN TERRAM ALIENIGENARVM GENTIVM PERTRANSIET) Mitterur legatus.

BONA ENIM ET MALA IN HOMINIBVS TENTABIT) *Tentabit*, id est expertus est.

Alii de *peregrinatione* ceu adminiculo sapientiæ hæc accipiunt. Quo facit exemplum *S. Hieronymi* in præfat. in Epist. ad Ephes. *Nunquam ab adolescentia aut legere, aut doctos viros quæ nesciebam interrogari cessavi, aut me ipsum habui magistrum. Denique nuper ob hanc vel maxime causam Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum & ab eo in Scripturis omnibus, quæ habebam, dubia scisciterer.* *Peregrinatio adminiculum Sapientiæ.*

V. 6. AD VIGILANDVM DILVCVLO AD DOMINVM) Matutinas preces ad Deum fundet, ut studia ipsius bene procedant.

V. 7. PRO DELICTIS SVIS DEPRECABITVR) Ne ea profectui obstent.

V. 8. SPIRITV INTELLIGENTIÆ REPLEBIT ILLVM) Sicut πνεῦμα σοφίας habuimus Sap. I. 5.

V. 9. ET IPSE TANQVAM IMBRES, MITTET ELOQVIA SAPIENITÆ SVÆ) Large effundet. ἀποσταγεῖ, in Græco, quo verbo & supra usus est hic scriptor XVIII. 29.

ET

ET IN ORATIONE CONFITEBITUR DOMINO) Id est, laudabit Dominum. Sic enim ἐξομολογεῖσθαι sumitur apud Hellenistas.

*Orationis necessitas ad actiones obeundas.*

*Basil.* ad fil. Spirit. *Quodcunque opus inchoaveris, primo invoca Dominum, & ne desinas gratias agere cum perfeceris illud.* Et Epist. 1. ad Gregor. Nazianz. *Ecquid beatius, quam hominem in terra concentum angelorum imitari! ineunte statim die in orationes ire, in hymnis & canticis Creatorem venerari. Exinde sole jam dilucescente converti ad opera nusquam sine oratione. Denique canticis tanquam sale condire actiones.*

Vers. 10. ET IPSE DIRIGET CONSILIUM EJUS) *Consilium suum*: ad legis normam scilicet: nam de lege hic sermo est.

ET DISCIPLINAM) Et scientiam, ad rectos usus.

ET IN ABSCONDITIS SUIS CONSILIABITUR) *Et de absconditis ejus* (Dei) *cogitabit.* Absconditæ hic vocat legis quæstiones difficiles.

Vers. 11.

IN LEGE TESTAMENTI DEI) Id est, in lege quæ est testamentum. Genitivus pro appositione, more Hebræo.

Vers. 12. ET USQUE IN SÆCULUM NON DELEBITUR, NON RECEDET MEMORIA EJUS) *Non delebitur memoria ejus.* ὐκ ἐξαλειφθήσεται τὸ μνημόσυνον αὐτοῦ. Id Scholiastes aliquis exponit, οὐκ ἀποστήσεται. Locutionem hanc, ἐξαλειφθῆναι τὸ μνημόσυνον, *delere memoriam*, habes etiam Exodi XVII. 14.

Vers. 13.

ET NOMEN EJUS REQUIRETUR) Legit ζητήσεται. At nos habemus ζήσεται, *vivet*, non male.

Vers. 14.

ET LAUDEM EJUS ENUNCIABIT ECCLESIA) Id est, populus.

Vers. 15.

SI PERMANSERIT NOMEN RELINQUET PLUS QUAM MILLE) Dum superstes erit, quocunque ierit, famam sui maximam relinquet, quantam mille alii.

ET SI REQUIEVERIT, PRODERIT ILLI) Nempe sapientia, de qua præcellit sermo. Proderit autem pro mortuo, id est liberis ejus, qui velut uni cum patre censentur. Legit hic interpres, τῷ ποιεῖ αὐτῷ, recte, non ut nos habemus, ἑαυτοῖς.

Vers. 16.

ADHUC CONSILIABOR VT ENARREM) *Adhuc quæ cogitavi edisseram.* Ita enim in Græco.

UT FURORE ENIM REPLETUS SUM) Legit διανοίᾳ: sed nos rectius habemus: ὅτι ὡς ὑγρασία πλησθεὶς. Impleor ut Luna Corniculata. Ea enim indies magis magisque crescit.

Πρόσωπα καλόνοντα τῇ πλησμονῇ.

Ut Sophocles loquitur.

Vers. 17. IN VOCE DICIT) Non est in Græco: OBAUDITE ME DIVINI FRUCTUS In Græco: *Audite me filii pii.* Nam in Sixtina est. υἱοὶ ὅσιοι.

ET QVASI ROSA PLANTATA SUPER RIVOS AQUARUM FRUCTIFICATE) *Et crescite ut rosa nata ad fluentum agri* ἐπὶ ῥεύματος ἀγροῦ: id enim rectius quam cum aliis libris ὑγροῦ.

Vers. 18.

QUASI LIBANUS ODOREM SVAVITATIS HABETE) Hoc deest in multis. At in Sixtina est: καὶ ὡς Λίβανος ἐυωδιάσατε ὀσμήν: *ut thus bonum edite odorem.* Si hoc recipimus, id quod sequitur διάδοτε ὀσμὴν, erit exinterpretamento.

Vers. 19.

FLORETE FLORES QVASI LILIUM) *Edite flores quale est lilium.* Odor sunt sermones boni, flores bona facta.

ET FRONDETE IN GRATIAM) Non est in Græco.

ET COLLAUDATE CANTICUM) *Laudate* (Deum) *cantico.* Est enim accusativus Græcæ constructionis, subaudito κατά.

Vers. 20. DATE NOMINI EJUS MAGNIFICENTIAM, ET CONFITEMINI ILLI) Desunt hæc in Græcis.

IN VOCE LABIORUM VESTRORUM, ET IN CANTICIS LABIORUM) In Græco tantum est: ἐν ᾠδαῖς χειλέων, *cantu labiorum*: quia est & cantus fidium.

ET CITHARIS) In Græco: ἐν κινύρᾳσι. Græca vox hæc facta ex Hebræo כנור reperitur aliquoties in libris Samuelis, Regum, Paralipomenis, & Nehemiæ, pro quo in aliis libris est modo ψαλτήριον, modo κιθάρα.



IN CONFESSIONE) In laudatione, ut supra 9.

Præclare *Bernhard.* serm. II. in Cant. *Nihil*, inquit, *ita proprie quendam in terris repræsentat cælestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum.*

Vers. 21. OPERA DOMINI UNIVERSA BONA VALDE) Quicquid agit Deus, rectum est Deut. XXXII. 4. Quod hic in Sixtina sequitur: καὶ πᾶν πρόσταγμα ἐν καιρῷ αὐτοῦ ἔσται· πάντα γὰρ ἐν καιρῷ αὐτοῦ ζητηθήσεται: & quod inter ista interjiciunt libri alii, ὡς ἐστι πικρὸν τί τοῦτο ἐστι, non in omnibus fuisse exemplaribus ex Latino apparet: & unde desumta sint, videbis infra 26.

Vers. 22.

IN VERBO EJUS) Per verbum ejus. Psalm. 32. 6. CXLVII. 8. Vide quæ dicta à nobis ad initium Evangelii Johannis.

STETIT AQVA SICUT CONGERIES) Velut frugum acervus. Id enim σωρεία, ut supra XX. 28. Mare rubrum intelligit.

ET IN SERMONE ORIS ILLIUS SICUT EXCEPTORIA AQUARUM) *Sicut* non est in Græco. Concepacula autem aquarum vocat aquas ripis inclusas, fluvii Jordanis scilicet.

Vers. 23.

QVONIAM IN PRÆCEPTO IPSIVS PLACOR FIT) *Ad præceptum ipsius* (sit) *quidquid ipsi placet.* Psalm. CXV. 2.

ET NON EST MINORATIO IN SALVTE IPSIVS) *Nemo est qui minuere possit salutem ipsius*: id est, ab ipso alicui destinatam. Genitivus efficientis, ut sæpe.

Vers. 24.

OPERA OMNIS CARNIS) Bona, mala, aperta, operta.

Vers. 25.

ET NIHIL EST MIRABILE IN CONSPECTV EJVS) Mirantur enim qui causas ignorant.

Vers. 26.

NON EST DICERE Non est cur quisquam dicat.

QVID EST HOC, AVT QVID EST ISTVD?) In Græco: Τί τοῦτο ἐστι, ubi τί est pro οὗ τί; quorsum hæc res?

OMNIA ENIM IN TEMPORE SVO QVÆRENTVR. Legit καιρὸν pro χρείαν, & ἐκζητεῖται, pro ζητεῖται. Græcus sensus, ut nos eum habemus, est optimus. *Omnia enim ad usum suum creata sunt.* Hoc est quod in partibus animantium, præsertim hominis, egregie ostendunt Aristoteles & Galenus.

Vers. 27.

BENEDICTIO ILLIVS) Id est, beneficentia, more Hebræo.

QVASI FLVVIVS INVNDAVIT, QVOMODO CATACLISMVS ARIDAM INEBRIAVIT) Terram datam Jacobi posteris omnibus bonis implevit.

SIC) Id est, ex adverso.

IRA IVSTIS GENTES QVÆ NON EXQVISIERVNT EVM HÆREDITABIT) In Græco: *Iram ejus gentes proprio ac perpetuo jure habebunt.* Id enim κληρονομεῖν.

Vers. 29.

QVOMODO CONVERTIT AQVAS IN SICCITATEM *Quasi converteret* Est enim inicitativus pro potentiali. Cohæret cum superioribus: nam sicut beneficia Dei fluvio & mari, ita mala immissa loco deserto comparat. Et bene Latinus ἅλμυρὸν vertit siccitatem. Nam eum sensum habet מלחה apud Jerem. XVII. 6. ubi Græci vertunt, γῆ ἁλμυρά.

ET SICCATA EST TERRA, ET) Non sunt hæc in Græco.

VIÆ ILLIVS VIIS ILLORUM DIRECTÆ SUNT) Puto scriptum fuisse ab interprete: *Viæ illius piis directæ sunt*: quomodo est in Græco: *si directæ sumas* pro rectæ. Mox pro *piis* per errorem scriptum *viis*, & sensui implendo additum *illorum*.

SIC PECCATORIBUS OFFENSIONES IN IRA EJUS) In Græco: *sic impiis offendicula* ponentur à Deo scilicet. Et rursus *sic* ponitur pro ex adverso: nam viæ rectæ, id est, planæ, qualem Deus piis parat, opponuntur locis confragosis, in quibus facilis lapsus.

Vers. 30.

BONA BONIS CREATA SUNT AB INITIO) id est, ordinata, ut supra 38, 12.

SIC NEQUISSIMIS BONA ET MALA) Hic quoque ex Evangelii loco Matth. V. 45. aliquid interseruit interpres, cum in Græco sit: *sic* (id est, ex adverso, *flagitiosis mala*,

Vers. 31.

INITIUM NECESSARIÆ REI VITÆ HOMI-

NVM) *Præcipua omnium utilium ad vitam humanam.* quomodo ἀρχὴ sumtum est etiam supra in sententia simili XXIX. 28.

PANIS SIMILAGINEVS) *Similæ tritici* in Græco.

ET BOTRVS VVÆ) In Græco: *Sanguis uvæ:* id est, vinum. Sic & infra vox aur L. 16. loquendi genus desumtum ex Mose, Gen. XLIX 11. Deut. 32, 14.

Vers. 32.

HÆC OMNIA SANCTIS IN BONA) Legit, εἰς ἀγαθὰ, sed melius libri alii: πάντα ταῦτα τοῖς ὁσίοις εἰς ἀγαθὰ. *Hæc omnia piis bona:* supple sunt ac manent.

SIC ET IMPIIS ET PECCATORIBVS IN MALA CONVERTVNTVR) In Græco: *Sic* (id est ex adverso) *peccatoribus vertuntur in mala.* Per se bona cum sint, ipsis tamen male cedent, quia aut sine modo utuntur, aut Deo gratias non agunt

Vers. 33.

SVNT SPIRITVS QVI AD VINDICTAM CREATI SVNT) Spiritum vocat vim quamcunque rebus ingenitam & efficacem, quia e rebus ita enatant, ut habitus ex homine. Sic scili & morbis id nomen tributum. Idem mox ὀργὴ vocabit.

ET IN FVRORE SVO) προσωποποιΐα.

CONFIRMAVERVNT TORMENTA SVA) Intenderunt flagella sua.

Vers. 34.

IN TEMPORE CONSVMMATIONIS) ἐν καιρῷ συντελείας, id est, ubi mensura judicii divini impleta fuerit. Id enim כלה Hebræis.

ET FVROREM EJVS, QVI FECIT ILLOS PLACABVNT) Sedabunt, κατασχεῖ. Satiare solent iram divinam.

Vers. 35.

IGNIS) Incendium, ut in Sodomis.

GRANDO) Legit χάλαζα, ut ex Sixtina. Sed alii libri habent, Σάλαττα, ut diluvium intelligatur quo olim punitum est humanum genus, & urbes terræque postea multæ. Grando autem sub fame satis comprehenditur, ut causa sub effecto.

FAMES ET MORS) Mors hic pestilentiam significat, ut diximus ad Matth. XXIV. 7.

OMNIA HÆC AD VINDICTAM CREATA SVNT) Videtur male repetitum ex superiori.

Vers. 36.

BESTIARVM DENTES) Deuter. 32, 24. Jer. XV. 3. Ezech. V. 17.

ET SCORPII) Deut. 8, 15.

ET SERPENTES) Sap. 16, 5.

ET ROMPHÆA VINDICANS IN EXTERMINIVM IMPIOS) Gladius hostilis, de quo vide dicto loco Jer, & Ezech. infra 46, 3.

Vers. 37.

IN MANDATIS EJVS) Dei. Legit, ἐν τῇ ἐντολῇ, quomodo est in Sixtina, non ἐν τῷ ἀπατεῶνι, ut habent libri alii.

EJVLABVNTVR) In Græco: ἐυφροσύνθησονται, *lætabuntur.* Prosequitur προσωποποιΐαν, quasi diceret, promptissimo animo exsequentur Dei mandata.

ET SVPER TERRAM IN NECESSITATE PRÆPARABVNTVR) Legit οἱ χρείαι, ut est in Sixtina, non ut in aliis, οἱ χρείαι. *parabuntur ad usus,* nempe ad quos sunt destinata.

ET IN TEMPORIBVS SVIS NON PRÆTERIENT VERBVM) Non omittent quicquam, nempe eorum quæ ipsis imperata erunt. Λόγος, id est, דבר, pro re.

Vers. 27. PROPTEREA) His expensis.

AB INITIO) Jam pridem.

CONFIRMATVS SVM) Adversus tentationes, quæ fidem de providentia divina concutiunt.

ET COGITAVI) Animo meo infixi plane rem sic habere ut dixi.

ET SCRIPTA DIMISI) *Et perscriptum reliqui.* Id scilicet quod jam dicet.

Vers. 39.

OMNIA OPERA DOMINI BONA) Non frustra ait se scripsisse quod supra habuimus 21.

ET OMNE OPVS HORA SVA SVBMINISTRABIT) *Suo quaque tempore ea quæ usui sunt exhibet.*

Vers. 40.

NON EST DICERE) Non est cur quis dicat.

HOC ILLO NEQVIVS EST) Id est, aliter res humanæ regi debuerant.

OMNIA ENIM IN TEMPORE SVO COMPROBABVNTVR) Id est, digna sunt laude. Nam ut malis male sit, bonum est universi.

Vers. 41.

ET NVNC) Id est, propterea.

COLLAVDATE ET BENEDICITE NOMEN DOMINI) Ve qui nihil faciat, nisi justissime.

De celebratione Dei. De celebratione Dei, & gratiarum actione debita *S. Bernhard.* in sententiis, *Deus,* inquit, *Creator tuus est, tu Creatura: Tu Servus, Ille Dominus: ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes. Illi præcipue Domino, qui te & fecit, & beneficit tibi.* Et S. Augustin. de Spirit. & liter. c. 13. *Deus,* ait, *à quo est omne bonum, colitur sacrificio laudis, gratiarumque actionis, ut cultor ejus non in se ipso, sed in illo glorietur. Gratitudinem autem poscit Deus non quod sibi sit utilis, sed quod tibi, qui ad recipienda beneficia plura & majora redderis idoneus. Gratiarum cessat decursus,* ait Bernh. in cap. jejun. serm. 2. *ubi non fuerit recursus.*

## CAPUT XL.

*Humanæ vitæ miseria. Impiorum instabilis felicitas. Beneficentiæ, sedulitatis, conjugis honestæ, sapientiæ, & timoris Domini per terminos comparationum commendatio. Et de cavenda inopia.*

Vers. 1.

OCCVPATIO MAGNA) ἀσχολία μεγάλη, multum negotii. Vide Eccles. 7, 30.

CREATA EST OMNIBVS HOMINIBVS) κέκτισται, id est, ordinatum est, ut diximus 39, 30. & 34.

ET JVGVM GRAVE SVPER FILIOS ADAM) Philemon:

Ἀνθρωπός ἐσμι· τοῦτο δ' οὐκ ἔστ' ἐν βίῳ
Πέφυκεν μεῖζον οὐδὲ τὸ λυποῦσθαι φέρει.

VSQVE IN DIEM SEPVLTVRÆ IN MATREM OMNIVM) *Usque in diem reditus in matrem omnium.* Sic enim in Græco est. Plinius II. 63. *Sequitur terra cui uni naturæ partium, eximia propter merita, nomen indidimus maternæ venerationis. Sic hominum illa, ut cælum Dei, quæ nos nascentes excipit, nascique alit, semelque editos fastinet semper, nullisque complexu gremio, jam ærumnosa natura abdicatos, tum maxime operiens, nullo magis sacra merito, quam quo nos quoque sacros facit.*

Vers. 2.

COGITATIONES EORVM ET TIMORES CORDIS) In Græco hæc in accusativo, sequentia in nominativo sunt posita. Subauditur enim ὦ admirantis nota, quæ modo nominativum, modo accusativum, sæpe & vocativum regit. Sic & Latine sine interjectione dicimus, *me miserum! & ego miser!* Cogitationes sunt illa quæ Menander sic describit:

Ἡμεῖς δὲ χωρὶς τῶν ἀναγκαίων κακῶν
Αὐτοὶ παρ' αὑτῶν ἕτερα προστιθέμεθα.
Ἀνάγκη δ' αὐτάρκη τιν' εἶτ' εἶτ' ἀπὸ κακῶν
Ὀργὴν ἔμοιγ'· ἀπ' ὀλιγοδεᾶς ἀσυλλογίστ' ἀεὶ
Ἀγωνία, δέος, φιλονικία, τύχαι,
Ἅπαντα ταῦτ' ἐπέσπασ' ἡ ῥᾳθυμία κακά.

ADINVENTIO EXPECTATIONIS) Spes quæ vitam pascunt.

ET DIES FINITIONIS) Mors ante oculos.

Vers. 3. A RESIDENTE SVPER SEDEM GLORIOSAM VSQVE AD HVMILIATVM IN TERRA ET CINERE) Supple obnoxii sunt isti miseriæ quam cœpi explicare & explicabo fusius. Simile loquendi genus Exod. 11, 5. 12, 29.

Vers. 4. AB EO QVI VTITVR HYACINTHO) *Qui fert hyacinthina.* Qui nos potentum Ezech. 16, 10. & 26, 7. in Græco.

ET PORTAT CORONAM) Vestebat in rebus lætis.

VSQVE AD EVM QVI ARMATVR LINO CRUDO) ὦ λέλινον erat linum vilissimum, cujus usus ad sordes aut manuum sordes abstergendas, & in medicorum operis.

FVROR) *Ira.*

ZELVS) *Invidia.*

TVMVLTVS) Perturbatio ex subitis malis.

FLVCTVATIO) Incerta consilia.

ET TIMOR MORTIS) Quod perpetuum est malum.

IRACVNDIA PERSEVERANS) Legit μῆνιμα, cum Sixtina, non μίνυμα. Differt autem μῆνιμα, sive μῆνις ab eo quod θυμὸς modo dixit, quod θυμὸς est motus animi, μῆνις, morbus manens, ἀπὸ τοῦ μένειν, ut volunt Scholiastæ ad primæ Homeri,

ET

ET CONTENTIO) ἔρις, quam ἀγωνίαν dixit Menander.

V. 5. ET IN TEMPORE REFECTIONIS ] Quietis.

SOMNVS NOCTIS IMMVTAT SCIENTIAM EJVS) Id est, mentem. Nam sic vocem Chaldæam מטרעא, quæ respondet Hebrææ כוּרע vel רעה, usurpat Daniel 4, 31. 33.

V. 6 MODICVM TANQVAM NIHIL IN REQVIE) Curæ plerisque parum, & quasi nihil somni permittunt.

ET AB EO IN SOMNIS QVASI IN DIE RESPECTVS) Legit σκοπίᾳ: Græci codices nunc habent σκοπιάς, sed vera lectio est σκοπιάς. Deinde, inquit, *in somno non minus quam per diem speculatur*: id est variis agitatæ cogitationibus. Ipsa quies est inquies.

Vers. 7. TANQVAM QVI EVASERIT IN DIE BELLI) Qui semper metuit, ne se insequatur hostis. Vide descriptionem Pompeji post prælium Pharsalicum apud Lucanum.

IN TEMPORE SALVTIS SVÆ) Id est cum omnia tuta sunt.

EXSVRREXIT) Expergiscitur ex atrocibus somniis.

ET ADMIRANS AD NVLLVM TIMOREM) Conterretur, cum nulla sit vera timendi causa. Sæpe θαυμάζειν, aut ut hic est, ἀποθαυμάζειν, sumitur pro pavescere, quia res sunt affines, & utraque Hebræis per verbum תמה (unde θαῦμα Græcum) significatur. Lucanus de Cæsarianis post victoriam Pharsalicam:

*Quos agitat Furiarum quies, somnique furentes,*

Ubi & sequentia vide libro VII.

*De vitæ humanæ calamitate.*

PVlchre *Nazianz.* in funebr. Orat. Cæsar. *Omnium*, inquit, *Creaturarum possiones in homine tanquam in centro conveniunt, qui homo est totius mundi Epitome. Vitæ longævioris spatium hoc affert, ut plura mala videamus, plura mala sustineamus, plura mala perpetremus.* Bernhard. super Ego vitis c. 3. *vita*, inquit, *plena dolore præteritorum, labore præsentium, timore futurorum.*

*Vita aloës multum mellis habet minimum.*

Vers. 8.

CVM OMNI CARNE AB HOMINE VSQVE AD PECVS, ET SVPER PECCATORES SEPTVPLVM AD HÆC) Ita distinguenda hæc sententia, & connectenda, non cum superioribus, sed cum sequentibus hoc sensu: Quæ jam recitabo mala non hominibus tantum, sed & mutis animantibus solent evenire: sed flagitiosis hominibus septuplo graviora quam cæteris. Hoc est, ἐπὶ τούτοις.

V. 9. MORS) id est, pestilentia: ut supra XXXIX. 35.

SANGVIS, CONTENTIO ET ROMPHÆA) Sic est in Sixtina. At in Græcis aliis alius ordo; *Contentio romphæa, & sanguis.* Contentio est inter homines. Est & inter feras ac pecudes. Gladius hostilis terrorem incutit, sæpe & sanguinem fundit.

OPPRESSIONES, FAMES) In Græco: ἐπαγωγαὶ λιμῷ, *immissiones famis.* Vox ἐπαγωγὴ de omni malo dicitur, ut jam aliquoties notavimus.

ET CONTRITIO) ἢ συντριμμάτων, *& vulneris*, nempe *immissiones*, ex præcedenti. σύντριμμα respondet Hebræo, נגף.

ET FLAGELLA) Id est, morbi, ut Marci 3, 10. & alibi sæpe.

V. 10. SVPER INIQVOS CREATA SVNT HÆC OMNIA) Id est, *ordinata*: nempe præcipuo quodam modo, ut jam dixit.

ET PROPTER ILLOS FACTVS EST CATACLISMVS) Quid mirum, inquit, si ob impios talia immittit Deus, cum ob tales totam terram diluvio olim merserit?

Vers. 11.

OMNIA QVÆ DE TERRA SVNT IN TERRAM REVERTENTVR) Etiam homines, utpote de terra sumti.

ET OMNES AQVÆ IN MARE REVERTENTVR) Id est, sicut omnes aquæ in mare revertuntur,

Conf. *Gen. III. 19. Job. X. 9. c. 34. 15. Ps. CIV. 29. Ps. CXLV. 4. Eccl. 12. 2.* Augustl. L. VII. de Civ. Dei. c. 1. *Homo putredo in exortu, bulla in vita, esca vermium in morte. In fordibus generamur, in tenebris fovemur, in doloribus parturimur. Terram gerimus, terram terimus, terra erimus. Necessitas nascendi abjecta, vivendi misera, moriendi dura. Ingressus flebilis, progressus debilis, egressus horribilis.*

V. 12. OMNE MVNVS) Res quæstu ἐκ διοχετείας,

ET INIQVITAS) Aliter inique parta.

DELEBVNTVR) Auferentur e familia.

ET FIDES) *Integripes*: id est, res honeste parta.

IN SÆCVLVM STABIT) Diu sequetur haredes.

De quo nota veriverbia vulgaria:

*Male parta, male dilabuntur,*

*De male quæsitis non gaudet tertius hæres.*

Vers. 13. SUBSTANTIÆ IN IUSTORUM SICUT FLUVIUS SICCABUNTUR) Id est, *ut torrens.* Nam etiam torrentes amnis nomine vocant, ut Latini veteres, ita & Hebræi. Ita hic sumendam vocem apparebit legenti Jobum 6, 15.

ET SICUT TONITRUUM MAGNUM IN PLUVIA PERSONABUNT] Erunt in fama: sed illico desinent.

V. 14. IN APERIENDO MANUS SUAS LÆTABITUR) Aliquis, improbus scilicet, gaudet cum munera ad corrumpendum judicium accipit.

SIC PRÆVARICATORES IN CONSUMMATIONE TABESCENT) Deest *sed*: sensus enim est: sed qui eum in modum legem transgredientur, quæ muneris ob judicandum accipi vetat, Exod. 23, 8. Deut. 16, 19, randem defitient.

V. 15. NEPOTES IMPIORUM NON MULTIPLICABUNT RAMOS) Posteri eorum non relinquent posteritatem.

ET RADICES IMMUNDÆ SUPER CACUMEN PETRÆ SONANT) ὡς hic est comparationis additæ ad id quod præcedit hoc modo: *Non magis quam radices immundæ* (id est, essi inutiles) *in prærupta rupe.*

Quo pertinent comminationes *injustitiæ* & injustis factæ *Job. 20. 15. 18. 19. Prov. X. 23. c. 13. 21. c. 21.* Comminationes injust. *6. 7. c. 22. 16. Es. V. 8. Jer. 22. 13. Ez. 18, 12. 13. Am. 7, 12. Sir. c. 8. 4. seqq. Mich. 2. 1. seqq. Heb. 2. 6. Sir. 7, 3.*

V. 16. SUPER OMNEM AQVAM VIRIDITAS, ET AD ORAM FLUMINIS ANTE OMNEM FOENUM EVELLETVR) Prima vox hujus sententiæ recte scribitur in Sixtina, ἄχη: ea est vox Ægyptia, ut diximus ad Genes. 41, 2. significat viridia illa quæ oriri solent in campis à Nilo inundatis, aut etiam in ripis, quæ Græcis χλόη dicuntur, quæque omni herba (nam χόρτος hic herbam significat) citius exarescunt.

V. 17. GRATA SICUT PARADISUS IN BENEDICTIONIBUS) *Beneficentia faciendo est instar paradisi.* Est παράδεισος vox barbara, notante Pollice, פרדס. Cant. 4, 13. Neh. 2, 8. significat horum pomiferis arboribus consitum atque conseptum. Est paradisi talis elegans descriptio apud Procopium Vandalicorum I.

ET MISERICORDIA IN SÆCULUM PERMANET) Retributio beneficentiæ. ἔλεος enim hic est חסד idem quod χάρις.

V. 18. VITA SIBI SVFFICIENTIS OPERARII CONDVLCABITVR) Deest hic ὡς: nam duo proponit quibus deinde comparat tertium. *Vita*, inquit, *satis dulcis est habenti de se quæ sufficiunt: aut etiam labore ea quærenti*, αὐτάρκεις dicuntur res sufficientes, Prov. 30, 9. Supra V. 1. XI. 24. & inde αὐτάρκεια, Lucretio:

*Ipse suis pollens opibus.*

ET IN EA INVENIES THESAVRVM) In Græco: *Et super illos ambes* (est enim neutrum hic pro masculino, quasi subauditur γένος.) *felix est qui thesaurum invenit.* Id est, cui Deus nec cogitanti magnas opes affundit, quod sæpe facit liberalibus ac beneficis, Thesaurus, Dei donum, Apollonio Tyanensi.

Vers. 19. FILII ET ÆDIFICATIO CIVITATIS CONFIRMABIT NOMEN) Faciunt ut durer: nam & posterenas de progenitoris nomine dicitur, ut Perſidæ, Heraclidæ, Alexadæ, & urbes de conditorum nominibus, ut Ninos, Alexandria, Seleucia, Antiochia, Tigranocerta,

ET SVPER HÆC MVLIER IMMACVLATA COMPVTABITVR) In multis Græcis hoc deest. At in Sixtina est: ὅτι μωμοφόρον γυνὴ ἀμώμῳ λογίζεται. Sic Mausolum celebrem fecit Artemisia.

Vers. 20. VINVM ET MVSICA LÆTIFICANT COR) Conjungit hæc duo sæpe inter se Plato.

ET SVPER VTRAQVE DELECTIO SAPIENTIÆ) ἐμφιλοσόφως. sed Hellenismus duabus vocibus id eloquuntur, ἀγάπησις σοφίας.

Vers. 21. TIBIÆ ET PSALTERIVM SVAVEM FACIVNT MELODIAM) Id est, cum voluptate audiuntur: egregium sunt ἀνάθεμα. De Psalterio vide Dan. III. 5. 7. 10. & Sap. 19. 17.

ET SVPER VTRAQVE LINGVA SVAVIS) Sermo hominis dicitur.

De Musica *Justinus* q. CVII. ad Orthod. *Excitat, De Musica.*

inquit, *hac tum voluptate quadam animum ad flagrans ejus, quod carmine celebratur, desiderium: affectiones & concupiscentias carnis sedat: cogitationes malas inimicorum, quas cernere non est, amolitur, mentem ad fructificationem divinorum bonorum rigat, pietatis decertatores generosos & fortes per constantiam in rebus adversis efficit, omnium rerum, quæ in vita tristes & luctuosæ accedunt, piis affert medicinam.* Rabanus ad h. l. *Vinum & ars musica cum instrumentis suis per vocis sonoritatem naturaliter delectant & movent humanum animum: sed dilectio sapientiæ & lingua suaviter docens multo plus confortat cordis intellectum.* Justin. Orat. ad Gentes: *Sicut incantator perstus, inquit, formidabilem serpentem fugat, postquam fecit, ut è suo latibulo reperet: sic sermo ex intimis animi penetralibus formidabiles sensuum affectus expellit, ac primum cupiditatem, ex qua quicquid formidabile est, nascitur.*

V. 22. GRATIAM ET SPECIEM DESIDERABIT OCVLVS TVVS) In multis Græcis deest *tuus*. Per χάριν intellige corporis *συμμετρίαν* per *κάλλος*, ea quæ in extima sunt facie.

ET SUPRA HÆC VIRIDES SATIONES) *Herbas segetis.* Mire enim oculos delectant & juvant viridia.

Ex commistione enim lucidi, & opaci oriuntur omnium colorum varietates, ut hist. l. III. de anim. docet, viridis autem color lucem opacitati congruente habet temperatam, ita ut visum acuat, excitet, delectet, corroboret. *Plinius* l. XXXVII. c. 1. *Nullius, inquit, coloris aspectus oculis jucundior est. Nam herbas quoq; virentes frondesque avide spectamus: Smaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret.*

V. 23. AMICVS ET SODALIS IN TEMPORE CONVENIENTES) Sapple sunt. Sensus est: & amicos & sodales, ubi opus est, utiles esse sibi mutuo. ἀκτητῶς est adjuvare, utilem esse, ut Jerem. XV. 2. Differentiam amici & sodalis sic explicat Ammonius: *φίλοι μὲν γάρ εἰσιν οἱ πάντες εἰ τὰ τῆς φιλίας δίκαια πρὸς ἑαυτὸν ἔχοντες· ἑταῖροι δὲ οἱ ἰδίως οἱ κατὰ τὴν ἡλικίαν συμπαλαίοντες ἔχοντες, καὶ ἐν τῇ συνεργίᾳ πολὺ χρῶνται γεγονότες.*

*De amicitia.*

*Seneca* l. VI. de Benefic. c. 12. *Non sic mihi cum amico communia omnia sunt, quomodo cum socio, ut pars mea sit pars illius, sed quomodo patri matrique communes sunt liberi. Cicero* de amicit. *Amicitia, inquit, est sanctissima illa & familiarissima conjunctio inter duos aut tres ex mutuo amore consulta, in qua est omnium studiorum ac voluntatum summa consensio. Amicitiæ vis in eo est, ut unus quasi animus fiat ex pluribus.*

Versf. eod. ET SUPER VTROSQVE MULIER CVM VIRO) Plus alter alteri prosunt. Hipponax:

Ὅστις δ' ἀγρυπνὸν τὸν γυναικ' ἄγαν λαβὼν,
Βιωσεγρὴν ἀντ' ἀνεπαύσης ἴχνι,
Εὕδων, βεβαίως εἰς ἅπαντα τὸν βίον.

Conf. *Gen. 2, 24. Eph. V. 31, Prov. 18, 21. Sir. 26. 3. c. 36, 26.*

V. 24. FRATRES IN ADJVTORIVM IN TEMPORE TRIBULATIONIS) Duo poni hic oportet, ut sint in Græco: *Fratres & adjutores in tempore calamitatis:* eruere aliquem possunt fœlicet, per ὑπόζευγμα.

ET SUPER EOS MISERICORDIA LIBERABIT) Quia

*Bona comparat præsidia misericordia.*

Nec apud homines tantum, sed vel præcipue apud Deum.

V. 24. AURUM ET ARGENTVM EST CONSTITUTIO PEDUM) Fedes hic per μεταφορὰν id significant quod à pari similitudine statum dicunt Latini. Eum bene uteri solent quibus affluunt divitiæ. Vide Prov. XIII. 18.

ET SUPER UTRUMQUE CONSILIUM BENEPLACITUM) *In fama est:* εὐδοκιμεῖται: id est, plura memorantur exempla eorum quos bonum consilium, quam quos pecunia malis exemerit.

Huc facit dictum *Antonini Pii* Imperat. *Æquius est, ut ego tot talumque amicorum consilium sequar, quam ut tot tales q. amici meam unius sequantur voluntatem.* Conf. *Prov. XI. 12. c. XX. 18.*

V. 26. FACULTATES ET VIRTUTES) Fecuniæ & corporis vires.

EXALTANT COR) Id est, fiduciam addunt.

ET SUPER HÆC TIMOR DOMINI) *Super utraque* hæc pietas. Habet enim magnifica promissa. Plutarchus versum quendam Græcum sic corrigit:

Θάρσος τὸ θεὸν τεῖσι σεβόσοι βροτῶν.

V. 27. NON EST IN TIMORE DOMINI MINORATIO) Nihil in eo damni, Euripides:

Οὐδὲν κάκιστον τὸ σέβειν θεούς.

ET NON EST IN EO INQUIRERE ADJUTORIUM) *Non est cur quærat sibi auxilium*: vir pius fœlicet. Id autem est, non deerit illi auxilium à Deo.

*Basil.* in Ps. 14, 4. *Magno prorsus, & præstanti animo opus est, & qui in nullam se sinat deflecti partem humanarum rerum, quiq, virili fortitudine præditus ad summum jam pervaserit justitiæ habitum, suum jus ut cuiq, pro dignitate dispertiat, ac distribuat, & malignæ agentem noverit ad nihilum deducere, &c.*

*Magnanimitate injusto Regente requiritur.*

V. 28. TIMOR DOMINI SICUT PARADISUS BENEDICTIONIS) Id est, fœcundus, ut supra. 17.

ET SUPER OMNEM GLORIAM OPERUERUNT ILLUM) *Operitur ille*: nempe Deum rimens. Sæpe enim hæc concreta ex abstractis subintelliguntur. Et activum sine persona pro passivo frequens Hebræis. Plus habet gloriæ quam qui regaliter vestiuntur.

Conf. *Ps. 33, 17. Ps. 34, 10. Ps. 61, 6, Ps. 24, 10. Ps. 122, 3. Ps. 115, 13. Ps. 128, 4. Ps. 145, 19. Prov. 22, 4. Sir. 1, 11. 13. 19. c. 34, 14.* Syrus hic addit adhuc duas sententias, fed quæ nec in *Græco* nec *Latino* textu reperiuntur: *Filimi, ei qui poscit te, ne deneges. Ne sis bonus ad occidendum, sed esto bonus ad vivificandum.*

Versf. 29. FILI IN TEMPORE VITÆ TUÆ NE INDIGEAS: MELIUS EST ENIM MORI QVAM INDIGERE) In Græco: Fili ne tibi eveniat vitam mendici agere: mori enim satius quam mendicare. Undique enim petuntur opprobriis.

Πτωχοῦ ἀνυφεῖ, βιωτὸν ἀπολυμαίνεσθαι.

Ut videretur Odyssæ P.

V. 30. VIR RESPICIENS IN MENSAM ALIENAM NON EST VITA EJVS IN COGITATIONE VICTVS) In Græco: *κρεῖσσον βίβιτον οἰκ ἀλλοτρίας τραπέζῃς, ἢ ἐχειν βίον ἐν λογισμῷ ζωῆς.* A mendicis ad parasitos venit. *Vir*, ait, *qui alienam mensam respicit, vitam habet quæ pro vita reputanda non est.*

ALIT ENIM ANIMAM SUAM CIBIS ALIENIS) *Semetipsum exponit contemptui ob cibos alienos.* Hoc significatu ἀλωγεῖν habes Malach. I, 12. Apud Terentium quidam de parasito: *Viden' ossum & cibus quid facias alienus?* apud Eupolin vero de se & sui similibus parasitus:

Εἰσ' ἐπὶ δεῖπνον ἐγχεκεκλῃκὼς ἀλλοθι ἀλλ' ἐμοὶ
Μάζα ἐν' ἐλθόντος.

Versf. 31. VIR AUTEM DISCIPLINATUS ET ERUDITUS CUSTODIET SE) *φυλάξεται, cavebit sibi*, à tam turpi vitæ genere.

V. 32. IN ORE IMPRUDENTIS) Scripsit interpres *impudentis* ἀναιδοῦς.

CONDULCABITVR INOPIA) Dulcis erit mendicitas.

ET IN VENTRE EJUS IGNIS ARDEBIT) Ingens edendi aviditas. Ovidius in famis descriptione:

—— —— *furit ardor edendi*
*Pergq, abidas fauces, immensaque viscera regnat.*

Est postea:

*Vique rapax ignis non unquam alimenta recusat,*
*Dumq, magis cremat, & quo copia major*
*Est data, plura cupit, turbaque voracior ipsa est:*
*Sic epulas omnes Eresichthonis ora profani*
*Accipiunt poscuntque simul.*

*Plutarchus* in Laconicis laudat *Lacedæmonios, De mendquod mendicos* habuerint velut *infames*, & *mendicitatem* velut *probrum*, eo quod & *otium odissent*, & *minimo essent contenti.* Unde Lacon mendicanti respondit: *si quid dedero, magis futurus es mendicus, atq, isthuc probrosæ vitæ tuæ auctor fuit qui tibi primus dedit, teque fecit inertem.* Platonis l. XI. de Rep. hæc lex erat: *Nemo in nostra civitate mendicus esto.* Idem l. IIX. de Rep. *in ea Civitate*, ait, *in qua videas mendicos ibidem esse fures, latebras quærentes fœlores, sacrilegos & hujusmodi scelerum artifices.* Areopagitæ in judicium vocabant eos qui *nullis facultatibus* victitabant. Quo faciunt *Constitu-*

*stitutiones Caroli M.* ut & *Gratian. Valentinian. Theodosii*, in Codice Justin. sub titulo de *validis mendicantibus*, ne quicquam mendicis palantibus, ac vagantibus tribuatur; Conf. *Deut. XV. 4. Prov. XXI. 8. 2. Thess. III. 10.*

## CAPUT XLI.

*Quibus amara, quibus grata mors. Impiorum posteritas maledicta. Bona fama omnibus præferenda. Dona DEI non occultanda. Quindecim genera eorum, de quibus erubescendum.*

Vers. 1.

O MORS QUAM AMARA EST MEMORIA TUA?) κατάκρισις pro *tui cognitio*. Vide supra 24, 28.

HOMINI PACEM HABENTI IN SUBSTANTIIS SUIS) Ἐμπεύοντι. Id vero more Hebræo significat *feliciter agenti*.

Vers. 2.

VIRO QUIETO) Bene vertit ἀπερισπάστῳ nam περισπᾶσθαι inter alia est negotiis distrahi.

ET CUJUS VIÆ DIRECTÆ SUNT IN OMNIBUS) *Cui cuncta succedunt prospere*. Id enim est εὐοδοῦσθαι.

ET ADHUC VOLENTI ACCIPERE CIBUM) Id est, cui appetitus nondum prostratus jacet. Vide Ecclesiastæ XII. 5. Menander:

Ὅταν ἡ γάμου τις ἐνδεὴς τε τὸν βίον,
Οὐδ' ἀντὸ δύσεκεν θυσίᾳ. καὶ ἐν τῷ καλῷ;
Ἐκλέτερον αὐτοῦ τὸν ἀτύχημον φέρει.

Vers. 3.

O MORS BONUM EST JUDICIUM TUUM?) Jus quo in homines uteris. Vide supra 38, 23.

HOMINI INDIGENTI, ET QVI MINORATUR VIRIBVS) Cui vires deficiunt. Singula membra singulis modo dictis opponuntur.

Vers. 4.

DEFECTO ÆTATE) Decrepito: id enim est, ἐσχατογήρᾳ. Habes hanc vocem & infra 42, 9.

ET CUI DE OMNIBUS CURA EST) *Qui in omnibus rebus agendis* ipse *occupatur*: id est, alios non habet qui eum sublevent.

ET INCREDIBILI QVI PERDIT PATIENTIAM) καὶ ἀπεύχεται καὶ ἀπολωλεκότι τὴν ὑπομονήν, id est, *ei qui non credit se sanitatem recuperare posse, atque ultra* vitæ incommoda *perferre non posse*. Menander:

— — οὐδ' ἀνωδύνοκαι ὅτῳ
Ζῆν καὶ παθεῖν δὲ βέλτιον.

Vers. 5.

NOLI METUERE JUDICIUM MORTIS) Legem illam:

*Quod natum est, potest mori.*

MEMENTO QVÆ ANTE TE FUERUNT, ET QVÆ SUPERVENTURA SUNT TIBI) Ut neutra sumsit, quæ per masculinum rectius transferas, hoc sensu: cogita eos qui ante te fuerunt, & post venturos, omnes nempe eidem legi subjectos fuisse & fore.

HOC JUDICIUM A DOMINO OMNI CARNI) Euripides:

Βροτοῖς ἅπασι κἀμὲ δυσὶν ὀφείλεται.

Aristophanes:

Τὸ γὰρ φοβεῖσθαι τὸν θάνατον λῆρός ἐστιν.
Πάσιν γὰρ ἡμῖν τοῦτ' ὀφείλεται παθεῖν.

Vers. 6.

ET QUOD SUPERVENIET TIBI IN BENEPLACITO ALTISSIMI) *Cur recusas quod Deo placet?* καὶ τὸ μέρισμα φόβου.

SIVE DECEM, SIVE CENTUM, SIVE MILLE ANNI: NON EST ENIM IN INFERNO ACCUSATIO VITÆ) Illud *enim* in Græco non est, & sine eo sensus melius cohæret. Non exprobrabitur tibi apud Manes, quod parum aut diu vixeris.

QUo faciunt Philosophorum sententiæ similes. Platonis, *molestior est fortunatis mors, quam laboriose viventibus*; Senecæ in Proverbiis, *o vita misera longa, felix brevis*. Secundi Philosophi, qui ab Adriano Imper. rogatus, *quid esset mors?* Laertio perhibente respondit, *Mors est æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium* &c. De morte divitum *Chrysost.* apud Antonium in Melissa: *Mors*, inquit, *hominis divitis & fortunati est duplex, quia animæ ejus æque adhæret divitiis & felicitati, ac corpori: quare dum ab utrisque avellitur, duplicem quasi oppetit mortem. De vita* autem *miseri* cum August. serm. CXIII. de tempore dixeris: *Quid est diu vivere, nisi diu torqueri? Quid est aliud diu vivere, quam malos dies malis diebus addere?*

Vers. 8.

FILII ABOMINATIONUM FIUNT FILII PECCATORUM) In Græco: *Exsecrabiles sunt filii peccatorum*. Non consistunt exempla ubi incipiunt,

*Ætas parentum pejor avis tulit*
*Nos nequiores, mox daturos*
*Progeniem vitiosiorem.*

ET QVI CONVERSANTVR SECUS DOMOS IMPIORUM) *Et sunt conversantes in vicinia impiorum*. Parum distant flagitiosi à manifeste impii. παροικία hoc loco est vicinia, ut Psalm. LV. 16. & apud Græcos sæpe.

Vers. 9.

FILIORUM PECCATORUM PERIET HÆREDITAS) Male parta male dilabuntur.

ET CUM SEMINE ILLORUM ASSIDUITAS OPPROBRII) *Permanet opprobrium.*

Τὰ δὲ τ' ἀμαιρότερα γενεῆ μετόπισθε λίλειπται,

ait hoc ipsum argumentum tractans Hesiodus.

Vers. 10.

DE PATRE IMPIO QVERIUNTUR FILII, QUONIAM PROPTER ILLVM SUNT IN OPPROBRIO) Etiam liberis non malis sæpe exprobratur parentum impietas.

Δυοῖν γὰρ ὄντοιν, κἂν θρασύστομος τις ᾖ,
Ὅταν ξυνεῖῃ μητρὸς ὁ πατὴρ κακά.

ait in Hippolyto Euripides.

Vers. 12.

ET SI NATI FUERITIS IN MALEDICTIONE NASCEMINI) Secutus est lectionem vitiosam. Vera est: ἐὰν γὰρ παλιγγενῆτε, εἰς ἀπώλειαν γεννήσετε, ἡμῖν ἐὰν ἀποθάνητε, εἰς κατάραν μεριμνήσετε τε: deinde aliquis illud, παλιγγενῆτε, quod est obscurius, exposuit per γεννήσετε. Quidam & pro κατάραν, scripsere pari sensu κατάραι. Sed commodissima est quam posuimus lectio, Sensus autem: *Si soboles fueritis vobis, generatis ad exitium*: (liberos) *ubi morientes exsecrandis annumerabimini.*

Vers. 13

OMNIA QUÆ DE TERRA SUNT IN TERRAM CONVERTENTUR: SIC IMPII A MALEDICTO IN PERDITIONEM) In Græco: *Sic impii in exitium*: Id est, sicut terra terræ debetur, ita malis mala:

Εἰ δεῦ' ἔδρασας, δεινὰ κἀμὲ παθεῖν σε δεῖ;

ait Sophocles Aiace Locro,

Vers. 14.

LUCTUS HOMINUM IN CORPORE IPSORUM) Multi quidem lugent eos, cum corpus sepelitur.

NOMEN AUTEM IMPIORUM DELEBITUR) In Græco: *Attamen nomen hominum non bonorum delebitur.* Nam ἐκ ἀγαθῶν legendum, non ἐκ ἀγαθοῦ. Est quod in quibusdam est ἀμαυρωθῇ, ex glossemate in textum male irrepsit.

Vers. 15.

CURAM HABE DE BONO NOMINE) Bene *bono* addidit interpres, ut planior esset sensus.

HOC ENIM MAGIS PERMANEBIT TIBI, QUAM MILLE THESAURI PRETIOSI ET MAGNI) In Græco: *Quam mille thesauri magni ex auro.* Græca est sententia:

Καλῶς ἀκοὴ μᾶλλον ἢ πλουτεῖν ὄφρα.

Ovidii vero:

*Omnia si perdas, famam servare memento.*

Vers. 16.

BONÆ VITÆ NUMERUS DIERUM) Vita quantumvis bona ac commoda, non diu durat. Dies ejus facile numerari possunt.

BONUM AUTEM NOMEN PERMANEBIT IN ÆVUM) In multa facula. Exemplo sit illud Euripidis in Hippolyto:

Ὦ μάκαρ, εἴπερ ὄλβιος τις
Ἰητικὸς ἔφυς, διὰ σωφρονεῖν.
Οὐκετι δυστὸς ἀρότῳ ἅπαξ
Δύναμις μείζων.
Ἦδη γὰρ ἡ πρὶν ἀμετέπιστος
Τῶν ἐνοφίων ἡ χάρις ὠδαί.

Conf. *Prov. 22. Eccl. 7.*

Vers. 17.

DISCIPLINAM IN PACE CONSERVATE FILII) *In rebus prosperis.* Tunc enim maxime opus prudentia.

SAPIENTIA ENIM ABSCONDITA ET THESAVRVS INVISVS, QUÆ VTILITAS IN VTRISQUE) Rursus rectis pro obliquo. Sensus enim: quæ utilitas in his duabus rebus, in sapientia latente, aut in thesauro inspiciuo? Habuimus eandem sententiam supra xx. 31. Sic & a ludalios collectores eadem sæpe sententiæ sub diversis ponuntur titulis.

Vers. 18.

MELIOR EST HOMO QVI ABSCONDIT STVLTITIAM SVAM, QVAM HOMO QVI ABSCONDIT SAPIENTIAM SVAM) Et hoc habuimus supra xx. 32. Vers. 19.

VERVMTAMEN REVERE MINI IN HIS QVÆ PROCEDVNT DE ORE MEO) *Igitur verecundi de iis quæ dicam.* Legendum enim ὁ τραπεὶς, ut in Sixtina, pro quo male in aliis ὁ τραπέτεσαι.

Vers. 20.

NON EST ENIM BONVM OMNEM REVERENTIAM OBSERVARE) *Omnem pudorem vitare.* Nam sic διαβολάντων sumitur, Proverb. VI. 24. & alibi. Sensus idem qui supra IV. 25.

ET NON OMNIA OMNIBVS BENE PLACENT IN FIDE) In Græco legitur quidem: νῦν δὲ πάντα τοῖς πᾶσιν ὁ πίστει ἐνδιαιτώμενος: Sed legendum puto, πᾶσιν ἀπιστεῖν. Non est laudabile nulli credere. Sicut pudor quidam bonus; sic & credulitas, si ita loqui licet:

*Ai πίστεις γὰρ ὁμῶς τῶν ἀπιστιῶν ἀλίσκονται ἀνόμοις.*

Quod generaliter dixerat, exemplis quibusdam explicat: & primum in quibus rebus pudor sit laudabilis: additurus deinde, ubi noceat.

Vers. 21.

ERUBESCITE A PATRE ET MATRE DE FORNICATIONE) Apud eos obscœna loqui aut facere.

ET A PRÆSIDENTE ET POTENTE DE MENDACIO) Mendacia tunc maxime cavenda sunt, ubi cum Magistratu res est. Quod Terentius dicit:

*Nam qui mentiri aut fallere instituit patrem*
*Aut matrem, tanto magis audebit cæteros:*

Idem ad publicos parentes non minus recte aptes, Ἐν ἀγορᾷ ἀψευδεῖν: lex erat Græca.

Vers. 22.

A PRINCIPE ET A IVDICE DE DELICTO) Nam quæ clam fiunt forte pœnam evadunt: quæ autem coram lege aut judicium aliquo, ut manifesta, statim punitri solent.

A SYNAGOGA ET A PLEBE DE INIQVITATE) Synagogam hic intelligo συνέδριον τὸ μέγα, & ὄχλον seditionem. Statim enim opprimeris aut à senatus apparitoribus, aut ab ipsa multitudine.

V. 23. A SOCIO ET AMICO DE INIVSTITIA) Nam & amicitiam & societatem eo modo dirimes.

ET DE LOCO IN QVO HABITAS DE FVRTO) Congruentet præcedentibus dici debuit, *à loco in quo habitas*, nempe tanquam incola, si ibi furteris, statim sine venia ejicieris finibus: nisi quid etiam pejus tibi eveniat.

Καὶ θανάτου, τῶν ξενοδόχων εἶδος.

DE VERITATE DEI ET TESTAMENTO) Legitur quidem in Græco ἀπὸ ἀληθείας θεοῦ καὶ διαθήκης: sed legendum putem: ἀπὸ λόγου θεοῦ καὶ διαθήκης. Pudeat te Dei aut legis ejus oblivisci.

DE DISCUBITU IN PANIBVS) Puto scripsisse interpretem, *de decubitu*, & decubitus voce intellexisse τὸν πῆξιν ἀγκώνων, ut in Græco est. Pudeat te cubitum mensæ imponere.

ET AB OBFVSCATIONE DATI ET ACCEPTI) A fraude in contractibus, ἐκφασκιμοῦ inter alia à Græcis exponitur, ἀπάτης. Quod Græci una voce dicunt συναλλαγμα, & latini contractum, id hic scriptor more Hellenistico dicit δοσεως καὶ λήψεως, XLII. 8.

Vers. 25.

A SALVTANTIBVS DE SILENTIO) Pudeat non resalutare salutantem.

A RESPECTV MVLIERIS FORNICARIÆ) Meretricem invisere pudeat. Id enim hic ἐφορᾶσθαι.

ET AB AVERSIONE VVLTVS COGNATI) Bene legit συγγενεῖς, ut est in Sixtina, non ut in aliis ὑγιεῖς. Pudeat te avertari propinquorum preces. Hoc explicans quidam margini adscripserat: *Ne avertas faciem à proximo tuo.* quod in Latinum textum penetravit, cum in Græco non sit.

ET AB AVFERENDO PARTEM, ET NON RESTITVENDO) In Græco: *Ab ablatione partis & dationis:* ubi est ἀπὸ διαδόσεως, pro *partis danda.* Si de publico aut commu i aliquid distribuere jussus sis, pudeat te ullam partem inde subtrahere.

Vers. 27.

NE RESPICIAS MVLIEREM ALIENI VIRI) In Græco: ἀπὸ κατανύσεως γυναικὸς ὑπάνδρου. Pudeat te familiarem esse nuptæ alterius; id enim suspiciones & rumores non bonos solet excitare.

ET NE SCRVTERIS ANCILLAM EJVS, NEQVE ●TETERIS AD LECTVM EJVS) Græca lectio nonnihil variat; sed optima lectio est: ἀπὸ περιεργείας παιδίσκης, μὴ ἐπιστῆσῃς ἐπὶ τὸν κοίτον αὐτῆς. *Pudeat te curiosè* (ou ullis devorantibus, ut Martialis loquitur) *aspicere ancillam alienam, aut etiam prope ad locum ubi cubat accedere.* Nimirum quia facile Dominus eo offendi posset.

Præclarum est monitum *Demetrii Phalerei* adolescentibus datum, *ut* scilicet *domi parentes, in via Nos ipsos obvios, in solitudine seipsos revereantur. Malum, reverentiam si solus fueris*, inquit idem Demetrius, *neque mur. dixeris, neque feceris. Disce autem teipsum multo magis quam alios reverere.* Atque ideo *Isocrates* Democritum in hunc instruxit modum: *Nunquam quicquam turpe faciens spera te latiturum. Nam ut alios lateas tibi ipse conscius eris. Omnia videare facere, tanquam neminem lateas: licet enim nunc lateas, post tamen conspicieris.*

Vers. 28.

AB AMICIS DE SERMONIBVS IMPROPERII) Pudeat te amico probra ingerere.

ET CVM DEDERIS NE IMPROPERES) Aut exprobrare data. Vide supra XVIII. 18. 20, 14. 22, 24. 26.

Huc facit instructio Dæmonici ipsa facta ab *Isocrate*: *si quos vis facere amicos, bonum quippiam dic de ipsis ad renunciaturos. Principium enim amicitiæ laus, simulatis vero vituperatio.*

## CAPUT XLII.

*Post decimum sextum erubescendorum, revelationem nempe secretorum subjunguntur Tredecim genera eorum de quibus non erubescendum. Porro agitur de custodia virginum & cavendo consortio mulierum, deque sapientia divina, quæ in creaturis conspicitur.*

Vers. 1.

NON DVPLICES SERMONEM AVDITVS) Hæc plane cum superioribus connectenda erant. Pergit enim dicere quorum pudere debeat: περὶ ἀπὸ δυσωπούσεως. Pudeat te cum aliorum tædio reperrere quæ dixeris. Vide supra XIX. 6. Sequitur in Græco: περὶ λόγου ἀκοῆς, id est, pudeat te pro certis affirmare quæ non ipse tuis sensibus percepisti, sed ex aliorum relatu habes.

Καὶ ἀποκαλύψεως πρὸ λόγου κρυβίου) Pudeat etiam te arcana tibi credita aliis prodere. Vide supra XX. 26.

ET ERIS VERE SINE CONFVSIONE) In Græco: *Eteris vere* id est, quatenus oportet, *verecundus.*

ET INVENIES GRATIAM IN CONSPECTV OMNIVM HOMINVM) *Apud omnes.* Nam rectus pudor mire homines commendat.

NE DE HIS OMNIBVS CONFVNDARIS) Sicut alibi dixerat, ut & Hesiodus & Euripides, alium bonum, alium malum esse pudorem, post boni pudoris exempla, quædam mali pudoris genera explicare hic aggreditur, quod ex parte & supra fecerat. 4. 26. & sequentibus, & 20, 23.

Laudat Maximus Sent. XX. Demosthenem, quod cuidam graveolentiam oris sibi exprobranti responderit: *Bene dicis, multa enim in eo secreta computruerunt.*

V. cod. ET NE ACCIPIAS PERSONAM VT DELINQVAS) Et hic & in Græco est pro *nempe:* incipit enim commemorare multos pudores. Primus est, per quem quis reverentia potentis in delictum inducitur. Idem significavit supra XX. 22.

Vers. 2. ET DE LEGE ALTISSIMI, ET DE TESTAMENTO) Malus pudor qui impedit loqui pro lege & promissis Dei, ubi datur occasio.

ET DE IVDICIO IVSTIFICARE IMPIVM) Aut qui vetat obloqui sententiis eorum qui id agunt, ut nocentem absolvant.

Præ-

Præclare *Isidorus* l. III. Sententiar. 53. *Qui consanguinitatis vel amicitiæ favore, sive inimicitiarum odio judicium perverterunt, sine dubio in Christum, qui est veritas & justitia peccare noscuntur.* Conf. Deuteron. XI. Ezech. XIII. 9. Judicium perverterunt.

Vers. 3.

DE VERBO SOCIORVM ET VIATORVM) Qui impedit quo minus quis aut sodales aut viæ comites suavi sermone oblectet.

ET DE DATIONE HEREDITATIS AMICORUM) Qui prohibet amicis bene meritis legata relinquere, nempe ne propinqui offendantur.

Vers. 4. DE ÆQVALITATE STATERÆ ET PONDERVM) Qui vetat queri de falsa mensura ac ponderibus, quæ & privatim & publice nocent.

DE ACQVISITIONE MULTORUM ET PAUCORUM) Qui prohibet sine injuria acquirere opes, aut magnas invidiæ metu, aut parvas, ne minus generosus videaris.

Vers. 5. DE CORRUPTIONE EMPTIONIS ET NEGOTIATORUM) In Græco: *De pecunia venditionis mercatorum.* Malus est pudor qui verat flagitare pretium à mercatore qui rem emit. Bona nomina non interpellando fiunt mala.

ET DE MULTA DISCIPLINA FILIORUM) Malus pudor qui verat assiduum esse in liberis instituendis.

ET SERVO PESSIMO LATUS SANGUINARE) Aut qui vetat servos admonere flagris. Apud Hebræos latera præcipue loris cædebantur. Vide supra XXX. 11.

Vers. 6. SUPER MULIEREM NEQVAM BONUM EST SIGNUM) *Adversus mulierem improbam utilis est annulus:* nempe qui penum reique alias obsignat. Martialis:

*Nunc signat meus annulus lagenam.*

Tigur. reddidit. *Ne des locum pudori in nota malæ mulieri utiliter adhibenda.* Sed facile sic subscribimus Grotianæ explicationi ob versum sequentem.

Vers. 7. UBI MANUS MULTÆ SUNT CLAUDE) Nempe cellas. Facilia enim ibi furta.

ET QUODCUMQUE TRADES NUMERA ET APPENDE) In Græco. *in numero & pondere:* supple trade, domesticis tuis fidei.

DATUM VERO ET ACCEPTUM DESCRIBE) *In scripto,* supple *habentior* In diario scribe, quid cuique tradideris, quid vicissim de labore ejus acceperis. Vide similia præcepta primo Oeconomicon, quæ Aristoteli adscribuntur c. 6.

Vers. 8. DE DISCIPLINA INSENSATI ET FATUI) Subaudi ex superioribus, *ne te pudeat.* Non debet pudor nos impedire quo minus moneamus eos qui per ignorantiam, aut animi vitio a recto aberrant,

ET DE SENIBUS QUI JUDICANTUR AB ADOLESCENTIBUS) *Et decrepiti qui cum juvenibus certant.* Hunc quoque monere non pudeat. Facit enim rem sua persona indignam, quod jurgi seriam reciprocando se juvenibus æquat. Tali dici poterit:

Ἀττα γάρ, μᾶλλον δὲ σὺ τοῖς τὴν ψυχὴν μαχητοῖς.

ET ERIS ERUDITUS IN OMNIBUS) *Eris vere prudens.* Si ea quæ dixi ob servaveris.

ET PROBABILIS IN CONSPECTU OMNIUM VIRORUM) Approbaberis ab omnibus.

Vers. 9. FILIA PATRIS ABSCONDITA) Id est, virgo: nam עלמה Hebræis absconditam significat. De causa hujus vocabuli vide quæ dicta apud Matth. I. 23.

EST VIGILIA) Causa vigiliæ. Metonymia.

ET SOLLICITUDO EJUS) Id est, *pavor ea.*

AUFERT SOMNIUM) ἀφαιρεῖται ὕπνον, nempe patri. Menander:

Ἀλλὰ θυγάτηρ κτᾶσθ' ἐστὶ ἐχθρὸν πατρί.

Et alibi:

Χαλεπὸν γεθυγάτηρ κτᾶσθαι, πρὶ δυσθάνατον.

Ben Sira in Alph. II. litera Teth. *Abjectio vana est filia Patri suo, cui dum metuit, nocte non dormit.*

Vers. Eodem. NE FORTE IN ADOLESCENTIA SVA ADULTA EFFICIATUR) *Primum in adolescentia ejus* (id est, dum innupta est) cura patrem tenet, *ne melior ætas eitransseat:* nempe sine conjugio, quod plerisque Hebræis infaustum habebatur. παρακμάζειν hic dicitur filia, quæ ὑστέρημα Paulo I. Cor. VII. 36. Exoleta virgo Plauto, Menander:

Θυγάτηρ ἐστὶν ἐκ γάμου κάρτ' ἄλυσις μεθεῖναι,
Διὰ τὸ σωφρόνως πλοῦτος περὶ αὐτῆς λέγειν.

Martialis:

*Jam poscit dotem filia grandis.*

ET CVM VIRO COMMORATA ODIBILIS FIAT) *Et viro data ne odiosa fiat.* Ne expellatur.

V. 10. NE QVANDO POLLVATVR IN VIRGINITATE SUA) *in παρθενίᾳ,* id est, eo tempore quo virgo appellatur, cura est ne polluatur. Vide a nobis ad dictum Matthæi locum allata ex Musæo & aliis, βρεφοκόμος dicitur Virgo quæ stupratur Judith. IX. 2.

ET IN PATERNIS SVIS GRAVIDA INVENIATVR) *In paternis,* id est, in domo patris, quomodo apud Lucam dicitur, *ἐν τοῖς τοῦ πατρός,* II. 49. & apud Johannem, *εἰς τὰ ἴδια,* XVI. 32. XIX. 27. in sacris paremis dicunt Romani.

NE FORTE CVM VIRO COMMORATA TRANSGREDIATVR) *Viro autem conjuncta ne violet matrimonium.* συνοικεῖν & μετὰ ἀνδρὸς εἶναι sunt verba connubium significantia.

AVT CERTE STERILIS EFFICIATVR) *Aut nupta ne sterilis appareat.* Nam verba Hiphil, ad quam formam est hoc ναγωγίσῃ, sæpe nihil aliud quam ejus quod est, manifestationem significant.

Vers. 11. SVPER FILIAM LUXURIOSAM FIRMA CUSTODIAM) Habuimus hoc supra XXVI. 13. De tali Catullus:

*Asservanda nigellulis deliciatus ubi:*

Menander dixit:

--- Μοχλοῖς γὰρ διὰ σφαιρωμάτων
Σώζειν θύραν χρή.

A DETRACTIONE IN CIVITATE) In Græco *Fabulam per urbem,* nempe te faciat, quod præcessit.

ET OBJECTIONE PLEBIS) In Græco ἔκλητον λαοῦ scribitur. Sed rescribendum ἔγκλητον λαῷ, *accusatam a populo.* Est enim constructio qualis διδακτοὶ θεοῦ, Joh. VI. 45. ubi plura exempla attulimus.

ET CONFVNDAT TE IN MULTITUDINE POPVLI) *In turba multorum:* ubi dicetur, filia tua mœcha est.

Vers. 12. OMNI HOMINI NOLI ATTENDERE IN SPECIE) *Noli attente specilare quenquam formæ causa.*

ET IN MEDIO MVLIERVM NOLI COMMORARI) Est συνόδους in Græco: sed ea vox e Hebræi sepe moram quamvis significant, ita ut recte verterit hic interpres.

Vers. 13. ET A MULIERE INIQVITAS VIRI) In Græco: *Nequitia mulieris:* aspectus petulci, sermones lenocinantes.

*Augustinus* in Regula c. XX. de oculis: *Oculi vestri ista cuntur in aliquam feminam, figantur in nullam. Neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini. Sed appetere aut ab ipsis appeti velle, crimen nostrum est. Nec solo tactu atque affectu, sed affectu quoque appetitur & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius* Conf. *Matth.* V. 28. Quo facit illud Musæi: *Pulchritudo fœminæ acutior est veloci sagitta. Oculus vero via est, ab oculi illibus autem delabitur & in præcordia viri vadit.* E quod S. Hieronymo adscribitur, *fœmina ignis, vir stuppa, Diabolus flabellum. S. Basilius* monet filium Ipirit. *Vide ne te seducat corporis pulchritudo, & decorem animæ tuæ amittas, ne improbo oculo tuo intueatis speciem mulieris, ne intret mors per fenestras. Non aperias aures tuas ad perficiendæ verba carnis, nec concupiscas nequitiam in anima tua. Mulieris carnem non velis tangere, ne per tactum ejus inflammetur cor tuum, & spiritu tuo labaris in permitiem. Sicut enim fœnum proximans igni comburitur; ita qui tangit mulieris carnem, non evadit sine damno animæ suæ, & licet corpore castus evaserit, mente tamen ac corde corruptus abscedit.* De fugiendo adspectu impudico.

Vers. 14 MELIOR EST ENIM INIQVITAS VIRI, QVAM MULIER BENEFACIENS ET MULIER CONFUNDENS IN OPPROBRIUM) Id est, minus est mali ab ira viri, quam a comitate mulieris, quæ mulier ibi causa fit futura probri. γυνὴ bis repetitum ostendit de eadem agi, quæ & blanda sit, & tamen nocens.

Τοιοῦτον κακὸν πίφυκεν ἀνθρώποις γυνή.

*Lyranus* non absimiliter explicat h. m. *melius est cohabitare viro iniquo, quam mulieri benefacienti*: quem sensum improbat quidem *Cornelius à Lapide*, alium substituens, sed hic coincidit cum Lyrani ἐκθέσει. *Melius*; id est, *minus malum est*, vel potius *melius*, id est, *satius est, negotium habere*, vel *incidere in virum malevolum & malefícum, quam in mulierem benevolam & benefícam*, tum quia vir malefícus est occasio patientiæ, humilitatis & mortificationis &c. Mulier vero benefica est illecebra concupiscentiæ, tum quia à viro malefico ranquam ab hoste tibi caves, à muliere vero benefica adeo non caves, ut velis nolis cogaris eam amare. Conf. *Prov.* VII. 10. Non ergo est, quod Cornelius hanc sententiam ad probandam *Scripturæ S. obscuritatem* adferat, quum nec adeo obscura illa sententia sit, nec ad *divinam* Scripturam pertineat, sed extra Canonem constituta sit, & in Scriptura divina minime omnia, sed quæ ad fidem & vitam Christianam necessaria sunt, nec ubivis eadem, sed alicubi perspicue satis tradita esse nos statuamus, adeo nempe ut opus non sit aliena & adscititia luce traditionis vel interpretationis Papalis extra Scripturam enatæ.

Vers. 15.

MEMOR ERO IGITVR OPERVM DOMINI) *Memor nunc ero*: &c. Novum sermonem exorditur de Dei operibus eximiis. Hic sermo continuatur usque ad δοξολογίαν virorum illustrium.

ET QVÆ VIDI ANNVNTIABO IN SERMONIBVS DOMINI OPERA EJVS) Sic quidem in Græco nunc legitur: καὶ ἃ εἴδομεν ἐκδιηγήσομαι ἐν λόγοις ῥημάτων τὰ ἔργα αὐτοῦ. Sed puto scriptum fuisse: καὶ ἃ εἴδομεν ἐκδιηγησόμεθα ἐν λόγοις. Addita vero glossemata, τὰ ἔργα αὐτοῦ, & ab alio, κυρίου τὰ ἔργα, irrepsisse in textum, ut alia alibi. Sensus enim est: Dei magnifica opera quæ vidi, verbis exsequar.

Vers. 16. SOL ILLVMINANS PER OMNIA RESPEXIT, ET GLORIA DOMINI PLENVM EST OPVS EJVS) Nondum hic de sole agit, quod tamen lectori videri potest facere. Primum agit de universo, deinde de cœlo, deinde de Sole, luna & aliis: quare hujus loci hic est sensus: *Sicut Sol omnia perlustrat, ita & opus hoc Dei* (universum) *plenum est ipsius Majestate*. Ipsius, Dei scilicet, cujus præcessit mentio: et quamquam & sine tali præcedenti mentione. Sæpe αὐτὸς de Deo dicitur.

Vers. 17.

NONNE DOMINVS FECIT SANCTOS ENARRARE OMNIA MIRABILIA SVA, QVÆ CONFIRMAVIT DOMINVS OMNIPOTENS STABILIRI IN GLORIA SVA) In Græco Sixtino sic legimus: οὐ διεσόωσε τοὺς ἁγίους αὐτοῦ ἐκδιηγήσασθαι πάντα τὰ θαυμάσια αὐτοῦ, ἃ ἐστήριξε κύριος παντοκράτωρ, συνεχύσαι ἐν δόξῃ αὐτοῦ τὸ πᾶν. *Non dedit Dominus facultatem* ipsis *Sanctis enarrandi* plene *mira ipsius, quæ* ipse *Deus omnipotens constituit*, nempe ideo, *ut ad ejus honorem universum hoc subsisteret*. Hoc præfatur, ne putet à se exspectandum, ut res verbis æquet.

Vers. 18.

ABYSSVM ET COR HOMINVM INVESTIGAVIT) Sicut intima maris speclat, sic & hominum intima: ἀνθρώπων videtur excidisse in Græco.

ET IN ASTVTIA EORVM EXCOGITAVIT) *Et versutias eorum intellexit*. Hebræorum est accusativos sæpe explicare per ב, quod est ὁ in Græco. Quantumvis multis astutiis sua consilia homines tegant, Deus ea introspicit.

V. 19. COGNOVIT ENIM DOMINVS OMNEM SCIENTIAM) Id est quidquid ullo modo sciri potest. Est enim μετωνυμία.

ET INSPEXIT IN SIGNVM ÆVI) Singula puncta temporis videt. Fars temporis quanta minima in horologiis notari potest, dicitur σημεῖον. Vide Pollucem.

ANNVNTIANS QVÆ PRÆTERIERVNT, ET QVÆ SVPERVENTVRA SVNT) Id est, *faciens ut sciat*: nam הֹודִיעַ solet verti ἀπαγγέλλειν. Homerus:

Οἶδα τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

REVELANS VESTIGIA OCCVLTORVM) Id est, certis vestigiis ulta deprehendens.

Vers. 20.

MAGNALIA SAPIENTIÆ SVÆ DECORAVIT) In Græcis multis est, διὰ τῆς σοφίας. *Magna sua opera per sapientiam ordinavit*. Sic enim ἐκόσμησεν etiam supra habuimus XVI. 28.

QUI EST ANTE SÆCULUM ET USQUE IN SÆCULUM) *Qui semper fuit semperque erit*. Rectior enim est lectio οὗ ἦν, quam quæ in Sixtina, ἦν ἐκ τοῦ ἐν τῷ.

Vers. 22.

NEQVE ADJECTVM EST, NEQVE MINVITVR) Nempe ad summam rerum. Manet eadem moles materiæ.

ET NON EGET ALICVJVS CONSILIO) Ad conservandam eam molem.

Vers. 23. QUAM DESIDERABILIA OMNIA OPERA EJVS, ET TANQVAM SCINTILLA QVÆ EST CONSIDERARE) *Quam amanda sint omnia opera ejus id bel ex scintilla discí potest*. Scintilla res minima est: vide tamen quanta inde utilitas: nam ex scintilla lux oritur & calor, res duæ ad vitam & artes necessariæ.

Vers. 24.

OMNIA HÆC VIVUNT) Vivere hic sumitur generalius quam vulgo: *vim suam exserunt*.

ET MANENT IN SÆCVLVM, ET IN OMNI NECESSITATE OMNIA OBAUDIUNT EI) In Græco: *Et manent perpetuo in usibus omnibus*, (ad quos sunt ordinata) *& cuncta parent*, Dei scilicet legibus.

Vers. 25.

OMNIA DUPLICIA) Omnia bina.

UNUM CONTRA VNVM) Inter se contraria, ut Sol, terra; lux, tenebræ; calor, frigus; siccitas, humor; dies, nox. Vide supra XXXIII. 16. Linus, aut quisquis sub ejus nomine Physica edidit:

Ὅτι καὶ ἓν συνάμαντα κυβερνᾶται διὰ παντός.

Quod Linus ἓν, id τόνῳ dixere Epimenides & Parmenides.

ET NON FECIT QVICQVAM DEESSE) Id est, fecit ut nihil deesset, quod ad hujus machinæ summam requireretur.

Vers. 26. VNIVSCVIVSQVE CONFIRMAVIT BONA) *Alterum alterius bona constituit*. Contraria enim se mutuo ipsa vicissitudine commendant: & sic habent in quo vires suas exerceant.

ET QVIS SATIABITVR VIDENS GLORIAM EJVS?) Mira sane ars quæ discordiam fecit tam concordem, qualis est in cantum συμφωνίαν. Sapiens, teste Clemente Alexandrino, τὰς ἐν τῇ κόσμῳ ἐναντιότητας σύμφωνον κτίσεως καλλίστῃ λογίζεται.

Quo de Gregor. *M.* l. XXVI. Moral. c. 8. *Via ad Creatorem sunt opera considerata Creatoris, quæ dum* Operatu *facta cernimus, potentiam factoris miramur. Augu-* stantur de *stin.* in Psalm. CXLV. 4. *In eo, quod vides quid ibi* Deo crea *laudatur! species, utilitas, aliqua potentia rerum ista-* ture, *rum. Si pulchritudo te delectat, quid pulchrius faciente? Si utilitas laudatur, quid illo utilius, qui fecit omnia! Si virtus laudatur, quid illo potentius, a quo etiam facta non dimittuntur, sed reguntur, & gubernantur omnia?* Conf. *Job.* XII. 7. *segq. c.* XXXIIX, *segq. Psal.* CIV. *Es* XL. 26. *Sap.* XIII. 1. *segq. Rom.* I. 19. *segq. Universam creaturam aspicere, est quasi magnum quendam librum naturæ legere*, ait iterum *S. Augusl.* l. XXXII. contr. Faustin. c. 20. *Nemo est tam rudis*, ait Lactant. l. 1. Instit. c. 2. *tam feris moribus, qui oculos suos in cœlum tollat tametsi neſciat, cujus Dei providentia regatur hoc omne, non aliquem tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, plenitudine, temperatione.*

## CAPUT XLIII.

*Celebratur magnificentia Dei ex pulchritudine Cœli, Solis, Lunæ & Stellarum, Iridis, Nivis, Grandinis, Ventorum, Tonitruorum, Gelu & Glaciei, Maris & Insularum.*

Vers. 1.

ALTITVDINIS FIRMAMENTVM PVLCHRITVDO EJVS EST) *Cœlum illud purissimum* (id est, æther) *decus est loci sublimis.* ὕψος dixit, ut Ennius, hoc sublime candens.

SPECIES

SPECIES COELI IN VISIONE GLORIÆ ) Tota cœli species aspectu suo præfert majestatem.

Vers. 2. SOL IN ASPECTU ANNVNTIANS IN EXITU ) *Sol ipso aspectu illum glorioſum* (id est, Deum) *annuntians.* Iterum hic *in* est pro accusativo.

VAS ADMIRABILE) Instrumentum admirabile.

OPUS EXCELSI) Non mirum, si instrumentum Dei est, cum Dei sit opificium.

Vers. 3. IN MERIDIANO ) *In meridie ſuo.*

EXURIT TERRAM ) *Arefacit.*

ET IN CONSPECTV ARDORIS EJVS QVIS POTERIT SUSTINERE?) Docet id Apologus Æsopi de sole & vento.

FORNACEM CVSTODIENS IN OPERIBUS ARDORIS : TRIPLICITER SOL EXURENS MONTES ) In Græco legimus : κάμινος ἐκφυσῶν ἐν ὀργαῖς καύμασιν. Sed omnino legendum puto : ὑπερβάλλων καύματος. *Qui fornacem folle ſentilat, causa est ardoris : at triplo magis sol, ut qui & montes urat.* Ille fornaces accendit, hic montes ipsos fumare facit.

ET REFULGENS RADIIS SVIS OBCÆCAT OCVLOS ) Præstringit oculorum aciem.

Vers. 5. ET IN SERMONIBVS EJVS FESTINARE FECIT ITER ) Cujus jussu iter celerat. Est enim recta lectio κατεύθυνεν, quam habet Sixtina, præ κατέπραυνε, quod habent editiones aliæ.

*Sol* inquit Ambrosius l. IV. Hexaem. c. 1. *Oculus est mundi, jucunditas terræ, cœli pulchritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ.* Secundus Philosophus Adriano Imperatori quærenti *quid sol ſit?* respondit; *Est cœli oculus, ſplendor ſine occaſu, dies ornatus, horarum diſtributor.*

Vers. 6. ET LVNA IN OMNIBVS IN TEMPORE SVO ) καὶ σελήνη ἐν πᾶσιν εἰς καιρὸν αὐτῆς. Sed melior alia lectio : εἰς σύστασιν καιροῦ αὐτῆς, nam ἐνιαύσιος, quod quidam codices habent, ex glossemate esse puto. *Luna quoque in ſtatione ſua eſt ſuo tempore :* nocturno scilicet.

OSTENSIO TEMPORIS) Menstrui.

ET SIGNVM ÆVI ) Nam anni ad lunæ non minus quam ad solis cursum diriguntur.

Vers. 7. A LVNA SIGNUM DIEI FESTI ) Interlunia enim festa omnia : & cæteri dies festi vocabantur à Luna, ut XIV. Lunæ Nisan, & sic alii.

LVMINARE QVOD MINVITUR IN CONSVMMATIONE ) Id est, minuitur donec non appareat.

Vers. 8. MENSIS SECVNDVM NOMEN EJVS EST ) A prima luna primus, à secunda secundus.

CRESCENS MIRABILITER IN CONSUMMATIONE) In Græco legimus : ἐκβαίνων (nempe φωτὸς) quod præcessit de luna ) ἐξαυξάνων ἀθαυμάστως. *Mirae effectus varietates :* primum μηνοειδὴς, deinde διχόμηνος post ἀμφίφωτος, ad ultimum πανσέληνος. Verbum ἐξαυξάνειν habemus 2. Psalm. IV. 4. XVI. 3. XVII. 7. II. Sam. I. 26. II. Paralip. XXVI. 16. & alibi. Sixtina minus recte hic habet : ἐκβαίνειν θαυμασίως ἐν ἀλλοιώσει.

Vers. 9. VAS CASTRORUM IN EXCELSIS ) Vas castrorum vocat φωστῆρας. Milites ignium significationibus uruntur. Talis in cœlo luna.

Vers. 10. SPECIES COELI GLORIA STELLARUM ) Cœlum formosum facit stellarum splendor.

MUNDUM ILLVMINANS IN EXCELSIS DOMINVS) Legit κόσμου & κύριος. Sed melior lectio : κόσμῳ φωτίζων ἐν ὑψίστοις κυρίῳ. *Ornatus lucens in ſublimibus Dei loco.*

Vers. 11. IN VERBIS SANCTI STABUNT AD JUDICIUM) ἐν λόγοις ἁγίου στήσονται κατὰ κρίμα, non κατάκρισιν, ut habent quidam codices. Jussu sancti ( id est, Dei) stant in suo ordine. מִשְׁפָּט, quod plerumque κρίσιν, aut κρίμα vertunt Hellenistæ, etiam ordinem significat, ut apparet Psal. CXIX. 91. In Græco Num. IX. 14. XV. 22. I. Reg. IV. 28.

ET NON DEFICIENT IN VIGILIIS SVIS ) Bene legit : καὶ οὐκ ἐκλείψουσιν, ut est in Sixtina : ἐκλείπουσι est delassari, לֵאָה.

Ad siderum contemplationem nos etiam Philosophos à terrenis avocare, & ad contemtum terrestrium exhortari, *Lactantius* observat l. VI. Inst. c. 10. Ita *Seneca* Consolat. ad Albinum c. IX. *Dum oculi mei ab illo ſpectaculo, cujus inſatiabiles ſunt non abducantur, dum mihi Lunam Solemque intueri liceat, dum cæteris inhærere ſideribus, dum ortus eorum, occaſus, intervalla & cauſas inveſtigare, ſpectare tot per noctes ſtellas micantes, dum cum his ſim, & cœleſtibus (quæ homini fas eſt) immiſcens, dum animum ad cognatarum rerum conſpectum tendentem in ſublimi ſemper habeam, quantum reſert mea, quid calcem!*

Vers. 12. VIDE ARCVM ) Iridem.

VALDE SPECIOSUS EST IN SPLENDORE SVO) Ob varietatem colorum.

Vers. 13.

GTRAVIT COELVM IN CIRCVITV GLORIÆ SVÆ ) Id est, semicirculo suo, ab una parte cœli ad aliam pertingit. Imperfectum gyrum arcui cœlesti tribuit & Lucanus IV.

MANVS EXCELSI APERVERVNT ILLVM ) Extendernnt illum, ἐτάνυσαν.

*Virgilius* Iridem vocat *decus cœli*, & de illa V. Æneid. *Mille,* inquit, *trahit varios adverſo Sole colores.*

Vers. 14.

IMPERIO SVO ACCELERAVIT NIVEM ) Deus scilicet : de quo multa jam dicta. Hic quoque pro κατέπνευσε, quod est in Sixtina, quidam codices male habent κατέπτυσε.

ET ACCELERAT CORVSCATIONES EMITTERE JUDICII SVI ) *Subito venire facit fulgetra judicii ſui.* Id est, per quæ judicium suum exsequitur, ut olim in Sodomitas.

Vers. 15. PROPTEREA APERTI SVNT THESAVRI ) διὰ τοῦτο, id est, ejusdem judicii exsequendi causa. Thesaurus Dei de pluvia dicitur Deuter. XXVIII. 12. de nive & grandine Job. XXXVIII. 22. de ventis Psalm. CXXXV. 7. Jerem. X. 12. de luce Jerem. LI. 16.

ET EVOLAVERVNT NEBVLÆ) *Nubes.*

Vers. 16.

IN MAGNITVDINE SVA POSVIT NVBES ) *Potentia ſua condenſat nubes.*

ET CONFRACTI SVNT LAPIDES GRANDINIS ) Id est, lapides grandinis, quasi rupe fracta, huc illuc dissiliunt.

Vers. 17. IN CONSPECTV EJVS COMMOVEBVNTVR MONTES, ET IN VOLVNTATE EJVS ASPIRABIT NOTVS. VOX TONITRVI EJVS VERBERABIT TERRAM, TEMPESTAS AQVILONIS, ET CONGREGATIO SPIRITUS ) Est hic & in Sixtina transpositio : ordo melior in aliis codicibus Græcis, ut prius de tonitru agatur, deinde de ventis. *Sonus tonitrui ipſius parturire facit terram* (id est, rumpi, ut puerpera ) & *ad aſpectum ejus ipſi montes commovebuntur.* Terræ motu Ossam ab Olympo dissiluisse ait Seneca. Alpes Penninas sæpe tremuisse ait Plinius. Sequitur deinde : *Ille quoque ſtat Notus, & procella Boreæ & Turbo, συνεχῆ πνεύματος,* pro vortice est & Oreæ IV. 20. Vide de vortice Senecam quinto Naturalium.

Vers. 18.

ET SICVT AVIS DESCENDENS AD SEDENDUM DISPERGIT NIVEM ) *Spargit* Deus *nivem, velut avem ex alto devolantem.*

ET SICVT LOCVSTA DEMERGENS DESCENSUS EJUS ) *Cujus* (nivis) *deſcenſus ſimilis eſt locuſtæ ſedes figenti.* Sic καταλύειν etiam supra habuimus XLIII. 21.

Conf. de nubibus & grandine *Iob.* XXXIX. 39. *Pſ.* CXLVII. 18. *Pſ.* CXLIIX. 17. tonitru & fulguribus *Iob.* XXXVII. 4. XXXVIII. 35. *c.* XL. 4. Aratus inde nomen colligit, quod sit, qui *cœlum & terram fecerit, & tempeſtates anni diſpoſuerit, ut omnia certo germinent.* Plutarch. l. III. de Placit Philosoph. inter varia media unde homines cognitionem Dei habuerint, nominat quoque τὴν μαρτυρίαν ἐκ τῶν φαινομένων καὶ μετεώρων. Ideo *Iovem* ita describere, quod sit ἐμβριθὴς, καὶ ὑέτιος *pluvius & pluviator, ἐπικαρπίου frugi potens.*

Vers. 20.

PULCHRITUDINEM CANDORIS EJUS ADMIRABITVR OCULUS ) Virgilius :

*Qui candore nives anteirent.*

*De nive & albedine.*

Videatur etiam de *nivis candore & albedine Pſ.* LI. 9. *Eſ.* I. 8. *Dan.* VII. 9. *Matth.* XXIIX. 3. *Ap.* I. 14. Conf. & *Exod.* IV. 6. *Num.* XII. 10. *2. Reg.* V. 27. unde non minus contra *ſcripturam*, quam contra *ſenſus* disputant, qui nivem albam esse negant, vel in dubium revocant. Nivis enim albedo à visu ipso deprehenditur, quum adeo alba sit, ut candore suo oculos

oculos intuentium hebetet, & obtundat, & à S. S. ita celebratur, ut albedo vel candidus nivis color *rubedini* vel *rubro* colori opponatur *Ef.* I. 8. & ad exprimendum supremum albi coloris gradum nivis candor adhibeatur *Matth.* XXIIX. 3. *Dan.* VII. 9. *Ap.* I.14. & candor ejus candori lepræ designando apretur. *Ex.* IV. 6. *Num.* XII. 6. 2. *Reg.* V. 27.

Vers. Eodem. ET SVPER IMBREM EJVS EXPAVESCIT COR ] Merito, Solent enim viatoribus visum adimere. Notatum id Xenophonti.

Vers. 21. GELV SICVT SALEM EFFVNDIT SVPER TERRAM) Pro gelu in Græco est *pruinam*, quæ gelu solet portendere.

ET DVM GELAVERIT FIET TANQVAM CACVMINA TRIBVLI ] Bene ad sensum exprimendum addidit *tanquam*. Pruina congelata est velut aculeorum cuspis.

Vers. 22. FRIGIDVS VENTVS AQVILO FLABIT] Horrida flabra Aquilonis, Dicunt Poetæ.

ET GELAVIT CRTSTALLVS AB AQVA] *Ex aqua concrescit glacies.*

SVPER OMNEM CONGREGATIONEM AQVARVM REQVIESCET ] Non super stagna tantum, sed & super fluminia se sternet.

ET SICVT LORICA INDVET SE AQVIS ) *Aquam induet tegmine quasi loricæ.*

Vers. 23. ET DEVORABIT MONTES) *Depascetur montes* : auferendo virorem, ut sequitur.

ET EXURET DESERTUM) Sic & Poetæ dicunt: *penetrabile frigus adurit*, & *torrei hyems*, quia siccum auferet rebus.

ET EXTINGUET VIRIDE SICUT IGNE) *Velut ignis virorem extinguit* : nam futura hic sunt pro aoristo, more Hebræo.

MEDICINA OMNIUM IN FESTINATIONE NEBULÆ *Subita horum omnium medicina erit nebula.* Id est, ver, quod per nebulam : id est, ὀμίχλη hic significatur. Est enim ὀμίχλη ἀτμώδης ἀναθυμίασις, ἀέρος μὲν παχυτέρας, τέρμις δ' ὁρωμένης, ut ait scriptor de Mundo.

Vers. 24. ET ROS OBVIANS AB ARDORE VENIENTI HUMILEM EFFICIET EUM ) Primum & bene addidit, sive in Græco olim fuit, sive subintelligatur. Sed pro *humilem efficiet eum*, scripsit interpres, *hilarem efficiet eum* ἱλαρὸν, eum intellige *hominem* ; quanquam eum ejus mentio non præcesserit, satis id ex re ipsa intelligitur. Et sic sæpe affixa ponunt Hebræi, subaudito nomine.

V. 25. IN SERMONE EJUS SILUIT VENTUS, ET COGITATIONE SUA PLACAVIT ABYSSUM, ET PLANTAVIT IN ILLO DOMINUS INSULAS) Græce habemus : λογισμῷ αὐτοῦ ἐκύπασεν ἄβυσσον καὶ ἐφύτευσεν ὁ αὐτὴ νήσους. Sed legendum est ἄβυσσον : deinde, ἐφύτευσεν ὁ αὐτὴ νῆσον. *Ad imperium ejus* (nempe calotis veni, de quo præcellit sermo) *silet mare*, & *si qua est in mari insula, plantas profert.* Id est, vivescit. Quantum peccent scribæ per ignorantiam, aut studium perversum religionis, ex hoc loco intelligas : quidam enim sic scripsere : καὶ ἐφύτευσεν αὐτὸν Ἰησοῦς, quod & in Latina quædam exemplaria irrepsit: *& plantavit illum Dominus Jesus.*

Ad *imperium Domini* alii hoc referunt: quo de pulchre S. Hieron. ad Matth. IIX. *Omnes creaturæ sentiunt Creatorem: quibus enim increpatur & imperatur, sentiunt imperantem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed majestate Conditoris; quæ apud nos insensibilia, illis sensibilia sunt.*

Vers. 26.

QVI NAVIGENT MARE ENARRENT PERICULA EJUS ) διηγήσεται, id est, *si enarrent* : ut abundet καὶ quod sequitur.

AUDIENTES AURIBUS NOSTRIS ADMIRABIMUR) *Super ea quæ audiet auris nostra admirabimur.* nam ἐπὶ hic subauditur.

Vers. 27.

ILLIC PRÆCLARA OPERA ET ADMIRABILIA ) Inopina opera : παράδοξα, quæ vix quisquam credat. Psalm. CVII 24.

VARIA BESTIARUM GENERA ) *Animantium genera marinorum.* Aic Plinius IX. 2. quicquid nascatur in parte naturæ ulla, & in mari esse, præterque, multa quæ nusquam alibi. Addit complura in iis majora esse terrestribus. Causam evidentem, humoris luxuriam.

ET OMNIUM PECORUM) Non est in Græco : sed in præcedente comprehenditur.

ET CREATURA BELLUARUM ) κτίσις κτηνῶν, ut est in Sixtina. In aliis codicibus male κρίσις. Bene vertit, belluarum : nam & Oceanum hinc belluosum dixit Horatius.

Vers. 28. PROPTER IPSVM CONFIRMATVS EST ITINERIS FINIS ) Legit : δι' αὐτὸν εὐοδοῖ τέλος αὐτῷ, ut est in quibusdam codicibus : sed melior videtur lectio altera : δι' αὐτὸν εὐοδοῖ ὁ ἄγγελος αὐτῷ : *Per ipsum* (mare, nam ἄβυσσος Græcis tam masculinum est, quam femininum) *properum iter fecit nuntius ejus.* id est, navis. εὐοδοῖ sive εὐοδεῖν modo transitivum est, modo neutrum, ut hic.

ET IN SERMONE EJVS COMPOSITA SVNT OMNIA ) Legit, ut habemus in Græcis : καὶ ὁ λόγῳ αὐτοῦ σύγκειται τὰ πάντα. *Et ad imperium ejus* (maris) *omnia confundantur.* Mergitur navis, merces, nautæ, vectores. Imperium hic mari tribuit, κατὰ περιφορὰν, ut modo vers. 25.

Conf. *Ps.* CIV. 26. *Job.* XXXIIX. 8. 10. Orpheus apud Clem. Alex. *cæli*, inquit, *& inferni & maris terræque Dominus est Deus.* Sophocles, *unus revera*, inquit, *unus est Deus , qui cœlum fabricavit , & terram longam marisque truces tumores.* Virgilius l. IV. Georg. ita canit: ipsum

——— *ire per omnes*
*Terras tractusq; maris cœlumq; profundum.*

Plura de agnitione Dei per opera divina diximus T. II. in August. Conf. tract. *de natural. & revel. Dei not.* Tom. II. in A. Conf. *de operibus* vero divinis in *specie* circa Hexaemeron creationis *T. III. System. Theol.* ut & *commentar. in Genes. ad cap.* I.

Vers. 29.

MVLTA DICEMVS , ET DEFICIEMVS IN VERBIS) Id est : *ut multa dicamus* de Dei operibus , *tamen nos verba deficient.* Supra XLII. 18.

CONSVMMATIO AVTEM SERMONVM ) Hæc summa est dictorum & dicendorum.

IPSE EST IN OMNIBVS ) Legitur in Græco : αὐτός ἐστι τὸ πᾶν : sed legendum : αὐτὸ ἐστὶ τὸ πᾶν : *Ipsius est hoc universum.* Nulla est pars aut particula quam non ille fecerit, aut gubernet.

Cur non retinetur lectio Græca, quod Deus τὸ πᾶν sit, quæ ab omnibus hactenus probata ? Quomodo autem Deus τὸ πᾶν sit, libro de divin. nominibus *Dionysio* adscripto c. 1. explicatur: *Deus est omne principium, omnis finis , vita omnis, omnis immortalitas, omnis sapientia, omnis ordo, omnis concentus, omnis vis, omnis conservatio , omnis firmitas, omnis distributio, omnis intelligentia, ratio, sensus habitus ; Omnis status & motus, omnis connexio, omnis temperies, omnis amicitia, omnis convenientia, omnis divisio, omnis terminus, cæteraque omnia.* Est autem Deus τὸ πᾶν vel omnia non *formaliter*, sed *causaliter, nationaliter, eminenter* & cessantibus creaturis omnibus visibilibus & ratione carentibus , Electis erit Deus *omnia in omnibus* modo nobis incomprehensibili 1. Cor. XV. 28. Huc pertinet illud *S. Bernhardi* l. V. de Consid. c. 11. *Quid est Deus? Quod ad universum spectat, finis : Quod ad electionem, salus. Quod ad se, ipse novit. Quid est Deus? voluntas omnipotens , benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo. Creans mentem ad se participandum, vivificans, ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, implens ad felicitatem , circumdans ad securitatem.* Nec latuit hoc Philosophos. Inde *Mercurius Trismegistus* l. V. Pœmandri, *ut veritatem*, inquit, *fateamur liquidam , Deum esse CUNCTA fatebimur.* Et probat *Eugubinus* l. III. de perenn. Philos. cap. 8. à priscis Philosophis Deum τὸ πᾶν *VNIVERSVM vocatum esse.* Quod etiam in Oraculo illo notissimo, cujus Plutarchus meminit in libr. de oracul. Defect. *Magnus Pan mortuus est.* Intelligunt non pauci , *Christum Magnum illum Deum designatum fuisse*, censentes. Uti *Orpheus*,

*Fana voco magnum, qui totum continet orbem.*

Conf. *Giraldus* de Diis Gentium Synt. 75. Natal. Comes. lib. V. Mythol. c. 6.

Deus τὸ πᾶν.

Vers. 30.

Vers. 30. GLORIFICANTES AD QUID VALEBIMUS?) *Si celebrare eum velimus, in quo poterimus?* Digne scilicet. Ratio hujus interrogationis, quæ negandi vim habet sequitur.

IPSE ENIM OMNIPOTENS SUPER OMNIA OPERA SUA) Nos nihil nisi opera ipsius videmus: at ea longe infra ipsum sunt. Quomodo ergo digne eum laudemus?

Vers. 32. GLORIFICANTES DOMINUM QUANTUMCUNQUE POTUERITIS) In Græco: *Celebrantes extollite Dominum quantum poteritis.*

SUPERVALEBIT ENIM ADHUC) *Attamen superior erit.* Omnibus nempe laudibus vestris. Sic ὑπερέχειν sumitur & Gen. XLI. 40.

ET ADMIRABILIS MAGNIFICENTIA EJUS) Non est hoc in Græco, nec id quod sequitur comma.

Vers. 34. EXALTANTES EUM REPLEMINI VIRTUTE) In Græco: πληθύνατε τὸ ὑψοῦν, id est, omnes vires extras colligite.

NE LABORETIS) Ne delassamini. Sic enim κοπιᾶν sumitur Matth. XI. 28. XXV. 18. Et XXXIII. 24. & alibi.

NON ENIM COMPREHENDETIS) *οὐ γὰρ μὴ ὑφλεφθῆτε. Non tamen assequemini.*

Vers. 35. QUIS VIDEBIT EUM, ET ENARRABIT?) *Quis eum vidit, ut edisserat?* τίς pro *ut.* Vide Joh. I. 18. V. 37. VI. 46.

ET QVIS MAGNIFICABIT EUM SICUT EST AB INITIO?) *Ab initio* addidit interpres. Sensus est: *Quis eum laudabit quantus est?*

Vers. 36. MULTA ABSCONDITA SUNT MAJORA HIS) His quæ diximus; nam de Angelis nihil egit.

PAUCA ENIM VIDIMUS OPERUM EJUS) Multa quæ in visceribus terræ & maris, & in aere, & in æthere sunt, nos latent: quanto magis illa in summo cœlo?

Vers. 37. OMNIA AUTEM DOMINUS FECIT) Quæ usquam sunt: Spectabilia & inaspicua.

ET PIE AGENTIBUS DEDIT SAPIENTIAM) Nempe quanta ipsis sufficit.

Quo de *S. Cyprian.* l. de operib. cardinal. *Quisquid audiri vel videri vel sciri potest, non convenit Majestati: hebes est in hac consideratione omnis acies sensuum & caligat affectus.* Gregor. Nazianz. Orat. XLIX. *Certe hoc est Deus, quod cum dicitur, non potest dici, cum æstimatur, non potest æstimari, cum definitur, ipsa definitione crescit, quem omnia nesciunt, & metuendo sciunt.*

---

*PARS SECUNDA LIBRI*

Παραδειγματική

## EXEMPLA VIRTUTUM ET OFFICIORUM DEBITORUM EXHIBENS, Vel ELOGIA SAPIENTVM PRÆCIPUORUM.

### CAPUT XLIV.

*Laudantur primum generatim pii Reges & Prophetæ, aliique prudentes & præstantes viri, per quos Deus res magnas & salutares gessit. Deinde in specie celebrantur Henoch, Noa, Abraham, Isaac & Iacob.*

Vers. 1.

ABSOLUTIS) Præceptis, & operum Dei explicatione, alium scriptor hic sermonem ingreditur. Solebant in Templo & ad Templi exemplum in Synagogis commemorationes fieri virorum excellentium, quas ἐπαινίας dixit hic noster aliquoties. Earum hic tradit formulam, plenam Hebraicæ eloquentiæ. In Græco inscriptio est: ΠΑΤΕΡΩΝ ΥΜΝΟΣ.

Vers. 2.

MULTAM GLORIAM FECIT DOMINVS) *ἐκτισεν* est in Græco. Sed rectius legas, *ἐπόησατο*: sequitur enim in Græco, quod in Latino abest, *ἐν αὐτοῖς*. Magnum laudem sibi Deus per eos paravit.

MAGNIFICENTIA SUA) Id est, *per potentiam suam.*

A SÆCULO) Id est, jam olim.

Vers. 3.

DOMINANTES IN POTESTATIBUS SUIS) *In regnis suis.* Sunt scilicet inter illos nam classes quasdam constituit eorum de quibus actum est.

HOMINES MAGNI VIRTUTE) *Celebres ob pollentiam.* Ita enim in Græcis.

ET PRUDENTIA SUA PRÆDITI) *Qui pro prudentia sua ceperunt consilia.* Nam participiis, præsentibus & præteritis, promiscue utitur pro aoristis.

NUNTIANTES IN PROPHETIS DIGNITATEM PROPHETARUM) In Græco: *Qui per prophetias annunciarunt:* nempe futura.

Vers. 4.

ET IMPERANTES IN PRÆSENTI POPULO, ET VIRTUTE PRUDENTIÆ POPULIS SANCTISSIMA VERBA) *Qui præsidere populo consilii, & ea prudentia quæ decet populi doctores.* Τῷ δὲ, γραμματεῖ, doctor populi: ejus munus γραμματεία. Sequitur in Græco: ἐν βίβλοις λόγοι τῶν παιδείας αὐτῶν. Ubi est Hebraica constructio, pro eo quod diceres: *In quorum doctrina* [id est, cum populum instituerant] *erant sermones sapientes.*

Vers. 5.

IN PERITIA SUA) Hoc pertinet ad membrum præcedens, ut jam vidimus.

REQUIRENTES MODOS MUSICOS) Fuere inter eos etiam *qui nova carmina excogitarunt.*

ET NARRANTES CARMINA SCRIPTURARUM) *Et qui scripto sententias explicuere.*

Vers. 6.

HOMINES DIVITES IN VIRTUTE) Qui iam eorum *divites facultatibus donati*, à Deo scilicet. ἰσχὺς pro facultatibus habuimus & supra XIV. 13. XXVIII. 11. & alibi sæpe.

PACIFICANTES IN DOMIBUS SUIS) *Domi suæ prospere agentes.* Hoc sensu εἰρηνεύειν habuimus & supra XLI. 1. ἐν ταῖς κατοικίαις, rectior hæc lectio quam altera, ἐν ταῖς παροικίαις.

Vers. 7. OMNES ISTI IN GENERATIONIBUS GENTIS SUÆ GLORIAM ADEPTI SUNT) In Græco tantum est, *ἐν γενεαῖς*, id est, suis temporibus.

ET IN DIEBUS SUIS HABENTUR IN LAUDIBUS) *Et in diebus suis laudem:* nempe ægri sunt.

Vers. 8. QUI DE ILLIS NATI SUNT RELIQUERUNT NOMEN NARRANDI LAUDES EORUM) In Græco: *Sunt inter eos qui reliquere nomen ad celebrandas laudes suas.* Nomen hic stirpem significat, ut Deuteron. XXV. 7. Convenit hoc cum Græca sententia:

Τίς πατὴρ αὐτῶν, ὃς μὴ ὑβρίσθητος ἦν;

Vers. 9. ET SUNT QUORUM NON EST MEMORIA) Id est, quorum stirps defecit, justis Dei judiciis, secundum legis minas.

PERIERUNT QUASI QUI NON FUERINT) *ὡς οὐκ ὑπάρξαντες.* Id enim rectius quam *ὑπάρχοντες*, quod nonnulli codices habent.

Vers. 10. SED ILLI) Qui stirpem diuturnam reliquere. *ἀλλ' οἱ ἔτι* legendum, non *ἀλλ' ἦ.*

Vers. 11. VIRI MISERICORDIÆ SUNT) Id est, consecuti sunt Dei favorem.

QUORUM PIETATES NON DEFUERUNT) *Quorum benefacta* (id enim δικαιοσύναι) *in oblivionem non venerunt:* apud Deum scilicet.

Vers. 12. CUM SEMINE EORUM PERMANENT BONA: HÆREDITAS SANCTA NEPOTES EORUM, ET IN TESTAMENTIS STETIT SEMEN EORUM) In Græco: *cum semine eorum permanet* etiam *bona* (id est, optima) *hæreditas. Posteri eorum in Testamentis* scribuntur, non extranei hæredes. Catullus:

*Hæres ditioris qui tandem inventus abitis*
*Nomen testatas intulit in tabulas.*

Vers. 13. ET FILII EORUM PROPTER ILLOS USQUE IN ÆTERNUM MANENT) Id est, diu admodum. Interpres hic secutus est meliorem lectionem, quæ est in Sixtina: ἕως σήμερα αὐτῶν, καὶ τέκνα αὐτῶν ἐν διαθήκαις αὐτῶν μένει. Sic enim distinguendum.

SEMEN EORUM ET GLORIA EORUM NON DERELINQUETUR) *Non delebitur.* Ita in Græco.

Vers. 14. CORPORA IPSORUM IN PACE SEPULTA SUNT) Id est, domo prospera.

ET NOMEN EORUM VIVIT IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM) Stirps manet per sæcula.

---

REcte *Chrysost.* apud Stob. Serm. XIII. *πᾶσι τὸ καλὸν ὁμοίως οὐδέποτε: Bonum ex æquo omnium laudatione dignum:* & Nazianz. *optimorum maxime memores esse debemus, quorum vel sola recordatio sanctis mihi, & utilis est. Sanctorum memoria, S. Antonio* apud Athan.

Athan. in vita ejus dicente, *est ad virtutem via & sanctitatis stimulus.* *Isidorus* Hispalensis II. Sent. c. 2. *Si ad boni incitamentum*, inquit, *divina, quibus admonemur præcepta Dei essent, porlege nobis sanctorum exempla sufficerent.*

Vers. 15. SAPIENTIAM IPSORVM NARRANT POPVLI) *Narrabunt populi:* etiam posthac.

ET LAVDEM EORVM NVNCIET ECCLESIA) *Differet multitudo.* Videtur enim scriptum fuisse ἐξομολόγησιν.

S. Basilius Epist. I. ad Gregor. Nazianz. *Beatorum*, inquit, *virorum vitæ literis traditæ velut imagines quædam vivæ divinæ Respublicæ ad bonorum operum imitationem propositæ sunt.* Et postea. *Quemadmodum pictores cum imaginem ex imagine pingunt, frequenter ad exemplar respicientes, lineamenta ex inde ad suum opificium transferre contendunt; Sic oportet eum, qui studet seipsum omnibus virtutis partibus perfectum efficere, ad sanctorum hominum vitas velut ad statuas mobiles & actuosas oculos intendere, atque illorum bona per imitationem sua facere.* Pulchre *Origenes* libr. I. in Job. *Sicut cœli luminaria ac sidera cunctis indesinenter, quæ sub cœlo sunt fulgent; sic & sanctorum virtutis insignia, atque beatissimi eorum agones omnibus in perpetuum singulariter lucent, omnibus in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus sub sole probitatis exemplum ostendunt.* Exempla Sanctorum.

Vers. 16.

ENOCH PLACVIT DEO) Gen. V. 24.

LOCVM FELICEM nobis incognitum. Sed hoc *in paradisum* interpres de suo addidit, quomodo & Arabs interpres ad Hebræos XI. 5. Videquæ ad Genes. n. diximus.

VT DET GENTIBVS POENITENTIAM) In Græco est: *exemplum pœnitentiæ ætatibus*: id est, temporibus suis. Nam qui flagitiose vivebant eo sæculo, cum intelligerent translatum alio Enochum, ob pietatem, eo ipso monebantur, ut vitam corrigerent, si Deo placere vellent.

De translatione Enochi. Quod *per fidem* (in Christum, ceu semen mulieris promissum) placuerit Deo Enoch, Apostolus docet *Ebr.* XI. 5. quo de diximus tract. *de fide antidiluvianorum* & in *Comment. in Gen. ad c.* V. ubi etiam de *translatione*, ejusque *termino* pluribus actum. Qui certe non est locus incognitus: sed *paradisus cœlestis, quo & Elias translatus est*, in quem etiam latro cum Christo crucifixus, at conversus penetravit cum ipso Christo *Luc.* XXIII. Facta autem translatio dicitur, *ut generationibus exemplum esset pœnitentiæ*, h. e. ut homines inde exemplum caperent vitam emendandi, & sancte vivendi. Ad pœnitentiam autem cumprimis opus est *fide*, sine qua impossibile est Deo placere. *Ebr.* XI. 6.

De loco, ubi degat.

Alienum ergo est, quod hic ingerit *Tirinus*, raptum esse Enochum, *ut prædicet gentibus sub finem mundi pœnitentiam*, quæ etiam Glosa est *Menochii & Cornelii à Lap.* quum de ejus reditu in terras neque hic neque usquam alias in codice Biblico verbum ullum habeatur. Nugas Cornel. à Lapid. & aliorum Papistarum, quod Paradisus, in quem translatus Enoch (quanquam in Græco textu *Paradisus* nominatus non sit) *terrestris paradisus* sit, in *quo Adam vixit, quodque rediturus sit olim Enoch, ut pro Christo pugnet ac mortem obeat*, alibi discussimus. (Vid. *Comment. in Genes. loc. cit.*) nec audet Cornelius cum Sixto Senensi dicere, imo eum in eo exorbitare fatetur, quod *hoc de fide certum sit*, & agnoscit *S. Ambrosium* de Paradis. c. 3. *S. Hieronym.* in c. IX. Am. *Gregorium M.* homil. XXIX. in Evangel. ut & *Dorotheum* in Synopsi, & *Aleimum Avitum* l. IV. de diluv. c. 6. ac *Procopium Gazæum* in Gen. II. Paradisum non *terrenum*, sed *cœlestem* intelligere, in quem receptus Enoch fuerit: quem in eo *typum Christi* constituunt S. Patres, & Ascensionis ejus in cœlum. *Henoch*, inquit *S. Ambros.* l. III. in Lucam, *nomen manifestum est pietatis Dominicæ, & divinitatis indicium, eo quod nec mortem senserit Dominus, & ad cœlum remeaverit, cujus generis auctor raptus ad cœlum est.* Perer. Jesuita l. III. in Genes. Disp. de Paradis. q. 5. & libr. VII. Disp. de Enoch. q. 7. *Enochum in Paradiso terreno esse* habet pro *commento Judaico*, quod hic non habeatur in Græco vox *Paradisi*; & *Chrysost.* hom. XXI. in Gen. ut & *Augustin.* l. IX. de grat. cont. Pelag. & Cælest. *incertum esse & ignorari, quo Enoch translatus sit*, affirment, *quia Paradisus saltim usq; ad diluvium duravit*, quod Cornelius à Lapide etiam agnoscit, nimirum *inundatum & sublatum videri Paradisum per diluvium*, unde nescit, *quid de sede Enochi moderna statuere debeat:* nam hic aut aliquam partem paradisi *intactam à diluvio* putat, aut *paradisum cataclysmo obrutum aquis mox subsidentibus rursus emersisse.* Ubi vero interea Enochum relinquit? Num forte à curru raptus, ut Elias, per aerem traductus? in aerem certe, tempore diluvii sublatum putat: forte dicturus, *ibi per miraculum pependisse* nempe *inter incolas lunæ* quos *Xenophanes* apud Ciceronem l. IV. Quæst. Acad. *Pythagorei* nonnulli apud Plutarch. l. II. de placit. Phil. cap. 30. & *Kepplerus* Mathematicus Cælareus commenti sunt, vixisse censendus sit, ut mendacium mendacio tegatur, ne perpluat. In Comm. in Gen. cap. V. ait, *Enochum nunc agere in loco aliquo amœno, quem Deus illi sive in aere, sive in terra pararit:* At hic loci, *hominis*, inquit, *terrenilocus est terra, non aer: in terra autem Henocho jam in gratiam per raptum confirmato & æternitatis candidato congruentior non erat locus quam paradisus*, sed satis nugarum!

Vers. 17.

NOE INVENTVS EST PERFECTVS IVSTVS) *Integer ac bonus.* Gen. VI. 9.

ET IN TEMPORE IRACVNDIÆ FACTVS EST RECONCILIATIO *Pretium.* Nam sicut qui pretium accepit rem suam ob id dimittit; sic Deus ob Noæ pietatem ac preces, iram omnem in domum ejus remisit.

Vers. 18.

IDEO DIMISSVM EST RELIQVVM TERRÆ, CVM FACTVM EST DILVVIVM. TESTAMENTA SÆCVLI POSITA SVNT APVD ILLVM) Ex Græca locutione Hebræa bene explicata sic vertas: *Ideo facto diluvio fœdus perpetuum cum ipso constitutum est.* κϛ in sequenti membro valet *cum* in præcedente, & activum plurale sine persona pro passivo singulari.

NE DELERI POSSET DILVVIO OMNIS CARO) *Non fore ut post id humanum genus diluvio periret.* Agit enim de fœdere, quod commemoratur Gen. IX. 11.

*Perfectus* Noa dicitur, id est, *vere & sincere pius*, sine hypocrisi, & *justus*, per *fidem* nempe in Christum, qui est justitia nostra. *Ier. XXIII. 6. Ebr. XI. 7.* ἀντάλλαγμα dicitur factus, quod est *Cornelio à Lapide* interprete ἀντάλλαγμα, *commutatus, permutatus, succedaneus, suppositius*, quia pro impiis sui sæculi hortus diluvio pereuntibus fuit suppositus & substitutus ad servandum semen & propaginem sacram, vel ut simplicius *Tirinus, Deo est reconciliatus, invenit gratiam apud Deum.* Non ergo Latina interpretatio probanda, nedum explicatio ejusdem Menochii Jesuitæ, quod hominum genus, iratum Deum placando, velut placando recconciliarit. Recte autem hic typum Christi constituunt: Unde *Hugo ideo*, inquit, *id est merito passionis Christi (qui tempore factus est iracundiæ reconciliator humani generis ad Deum Patrem, pacificans per sanguinem crucis suæ sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis) dimissum est reliquum terræ*, id est, *salvatum est genus humanum, cum factum est diluvium sanguinis & aquæ de latere Christi manantis.* Noah perfectus dicitur & justus, & ἀντάλλαγμα.

Vers. 20. ABRAHAM ETIAM PATER MVLTITVDINIS GENTIVM) Explicat εὐφημολογίαν nominis.

trinis. Fit enim אברהם contracte dictum pro אב רב ut videre est Gen XVII. 5.

ET NON EST INVENTUS SIMILIS ILLI IN GLORIA ) Ut qui pater fuerit tot regum.

QUI CONSERVAVIT LEGEM EXCELSI ) Præcepta quæ ei Deus dedit de migranda patria, circumcidendo se & liberis; de immolando filio.

*Ambros.* in Ps. CXIIX. & libr. de Abraham. *Abraham propter fidem seminarium posteritatis suæ toto orbe diffudit, Abraham Pater fidei, Princeps familiæ, gentium, & generationis Domini, Pater electionis, piæ confessionis per justitiam fidei factus mundi hæres fortissimus, ac patientissimus, fons devotionis, & fidei, virtutum omnium exemplar. Testamentum* hic nonnulli triplex observant, utpote Gen. XV. 18. c. XVII. & c. XXII. 18. descriptum. Sed fœdus & testamentum Dei *unicum* proprie est, cum Abrahamo initium, Gen. XV. 18. cujus *confirmatio* per *circumcisionis sacramentum* c. XVII. facta, nec non per *divinum juramentum* post tentationem Abrahami corroborata c. XXII. & horum omnium hic mentio fit v. 20. 21. 22.

Vers. Eodem, ET FUIT IN TESTAMENTO CUM ILLO) Id est, fuit Dei fœderatus, Gen. XVII. 7. 21. XXII. 16.

Vers. 21. IN CARNE EJUS STARE FECIT TESTAMENTUM) Id est, circumcisionem, quæ eximie ברית dicitur Hebræis, ob dicta Dei Gen. XVII. 10.

ET IN TENTATIONE INVENTUS EST FIDELIS ) In multis quidem tentamentis apparuit Deo fidus: sed hic præcipue postremum illud tangitur de filio immolando.

Vers. 22. IDEO JURE JURANDO DEDIT ILLI GLORIAM IN GENTE SUA) In Græco: *Juratoaffirmavit esse* per semen ejus *benefactarum etiam aliis gentibus.* Vide quæ dicta ad Gen. XVIII. 18. יען hic infra 24. est יען, *formabit.*

CRESCERE ILLUM QUASI TERRÆ CUMULUM) *Multiplicaturum ipsum* in sobole, *quantus est pulvis terræ* Gen. XXII. 17.

Vers. 23. ET UT STELLAS EXALTARE SEMEN EJUS) Exaltaturum se. Vide jam indicatum Geneseos locum.

ET HEREDITATE ILLOS A MARI USQUE AD MARE ) Possessionem se ipsius posteris daturum à mari ad mare: id est, ab Asphaltite ad mare Syriacum, qui termini terræ promissæ ab Oriente in Occidentem. Vide Gen. XIII. 14. 15.

ET A FLUMINE ) Flumen cum simpliciter dicitur, intelligitur Euphrates. Impletum hoc per Davidem.

USQUE AD TERMINOS TERRÆ ) Cultæ scilicet, id est, ad desertæ usque Arabum sola.

De hac fidelitate Abrahæ Nazianz. Orat. XLI. *Venerandus Abraham Patriarcha ille, illud clarum & augustum caput, illud virtutum omnium domicilium, virtutis norma, sacerdotij perfectio, qui voluntarium Deo sacrificium offert, unigenitum nimirum filium, atque ex promissione acceptum.* Conf. *Ebr.* XI. 17. *Rom.* IV. 18.

Vers. 24. ET IN ISAAC EODEM MODO FECIT PROPTER ABRAHAMUM PATREM EJUS) *Cum Isaac pariter formabit:* nempe id quod sequitur.

Vers. 25. BENEDICTIONEM OMNIUM GENTIUM DEDIT ILLI DOMINUS, ET TESTAMENTUM CONFIRMAVIT SUPER CAPUT JACOB) Aliter in Græco: *Benedictionem omnium hominum & fadus.* ἐν διὰ δυοῖν, fœdus in quo comprehendebatur Deum per posteritatem Isaaci etiam alios populus facturum bene. Vide Gen. XXVI. 2. 3. 4. 5. Ubi & causa additur jam ab hoc scriptore expressa, nempe factum hoc Abrahami causa. Sequitur deinde in Græco: ὃν κατέπαυσεν ἐπὶ κεφαλὴν Ἰακώβ: *quod fœdus deinde requievit*, id est, mansit *super caput Jacobi*: id est, penes ipsum ejusque posteros, non penes Ismæos. Significanter autem dixit, *super caput Jacobi*, quia Isaacus divino instinctu hoc jus in Jacobum translaturus capiti ejus paternas manus imposuit. Ita enim mos erat bene precandi liberis, ut apparet Genes. XLVIII. 14.

Confer Historiam *Isaaci* in *Commentar. nostro in Genesin.*

Vers. 26. AGNOVIT EUM IN BENEDICTIONIBUS SUIS ) Jacobum agnovit hæredem Isaaci in magnificis illis promissis.

ET DEDIT ILLI HÆREDITATEM) Possidendam terram dedit ipsi: id est stirpi ejus.

ET DIVISIT ILLI PARTEM IN TRIBUBUS DUODECIM ) Et divisitilli partes secundum duodecim tribus quas partitus est: id est, in quas distribuit Jacobi posteritatem.

Vers. 27. ET CONSERVAVIT ILLI HOMINES MISERICORDIÆ INVENIENTES GRATIAM IN OCULIS OMNIS CARNIS ) In Græco est singularis numerus, *Et eduxit ex illo* (id est, ex ipso gigni fecit) *hominem favorabilem*, (nempe apud ipsum Deum) & *qui apud omnes homines fuit gratiosus.* Designatur his verbis Josephus Deo dilectus, & Pharaoni totique Ægypto. Nulli melius hæc designatio convenit: neque par fuit in hac recensione virum tantum omitti. Quare non sequat Græca exemplaria, quæ hæc cum sequentibus connectunt, & ad Mosem referunt. Multo enim credibilius est in eo quod sequitur duas literas mutatas in Græcis, quæ ex nominativo (qualem legit Latinus interpres) accusativum fecere; nempe quia sensum pitarunt cum prioribus esse continuum.

Vid. *Gen. c.* XXVII. *c.* XXIIX. 13. *c.* XXXII. 28. *Ebr.* XI. & quæ de his in *Commentario* prædicto diximus. Suspicionem Grotii de *mutatione Græci Codicis* suo loco relinquimus, quia non in scripto Canonico, sed *Apocrypho*, quod utpote minime divinum facile mutationem pati potuit, versamur.

## CAPUT XLV.

*Elogium Mosis, Aaronis, & Phinees.*

Vers. 1.

DILECTUS DEO ET HOMINIBUS MOSES) Jam dixi cur ea lectio quam hic interpres secutus est, ἀγαπώμενος & Μωσῆς, non ἠγαπημένος & Μωσῆν, mihi placeat. Cum Mose Deus egit familiarius, quem cum ullo ante homine. Idem Moses apud Regem, regis filium, populumque Ægypti diu gratiosus, postea apud Madianitas, deinde apud pios Israelitas.

CUJUS MEMORIA IN BENEDICTIONE EST) Manebit semper in solennibus Synagogæ εὐλογίαις, sic & infra XLIX. 12.

Vers. 2. SIMILEM ILLUM FECIT IN GLORIA SANCTORUM ) Gloriæ Sanctorum: id est, Angelorum, quos Sanctos appellat Daniel IV. 14. Quæ ita Deus olim per Angelos exsecutus fuerat, talia fuit per Mosem exsecutus.

ET MAGNIFICAVIT EUM IN TIMORE INIMICORUM ) Timentibus inimicis, Ægyptiis, Amalecitis, Madianitis, Amorræis.

ET IN VERBIS SUIS MONSTRA PLACAVIT) κατέπαυσεν, fecit cessare, nempe magicas artes.

Vers. 3. GLORIFICAVIT ILLUM) Deus,

IN CONSPECTU REGUM ) Pharaonis, Agagi, Ogi, Seonis.

ET JUSSIT ILLI CORAM POPULO SUO) διετάξατο αὐτῷ πρὸς λαὸν αὐτοῦ. *Mandatum dedit ad populum suum.*

ET OSTENDIT ILLI GLORIAM SUAM) ὑδειξεν αὐτῷ τὴν δόξαν αὐτοῦ, nempe σε. Olim dii ei Majestatis suæ particulam aliquam. Exod. XXIV. 22.

Vers. 4. IN FIDE ET LENITATE IPSIUS SANCTUM FECIT ILLUM ) Videtur legisse αὐτὸν ὅσιον. pro quo in sixtina, una litera mutata, αὐτὸ ὅσιον. In alii, αὐτὸ ὅσιος: αὐτὸν. Fecit eum sanctum fide & lenitate, Num. XII. 3. 7.

ET ELEGIT EUM EX OMNI CARNE) Ducem populi sui, legis dictatorem.

ET INDUXIT ILLUM IN NUBEM ) Exod. XX. 21. c. XXIV. 18.

Vers. 6. DEDIT ILLI CORAM PRÆCEPTA) Exod. XX. 22. XXXIV. 11. 28.

ET LEGEM VITÆ ) In Græco: *Legem vitæ.* κατὰ προῤῥήσεις, legem quæ vitæ longæ ac felicis promissa habebat.

AC DISCIPLINÆ ) *Et scientiæ*: quia homines sapientes reddit.

DOCERE JACOB TESTAMENTUM SUUM) *Factum suum.* Legit δόξαν, ut est in sixtina, non ἐδίδαξε.

ET JUDICIA SUA ISRAEL, Præcepta judiciorum.

DE Mose in *præfat. dedicatoria*, & *Prolegomenis commentarij in Genesin* egimus. Moses & Aaronem *Mosis eloquium & Aaronis.*

Aaronem ita celebrat. *Gregor. Nazianz.* Orat. VI. *Quis legislatorum illustrissimus? Moses. Quis Sacerdotum sanctissimus? Aaron. Non minus pietate, quam corporibus fratres. Vel potius ille quidam Pharaonis Deus, & Israelitarum Antistes & legislator, & nubem ingrediens & divinorum mysteriorum spectator, & præsul, & tabernaculi illius vivus fabricator, quod à Deo, non homine constructum est: ambo autem eque sacerdotes* (quod dextre intelligendum) *ambo Ægyptum vexantes, mare scindentes, Israelem trajicientes, hostes demergentes, panem superne trahentes, aquam hominum fidem superantem in deserto partim profundentes, partim edulcantes. Ambo per sanctam manuum extensionem, sublimiorisque mysterii figuram, Amalecitas opprimentes, ambo ad promissam terram duces viæ se præbentes & properantes.*

Vers. 7.

EXCELSUM FECIT AARON) Summo Sacerdotio fulgentem.

FRATREM EJUS ET SIMILEM SIBI DE TRIBU LEVI) in Græco: *Sanctum ipsi similem* (id est, sanctimonia simile mMosi) *fratrem ipsius ex tribu Levi.*

Vers. 8. ET STATUIT EI TESTAMENTUM ÆTERNUM) *Fœdus æternum cum ipso pepigit*: nempe sacerdotium legale, quamdiu manfurum erat, manfurum in ipsius posteritate, quod explicatur infra 19.

ET BEATIFICAVIT ILLUM IN GLORIA) *Ornatu magnifico*, de quo vid. Exod. XXXIX.

V. 9. ET CIRCUMCINXIT EUM ZONA GLORIÆ, ET CORONAVIT EUM IN VASIS VIRTUTIS) *Induit eum perfectissima magnificentia, ut eum constituret inter vasa opulenta.* Inter vasa templi scilicet, ἰσχὺν esse divitias sæpe jam diximus.

Vers. 10. CIRCUMPEDES ET FEMORALIA ET HUMERALE POSUIT EI) Quod generaliter dixerat συντελείαν κανχήματος, id jam in sua membra digerit, nominans poderem (quem hic *circumpedes* vertit, quia ad pedes usque pertingebat) femoralia & epomidem. Vide dictum Exodi locum.

ET CINXIT ILLUM TINTINNABULIS AUREIS PLURIMIS IN GYRO) In Græco amplius est: *& cinxit illum malis punicis*: deinde sequitur *tintinnabulis.*

ET MEMORIAM FILIIS GENTIS SUÆ) Nempe ut illo sono admoniti adventantem sacerdotem reverenter exciperent.

Vers. 12. STOLAM SANCTAM AURO, HTACINTHO, ET PVRPVRA) Ornatum sanctum: nam στολὴ generale est. Intelligitur hoc loco, τὸ λογεῖον, ut vocatur in Exodo, & statim explicabitur.

OPUS TEXTILE VIRI SAPIENTIS) Factum à perito artifice.

JUDICIO ET VERITATE PRÆDITI) In Græco Sixtino: λογεῖον κρίσεως, δίκαιε ἀληθείας. Nomen illud λογεῖον κρίσεως pro Hebræo חשן, habes in Græco Exodi, inde datum quod responsa omnia, observanda, sicut sententiæ judicum observari solent, inde ederentur. Idem λογεῖον vocatur אורים ותמים: Græce, δήλωσις καὶ ἀλήθεια, vel δῆλα καὶ ἀληθεία, ubi esse ἐν διὰ δυοῖν notavimus supra XLV. 12. Ea figura hic commode explicatur verbis illis, δήλωσις ἀληθείας. Est autem περίθεσις vocis λογεῖον. Nam per illud pectorale principibus populi patefiebat veritas latens.

Vers. 13. TORTO COCCO OPUS ARTIFICIS) De his & quæ sequuntur vide dictum Exodi locum.

FIGURATIS) *Sculpturis annuli*, id est, ita fculptis ficut annuli sculpi solent.

IN LIGATURA AURI) ἐν δέσει χρυσίου: id est, *inclusis auro*, Vide Exodi XXXIX. 6. 7. 8.

ET OPERE LAPIDARII) *Opera gemmarii.* Refer ad id quod præcessit. Magnus artifex gemmas auro includerat.

IN MEMORIAM SECUNDUM NUMERUM TRIBUUM ISRAEL) In Græco amplius: εἰς μνημόσυνον ἐν γραφῇ κεκολαμμένη κατ' ἀριθμὸν φυλῶν Ἰσραὴλ id est, quæ memoriam continebant filiorum Israel ordine nominatorum per fcripturam insculptam. ספר sæpe ordinem significat.

Moralia hic significata Gregor. part. 2. Pastor. c. 3. ita profequitur: *In sacerdotis habitu ante omnia aurum fulget, ut in eo intellectus sapientiæ principalis ornatus sacerdot. ter emicet: cui hyacinthus, (qui aereo calore resplendet) adjungitur, ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad favores infimos, sed ad amorem cœlestium assurgat. Purpura permisceatur, ut Sacerdotale cor, cum summa quæ præcellat sperat, in semetipso suggestiones vitiorum reprimat, eisque veluti ex regia potestate contradicat. Bis tinctus coccus adjungitur, ut omnia virtutum bona ex charitate decorentur: quæ quia Deum & proximum diligit, quasi ex duplici tinctura fulgescit. Quid vero per byssum, nisi candens decore munditia castitas designatur. Quæ byssus torta pulchritudini superhumeralis invectitur, quia tunc castimonia ad perfectum munditia candorem ducitur, cum per abstinentiam caro fatigatur.*

Moralia significata ornatus sacerdot.

Vers. 14.

CORONA AUREA SVPER MITRAM EJVS) Supple *erat.* Lamina illa memorata Exodi XXVIII. 36. quam latitudinis duorum digitorum fuisse ajunt Hebræi.

EXPRESSA SIGNO SANCTITATIS) ἐντύπωμα σφραγῖδος ἁγιάσματος, puto esse nominativum, & subaudiri ut supra *erat.* Et sculptura ibi erat ad modum *annuli*, habens nomen *sanctitatis.* Insculptum enim erat laminæ ipsi קדש ליהוה.

ET GLORIA HONORIS) In Græco per περίθεσιν ad id quod præcessit, καύχημα τιμῆς, *magnificentia plena honoris*, sic καύχημα modo habuimus XLV. 9.

OPVS VIRTVTIS) ἔργα ἰσχύος. *Opera* omnia quæ dixi *opulenta.* Sic & σκεύη ἰσχύος habuimus dicto commate 9.

ET DESIDERIA OCULORUM ORNATA) In Græco: *Obtectamenta oculorum arte facta, pulchra.* Laudat & artem & materiam, ἐπιθυμήματα ἐξειλεῶν habemus etiam 1. Reg. XX. 6. Ezech. XXIV. 16. 21. 25. κειμήλιον pari sensu habuimus supra XVI. 28. XLII. 22. & alibi.

Vers. 16. ALIENIGENA ALIQVIS) Alienigena hic intelligitur omnis qui non esset de stirpe Aaronis. Sic זר sumitur de iis qui sacerdotalis generis non erant, Levit. XXII. 10. de iis qui Levitæ non erant Num. I. 51. III. 10. est enim τῶν πρός τι.

SED TANTVM FILII EJVS SOLI) Bene vertit πλήν, quod sæpe non est exceptivum, sed adversativum.

Vers. 17. SACRIFICIA IPSIUS CONSVMTA SVNT IGNE QVOTIDIE) *Tota igne consumita sunt quotidie*: idque sempᵗ *bis.* Mane & vesperi holocausta offerebantur, quotidie, & sine intermissione. Num. XXVIII. 3. 4. id dicitur עלת תמיד, Exod. XXIX. 42. Græce, ὁλοκάυτωσις διὰ παντός.

Vers. 18. COMPLEVIT MOSES MANVS EJVS) Unguento sci licet, ut sequitur. Historia est Ex. XXVIII. 41. locutio vero eadem Judith XVII. 5. 12.

Vers. 19 FACTVM EST ILLI IN TESTAMENTVM ÆTERNVM) *Datum est illi fœdere æterno*: ministrare scilicet, ut sequitur. Vide supra 7.

FUNGI SACERDOTIO, ET PABERE LAUDEM) In Græco: *Min sirare ipsi*, Deo, *simulque sacerdotio fungi*, Ministrare intelligo, parare mensam περθέσεως, candelabrum, atque alia: sacerdotio fungi, offerre victimas, liba, vinum, fussus.

ET GLORIFICARE POPULUM SVVM IN NOMINE EJVS) ὑλογεῖν τὸν λαὸν, id est, bene precari populo. Num. VI. 23. 24.

Vers. 20. IPSVM ELEGIT AB OMNI VIVENTE) Ex omnibus hominibus.

OFFERRE SACRIFICIUM DEO) κάρπωσιν. Ita dicuntur & liborum & victimarum partes quæ igne adolentur, Hebræis אשות. Vide Levit. I. 9. III. 3. 9. 14. VIII. 28 & alibi.

INCENSUM ET BONUM ODOREM) ἐν διὰ δυοῖν, *Suffitum odoriferum.* Exod. XXX. 7. & deinceps.

IN MEMORIAM) In signum animi memoris beneficiorum Dei.

PLACARE PRO POPVLO) Subaudi & hoc modo: *Et ad placamenta faciendapro populo.* Id convenit sacris pro peccato & delicto.

Vers. 21.

ET DEDIT ILLI IN PRÆCEPTIS SUIS POTESTATEM, IN TESTAMENTIS JUDICIORUM) In Græco: *Dedit ipsi præcepta sua*: Legis tabulas, & libros Mosis custodiendos.

POTESTATEM IN TESTAMENTIS JUDICIORUM DOCERE JACOB TESTIMONIA, ET IN LEGE SUA LUCEM DARE ISRAEL) *Auctoritatem circa edicta judiciaria*: nempe ut populum Jacobi, sive Israelis, *docerent ea quæ Deus testatus erat*; & hic veluti facem *ei illucerent ad legem intelligendam.* διαθήκη inter alia etiam edicta significat, ut diximus in Prolegomenis ad Matthæum. Eodem sensu διαθήκης κήρυκα habuimus supra XXXVIII. 43. μαρτύρια idem quod præcepta legis, quia

quia Dei voluntatem testantur. Exod. XXV. 10. 21. Sacerdotum præcipue erat legem explicare populo, Malach. II. 7.

Vers. 22. QUIA CONTRA EUM STETERUNT ALIENI) Legit, ἐπὶ συνέστησαν. Sed rectior lectio quam nunc Græci libri omnes præferunt, ἐπανέστησαν, *cotionem fecerunt*. Novam historiam attingit, quæ est Num. XV. non autem rationem reddit ante dictorum. ἐπανεστῆναι, pro *cotionem facere*, habemus etiam Num. XIV. 36. Jerem. XX. 10. Ezech. II. 6. & in hac ipsa historia Num. XVI. 19. & in hujus historiæ repetitione, Num. XXVI. 9.

ET PROPTER INVIDIAM CIRCVMDEDERVNT ILLVM HOMINES IN DESERTO, QUI ERANT CVM DATHAN ET ABIRON, ET CONGREGATIO CORE IN IRACUNDIA) *Et invidia in eum accensi sunt, etiam cum furibunda ira, in deserto, tum viri illi qui Dathani & Abironi aderant, tum factio Core.*

Vers. 23. VIDIT DOMINVS DEVS, ET NON PLACVIT ILLI) Ἀπέστη.

ET CONSVMTI SVNT IN IGNE) *Incendio perierunt.* Hoc enim est συνεπλέσθησαν. Alioqui corpora manere integra.

Vers. 24. ET CONSVMSIT ILLOS IN FLAMMA IGNIS) Quæ intus eos examinavit.

Vers. 25. ET ADDIDIT AARONI GLORIAM) Nempe ut vindicato, Dei ipsius viribus.

ET DEDIT ILLI HÆREDITATEM, ET PRIMITIAS FRVGVM TERRÆ DIVISIT ILLI) *Et dedit* ei *velut possessionem* multas obventiones, ac primum *partitus est ei perceptionem primorum fructuum*. Omnino οὖς hic subaudiendum, apparet ex sequentibus.

Vers. 26. PANEM IPSIS IN PRIMIS PARAVIT AD SATIETATEM) Enimvero de victu ipsis prospexit, vtque ad satietatem. ἄρτοι ad exemplum Hebræi לֶחֶם, hic generaliter sumi pro omni cibo docent sequentia.

NAM ET SACRIFICIA DOMINI EDENT, QVÆ DEDIT ILLI ET SEMINI EJVS) *Nam sacrificia Domini esuri erant ipsi, & posteri ejus, quibus ea Deus dederat.* Ita explicanda verbotum, quæ hic est, trajectio. Legit interpres. φάγονται, non ut in Sixtina, φάγοντες: Esuri erant, id est, lege statuebatur ut ederent. Sacrificia intelige omnia præter holocausta: de cæteris enim sacrificiis, datis Deo suis partibus, aut totum reliquum, aut partes bonæ cedebant sacerdotibus Aaronidis.

Vers. 27.

CÆTERVM INTER GENTES NON HÆREDITABIT) *Cæterum non habiturus erat* partem, *in terra populi.* Futurum hic sumitur ut in præcedenti commate.

ET PARS NON EST ILLI IN GENTE) Soli pars scilicet.

IPSE ENIM EST PARS EJVS, ET HÆREDITAS) *Ipse Deus est illi quasi pars possidenda.* Id est, res divinæ sacerdotes alunt. Sumtum ex Num. XVIII. 20.

*De significatione pestilium sacerdotalium.*

Quid adumbratum *pestilibus sacerdotalibus* fuerit (ut de eo solo jam dicamus) explicatur à Thoma I. secundæ. q. 102. à 5. ad 10. *Sunt quatuor omnibus Sacerdotibus necessaria, sc. Castitas quæ significatur per femoralia: puritas vitæ, quæ significatur per lineam tunicam; Moderatio discretionis quæ significatur per cingulum. Et rectitudo intentionis, quæ significatur per Tiaram protegentem caput. Sed præbis debent Pontifices quatuor habere. Primo quidem fugere Dei memoriam in contemplatione, & hoc significat lamina aurea habens nomen Dei in fronte. Secundo quod supportent infirmitates populi, quod significat superhumerale. Tertio quod habeant populum in corde & in visceribus per solicitudinem charitatis, quod significatur per rationale. Quarto quod habeant conversationem cœlestem per opera perfectionis, quod significatur per tunicam hyacinthinam. Unde & tunicæ hyacinthinæ adjunguntur in extremitate tintinnabula aurea, per quæ significatur doctrina divinorum, qua debet conjungi cœlesti conversationi Pontificis. Adjunguntur etiam mala punica, per quæ significatur unitas fidei & concordia in bonis moribus, quia sic conjunctæ debet esse ejus doctrina, ut per eam fidei & pacis unitas non rumpantur.* Similis fere est explicatio *Rabani* ad h. l. *Quia in Rationali plenitudo scientiæ exprimitur, in superhumerali bonorum operum actus, in tunica hyacinthina cœlestis conversatio, in tintinnabulis prædicatio sacri verbi, in tunica linea, qua & hic circumpedes nominantur, eo quod ad talos pertingebat, consummatio castitatis insinuatur: in baltheo continentia, in Cidari, quæ caput tegebat, omnium sensuum custodia, in femoralibus vero castimonia corporis contra libidinem. Corona autem super mitram, in qua expressum erat signum sanctitatis, h. e. nomen omnipotentis Dei honorificentiam significat divinæ majestatis, quam in arce status nostri & super omnia statuere debemus, ita ut in omnibus actibus nostris, sermonibus & conversatione honorificetur Deus per Jesum Christum Dominum nostrum, qui est caput corporis Ecclesiæ & Salvator omnium, maxime fidelium.*

Vers. 28.

PHINEES FILIUS ELEAZARI TERTIUS IN GLORIA EST) In honore summi Sacerdotis, Aaron primus, secundus Eleazarus, tertius Phinees.

IMITANDO EUM IN TIMORE DOMINI) *Quia exarsit ob timorem Domini.* Sequitur ipse Dei verba Num. XXV. 11. Sensus est: ideo Deum voluisse ut diu maneret in Phineæ familia Sacerdotium summum, quia ardorem suum adversus idololatras ostenderat.

Vers. 29.

ET STARE IN REVERENTIA GENTIS IN BONITATE ET ALACRITATE ANIMÆ) Hic ponendum colon: *Et quia stetit in defectione populi animo probo & alacri*, Id est, populo deficiente ipse constans fuit. τροπὴ, quamvis mutationem significat, sive in melius, sive in pejus: itaque pro materia varianda interpretatio.

PLACUIT DEO PRO ISRAEL) Puto scripsisse interpretem: *Placabilis Deum pro Israel.* Nam in Græco: καὶ ἐξιλάσατο περὶ τῶν ἰσραήλ. quæ verba desumta ex Num. XXV. 13. Sensus est: cæteris qui erant super viginti & quatuor millia Deus pepercit, ob Phineam.

Vers. 30.

IDEO STATUIT ILLI TESTAMENTUM PACIS) *Fœdus de prosperitate cum ipso pepigit* Deus.

PRINCIPEM SANCTORVM ET GENTIS SVÆ) Legit προηγούμενον, ut & nunc habent Græci codices. Sed omnino legendum: προηγητὴν ἁγίων καὶ λαοῦ αὐτοῦ, ut præesset Tempio & populo ipsius: id est, Levitis, qui peculiariter Deo dicati. προηγεῖσθαι solet genitivum regere, ut 1. Maccab. XIV. 47.

UT SIT ILLI ET SEMINI EJUS SACERDOTII DIGNITAS IN ÆTERNUM) Quamdiu scilicet populus & sacrificia manfura erant.

Vers. 31.

ET TESTAMENTUM DAVID REGI FILIO JESSÆ DE TRIBU JUDA HÆREDITAS IPSI ET SEMINI EJVS, VT DARET SAPIENTIAM IN COR NOSTRVM JVDICARE GENTEM SVAM IN JVSTITIA, NE ABOLERENTVR BONA IPSORVM IN GENTEM EORVM ÆTERNAM FECIT) Cum ordine temporum viros magnos commemoret, nondum venit ad Davidis tempora: unde intelligimus hic esse comparationem: Sensum vero: pari modo in Phinees domo (id est, in posteritate Sadoci, qui ex Phinea venerat) stabilitam summi sacerdotii successionem, quo in domo Davidis stabilita fuit regni successio. Legendum igitur, paucis literis in Græco mutatis: κατὰ διαθήκην τῷ Δαβὶδ υἱῷ ἐκ ἰδίου κληρονομίας βασιλέως ἐξ υἱοῦ μόνου, κληρονομία λαοῦ καὶ τὸ σπέρματι αὐτοῦ. Δοῦναι σοφίαν ἐν καρδίᾳ ἡμῶν κρίνειν τὸν λαὸν αὐτοῦ ἐν δικαιοσύνῃ ἵνα μὴ ἀφανισθῇ τὰ δόγματα αὐτοῦ, καὶ τὸν δῆμον αὐτοῦ εἰς γενεὰς αὐτῶν, quæ sic lii eat vertere: *Quale est fœdus* (cautum: *Davidi nato ex tribu Juda de successione Regis qui semper fuit filius tantum ex filio, talis fuit & successio* (data) *Aaroni & stirpi ejus. Det vobis* (Deus, O Aaronidæ, cui nunc estis) *sapienti animo in corde vestro manentem, ut juste judicetis populum ipsius, neintereat stirps ipsa. Det etiam bona ipsorum* (qui successuri sunt vobis) *& honorem ipsorum transire ad posteros ipsorum.* Duabus tantum in populo Hebræo domibus id contigit, ut in iis honoris successio transiret a maribus ad mares, Davidis & Sadoci. Hoc quo ita maneat in posteris Sadoci, qui a Phinea orti, Deum precatur ut iis qui tunc erant det bonam mentem ad recte peragenda judicia, quæ pars magna muneris sacerdotalis, ut diximus ad Matth. V. 22.

De eo vid. *Num.* XXV. 12. *seqq. Psal.* CVI. 30. I. *Macc.* II. 54. Testamentum *pacis*, quo de *Num.* XXV. 12. Sacerdotium Phineæ ejusque posteris promissum est, non quod *Phinees pacifice profuturus sit cum posteris*, ut cum *Cornelio à Lapide Grotius*, sed

partim quia *sacerdotes si mundi fuerint, præ aliis in pace & amicitia & in societate Dei esse videbantur, cum illo colloquentes* &c. partim quia *sacerdotium rite administratum causa erat pacis amicitiæ omnium-que felicitatis inter Deum & homines, propter preces & sacrificia* ut habet *Fagius* ad Num. XXV.

*Quomodo fœdus cum Phinea æternum?*

Quomodo autem *in æternum* stetit hoc fœdus siquidem post pronepotem Phineæ translatum fuerit summum facerdotium ad *Heli*, qui fuit de familia Ithamari I. *Par.* XXIV. 3? Hic tenendum non modo quod *hypotheticum* fuerit hoc fœdus, *si nempe posteri in fide & obedientia perseverarint*, sed etiam quod ad tempus id solum interruptum fuerit, post quatuor autem Pontifices, respiscentibus Phineæ posteris, facerdotium redditum, in *Sadoco* & in ejus familia usque ad Christum permanserit.

## CAPUT XLVI.

### *Elogia Josuæ, Caleb, Judicum, & Samuelis.*

Vers. 1.

FORTIS IN BELLO IESVS FILIVS NAVE) Ex Ναυῆ factum per errorem exscriptoris Ναυῆ, ob vicinitatem literarum diximus ad initium Josuæ. Is error semel admissus mirum quam late fluxerit.

SUCCESSOR MOSIS IN PROPHETIS) Scripsit interpres, *in prophetiis*: id vero est in munere prophetico. Nam de Josua ejusque in munere successoribus dictum Mosi fuit: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus.* Deuteronom. XVIII. 15. ubi dicta vide.

Vers. 2. QVI FVIT MAGNVS SECVNDVM NOMEN SVVM MAXIMVS IN SALVTEM ELECTORVM DEI) In Græco: *Qui, ut ferebat nomen ipsius, magnus fuit ad servandos electos Dei.* In illis vocibus, ὡς ὠνομάσθη, est significatio nominis Josuæ, sive Jesu, quod σωτῆρα significat.

EXPVGNARE INSVRGENTES HOSTES) *Ulciscendo hostes insurgentes.*

VT CONSEQVERETVR HÆREDITATEM ISRAEL) In Græco est per accusativum: ἵνα κληρονομήσῃ τὸν Ἰσραήλ: id est, *ut Israelem in possessione* terrarum *collocaret.* Nam κληρονομῶ hic est הִתְנַחֵל: Sicut βασιλεύειν est הִמְלִיךְ, ad regnum perducere.

Vers. 3.

QVAM GLORIAM ADEPTVS EST?) *Quantum adeptus est gloriæ?*

IN TOLLENDO MANVS SVAS) Qui gestus ferire volentis, ut Jerem. VI. 12. XV. & alibi: supra XXXVI. 2.

ET IACTANDO CONTRA CIVITATES ROMPHÆAM) *Extendendo romphæam contra urbes*: ad eas expugnandas scilicet, ut contra Haium, Macedam, Lebnam, multasque alias.

Vers. 4. QVIS ANTE ILLVM SIC RESTITIT?) *Sic stetit*: invictus.

NAM HOSTES IPSE DOMINVS PERCVSSIT) Legit πολεμίους, & κύριος: sed melior lectio quam habemus: τὰς γὰρ πολίμους αὐτὸς ἐπάταξεν. Bella Dei vocant Hebræi in gentes illas quas Deus devoverat. Alia bella vocant bella imperii.

Vers 5. AN NON IN IRACVNDIA EJVS IMPEDITVS EST SOL?) *An non per eum sol retrocessit?* ἐν χειρὶ αὐτοῦ. Hebraismus est pro *per eum.* Fer eum vero, per preces ejus. Forte post occasum diutius lucere visus est repercussu nubis existentis super horizontem, ut ad Josuæ locum diximus.

Vers 6. ET VNA DIES FACTA EST QVASI DVO) Unoesti adhæc sunt res hidui.

IN OPPVGNANDO INIMICOS VNDIQVE) *Cum undique ab hostibus premeretur*: a quinque scilicet regibus nominatis Josuæ capite decimo.

IN SAXIS GRANDINIS VIRTVTIS VALDE FORTIS) *Magnæ efficaciæ*, ad sternendos hostes. Vide dicta cap. X.

Vers. 7. IMPETVM FECIT CONTRA GENTEM HOSTILEM) *Ex loco superiore bellum in gentes intulit* Est enim propriæ κατηφόρειος ex alto dejiciens, unde cataractæ. Habes hoc verbum eo sensu in Græco Oseæ VII. 6.

ET IN DESCENSV PERDIDIT CONTRARIOS) In descensu Bethoron.

Vers. 8.

VT COGNOSCANT GENTES POTENTIAM EJVS) *Ut nossent gentes armaturam ipsius*, Josuæ: ut viderent ex tali grandine, quo præsidio Josuæ pugnaret.

QVIA CONTRA DEVM PVGNARE NON EST FACILE) In Græco: nempe *bellum ipsius* Josuæ *geri Deo favente.* Non ἐναντίον κυρίου, aut ἐναντίον κυρίε, לִפְנֵי יְהוָה id significat.

ET SECVTVS EST A TERGO POTENTIS) *Nam Deum sequebatur.* Is enim ὑπάτου dictus & supra 6. Vetus dictum ἐπὶ τῷ Θεῷ. Id fecit Josue, omnia ex Dei præscripto gerens.

Vers. 9. ET IN DIEBVS MOSIS MISERICORDIAM FECIT IPSE) *Etiam Mosis tempore idem beneficium præstiterat*: nempe populo, quanquam beneficium non intelligenti, ut sequentia declarant. Aoristus hic valet pro plusquamperfecto.

STARE CONTRA HOSTEM) Obstando cæteris: nempe volentium in Ægyptum reverti. Vide historiam Num. XIV.

ET PROHIBERE GENTEM A PECCATIS, ET PERFRINGERE MVRMVR MALITIÆ) Per gerundia hoc clarius reddas: *Prohibendo gentem à peccato, & cessare faciendo murmur malitiosum.*

*Josiæ gemitui similis.*

*De Josua* Chrysostomus hom. XXVII. in Epist. ad Ebr. *Intellige*, inquit, *quantus est justus; Dixit Iesus Nave, stet Sol circa Gabaon, & stetit Sol. Veniat igitur omnis mundus, magis autem duo, aut tres, aut decem, & viginti mundi, dicant, & faciant hoc, sed non poterunt. Amicus vero Dei amicis suis creaturis imperabat, magis autem amicum suum postulavit, & obedierunt servi. Et ille, qui deorsum erat superioribus imperabat.*

Vers. 10.

ET IPSI DVO CONSTITVTI) *Cum essent duo tantum.*

LIBERATI SVNT) Servati. διεσώθησαν: non mortui sunt in itinere.

A NVMERO SEXCENTORVM MILLIVM PEDITVM) *Ex sexcentis millibus peditum*; tot enim ex Ægypto exierant Num. I. 46. & supra XVI. 11. Ex his duo soli Josue & Caleb terram promissam calcarunt, ut videre est isto Numerorum loco, & Jos. XIV.

INDVCERE ILLOS IN HÆREDITATEM, IN TERRAM QVÆ MANAT LAC ET MEL) *Ita ut introduceret eos* Deus *in possessionem terræ abundantis lacte & melle*, Vide Exod. III. 8. 17. XIII. 5. XXXIII. 3. Levit XX. 24. Num. XIII. 28. XIV. 8. Deuteron. VI. 3. VIII. 8. XI. 9. Josue, II. 6. Ezech. XX. 6. 15.

Vers. 11.

ET DEDIT DOMINVS IPSI CALEB FORTITVDINEM) Id est, vigorem corporis.

ET VSQVE AD SENECTVTEM PERMANSIT ILLI VIRTVS) *Qui* (vigor) *ad senectutem ei permansit.* Ad annum ætatis quintum & octogesimum: ut legimus dicto loco Jos. XIV. 10. 11.

VT ASCENDERET IN EXCELSVM TERRÆ LOCVM) *Ita ut etiam arduæ loca terræ bene scanderet*, nempe Hebronem.

ET SEMEN IPSIVS OBTINVIT HÆREDITATEM) Possessionem avitam.

Vers 12.

VT VIDERENT OMNES FILII ISRAEL) Tanto exemplo senectutis, bonæ valetudinis, & opimæ rei.

QVIA BONVM EST OBSEQVI SANCTO DEO) *Bonum esse Deum sequi.* Est enim eadem hic locutio quæ supra 8.

Vers. 13. ET IVDICES SINGVLI SVO NOMINE, QVORVM NON EST CORRVPTVM CORDVI NON AVERSI SVNT A DOMINO, VT SIT MEMORIA ILLORVM IN BENEDICTIONE) Est Hebraismus: nominativus nominis cum genitivo pronominis vice genitivi ipsius nominis. Nam Latine dicemus: *Judicium quoque, quod singuli nomina habent, eorum cor non fuit fortatum: id est, qui à Deo non defecerunt: commemoratio fiat in eulogiis publicis.* Excludit ab his Abimelechum.

ET OSSA ILLORVM PVLLVLENT DE LOCO SVO, ET NOMEN EORVM PERMANEAT IN ÆTERNVM, PERMANENS AD FILIOS ILLORVM, SANCTORVM VIRORVM GLORIA) In Græco: τὰ ὀστᾶ αὐτῶν ἀνθάλαι ἐκ τοῦ τόπου αὐτῶν, καὶ τὸ ὄνομα αὐτῶν ἀντικαλῶκατασταθείη ἐν υἱοῖς διδεξαμένοις αὐτῶν. *Ossa ipsorum floreant in loco suis*: (id est, sit perpetuum sepul-

sepulchris eorum vitor ; sæpe enim sepulchra in hortis erant) *nec minus nomen ipsorum transiens ad posteros, ut ipsi sic honorentur.* Dicatur diu ; hi sunt orti à Gedeone, hi à Jephthe, hi à Samsone.

RENOVAVIT IMPERIUM) κατέστησε βασιλέας, melius βασιλείαν. *Constituit reges*, ut idem sit ei quod sequitur, *unxit principes*: Saulem nimirum & Davidem.

IN GENTE SUA) Super populum suum.

Vers. 17. IN LEGE DOMINI CONGREGATIONEM JUDICAVIT, ET VIDIT DEUS JACOB) *Ipso secundum legem Dei regente populum, Deus Jacobi* gentem favens *adspexit.* שפט quod κρίνειν vertitur ; sæpe non judiciariam tantum, sed & omnem πολιτικὴν gubernationem significat.

IN FIDE SUA PROBATUS EST PROPHETA, ET COGNITUS EST IN VERBIS SUIS FIDELIS, QUIA VIDIT DEVM LUCIS) *Per fidem suam probatus est Propheta, & per verba sua cognitus est fidus in visu.* Nam ψυτὸς ὁράσεως est in Sixtina, quod in aliis male desideratur. Latinus autem id legit, sed corrupte. Duabus notis agnoscitur verus Propheta ; si verum Deum colat, colendumque doceat, (quod hic significatur fidei nomine) & si dicta ipsius impleantur, utpatet collatis locis Deuteronom. XIII. 1. 2. & XVIII. 20. 21. 22. Samuel cognitus est verus Propheta, quia & Deum verum coluit, & quæ prædixit eventum habuerunt.

Vers. 19. ET INVOCAVIT DOMINUM OMNIPOTENTEM IN OPPUGNANDO HOSTES CIRCUMSTANTES UNDIQUE, IN OBLATIONE AGNI INVIOLATI) Legit ἀμνὸς γαλαθηνὸς, quomodo est in Sixtina, & in ipsa, quæ hic respicitur, historia I. Sam. VII. 9. ἔλαβε Σαμουὴλ ἀρνὰ γαλαθηνὸν ἕνα. Est ergo hoc quod dicit : *Hic ipse invocavit Deum potentem*, (*cum eum premerent inimici ejus*, Philistini nempe, *undique*) *offerendo agnum lactentem.*

Vers. 20. ET INTONUIT DE COELO DOMINUS) I. Sam. VII. 10.

V. 21. ET CONTRIVIT PRINCIPES TYRIORUM) Nimirum quia Tyrii (pars Cananæorum, sive Phœnicum) fœderati Philistiis.

Vers. 22. ET ANTE TEMPUS VITÆ SUÆ ET SÆCULI TESTIMONIUM PRÆBUIT) *Idem antequam hujus sæculi somnum dormiret*, (id est, priusquam moreretur : est enim κεκοιμῆσθαι) *contestatus est* populum. Multis integritatis testimonium post mortem præbetur. Ille vero hoc vivus ab omni populo abstulit.

IN CONSPECTU DOMINI) Deo præsente, non communi tantum, sed singulari modo, ut qui prophetiæ domum ei dedisset.

ET CHRISTI) Præsente etiam Saule rege solemniter unctо.

PECUNIAS ET USQUE AD CALCEAMENTA) Id est, *etiam ad calceamenta usque* : ne calceamenta quidem. Est autem hoc proverbiale apud Hebræos, ad rei minimæ significationem, utpatet Genes. XIV. 23.

AB OMNI CARNE NON ACCEPIT) Puto scripsisse interpretem, *non accepit* : sicut in Græco est, οὐκ ἔλαβεν. Facit enim velut ipsum loquentem, quanquam non ipsius verba quæ exstant I. Sam. XII. 30. sed sensum exprimit.

ET NON ACCUSAVIT ILLUM HOMO) Nemo fuit qui contra illum ullam querelam adferre potuerit.

*Chrysostomus* Samuelem prædicat homil. II. de sacerdot. qui *reliquos anteverit bonitate, ac moribus, tantoque intervallo omnes retro sanctos antecellere videretur, quantum in segetibus felices eminent spicæ.*

Vers. 23.

ET POST HOC DORMIVIT, ET NOTUM FECIT REGI, ET OSTENDIT ILLI FINEM VITÆ SVÆ) In Græco est ; *Idem postquam dormisset* (mortuus esset, figura eadem quam jam habuimus, de qua vide quæ dicta ad Matth. IX. 24.) *Prophetæ munere functus significavit regi* venturam *ejus mortem*, sive κατὰ τὸ εἶναι, sive κατὰ τὸ φαίνεσθαι, qua de re variæ fuere & olim Hebræorum, & nunc sunt Christianorum sententiæ. Vide quæ ad ipsum historiæ locum diximus.

ET EXALTAVIT VOCEM SVAM DE TERRA IN PROPHETIA) *Ex humo* emergens *altæ voce futura prædixit.*

DELERE IMPIETATEM GENTIS) *Ut tolleret gentis* (Israeliticæ) *impietatem* ; ut exemplo tanto moniti resipiscerent. Vide I. Sam. XXXVIII. 18. 19.

Eo ergo hic propendet Grotius *verum fuisse Samuelem*, qui Sauli post mortem apparuit. Quæ *Papistarum* plerorumque, hoc Apocryphi libri textu nitentium, est persuasio, *Dionysii, Rabani, Lyrani, Abulensis, Cajetani, Sanctij, Palacij & Cornel. à Lapide* hic, ut & *Bellarm.* l. II. de Purgat. c. 6. *Thyræi* l. 1. de apparit. spirit. c. 16. n. 410. &c. Sed vel ex hac Syracidis assertione liber ejus convincitur non esse Canonicus, de cujus auctoritate canonica Pontificiorum ipsorummet nonnullos dubitare fatetur *Pererius* l. I. de Magia c. II. p. 59. & agnoscit *Thomas* p. 1. q. 89. art. 8. *hunc librum non haberi apud Hebræos inter Scripturas Canonicas.* Non autem verum fuisse Samuelem, qui Sauli apparuit, plurima docent, 1. Quod Samuel verus à mortuis per Pythonissam *revocari* non potuerit, quæ ne quidem ullum defunctorum vere in vitam revocare possunt, nedum in tantum Prophetam jus haberent ; 2. Samuel verus fuit in *statu beatitudinis.* Ex eo autem arte veneficæ ipsum revocari potuisse, & revocatum esse, quis sibi persuaderi patietur? *An vero beatorum animæ* (ita Spanhemius Disp. Theol. parte II. Disp. XV. p. 275.) *in cœlos receptæ obnoxiæ sunt vel malis spiritibus vel eorum instrumentis, incantatoribus, & incantatricibus, ut ad talium artes nefandas comparentur? Hauduquaquam sane, vel enim* vi artis magicæ *hoc effectum*, *vel* ad artem magicam *tantum* : *Si* vi artis magicæ, *malis spiritibus & eorum instrumentis obnoxii sunt beati* : *Si* ad artem magicam *tantum* : *sequitur Deum illis artibus ablandiri voluisse, vel auctoritatem conciliare, quas toties sibi exosas professus fuerit. Adde vel* voluntariam *istam Samuelis comparitionem fuisse, vel* violentam *& coactam* : *Neutra vero hic cogitari potest* : *prior enim repugnat sanctitati, posterior felicitati beatorum.* Quod enim Papistæ excipiunt *non jussu Pythonissæ sed Dei Samuelem apparuisse*, vanum est ; quia *umbra* Sauli apparens aliud profitetur : *Quare*, inquit ad Pythonissam, *inquietasti me ut suscitarer.* Aut ergo his mentitus est hic apparens Samuel, quod non convenit sancto & beato Prophetæ, aut non fuit verus Samuel, sed personatus Dæmon ipse, mendacij Pater. 3. Mentitus certe in eo etiam est Pseudo-Samuel ille, quod dixit, *eras tu & filij tui mecum eritis.* Non enim sequenti die statim periit Saul, ut *Rainoldus* prælect. 92. in Apocryph. edocuit, nec cum Samuele Saul fuit in cœlo ; vel ut Papistæ fingunt in *limbo Patrum*, sed cum aliis damnatis in *inferno.* Quum Deus Sauli respondere noluerit nec per Prophetas, nec per Sacerdotes, nec per somnia, verisimile non est eorum responsa illi dare voluisse per *mortuos*, præsertim cum id lege diserte prohibuerit. Ideo agnoscunt Patres non pauci, *Dæmonem in forma & specie Samuelis apparuisse* Sauli, utpote *Justinus* in quæstion. q. 57. *Tertull.* l. de anima c. 57. *Procopius Gazæus* in I. Sam. XXIIX, ut & *Encherius* ac *Beda* in c. XVI. *Actor.* quibus etiam accedunt *Cyrillus Alex.* l. VI. de adorat. in spirit. *Basilius*, in c. IIX. Esaiæ, *Theodor.* q. LXII. in I. Reg. *Greg. Nyss.* Epist. ad Theodos. *Philastrius* de hæres. c. 26. *Chrys.* homil. III. in Tit. *Auth. quæst. V. T.* apud August. q. 27. & *lib. de mirab. script.* II. c. 2. *Isidor.* l. IIX. Etymol. c. 9. *Raban. de præstig. Dæm. Anastas.* quæst. in script. 37. *Glossa* ordin. in I. *Sam.* XXIIX. & Est. XXIIX. *Anshelmi Laudun.* in I. Sam. XXIIX. *Elias Cretens.* in orat. I. Naz. *Rupert.* in I. II. Reg. c. 17. *Zonaras* T. I. Annal. &c. eoque inclinat ipse *S. Augustin.* l. II. ad Simplic. quæst. 3. Quod è Pontificiis *Rainer.* Tom. I. Pantheol. p. 174. *Franc Ruizius Reg. 15. Sarisburiens.* in Policrat. l. II. c. 26. *Leloyerius* l. IV. de spectr. c. II. cum Paulo Burg. in addit. ad Lyr. *Gratiano* c.

*An verus Samuel Sauli post mortem apparuerit?*

*Pontifices dubitantes de libri hujus auctoritate Canonica.*

*De Samuele.*

Nec mirum caus. 26. q. 5. *Joh. Turrecrem.* ad illum Canonem, *Iob. Arboreo* Theologh. l. XVII. c. 5. *Cajetano* in 2. 2. q. 95. art. 4. fatetur *Iansenius: Samuel*, inquit, *dicitur prophetasse, quia Dæmon evocatus à Pythonissa coactus fuit ab Angelo Samuelis* (quæ tamen probari non possunt: angeli enim spiritus veraces sunt, non mendaces) *illa edicere Sauli, quæ Deus illi insligere destinabat.* Ne de Rabb. nonnullorum *Kimchij & Aben Ebr.* suffragio dicamus. Si objicias, *Saulem* l. *Sam.* XXIIX. 14. *intellexisse personam apparentem esse Samuelem.* Resp. parum id referre. Num enim ex *hominis* præconcepta opinione fascinati, & judicio perturbati, mente, vel conjectura potius (non enim ex visis à se concludit, sed ex auditis à Pythonissa, quæ mera erat conjectura) æstimanda erit rei veritas! Etsi enim Dei solius sit futura prædicere, posse tamen Satanam etiam quandoque per conjecturam, vel etiam certo ex Dei revelatione, ut I. *Reg.* XXII. 20. 21. legere est, vel ex judicio divino sibi commisso, vel permisso vera prædicere, dubium nullum est. *Dæmones*, inquit *Leo Allatius* in Syntagm. de Engastr. c. 21. *sæpe pronunciant quæ ipsi* (*Deo permittente*) *facturi sunt, & fieri potuit, ut Deus exsequeretur sua judicia, Dæmonis ministerio, in Saule tanquam in Achabo* I. *Reg. ultim. & ambigua responsisse dæmonem, quum vox CRAS ambigua sit, neque diem proxime sequentem indicare* (vi historiæ) *hic potuerit*, observat *Rainoldus prælect. 92. in libr. Apocryph.*

Quod ad veterum & Patrum quorundam contrariam autoritatem, existimat quidem *Origenes* in II. Sam. XXIIX. ut & *Iustinus* in dial. cum Tryph. *Samuelis animam per incantationes ab inferis reductam esse*: Sed his aliorum ex antiquitate jam laudatorum autoritatem merito opponimus, utpote Scripturæ Canonicæ autoritati inniterentem: neque eam sententiam probare possunt ipsimet Pontificij. *Nemo prudens*, inquit *Sanctius*, *admittet veram alicujus animam præsertim viri sancti magicis incantationibus è sedibus suis evocari posse. Meræ præstigiæ hæ erant à Dæmone confictæ*, inquit *Eusthatius Antiochenus*, qui *Origenem de ventriloqua* oppugnavit singulari tractatu à Leone Allatio edito, quod etiam facium à *Methodio* Martyr. Adde quod *Leone Allatio* judice l. citat. c. XI. videatur *determinatio Ecclesiæ cap. illud 26. quæst. 2. & cap. Nimirum quæst. 5.* ubi expresse dicitur, *non fuisse Samuelem, sed ejus phantasma.*

## CAPUT XLVII.

### *Elogium Nathan, Davidis & Salomonis.*

Vers. 1.

POST HÆC SURREXIT NATHAN PROPHETA IN DIEBUS DAVID) נתן de Prophetis dicitur, & נביא de Deo Prophetas mittente, quia eminent multum in populo, & velut de loco superiore loquuntur.

DE Nathane *Epiph.* l. de vit. & morte Prophet. *Nathan Prophetam lege Domini Davidem instituit.* Conf. 2. *Sam.* VII. 5. & *cap.* XII.

Vers. 2.

ET QUASI ADEPS SEPARATUR A CARNE, SIC DAVID A FILIIS ISRAEL) Non est & in Græco: incipit enim novum sermonem de Davide hoc modo: Qualis est adeps qui separatur (in honorem Dei) à victima prosperante (quas victimas Hebræi שלמים vocant: Græci σωτηρίους, Latinus interpres *pacificas*, ut videre est Levit. III. 3.) talis David inter natos Israele, id est, pariter eximius, pariter repositus ad Dei usus.

*Chrysost.* homil. de David. & Saule *cum Davidem separatum a carne contemplatur, angelum sibi efformat: Illustrem in cælo, illustrem in terra, qui ad Evangelicæ Philosophiæ fastigium pervenerit, &c.*

Vers. 3.

CUM LEONIBUS LUSIT QUASI CUM AGNIS) Est quidem in Sixtina, ἐκώμευσεν. Verum alij codices habent ἐκράτησεν, id est, *apud leones diversit: aut cum leonibus conversatus est tanquam cum hædis.* Habuimus idem verbum supra XXIX. 30. *Cum hædis* hic est in Græco: cum agnis sequitur membro altero.

ET IN URSIS SIMILITER FECIT SICUT IN AGNIS OVIUM) *Et cum ursis quasi cum agnis ovilli generis.* Num subauditur verbum præcedens. Historia est I. Sam. XVII. 34.

IN JUVENTUTE SUA NUMQUID NON OCCIDIT GIGANTEM?) Ita hæc distinguenda sunt, ἀνχι deest in plerisque codicibus Græcis; sed est in Sixtino, & est admirantis.

ET ABSTULIT OPPROBRIUM DE GENTE) Usurpatipsa verba Davidis, quæ extant I. Sam. XVII. 36.

Vers. 5.

IN TOLLENDO MANUM SAXO FUNDÆ DEJECIT EXSULTATIONEM GOLIÆ) Optima est lectio in Sixtina: ἐν τῷ ἐπάραι χεῖρα ἐν λίθῳ σφενδόνης καὶ καθεῖλεν γαυρίαμα τῦ Γολιάδ. *Cum attolleret manum cum lapide in funda, & dejeceret fastum Goliathi.* Pendet sensus ab eo quod præcessit. *Dejeceret fastum Goliathi*, id est, *Goliathum fastuosum?* Talia sunt, *sapientia Lidi*, pro ἐμπαικτὴ, *Stertinium acumen*, & similia.

Vers. 6. ET DEDIT IN DEXTERA EJUS TOLLERE HOMINEM FORTEM IN BELLO) *Et pro qui*: dedit in dextra: id est, *facultatem ei dedit.*

EXALTARE CORNU GENTIS SUÆ) Id est, vires; nam cornua vires tauris aliisque bestiis.

Vers. 7. SIC IN DECEM MILLIBUS GLORIFICAVIT EUM) Id est, *propter decem millia*, hostium fœlicet cæsa. Alludit ad hymnum qui est I. Sam. XVIII. 7.

ET LAUDAVIT EUM IN BENEDICTIONIBUS DOMINI) *Ornavit eum suis benefactis, Domini* pro *suis*: more Hebræorum, qui nomine repetito utuntur, vice pronominis reciproci.

IN OFFERENDO ILLI CORONAM GLORIÆ) Ἐουξ; *ut ipse tribueret diadema gloriosissimum*: populi nempe sui.

Vers. 8. CONTRIVIT ENIM INIMICOS UNDIQUE) *Enim* non est in Græco. Est quippe novus sensus. Hostes contrivit, Jebusæos, Moabitas, Syriæ multos populos, Idumæos, Ammonitas.

ET EXTIRPAVIT PHILISTHIM CONTRARIOS) ἐξωδωσε. Est plerumque ἐξολοθρεύειν contumacem. Sed hic sumitur in forma Hiphil, ut sit *contemtui objecit.* Sic ἐξουδένωσις opponitur τῇ τιμῇ I. Macc. I. 41. Historia tangitur quæ est I. Sam. VIII. init. 6.

SUSQUE IN HODIERNUM DIEM CONTRIVIT CORNU IPSORUM) Id est, ita vires eorum confregit, ut in hunc usque diem, quo hæc scribo, eas recuperare nequiverint.

IN ÆTERNUM) Hoc non est in Græco: nec opus est.

Vers. 9. IN OMNI OPERE DEDIT CONFESSIONEM SANCTO ET EXCELSO IN VERBO GLORIÆ) *Deomni opere* (id est, victoria sua) *gratiam habuit sancto supremo, idque verbo permagnifico.* Vere. Ostendit enim hoc & historia, & Psalmorum magna pars.

Vers. 10. DE OMNI CORDE SUO LAUDAVIT DOMINUM, ET DILEXIT DEUM QUI FECIT ILLUM) Illa *Dominum* & *Deum* addidit interpres.

ET DEDIT ILLI CONTRA INIMICOS POTENTIAM) Rursum & pro *qui.*

Vers. 11. ET STARE FECIT) *Constituit*, ἔστησε.

CANTORES CONTRA ALTARE) κατέναντι θυσιαστηρίυ, id est, *ante aram.* I. Par. XVI. 4. & XXV.

ET IN SONO HORUM DULCES FECIT MODOS) In Sixtina est: σὺν ἤχῳ αὐτῶν γλυκάνειν μέλη. Iterum hic est σὺν pro relativo. Sensus enim est: *Ex quorum cantu dulcia mele procedunt.* Bene *procedunt*, quia institutum Davidis ad tempus usque hujus scriptoris manebat. Quæ sequuntur in Græcis quibusdam: σὺν καθ' ἡμέραν αὐτῶν ἐν ᾠδαῖς αὐτῶν, ut ea in Latino, ita & in Sixtino codice absint.

Vers. 12. ET DEDIT IN CELEBRATIONIBUS DECUS) *Festos dies decoravit*: hymnis ad quoque aptatis.

ET ORNAVIT TEMPORA AD CONSUMMATIONEM VITÆ) *Ad finem usque*, nempe anni. Redibat enim orbis hymnorum.

UT LAUDARENT NOMEN SANCTUM DOMINI) Nempe cantores illi ex Levitis delecti.

ET AMPLIFICARENT MANE DEI SANCTITATEM) *Et canerent ab ipso mane ejus sanctitatem*, non quod mane tantum cangent, sed quod mane inciperent canere,

Vers. 13.

Vers. 13.

DOMINVS PVRGAVIT PECCATA IPSIVS) *Abstulit peccata ejus* : id est, pœnas commeritas.

ET EXALTAVIT IN ÆTERNVM CORNV EJVS) Perpetuas illi dedit victorias.

ET DEDIT ILLI TESTAMENTVM REGNI, ET SEDEM GLORIÆ IN ISRAEL) Fœdus cum eo fecit, quo promisit regnum, quamdiu regnum esset, semper mansurum in illius domo.

Intelligi potest promissio simpliciter *in æternum facta*. Quum enim ea in Messiam simul respexerit, in Throno Davidis sessurum è semine ejus oriundum, firma ea ratione mansit promissio, vereque impleta est. Sedet enim etiamnum, & in æternum sedebit in throno regio Christus, Davidis Filius, quia regni ejus non erit finis. *Luc. 1, 33.*

Vers. 14. POST IPSUM SVRREXIT FILIVS SENSATVS) Prudentiæ ac literarum laudibus florens 1. Reg. 3, 12. IV. 31. & sequentibus.

ET PROPTER ILLUM DEJECIT OMNIPOTENTIAM INIMICORVM) In Græco est: ἧς δὲ αὐτοῦ κατέλυσεν ὁ παντοκράτωρ. Sed rectius puto fore, δι' αὐτὸ *propter hoc* (quia tam prudens erat) *late habitavit*: vicini populi libenter ejus imperio paruere.

Vers. 15. SALOMON IMPERAVIT IN DIEBVS PACIS) Explicatissima etymologia nominis, ut & supra 46, 2.

CVI SVBJECIT DEVS OMNES HOSTES) In Græcis quibusdam: ᾧ ὑπέταξεν ὁ θεὸς πάντας κυκλόθεν αὐτῷ. At in Sixtina brevius: ᾧ ὁ θεὸς κατέπαυσε κυκλόθεν, id est, τὰ κυκλόθεν. *Cui Deus pacabit circumsita.*

VT CONDERET DOMVM IN NOMINE SVO) Ut per patris commoda Templum struere, quod diceretur בית יהוה.

ET PARARET SANCTITATEM IN SEMPITERNVM) ἁγίασμα, sanctuarium uno in loco mansurum, non ambulans, quale fuerat tentorium.

QVEMADMODVM ERVDITVS ES IN JVVENTVTE) *Quam eruditus fuisti jam in juventute?* Rectius enim in Sixtina legi, ἐπαιδεύθης, ὡς ἐν νεότητί σου, quam cum aliis, ἐφιλίωσας & ἐν νεότητι αὐτῆς, docent sequentia.

V. 16. ET IMPLEVS QVASI FLVMEN SAPIENTIA) Ut flumen supra ripas surgens.

ET TERRAM RETEXIT ANIMA TVA, ET REPLESTI IN COMPARATIONIBVS ÆNIGMATA) Ita Sixtina: ἀνέπλασας ἐν παραβολαῖς: *Terram obtexit anima tua* (animi tui opera) *& repleti eam sententiis ænigmatici.* 1. Reg. 4. 31.

AD INSVLAS LONGE DIVULGATVM EST NOMEN TVVM) Ad oras Ophir. Omnes enim tales oras Hebræi יָם vocant.

ET DILECTVS ES IN PACE TVA) ἠγαπήθης quomodo est in Sixtina. Omnes populi te amarunt, ideo quod bona fide pacem cum omnibus coleres.

V. 18. IN CANTILENIS) *Ob carmina tua.* Fecit enim multa quæ periere. Restat una ᾠδαρικὸς, quæ Hebraïs dicitur Canticum Canticorum. Vide dictum locum 1. Reg. 4, 32.

ET PROVERBIIS) ἐν παροιμίαις. Ob sententias simpliciter enunciatas.

ET COMPARATIONIBVS) Ob sententias ἐναίσιμα, aut ἀντίθετα simpliciter continentes.

ET INTERPRETATIONIBVS) Ænigmatum, quæ Hiromus & alii ei miserant. Vide quæ de hac re diximus in Annotatis ad librum tertium de Veritate Religionis Christianæ.

Vers. 19.

ET IN NOMINE DOMINI DEI TVI, CUI EST COGNOMEN DEVS ISRAEL, COLLEGISTI QVASI AURICHALCVM, AVRVM, ET VT PLVMBVM COMPLESTI ARGENTVM) Hæc ita recte videntur connecti in Græcis quibusdam, nec male post illud, τῷ θεῷ, addi πάσης τῆς γῆς. Adjuvante Deo qui in Israele quidem colitur, sed in omni terra imperium habet, fecisti abundare aurum vel stannum, & argentum velut plumbum, κασσίτερον, stannum et am in Glossis, aliud longe est aurichalcum.

De sapientia Salomonis & celebritate ejusdem 1. Reg. IV. 32. 34. de divitiis 1. Reg. x. 21. 2. Chron. 1. 15. dictum. Vilalpandus T. II. in Ezech. p. 2. p. 5. disp. 3. c. 43. docet Davidem & Salomonem annuo reditu opibusque superasse tributa & opes non tantum Romanorum, sed & Chaldæorum, Persarum, omniumque Regum & Monarcharum.

Vers. 21.

ET INCLINASTI FEMORA TVA MULIERIBVS) In Græco Sixtino: παρεπλάνησας τοὺς λαγόνας σου γυναιξὶ. *Latera tua conseruisti mulieribus*, multis scilicet & extraneis. Ita hic est pro *sed*: nam virtutibus Salomonis enumeratis, ad vitia venit.

POTESTATEM HABVISTI IN CORPORE TVO) *Jus tibi adjunxisti in corpus tuum.* Contra legem scilicet. Si ἐκβιασάζου etiam supra habuim. ✻ xx. 7.

Vers. 22.

DEDISTI MACVLAM IN GLORIA TVA) Hoc facto maculasti egregias laudes tuas.

ET PROFANASTI SEMEN TVVM) Fœcisti hybridas.

INDVCERE IRACVNDIAM AD LIBEROS TVOS) *Ita ut & pœnam exitiales adversum liberos tuos*, quorum nemo tonus regni fuerit sessor fuit. ὀργὴ pro pœna sæpenus, ut Rom. 13, 4.

ET INCITARI STVLTITIAM TVAM, VT FACERES IMPERIVM BIPARTITVM, ET EX EPHRAIM IMPERARE IMPERIVM DVRVM) In Græco: *Ut dolorem ferrent* (liberi illi tui) *ob tuam stultitiam, dominatusque bina exsurgeret, ex Ephraim oriente regno per defectionem.* κατανύσσω legit cum plerisque Græcis, & ὄμος τυραννίδος, quæ lectio media est inter Sixtinam, quæ habet τυραννίδα, & alias quæ habent τυραννίδων. Stultitiam recte vocat animi mulieroſi vitium.

Τὰ μὲν γὰρ πάντ' ἐστὶ θηλείας φρενὸς,
Καὶ τοῦτο ὀρθῶς ἀφροσύνης ἄρχει θεός.

De quo *Augustin.* l. XVII. de Civ. Dei c. 20. *Hic*, inquit, *bonis initiis, malos exitus habuit. Quippe secundares, quæ sapientium animos fatigant, magis obfuerunt quam profuit ipsa sapientia etiam nunc & deinceps memorabilis, & longe lateque laudata.* Quod de *prophanatione seminis* dicitur, non de commixtione cum mulieribus, infidelibus nedum eo cum *Palacio* & *Pineda* l. VII. de rebus Salomon. c. II. accipiendum, *ac si filios suos Molocho immolarit.* Sed quod origo & causa fuerit, ut idololatria etiam apud semen & posteros ejus grassaretur *1. Reg. XIV. 22.*

Vers. 24.

DEUS AUTEM NON DERELINQVET MISERICORDIAM SVAM) ὁ μὴ καταλείπων. Non is erat qui derelinqueret.

ET NON CORRVMPET NEC DELEBIT OPERA SVA) *Nec qui corrumperet* quicquam *operum suorum.* Nam ✻. hic subauditur. Opus Dei hic dicitur regnum, quod Deus miris modis Davidi dederat. Deus pœnas à Salomone commentias ita temperavit, ut neque posteritatem Davidi, nec posteritati ejus omne regnum auferret.

NEQVE PERDET A STIRPE NEPOTES ELECTI SVI) *Nec qui electi sui* (Davidis) *posteritatem exstingueret.* David electus Dei dicitur Ps. 89, 20.

ET SEMEN EJVS QVI DILIGET DOMINVM NON CORRVMPERET) *Aut qui corrumperet stirpem ejus qui se dilexerat.* Sensum eundem pluribus verbis repetit.

Vers. 25.

DEDIT AUTEM RELIQVVM JACOB ET DAVID DE IPSA STIRPE) *Dedit reliquias Jacob & Davidi surculum ex ipso.* Remanere voluit regnum in posteritate Jacobi, imo & in ipsa Davidis familia, secundum promissa utrique facta Genes. 27, 29. 1. Sam. 7, 16. 26.

Vers. 26.

ET FINEM HABVIT SALOMON CVM PATRIBVS SVIS, ET DERELIQVIT POST SE DE SEMINE SVO GENTIS STVLTITIAM, ET IMMINVTVM A PRVDENTIA ROBOAM) *Nam postquam Salomon post patres suos requievisset, reliquit post se de suo semine stultitiam populi* (id est, stultissimum populi, more Hebræo posita voce abstracta pro concreto) *nempe prudentia destitutum Roboamum.* ἐκ hic est pro nempe. Patri sapientissimo successit stultissimus filius, Euripides:

Πᾶσι γὰρ ὄντοι σώφρον' γεννᾶς πατὴρ
Τὸ μηδὲν ὄντα.

Item:

Πολλοὶ γὰρ ὄντες ἰσχύουσ', οὐκ ὄντες κακοί.

QVI AVERTIT GENTEM CONSILIO SVO) *Qui defecere fecit populum* (id est, decem tribus) *consilio suo.* Cum avaritia adderet pertinaciam & mala verba. Potuit dicere cum Adrasto:

Κεἰ γὰρ σοφὸν δόρυβδ' ἐξέπεσεν μοι,

Vers. 29.

ET JEROBOAM FILIVM NABATH, QVI PECCARE FECIT ISRAEL) υἱὸν Ναβάτ, est in Sixtina. At alii codices habent, υἱὸς Ναβάτ, ut subaudiatur *fuit, qui.* In Græco, ἐξήμαρτε habet sonum activum simplicem: at significationem actus duplicis, qui apud Hebræos exprimitur per formam Hiphil. Vide supra XLVI. 2.

ET DEDIT VIAM PECCANDI EPHRAIM) Ephraimo peccandi exemplum dedit 1. Reg. 12, 30. XV. 26. 30.

ET PLURIMA REDUNDAVERUNT PECCATA IPSORUM) *Et multum aucta sunt peccata ipsorum.* Crevere de die in diem. *Ipsorum*, nempe Ephraimitarum & aliorum Israelitarum de decem tribubus.

V. 30. VALDE ENIM AVERTERUNT EVM A TERRA SVA) Ita ut eos facerent migrare de terra sua: tam grandia fuere peccata, ut decem tribus e solo suo exciterent. 2. Reg. 17, 18.

Vers. 31.

ET QVÆSIVIT OMNES NEQVITIA) Hoc in quibusdam exemplaribus male abest, sed est in Sixtino: καὶ πάσαν πονηρίαν ἐξεζήτησεν. Amarunt omne malum facinus. Vide dictum locum ex historia Regum.

USQVE DUM PERVENIRET AD ILLOS DEFENSIO) *Ultio* à Deo per Tiglathphalasarem, & Salmanasarum. Frequens est sacrarum literarum interpretibus Latinis defensionem usurpare in sensu ultionis, ut alibi observavimus.

ET AB OMNIBUS PECCATIS LIBERAVIT EOS) Hoc in nullis Græcis legitur.

Similiter fere Ohander ita reddens, & explicans: *Et excogitaverunt omnem malitiam (varias idololatriæ aliorumque scelerum species) donec vindicta super eos veniret. (Falsa igitur Religio tandem regna evertet. Et qui semel a vero Dei cultu, & à doctrina cœlesti recedunt, justo Dei judicio semper errando longius progrediuntur. Quare ardenter a Deo petamus, ut Spiritu suo sancto nos regat: neque nos in tentationem inducat. Et oremus Dominum, ut semper nobis pios donet Magistratus, qui veram religionem ad posteritatem propagare studeant.*

## CAPUT XLIIX.

### *Elogium Eliæ, Elisæi & Ezechiæ.*

Vers. 1.

ET SVRREXIT ELIAS PROPHETA) Ex occasione peccatorum Jeroboami, per πρόληψιν quandam, facta mentione pœnæ ex talibus peccatis multo post tempore secutæ, repetit ordinem historiæ in commemorandis viris eximiis. Deorce *surrexit* vide supra XLVII. 1.

VT IGNIS) Animo ardenti pro Dei gloria.

ET VERBVM IPSIVS QVASI FACVLA ARDEBAT) *Ut lampas lucebat.* Ignis & ardorem habet & lucem. Sic & Elias; & is qui Eliæ similimus fuit Johannes Baptista Joh. V. 35.

Fabula est, quod traditur apud Epiph. in vit. Proph. & Doroth. in Synopsi. *Eliam flamma fuisse enutritum in signum ardentis eloquii ejusdem*, etsi id mitigent hoc pacto, quod *flamma lambens vultum & os ejusdem visa sit in illud ingredi, eumque cibare, & pascere.*

Vers. 2.

QVI INDVXIT IN ILLOS FAMEM) Oratione ad Deum, Jac. V. 17. In Græco est, *famem vehementem.*

ET IRRITANTES ILLVM INVIDIA SVA PAVCI FACTI SUNT) In Græco: *Et sua indignatione eos ad paucos redegit.* Multis scilicet per famem mortuis.

NON ENIM POTERANT SVSTINERE PRÆCEPTA DOMINI) Non est in Græco.

Vers. 3. VERBO DOMINI CONTINUIT COELUM) Ne plueret. *Verbo Domini*, hic est vi divina, ut mox 5.

ET DEJECIT DE COELO IGNEM TERRÆ) Contra Baalis sacerdotes. 1. Reg. XVIII. 38. & bis contra missos ab Ochozia. 2. Reg. 1, 10. 12.

Vers. 4.

SIC AMPLIFICATVS EST ELIAS IN MIRABILIBUS SUIS) In Græco, in secunda persona cum admiratione: *ὁ μεγαλυνθεὶς ἐν τοῖς θαύμασί σου ἐν δόξῃ Ἠλίας!*

ET QVIS POTEST SIMILITER SIC GLORIARI TIBI?) Quis par tibi, si gloriandum sit?

Præclare hoc expositit *Chrysost.* serm. 2. de Elia, qui hic videatur.

Vers. 5.

QVI SVSTVLISTI MORTVUM AB INFERIS, DE SORTE MORTIS IN VERBO DOMINI DEI) *Qui mortuum ex morte, animam inquam ab orco resuscitasti & Altissimi*, 1. Reg. XVII. 23.

Vers. 6.

QVI DE JECISTI REGES AD PERNICIEM) Precibus & prædicendo: Achabum, Jezebelem, Ochoziam, Joramum Ochoziæ fratrem.

ET CONFREGISTI FACILE POTENTIAM IPSORUM) Non est in Græco.

ET GLORIOSOS DE LECTO) Idem verbis aliis.

Vers. 7.

QVI AUDIS IN SINA JUDICIUM, ET IN HOREB JUDICIA DEFENSIONIS) Id est, ultionis, ut modo XLVII. 31. Horeb pars est Sinæ montis, & ἔλεγχος sunt minæ, ut Isa. I, 2. Minas intellige de iis malis quæ Israelitis erant illaturi Hazael & Jehu. Vide I. Reg. XIX. 17. ὁ ἀκούων hic est pro ὁ ἀκοαῖς, qui audisti. Sic χείων sequitur pro χείραις.

Vers. 8.

QVI UNGIS REGES AD POENITENTIAM) *Qui unxisti Reges ad vicem reprehendam*: improbis scilicet. Explica ex iis quæ jam dicta.

ET PROPHETAS SUCCESSORES POST TE) Bene vertit *αὐτὸν*, per secundam personam. *Prophetas*, plurale pro singulari: Eliseum enim intelligit. Vide locum jam dictum.

Vers. 9.

QVI RECEPTUS ES IN TURBINE IGNIS, IN CURRU EQVORUM IGNEORUM) In Græco: ἀναλῆφθης, *sursum assumtus.* Vide de hoc verbo quæ dicta ad Marci XVI. 19.

Vers. 10.

QVI SCRIPTUS ES IN JUDICIIS TEMPORVM LENIRE IRACUNDIAM DOMINI, CONCILIARE COR PATRIS AD FILIUM, ET RESTITUERE TRIBUS JACOB, BEATI SUNT QVI TE VIDERUNT, ET IN AMICITIA TVA DECORATI SUNT; NAM NOS VITA VIVIMUS TANTVM) Variant hic multum Græcæ lectiones, & inter se & à Latina. Cæterum qui norit opiniones Judæorum veteres de Elia, forte credet sic scriptum fuisse: ὁ καταγεγραμμένος ἐλεγμοὶ εἰς καιροὺς κοπάσαι ὀργὴν κυρίου πρὸ θυμοῦ, ἐπιστρέψαι καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν καὶ κατασταθῆναι φυλὰς Ἰακώβ. Μακάριοι οἱ ἰδόντες σε, καὶ οἱ ἐν ἀγαπήσει κεκοσμημένοι· καὶ γὰρ ἡμεῖς ζωῇ ζησόμεθα. *Qui conscriptus es* (id est, præductus in scriptu Malachiæ) *comminatio* (id est comminationem allaturus) *adversus tempora, ad mitigandam Dei iram antequam furor fiat, ad convertendum cor patris ad filium, & restituendas tribus Jacobi. Felices qui te videbunt, etiam qui in dilectione Dei obdormierunt. Nam nos* (qui tales etimus) *vita* reddita *vivemus.* Locum Malachiæ IV. 5. intelligeunt hujus scriptoris, atque etiam Christi tempore, ut & nunc, Judæi de Elia, (non mystico, id est, Johanne Baptista, quomodo Christus eum locum interpretatus est; sed illo ipso qui olim fuit, quem venturum putabant ante Messiæ tempora, & denuntiatione gravium malorum, diei magni & horribilis, & destructionis, quæ ἀποδοχὴν dicitur, (hoc est quod dicit, antequam ira furor fiat) effecturum ut Israelitæ inter se concordes sint; (hoc enim significat, corda patrum ad filios, filiorum ad Patres convertere; de quo vide Luc. I, 17.) & ut tribus restituantur in veterem statum; (quod hic dicitur κατάστασις, ut Matth. 17, 11. ex vetere dicto: *Elias restituet omnia*; deinde venturum Messiam, & resurrectionem priorem, nempe eorum Israelitarum qui in pietate diem obierint, qui omnes participes sint futuri bonorum Messiæ in hac terra: quibus pius hic scriptor se quoque annumerat. Cæteræ voces quæ in aliquibus exemplaribus sunt additæ, natæ sunt ex glossematis, si quis tamen meliorem ad hunc locum interpretationem attulerit, ei libens accedam.

Conjecturam Grotii suo relinquimus loco. Cæterum Papistæ, quibus alioquin promte gratificatur Grotius, ex hoc loco colligunt, *Eliam in terras redituram ad certandum pro Christo contra Anti-Christum.* Sed liber hic primum est *Apocryph.* Deinde confundit *Johannem Proto-Baptistam* prodromum Christi in virtute & spiritu Eliæ adventurum, corda Patrum ad filios conversurum, uti præ dixit *Malach. c.* IV. interprete Gabriele *Luc. I. 17.* cum *Elia Thesbite*: quasi hic in terras rediturus esset, & *Adventum Christi secundum*, ad quem hæc Prophetica rapit *Siracides* cum adventu Christi *primo* quem

*De Papistarum certandum pro Christo contra Anti-Christum.*

*Sententia de reditu Eliæ.*

quem respexit ultimus Prophetarum, quo de *ad Mal. IV.* diximus. Neque dissentientem hic habemus Grotium. Et observat propterea *Jansenius, neque ex hoc loco neque ex Malachia probari posse, quod vere venturus Elias sit Anti-Christi tempore. Dici enim posset*, inquit, *Siracidem illud dicere secundum receptam suo tempore opinionem, qua creditum fuit ex verbis Malachiæ Eliam venturum, cum id implendum non esset in propria ejus persona, sed in Johanne Baptista, qui Christi adventu præcursurus erat in Spiritu & virtute Eliæ.*

Vers. eod.

POST MORTEM AVTEM NON ERIT TALE NOMEN NOSTRUM) Non est in ullo Græco.

Vers. 13.

ELIAS QVIDEM IN TVRBINE TECTVS EST, ET IN ELISÆO COMPLETVS EST SPIRITVS EJVS) In Græco Sixtino habemus: Ἠλίας μὲν ἐν συσκιάσει τὸ λοίσθιον, τῷ Ἐλισσαιε ἐκπλήσει πνεύματος ὁ αὐτός. Supereſt hic illud αὐτός, quo omisso, & καὶ juncto pro cum antecedente, hoc invenietur dicere: Cum Elias abrectus fuit turbine, Elisæus impletus fuit spiritu ejus. 2. Reg. II. 15.

Syrus reddit: *Recepitque Prophetiam dupliciter Elisæus*, quod è 2. *Reg.* 2. videtur potius sumsisse, quam ex Græco textu h. l. unde disputationes de duplici spiritu ortæ, sed hæ impræsentiarum alienæ sunt, ubi nihil *de duplici spiritu* habetur, nec 2. Reg. II. respectu *præceptoris* Eliæ, quod arrogantiæ fuisset, sed respectu *condiscipulorum suorum* duplicem poposcit Elisæus spiritum, ut recte observatum *Cajetano*; non vero duplicem ἁπλῶς, hoc est, *Prophetiæ, & miraculorum*, ut *Eucherius, Angel. Procopius, Theodor. Lyran. Dionys. Palatius & Jansen.* volunt, non abnuente *Thoma IV.* contra Gentes c. XI.

2. Reg. II. 9.

V. eod. IN DIEBVS SVIS NON PERTIMVIT PRINCIPEM) Ille Joramum Achabi filium 2. Reg. III. 14.

ET POTENTIA NEMO VICIT ILLVM) *Nemo eum subjectum sibi habuit.* Neque in cujusquam gratiam, nec cujusquam metu dicenda reticuit.

Vers. 14.

NEC SVPERAVIT ILLVM VERBVM ALIQVOD) Nec minæ, nec blanditiæ eum vicere.

ET MORTVVM PROPHETAVIT CORPVS EJVS) Id est, miracula fecit, cuo signo Prophetæ agnoscuntur. Mortuus enim revixit tactus a corpore ejus. 2. Reg. XIII. 21.

Vers. 15.

IN VITA SVA FECIT PRODIGIA) Aquas divisit pallio, aquas insalubres feddidit salubres, ursos immisit se irridentibus aquam exercitui sitienti excitavit, viduæ effecit ut oleum non deficeret, hospitæ filium vitæ reddidit, amaritiem herbarum correxit, Naamanum purgavit lepra, ferrum securis natare fecit, hostes adempto ipsis conspectu eluxit Samariam, famem præcidit, & famis finem, & Regis Syriæ mortem.

Vers. 16.

IN OMNIBVS ISTIS NON POENITVIT POPVLVS) Tot signis conspectis ab Elia & Elisæo editis, non correxit se populus.

USQVE DVM EJECIT SVNT DE TERRA SVA) *Captivi abducti sunt è terra sua.* Ἕως μετῳκίσθησαν Hellenistis est captivum facere.

V. 17. ET RELICTA EST GENS PERPAVCA) Duæ tribus.

ET PRINCEPS IN DOMO DAVID) Extincto decem tribuum regno, mansit adhuc in domo Davidis regnum in duabus tribubus.

Vers. 18.

QVIDAM EORVM) Regum Judæ.

FECERVNT QVOD PLACERET DEO) *Deo* additum est ab interprete, recte ad sensum, Asa, Josaphat, Joas.

ALII AVTEM MVLTA COMMISERVNT PECCATA) Cæteri reges.

Vers. 19.

EZECHIAS MVNIVIT CIVITATEM SVAM) Ez. 22, 10.

ET INDVXIT AD MEDIVM IPSIVS AQVAM) 2. Paralipom. 22, 30. Pro ὕδωρ, Sixtina hic habet, τὸν ῥοῦν, Id forte nomen fuit aquæductui, ideo quod tectus esset, aut quia Gog Arabicus abyssus.

ET FODIT FERRO RVPEM, ET ÆDIFICAVIT AD AQVAM PVTEVM) *Fontes*, In Græco. Ez. 22, 9. 10. 2. Paralip. 32, 30.

V. 20. ET MISIT RABSACEN) ὁ λαξεύς, quod hic addunt quidam codices, abest in Sixtina.

SVSTVLIT MANVM SVAM CONTRA ILLOS, ET EXTVLIT MANVM SVAM IN SION) In Sixtina est: καὶ ἀπῆρεν καὶ ἐπῆρεν τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπὶ Σιών. *Et profectus cum esset*, (ita ἀπῆρεν sæpe sumitur in his libris) *extulit* se *manum ejus contra Sionem*, id est, Sioni minatus est. ἐπῆρεν hic habet significationem Hithpahel.

ET SVPERBVS FACTVS EST POTENTIA SVA) *Per superbiam grandia locutus est.* Illa scilicet quæ leguntur 2. Reg. 18, 19. & sequentibus Es. 36, 14. & sequentibus.

Vers. 21.

TVNC MOTA SVNT CORDA EORVM) Perturbati sunt animi.

ET MANVS IPSORVM COMMOTÆ SVNT) Id est, tremuerunt.

ET DOLVERVNT QVASI PARTVRIENTES MVLIERES) Verba desumta ex 2. Reg. 19, 3.

Vers. 22. ET EXPANDENTES MANVS SVAS EXTVLERVNT AD COELVM) In Græco: *Expansis ad ipsum manibus*, sensui pendente à præcedentibus. ἐκτενοῦσι τὰς χεῖρας, frequens locutio in precum descriptione. Exod. IX. 30. Esth. IX. 5.

ET SANCTVS DOMINVS DEVS AUDIVIT CITO VOCEM IPSORVM) ταχὺ est in Sixtina, omissum in aliis Græcis.

Vers. 23.

NON EST COMMEMORATVS PECCATORVM ILLORVM, NEQVE DEDIT ILLOS INIMICIS SVIS) Hæc non sunt in Græcis.

SED PVRGAVIT EOS IN MANV ESAIÆ SANCTI PROPHETÆ) In Græco: ἐκρύψατο αὐτὰς ἐν χειρὶ Ἡσαΐου, id est, *liberabit illos per Esaiam.* Ubi est ἐκρύψεν. Sensus enim est, sicut prædixerat per Esaiam. Eadem locutio infra XLIX.

Vers. 24.

ET CONTRIVIT ILLOS ANGELVS DOMINI) Bene explicavit id quod in Græco est αὐτούς.

ET FIDELIS IN CONSPECTV DEI) In Sixtina, πιστὸς ἐν ὁράσει αὐτοῦ. *Fidelis in visu suo*: id est, fidelis in referendis iis quæ Deus ipsi revelaverat.

Vers. 26.

IN DIEBVS IPSIVS) Esaiæ nempe, ad quæ & quæ sequuntur pertinent.

RETRO REDIIT SOL) Solis umbra in horologio. Vide dicta 2. Reg. XX. 11.

De hisce historiis suo loco diximus. De miraculo regressus Solis pulchre *Cyrill.* in Es. 38. 8. *Quod remigraturus in vita esset Ezechias planum fecit Deus retroque redeunte Solis umbra, & die ad inæstatam horarum mensuram prolata.* Non autem *umbram Solis* in horologio, sed *Solem ipsum* in cœlo recessisse, ibidem docuimus.

Vers. 27.

SPIRITV MAGNO VIDIT VLTIMA) Forti animo tulit prævisum urbis excidium.

ET CONSOLATVS EST LVGENTES IN SION) Hic τοὺς πενθοῦντας positum est pro πενθήσοντας. *Ita ut etiam consolatus sit illos qui olim in Sione mœstissimi erant futuri.* Respicit ea quæ habemus Es XL.

Vers. 28.

VSQVE IN SEMPITERNVM OSTENDIT FVTVRA) ἕως τοῦ αἰῶνος, in multum temporis, ut de Cyro, eventura post annos CCCLX.

ET ABSCONDITA ANTEQVAM EVENIRENT) Multo ante.

Ultima hæc nonnulli de *temporibus Messiæ* intelligunt, & *Es. cap. 2. 2.* alludi putant. nec non ad c. *XLI. 1. LXI. 1.* At Osiander hæc de *Ezechia* intelligit h. m. exponens: *Rex pius in verbo Dei probe institutus, & Spiritu sancto ornatus, prævidit panas quæ post multos annos secuturæ erant super populum Israeliticum idololatricum: erat enim illis populi hujus inconstantia & impietas non ignota. Interim tamen pios suos subditos ex verbo Dei consolatus est, affirmans, DEUM etiam in ipsis calamitatibus electos suos mirabiliter conservaturum: neque exilium*

*exilium Babylonicum semper duraverum, sed tantum temporarium fore. Etsi enim pius Magistratus non teneatur publice concionari: Hoc enim officium Ecclesiæ Ministris demandatum est: tamen potest in sermonibus privatis subditos & officiarios ad pœnitentiam & veram pietatem hortari, & perturbatos & meticulosos promissionibus auxilii divini & exemplis clementiæ divinæ erigere & animare)* De Ezechia enim hæc sonare, non de *Esaia*, uti Grotio visum, contextus docet.

## CAPUT XLIX.

*Elogium Josiæ, Jeremiæ, Ezechielis, & Duodecim Prophetarum, Zorobabelis item, Josuæ Sacerdotis, Nehemiæ, cum regressu ad comparatas laudes Henoch, Joseph, Seth, Sem & Adam.*

Vers. 1.

MEMORIA JOSIÆ IN COMPOSITIONEM ODORIS) Ita suavis est quasi *compositio suffitus*: id est, suffitus factus ex multis aromatis. Subauditur, ὀσμὴν & ὦδ.

FACTA OPUS PIGMENTARII) In Sixtino est: ἐποιησατο ἔργον μυρεψοῦ. Sed legendum, ἐποιησεν μύρον ἔργον μυρεψοῦ, aut quasi opus *factum à pigmentario*, id est, migma unguentorum, ut vocatur supra XXXVIII. 8. Joh. XIX. 39. Hoc dicit propter multas virtutes, quæ in Josiam concurrerunt.

Vers. 2.

IN OMNI ORE QUASI MEL EDUCABITUR EJUS MEMORIA) Id est, dulce erit, quomodo γλυκάνθησαν & supra habuimus XII. 20. XXVII. 23. XL. 20. 34. XLVII. 10.

ET UT MUSICA IN CONVIVIO VINI) Supra XL. 22.

Vers. 3.

IPSE EST DIRECTUS DIVINITUS IN POENITENTIAM GENTIS) *Ipse successum habuit convertendo populo.* Ita κατευθύνεσθαι solet poni, ut Psalm. CXIX. 4. CXL. 12. יהוכן.

ET TULIT ABOMINATIONES IMPIETATIS) ἐξῆρε *abstulit.* Idola & cultus idolatricos intelligi apparet ex historia 2. Reg. 23, 4. & sequentibus, 2. Paralipp. 34. 3. & sequentibus.

Vers. 4.

GUBERNAVIT AD DOMINUM COR IPSIUS) *Cor suum recta ad Deum intendit.*

ET IN DIEBUS PECCATORUM CORROBORAVIT PIETATEM) *In temporibus iniquorum*: cum plurimi essent mali. Magnum illud elogium de Nerva: *Temporibusque malis ausus es esse bonus.*

Vers. 4.

PRÆTER DAVID, ET EZECHIAM, ET JOSIAM OMNES PECCATUM COMMISERUNT) Πλημμέλησαν ἐν πλημμελήσει, *culpam aliquam admisere*, circa cultum Dei, vel in eo quod fana in collibus non sustulere.

Vers. 6.

ET CONTEMSERUNT TIMOREM DOMINI) *Et ideo desierunt*: id est, regnare desierunt.

Vers. 7.

DEDERUNT ENIM REGNUM SUUM ALIIS) *Dedit enim* (Deus) *cornu* (potentiam) *illorum aliis*, nempe Chaldæis. ἔδωκεν rectius hic legitur quam ἐδώκαν.

ET GLORIAM SUAM ALIENIGENÆ GENTI) *Gloriam illorum*: imperium quod habebant.

Vers. 8.

INCENDERUNT ELECTAM SANCTITATIS CIVITATEM) *Incendit* Deus, ἐνέπρησεν, Hierosolyma. In Siclis scribitur ירושלים חקדש. Deus recte dicitur facere quod aliorum ministerio facit. Sæpissime sic loquuntur Prophetæ.

ET DESERTAS FECERUNT VIAS IPSIUS IN MANU JEREMIÆ) ἐρήμωσε, *desertas fecit vias.* Sic habent libri Græci plerique, unde & in præcedenti reponendum censuimus, ἐπέστρεψε. Et illud *per Jeremiam* intelligendum per ἐπροφήτευσε, qualem supra habuimus 48, 23. sicut prædixerat *per Jeremiam.*

Hæc dilucida satis sunt. Addere solum juvat Paraphrasin Osiandrinam: *Memoria optimi & piissimi Regis Josiæ grata est omnibus piis, quem admodum suavissimus odor ex compositione aromatum bene fragrantium, quales compositiones solent periti Pharmacopœi conficere: adeo dulce est nomen ejus in memoria hominum, ut mel dulcissimum: imò delectat, ut suavis musica symposio. (Est autem magnus thesaurus bonum nomen ad posteritatem relictum)* Ipse (*Josias*) est directus divinitus in pœnitentiâ gentis & *abstulit* abominationes impietatis: *id est, singulari dono instructus a Deo, & felicitate rara donatus erat, ut populum idololatricum ad pœnitentiam revocaret, & idololatriam aboleret.* Et gubernavit ad Dominum cor ipsius: *direxit cor suum serio, ad Dominum Deum recte & sine hypocrisi colendum,* & in diebus peccatorum corroboravit pietatem: *cum omnia plena essent idololatriæ impietatis ipse verum Dei cultum egregie restauravit. (Pii enim Magistratus officium est, abolere falsos cultus divinos & restituere puritatem religionis.)* Præter David, & Ezechiam & Josiam omnes peccatum commiserunt: nam reliquerunt legem Altissimi Reges Juda, & contempserunt timorem Dei. *Loquitur autem autor noster de peccato idolatriæ, quo neque David, neque Ezechias, nec, quod Josias contaminati fuere: tametsi David adulterium & homicidium commisit. Oblitus est autem noster autor pii Regis Josaphat, qui & ipse sanctè gubernavit Rempublicam, & ab idolatria fuit alienissimus. Itaque & hac in parte apparet, hunc libellum inter Apocrypha, non autem inter Canonicas scripturas, reponendum esse, (Auctas autem piorum Regum admonet nos, ut pro piis Magistratibus tanto ardentius oremus: non enim semper boni & pii in gubernatione succedunt). Impii autem Reges propter Idolatricam suam impietatem graviter puniti sunt.* Dederunt enim regnum suum aliis, & gloriam suam alienigenæ genti: *amiserunt regnum, & Babylonii id in suam redegerunt potestatem. Nam & ante eversionem urbis Jerusalem postremi Reges Juda fuerunt tributarii & vasalli Regis Babylonici. Tandem vero Babylonii etiam vastarunt regnum Juda.* Incenderuntque electam sanctitatis civitatem *Ierosolymam*, & desertas fecerunt vias ipsius: *ut nemo amplius Ierosolymam ad exercitium cultus divini proficisceretur: sicut Dominus futurum prædixerat*, in manu (*per ministerium*) Jeremiæ *Prophetæ. (Idololatria enim & fanatica dogmata etiam florentissima regna tandem evertunt.)*

Vers. 9.

NAM MALE TRACTAVERUNT ILLUM) Jeremiam Judæi, mittendo in carceres diversos, etiam in cœnosam voraginem, capitis accusando.

QUI A VENTRE MATRIS CONSECRATUS EST PROPHETA) ὃς ἐκ κοιλίας ἡγιάσθη προφήτης. *Quandoquidem ipse in utero consecratus Propheta fuerat*, Jerem. I. 5.

EVERTERE ET ERUERE ET PERDERE, ET ITERUM ÆDIFICARE ET RENOVARE) *Ut erueret, male tractaret, ac perderet, pariterque ædificaret ac planaret.* Verba sunt ex Jerem. I. 10. Dicuntur facere Prophetæ quod prædicunt.

Paraphrasis *Osiandrina* ita habet. *Nam Judæi non tantum ad conciones Ieremiæ surdas aures habuerunt, verum etiam sanctum illum virum odio persecuti sunt, & admodum* male tractaverunt eum, *percutientes, & in carcerem eum conjicientes.* Qui *tamen* à ventre matris consecratus est Propheta, *à Deo destinatus ad munus Propheticum*, evertere & eruere, & perdere, & iterum ædificare & renovare: *i. e. ut ministerio suo denunciaret regnis idololatricis eversionem: quæ & consecuta est in impœnitentes, & ut respicientes stabilirentur & confirmarentur. (Verbi enim divini prædicatio impœnitentibus in ruinam cedit, pœnitentibus vero in salutem.*

Vers. 10.

Vers. 10.

EZECHIEL QVI VIDIT) Is fuit qui vidit. Par locutio ei quam supra habuimus 47, 20.

CONSPECTVM GLORIÆ QVAM OSTENDIT ILLI IN CVRRV CHERVBIM) *Quam ostendit* illi Deus insidens *in curru Cherubinorum*. Ezech. I. 3. VIII. X.

Vers. 11.

NAM COMMEMORATVS EST INIMICORVM IN IMBRE) Sub imbris figura mala impiis eventura significavit. Ezech. 13, 13.

BENEFACERE ILLIS QVI OSTENDERUNT RECTAS VIAS) ἀγωδώσιν est in Sixtina: sed rectius legi puto ἐγώδωσιν, cujus Glossema, κατεύθυνε in aliis libros irrepsit. ἐγώδωσε τὰς εὐθύτητας αὐτῶν. Bene fecit rectum iter insistentibus: id est, bona prædixit. pari figura qualem modo habuimus. Vide Ezech. capita XXXIV. XXXVI. XXXVII.

Versionem Latinam vulgatam ita emendat è Græco Osiander: *Hæc parum commode conversa hanc habent sententiam. Ezechiel Propheta vidit Majestatem Domini in visione, cum videret eum sedentem in throno Majestatis: & currum, cui adjunctæ erant quatuor imagines. (Christus autem est ille homo, qui dominatur in cœlo & in terra, & curru Evangelici Ministerii vehitur per orbem terrarum.) Sed & prophetavit (inquit noster autor) contra hostes (populi Dei) & consolatus est eos: qui in recta via ambulant. (Tandem enim hostes Ecclesiæ divinitus everruntur. Et in Propheta Ezechiele hoc inprimis observandum est, quod vere pœnitentibus peccatoribus veniam & clementiam Dei promittit, Ezech. XIIX.*

Vers. 12.

ET DVODECIM PROPHETARVM) Qui ob voluminum brevitatem minores vulgo dicuntur.

OSSA PVLLVLENT DE LOCO SVO) Hoc supra pra habuimus 46, 15. & reperitur sic in Sixtina: sequiturque? παρεκάλεσε δὲ τὸν Ἰακὼβ, καὶ ἐλυτρώσατο αὐτὸν ἐν πίστει ἐλπίδος, pro quo Latinus hic recte legit, παρεκάλεσεν, &, ἐλυτρώσατο, Sed ἐλυτρώ verit se, cum sensus sit, redemerunt. id est, liberarunt Prophetæ isti *ipsos*, qui ex Jacobo erant, *per fidam spem*. At pro his omnibus in multis Græcis exemplaribus tantum est: εἰς τὸ μνησθῆναι τὰ ἐντολήματα; ut supra 45, 1. & 46, 14.

Mirum autem quod inter præstantes Sapientes, & Sanctos viros non recenseat Danielem, qui ab ipso Spiritu S. sapientiæ & sanctitatis laudem habet, & præcipuo loco commemorandus erat. Quod iterum argumento est, *autorem non fuisse θεόπνευστον*.

V. 13. QVOMODO AMPLIFICEMVS ZOROBABEL) πῶς μεγαλύνωμεν, ut in Sixtina, non μεγαλύνομεν, ut in aliis. Quomodo satis eum prædicemus?

NAM ET IPSE QVASI SIGNVM IN DEXTERA MANVS) Ex Aggeo 2, 24. id est, sollicite admodum à Deo (nam Dei nomen hic subaudiendum) fuit custoditus.

V. 14. ÆDIFICAVERVNT DOMVM) Dei scilicet quod explicant sequentia.

ET EXALTAVERVNT TEMPLVM SANCTVM DOMINO) Recte legit ναόν, pro quo in quibusdam libris mendose λαόν.

PARATVM IN GLORIAM SEMPITERNAM) In decus populi diuturnum.

V. 15. ET NEHEMIAS IN MEMORIAM MVLTI TEMPORIS) In Sixtina: τοῦ Νεεμίου ἐπὶ πολὺ τὰ μνήματα τοῦ Ἐσδρᾶ *Nehemiæ diuturna sit memoria*: alii libri amplius habent: τοῦ δὲ ἐκλεκτοῦ ἦν Νεεμίας ἐπὶ πολὺ τὰ μνημόσυνα αὐτῶ. *Fuit inter viros eximios & Nehemias, cujus diuturna memoria.*

QVI EREXIT NOBIS MVROS EVERSOS) Restituit eversa à Chaldæis mœnia.

QVI EREXIT DOMOS NOSTRAS) *Sola ædium* vel *ruderа nostra*: id enim οἰκόπεδα. noster exponitur à Scholiastis per ἐρείπια. Ubi variæ erant areæ, ædes fecit. Hic fine facto ἐλογίων addidit scriptor extra ordinem comparationem quandam hominum ratæ sortis. Nam Simonis Oniæ laudes videtur serius, eo jam mortuo, ad librum adjecisse.

Vers. 16.

NEMO NATVS EST IN TERRA QVALIS ENOCH) *Nemo sic tractatus est*, à Deo scilicet: nam πίστει πρεσβύτεροι ordinare aliquoties jam diximus.

Miratur hic non immerito Osiander, quare ob hanc causam *Siracides* Patriarcham *Henoch omnibus aliis hominibus* præferat, quum etiam *Elias* vivus in cœlum receptus sit, quod c. XLIIX. 9. ipse tradiderat. Non ergo simpliciter verum est, quod hicait; *Nemo sic tractatus est à Deo*; ob quam ἀντιλογίαν & contradictionem liber hic pro Canonico haberi non potest. Comparatio enim cum *Josepho*, quod *nemo* ita sive natus sive tractatus à Deo sit, atque *Enoch* institutitur; & de *Josepho* in illis quæ de ipso conjunctim prædicantur, res vera est quod neminem habeat similem; qui ita *princeps fratrum & conservatio ac præsidium totius populi fuerit, cujusque ossa sic visitata à Deo sunt, ut post tot annorum decursum in promissam terram reducta, & in fiduciam reddendæ terræ eo usq; asservanda in populo fuerint.* Quod prorsus singulare ac μονότροπον est. Eodem modo singulare illud, unique Enocho proprium esse, quod *in cœlum translatus est*, hic dicitur, sed refragante veritate. Quod autem Cornelius id *ad mundum anteduvianum* restrinxit, textui non convenit: nam simpliciter dicitur: *nemo natus est in terris, qualis Henoch*, uti de Josepho *neque ut Joseph*: qui certe non vixit in mundo ante diluvium.

*Notatus Contradictio in hoc libro.*

Vers. 17.

PRINCEPS FRATRVM) Somniis præsignificatus, reprobatus talis.

FIRMAMENTVM GENTIS) Præsidium totius populi ex Jacobo orti aut orituri.

V. 18. ET OSSA IPSIVS VISITATA SVNT) *à Deo*, additur in Græco. Deus reliquiarum ejus curam habuit, ut nimirum in terram promissam pervenirent, Exod. 13, 19.

ET POST MORTEM PROPHETAVERVNT) Hoc in Græco non est, & repositum videtur ex eo quod supra de Elisæo habuimus, 48, 14.

Ideo frustra se meerant Interpp. Papistæ an hic hypallage sit, quod *Joseph. Alba* Elect. c. 98. vult. *Ossa Joseph visitata sunt, & prophetarunt post mortem*, id est, *Joseph vivens prophetavit de illis* (fratribus suis) *post mortem suam visitandis à Deo, & de suis ossibus* scilicet asportandis in terram Canaan. An vero & quomodo ossa Josephi prophetaverunt post mortem? Quia de eo nihil in textu Græco habetur. Et duriusima est illa hypallage, neque verbis congruit Corneliana explicatio, *ossa prophetasse post mortem*, id est, *prophetiam quam Joseph vivens de exitu Ebræorum ex Ægypto cum ossibus suis ediderat, confirmasse post mortem.*

Vers. 19.

SETH ET SEM APVD HOMINES GLORIAM ADEPTI SVNT) Quia ex Setho pii ante diluvium ex Semo post diluvium.

ET SVPER OMNEM HOMINEM IN ORIGINE ADAM) Bene ἐν κτίσει vertit *in origine*. Habuit hoc Adam eximium, quod non genitus à parente, sed à Deo factus est, unde Dei filius vocatur Luc. 3, 38. ubi dicta vide.

In Græco est, καὶ ὑπὲρ πᾶν ζῶον ἐν τῇ κτίσει Ἀδάμ. & *super omne animal vel omne vivum in creatione Adam*: Præficitur ergo omnibus Adam (1.) *Creatione*, quod *ante omnes homines* creatus sit. (2.) *immediata productione*, quod non ab aliis procreatus, sed à Deo immediate procreatus sit. (3.) *Origine*, quod cæterorum omnium origo sit ex quo etiam ipsa *Eva* formata, cæteri autem omnes propagati sunt (4.) *Domino*, quod non tantum filiis & posteris, sed & cæteris animantibus præfuerit, à *Philone* & *Basilio M.* Πολίτης οἰκεμένης *civis mundi* dictus, imo *Monarcha orbis* nuncupandus.

CAPUT

# CAPUT L.

## *Elogium Simeonis Pontificis.*

Vers. 1.

SIMEON ONIÆ FILIVS) Supple, memorandus cum cæteris viris magnis. Hic ille est, cujus mentio apud Josephum XII. 4. circa finem.

Simeonem non *juniorem*, ut Grotium cum nonnullis aliis velle in *præloquio* observavimus, sed *Simeonem Seniorem justum* dictum hic commendari ea, quæ ibi dicta, persuadent: cujus parens fuit *Onias primus avus Jaddo*, quem Alexander M. veneratus est. Frater vero fuit *Eleazar*.

V. eod. SACERDOS MAGNVS) כהן הגדול, summus Sacerdos.

SVFFVLSIT DOMVM) *Sarcivit domum*: id est, Templum.

CORROBORAVIT TEMPLVM) ἐστερέωσε τὸν ναὸν, ut in Sixtina, non τὸν λαὸν, ut in aliis. Idem bis dixit, ut solent Hebræi.

Vers. 2.

TEMPLI ETIAM ALTITVDO AB IPSO FVNDATA EST, DVPLEX ÆDIFICATIO, ET EXCELSI PARIETES TEMPLI) In Græco: τῷ ὑψηλῷ αὐτῷ ἐθεμελιώθη διπλῆς διπλῆς, (ita Sixtina, sed aliæ editiones rectius διπλῆ) ἀνάλημμα ὑψηλὸ περιβόλου ἱεροῦ. *Sub ipso structa est altitudo* (id est lorica) *duplex, cæsum munimen Templi in ambitu*. Vocem ἀνάλημμα habemus etiam 2. Paralip. 32, 5. ubi in Hebræo, המלוא.

Vers. 3.

IN DIEBVS IPSIVS REMANAVERVNT PVTEI AQVARVM, ET QVASI MARE ADIMPLETI SVNT SVPRA MODVM) In Græco variant lectiones. Ex multis hæc ad verum proxime accedit: ἐν ἡμέραις αὐτοῦ ἠλαττώθη ἀπόδοχεῖα ὕδατος, χαλκὸς δὲ ἐλάσσων τὸ τρίμετρον. Sed pro ἠλαττώθη, legendum λελάκκωτο. *Ipsius temporibus cavatum est ex ære conceptaculum aquarum, tripla magnitudine ad mare*: id est, lacum illum qui erat in Templo, & mare dicebatur: de quo 1. Reg. 7, 23. sequentibus, 34, 33. 1. Paralip. 18, 8. 2. Paralip. 4, 2. & sequentibus.

Vers. 4. QVI CVRAVIT GENTEM SVAM, ET LIBERAVIT EAM A PERDITIONE) *Hic est qui cavit populo ne caderet*: id est, ne facile ab hoste opprimeretur, ut indicant sequentia.

Vers. 5. QVI PRÆVALVIT AMPLIFICARE CIVITATEM) Legit: τῷ ὑψώσαι πόλιν ἱμπολιορκίαν, sed alii libri habent: τῷ ὑψῶσαι πόλιν τῷ πολιορκῆσαι. *Qui urbem firmabit, ballogue cinxit*. Πολιορκεῖν proprie est urbem obsidere. At quia obsessores castra sua vallo circumdant, etiam qui urbem vallo ambiunt, dicuntur πολιορκεῖν. Sic πόλιν ὀχυρὰ exponitur πόλις πολιορκουμένη. Esa. 23, 3. in Græco. Πολιορκεῖ, πόλιν ὑφ' περιβάλλει, & πολιορκίαι, πύλαις φύλακες, Favorino.

QVI ADEPTVS EST GLORIAM IN CONVERSATIONE GENTIS, ET INGRESSVM DOMVS ET ATRII AMPLIFICAVIT) Aliter in Græcis. Sixtina habet: ὃς ἐδοξάσθη ἐν περιφορᾷ λαοῦ, ἐν ἐξόδῳ οἴκου καταπετάσματος. Quam honorabatur a populo circumfuso, ubi exibat ex domo intra velum: id est, ex adyto in die ἐξιλασμοῦ.

*Cornelius à Lapide* conjectat id factum, cum *Ptolemæus Lagi*, teste Josepho XII. Antiquit. c. 1. & 3. *multa Judæorum millia in Ægyptum captiva abduxit*, eique ne plures abduceret Simeon restitit, atque abductis de rebus necessariis provideret, ac præsertim, ut in fide solidarentur, ne ab Ægyptiis in idololatriam pertrahantur procuravit. Palacius ait, *Ptolemæum Lagi Filium initio contrivisse gentem Judæorum, at postea flexum autoritate, ac intercessione honoris Pontificis in eam benignum & beneficum extitisse, adeo ut ab Eleazaro fratre Simonis postularit LXXII. Interpp.* Quod etiam non improbat, imo conjecturæ prius adductæ præfert Cornelius. Sed legatio illa ad Eleazarum Oniæ primi filium ob impetrandos LXXII. Interpp. non sub *Ptolemæo Lagi*, sed sub *Ptolemæo, Philadelpho*, ejus filio & successore facta est, qui etiam ex Judæis in Ægyptum à Parente suo captivis abductis libertate donavit 120000.

Vers. 6.

QVASI STELLA MATVTINA IN MEDIO NEBULÆ) Populus nubibus comparatur, quæ lucifer rum circumdant.

QUASI LUNA PLENA IN DIEBUS SUIS LUCET) *Veluti inter ignes Luna minores*.

Vers. 7.

QVASI SOL REFULGENS, SIC ILLE REFULSIT IN TEMPLIS) In Græco hoc sequitur comparationem de arcu, sive iride, & aliter habet, nempe: ὡς ἀὴρ λάμπων ἐν νεφέλαις φωτεινὸς, ὡς ἡμέρα ἐνδόξου ἐν ἡμέραις ὑψίστου: *ut sol irradians templum*: id est tectum templi, quod erat auratum.

Vers. 8.

QVASI ARCVS REFULGENS INTER NEBULAS GLORIÆ) ὡς τόξον φωτίζον ἐν νεφέλαις δόξης. Ita enim in Sixtina: *Ut iris apparens inter magnificas nubes*.

QVASI FLOS ROSARVM IN DIEBVS VERNIS) Sicut Rosa inter flores emicat.

QVASI LILIA QVÆ SVNT IN TRANSITV AQVÆ) *Ad fontem aquarum*: qua aqua erumpit: sic ἐξόδοι ὑδάτων habemus 2. Reg. 2, 21. Psalm. 107, 35. Et Prov. xxv. 27. ubi in Hebræo est, מקור, id est, fons, Græci posuere, ὑδατος ἔξοδον.

ET QVASI THVS REDOLENS IN DIEBVS ÆSTATIS) *Quasi germen Thuris*; In Græco, *thuris virga*, Virgilio.

Vers. 9. QVASI IGNIS EFFVLGENS, ET THVS ARDENS IN IGNE) Quasi ignis in foculo, sive batillo. ἐπὶ πυρείου, rectius quam πυρίου. Nam πυρεῖα vocem habemus Exod. 27, 3. 38, 3. Lev. x. 1. 16, 12. Num. 4, 14. 16, 6. 17. 37. 39. 46. 2. Reg. 24, 35. 2. Paralip. 4, 11. & 21. Hic thus sacerdoti: ignis populo comparatur.

Vers. 10.

QVASI VAS AVRI SOLIDATVM, ORNATVM OMNI LAPIDE PRETIOSO) Plinius: *Turba gemmarum potamus & smaragdi teximus calices*. Talia chrysendeta Martiali.

Vers. 11.

QVASI OLIVA PVLLVLANS) *Ut oliva*, arbor decora, *fructum dese tedens*.

ET CYPRESSVS IN ALTITVDINEM SE ATTOLLENS) In Græco: *ad nubes se attollens*. Eminebat in plebe Pontifex.

*Tanquam lenta solent inter viburna cupressi.*

IN ACCIPIENDO IPSVM STOLAM GLORIÆ) *Cum assumpsisset ipse augustum habitum*: cujus descriptionem supra habuimus XLV. 9. & sequentibus.

ET VESTIRET EVM IN CONSVMMATIONEM VIRTVTIS) *Indutusque esset perfectissimæ magnificentia*. Bis idem.

*Rosa* verecundiam, *lilia* castitatem, *thus* orationem, *ignis* charitatem Sacerdotis notant. *In auro* vero, dicente *Rabano*, *splendor sapientiæ*, *in lapidibus pretiosis virtutum decor exprimitur. Cum ergo virtutes sacræ fulgori sapientiæ intermiscentur, vas animæ hac habens, pretiosissimum esse demonstratur.* Συλλήβδην, ut decus completum Simeonis exprimat, quicquid pretiosum ac pulcrum est in cœlis æque ac in terris, utpote in arboribus, floribus, aromatibus, gemmis ac metallis complectitur. Porro *in oliva*, inquit Rabanus, *Lux fidei*, & *affectus misericordiæ*; *in cypresso vero altitudo perfectionis*, & *odor suavissimus bonæ voluntatis*, *quam habent Sancti*, *intelligitur*.

Vers. 12.

IN ASCENSV ALTARIS SANCTI, GLORIAM DEDIT SANCTITATIS AMICTVM) *Quoties ascendebat ad altare sanctum*, (holocaustorum scilicet) *illustrabat omnem ambitum templi*: nempe gemmarum *fulgore*.

Vers. 13.

IN ACCIPIENDO AVTEM PARTES DE MANV SACERDOTVM, ET IPSE STANS IVXTA ARAM, ET CIRCA ILLVM CORONA FRATRVM, QVASI PLANTATIO CEDRI IN LIBANO, SIC CIRCA ILLVM STETERVNT QVASI RAMI PALMÆ, ET OMNES FILII AARON IN GLORIA SVA: OBLATIO AVTEM DOMINI IN MANIBVS IPSORVM, CORAM OMNI SYNAGOGA ISRAEL) Constructio Hebraissimum sapit, per ἀντιπτώσεις & ἰσοκώλους. Sensus aliunde satis manifestus, qui sic reddi potest: *Cum autem ipse acciperet membra* (victimarum) *ex manibus sacerdotum, nempe stans apud focum æræ, circumstante ipsum fratrum* (sacerdotum) *corona, erat velut arbor cedri* (nam κύκλῳ est in Sixtina, non κέδρου) *in monte Libano, quam circumdant ramosæ palmæ, nempe filii Aaron*, (sacerdotes alii) *cum ornatu suo, in quorum manu-*

*manibus erant filiorum, aspectante toto Israelis populo.* Est egregia ὑποτύπωσις sacerdotis summi procedentis ad altare victimarum, cingentibus eum sacerdotibus aliis, aspectante autem populo. Ubi Sacerdos summus aderat, ejus erat adipem de victimis σωτηρίου ferre in ignem altaris Levit. 9, 19. & sequentibus. Et autem qui adipem altari intulerat, cæbat pectus & armus dexter, prius ad aram oblenis, ut habemus Levit. VII. 31. 32. 33. 34. & dicto loco IX. 19. Hæc sunt illa μίλα, quæ summo Sacerdoti, aut, si is abesset, ei qui ordine proximus esset, in manus tradebantur à cæteris sacerdotibus? Summus Sacerdos eminebat inter cæteros sacerdotes, ut cedrus inter palmas.

ET CONSUMMATIONE FUNGENS IN ARA, AMPLIFICARE OBLATIONEM EXCELSI REGIS: PORREXIT MANUM SVAM IN LIBATIONE, ET LIBAVIT DE SANGUINE UVÆ) Recte ex Græco sic vertas continuatam hanc ὑποτύπωσιν: *tunc ut ad aram perfecte ministraret, commendaretq; victimam DEI omnipotentis, manum suam admoberet patere libationis, & de sanguine uvæ* (de vino) *libamen daret.* De voce σπονδίου vide Exod. xxv. 29. xxxvii. 16. Num. iv, 7, 1. Paralip. xxviii. 17.

Vers. 17.

EFFUDIT IN FUNDAMENTO ALTARIS ODOREM DIVINUM EXCELSO PRINCIPI) Odorem divinum vocat ipsum sanguinem victimæ, qui circum basim altaris fundebatur: Sumta locutio ex Levit. 3, 16. Num. 18, 17.

Vers. 18.

TUNC EXCLAMAVERUNT FILII AARON, IN TUBIS PRODUCTILIBUS SONUERUNT, ET AUDITAM FECERUNT VOCEM MAGNAM IN MEMORIAM CORAM DEO) σάλπιγγες ἐλατὰ dicuntur & Num. x. 2. in Græco. Omnes victimas σωτηρίου, ibi comitabatur clangor tubarum & cantus, Num. x. 10.

Vers. 19.

ET CECIDERUNT IN FACIEM SVAM SVPER TERRAM) Ut mos in sacris solemnibus, dum altari inferebantur τὰ τέλεια.

Vers. 20

ET AMPLIFICAVERUNT PSALLENTES IN VOCIBUS SUIS) Id est, Deum laudaverunt, ὕμνησαν.

ET IN MAGNA DOMO AUCTUS EST SONUS SVAVITATIS PLENUS) Ita est in Sixtina: ὁ πλῆθος ὅλης τῆλαπάδης μέλος, non male. Nam late resonant soni in magna æde. Alia exemplaria habent, ὁ πλῆθος ἤχου.

Vers. 21.

ET ROGAVIT POPULUS DOMINUM EXCELSVM IN PRECES) Strando, post victimas oblatas. Addit in Græco, κατέναντι ἐλέους: *coram ipso* (Deo) *misericordes*: id est, vultu obverso ad aditum.

USQVE DUM PERFECTVS EST HONOS DOMINI, ET MUNUS SVUM PERFECERVNT) Donec sacerdotes omni suo munere orandi, cantandi, psallendi, suffitum faciendi, essent perfuncti.

Vers. 22.

TUNC DESCENDENS) Simon Oniæ filius de altari, ad quod per gradus scandebatur.

MANVS SVAS EXTVLIT IN OMNEM CONGREGATIONEM FILIORVM ISRAEL) Ut fieri solebat Levit. IX. 22.

DARE GLORIAM DEO A LABIIS SVIS) Ut simul cum populo Deum laudibus attolleret.

ET IN NOMINE ILLIVS GLORIARI) Nempe quod appellarentur populus Dei.

Vers. 23.

ET ITERAVIT ORATIONEM SVAM, VOLENS OSTENDERE VIRTVTEM DEI) Legit ἐδυνήσατο, & ἐπιδείξασθαι. Sed vera est lectio, quæ in plurimis codicibus exstat: ὁ προσκυνῆσαι ἐπιδείξασθαι τὸν ἐυλογίαν παρὰ κύριου. *Et repetebant* (nempe Israelitæ) *preces coram Deo, ut a Deo prosperam omnia acciperent.* Nempe adprecantes Sacerdoti post Dei laudes preces pro populo concipienti, quales exstant Numer. VI. 22.

Vers. 24.

ET NVNC ORATE DOMINVM OMNIVM) Admoniones quasdam breves ad liberos suos adjungit de iis quæ facere & quæ cavere debeant.

QVI MAGNA FECIT IN OMNI TERRA) *Qui solus ubique magna facit.* Non alii Dii alibi, sed ipse solus ubique imperat. Mêos tamen non est in Sixtina, & pro μεγάλα ποιῶντα est, μεγαλοποιῶντα, non male.

QUI AUXIT DIES NOSTROS A VENTRE MATRIS NOSTRÆ) Qui nos ab infantiæ parvitate ad justam staturam perduxit. Est enim μεγαλοποιία.

ET FECIT NOBIS SECUNDUM SUAM MISERICORDIAM) Benignissime nos tractavit עשה עמנו לפי רחמיו.

Vers. 25.

DET NOBIS JUCUNDITATEM CORDIS) Hoc male abest ab aliis codicibus: est autem in Sixtina: δὸς ἡμῖν εὐφροσύνην καρδίας. Det nobis unde gaudeamus singuli.

ET FIERI PACEM IN DIEBUS NOSTRIS IN ISRAEL PER DIES SEMPITERNOS) *Et ut nostra ætate in Israele pax sit, qualis olim*: nempe Salomonis temporibus. Sic שערים dicunt Hebræi, ut Josuæ XXIV. 2. Es. 63, 16. 19.

Vers. 26.

CREDERE ISRAEL NOBISCUM ESSE DEI MISERICORDIAM) *Ratam faciendo suam erga nos benignitatem*: quam scilicet per Prophetas promisit. Eodem sensu habuimus ἐμπιστεύειν supra XXXVI. 18.

UT LIBERET NOS IN DIEBUS) *Et liberet nos nostris temporibus*, ab omni malo & metu.

Vers. 27.

TERTIA AUTEM NON EST GENS QVAM ODERIM) In Græco tantum est, *non est Gens*: id est, nomen gentis non meretur: est enim multarum gentium colluvies.

Vers. 28.

QUI SEDENT IN MONTE SEHIR) ὁ ὄρει Σαμαρίας, pro quo nunc legimus, ὁ ὄρος Σαμαρίας. Quia de Sicimis sequitur, & intercedit mentio Philistinorum, sectionem hanc, quam in suis codicibus Græcis reperit Latinus interpres, præferam, ut tres populos sibi dicat exosos, Idumæos, Philistinos & Samaritas. Et sane non alios reperias Judæis perpetuo infestiores.

ET STULTUS POPULUS QUI HABITAT IN SICIMIS) Colentes, quod ignorabant. Joh. IV. 22. Et huc se conferre solebant omnes legis violatæ rei a temporibus Manassis generi Samballetæ; quo tempore ajunt Hebræi Chuthæos devotos per nomen יהוה, per Esdram, Zorobabelem & CCG. Sacerdotes, cum totidem buccinis & fibris legis: constitutum à Senatu superiore & inferiore, ne quis Israelita panem cum Chuthæo communem funderet, & ne ullus Chuthæus reciperetur inter proselytos.

Vers. 29.

DOCTRINAM SAPIENTIÆ, ET DISCIPLINÆ SCRIPSIT IN CODICE ISTO JOSUE FILIUS SIRACH HIEROSOLTMITA) Hæc & quæ sunt in sequente capite ad scripta avi addidisse videtur nepos hujus libri editor.

QVI RENOVAVIT SAPIENTIAM DE CORDE SVO) *Qui sapientiam de corde suo, velut imbrem*, (id est, ubertim) *effudit.* Pari sensu ἀναβρύειν habuimus supra 18, 29. 39, 8.

Vers. 30.

BEATUS QUI IN ISTIS VERSATUR BONIS) In Græco tantum est, *qui in istis versatur*: qui ista perpetuo legit.

QVI PONIT ILLA IN ANIMO SVO) Qui vero etiam animo infigit.

SAPIENS ERIT SEMPER) σοφισθήσεται: id est sapiens evadet.

Vers. 31.

SI ENIM HÆC FECERIT) *Quod si etiam ista fecerit*: Hic est tertius gradus.

AD OMNIA VALEBIT) Vires indies accipiet majores ad recta agenda. Magnum enim est assuescere.

QVIA LUX DEI VESTIGIUM EJUS EST) μετανοίας. Id est, *viam ei monstrat.* Sunt enim plerique hæc monita ex lege Dei, aut Prophetis desumta. Hic ubi Latinus hunc sermonem finit, finit & Sixtina Græca editio. Alii vero libri præterea adscribunt: καὶ τοῦτο ἐυλογήσει ἐδωκε σοφίαν, ἐυλογητὸς κύριος εἰς τὸν αἰῶνα.

Γένοιτο γένοιτο

## CAPUT LI.

*Celebratio Dei: & adhortatio ad studium sapientiæ.*

Vers. 1.

ORATIO JESU FILII SIRACH) Neporis scilicet, qui avi librum edidit.

CONFITEBOR TIBI) Id est, *gratias tibi agam*, יהוה. Videtur autem hic Jesus in Ægypto fuisse per delatores in periculum ingens adductus apud regem Ptolemæum Evergetem.

ET IN CONSPECTU ADSTANTIUM) ὑπαντι τῶν ἀνθεστηκότων, *contra adversantes.*

A RUGIENTIBUS) ἐκ βρυγμῶν, *à rugitibus*, Id vero est à minis. Prov. 16, 12.

ET DE PORTIS TRIBULATIONUM QVÆ CIRCUMDEDERUNT ME) In Græco est: Ex multis, quas habui vexationibus.

Forte *Siracides*, ait hic Cornelius à Lapide, *apud Ptolemæum (Lagi) mendaciter accusatus fuit alicujus seditionis, aut perduellionis, quod cives & vicinos ad ei quasi hosti resistendum eumque urbe expellendum occulte solicitaret. Hoc enim Magistratus & Senatoris (qualis putatur fuisse Siracides) videtur esse officium.* Egregium *Senatoris* officium: ex *Brocardica* scilicet *Jesuitica!* Mox vero ex Senatore *scribam*, & *Doctorem legis* facit Cornelius, imo & martyrem, sed illa mittimus.

Vers. 6.

A PRESSURA FLAMMÆ QVÆ CIRCVMDEDIT ME) *A flamma suffocante undiq.*

ET IN MEDIO IGNIS NON SVM ÆSTUATVS) *Ex medio igne quem ego non accenderam*: id est, cui periculo causam non dederam. Sic ἐκκαῦσαι habuimus supra 8, 13. XXVIII, 18. 12. 13.

Vers. 7.

DE ALTITUDINE VENTRIS INFERI) Sic & in Græco Sixtino: ἀπὸ βάθους κοιλίας ᾅδου, respicitur ad verba Jonæ II. 3.

ET A LINGUA INJUSTA) In Græco: ἐκ λόγου ψευδοῦς διαιτωμένη, διαβολῆ (lege διαβολὴ) ἐκ γλώσσης ἀδίκου. *Ex relatu mendacij ad regem, id est, ex calumnia* proficiscente *à lingua injusta.*

Vers. 8.

LAUDABIT USQVE AD MORTEM ANIMA MEA DOMINUM) Alius sensus in Græcis omnibus: ἤγγισεν ἕως θανάτου ἡ ψυχή μου. *Propemortem debeneram.*

Vers. 9.

APPROPINQVANS ERAT INFERNO DEORSVM) *Orco infimo*, Vide Ephes. 4, 9.

Vers. 10.

CIRCVMDEDERVNT ME UNDIQVE) *Circumdederant.* Περίκυκλῳ.

Vers. 11.

MEMORATVS SUM MISERICORDIÆ TUÆ DOMINE, ET OPERATIONIS TUÆ QUÆ A SÆCULO SUNT) Id est, quales olim exercuisti erga Josephum, Davidem, Danielem, inique oppressos.

Vers. 12.

QVONIAM ERVIS) Id est, solitus es eruere.

SUSTINENTES TE) Patienter exspectantes auxilium tuum.

ET LIBERAS EOS DE MANIBVS GENTIUM) Est quidem in Sixtina, & ᾅδου, sed alii codices satis bene habent, ἐχθρῶν. *De manibus inimicorum.*

Vers. 13.

EXALTASTI SVPER TERRAM HABITATIONEM MEAM) In Græcis plerique: ἀνύψωσα ἀπὸ ἐργῶν ἐκτενῶν μου: in Sixtina vero: ἀνύψωσα ἐπὶ γῆς ἱκετείαν μου: unde media lectio vera exsurgit: ἀνύψωσα ἀπὸ γῆς ἱκετείαν μου. *Ex terra extuli supplicationem meam.* Id est, in terram prostratus.

ET PRO MORTE DEFLUENTE DEPRECATVS SVM) ῥόον sumsit pro fluxu, cum liberationem significet. *Precatus sum pro liberatione* consequenda *à morte*: id est, à summo mortis periculo.

Vers. 14.

INVOCAVIT DOMINUM PATREM DOMINI MEI) Chrisdiani illud κυρίε hic addidere. Jesum scripsisse crede: κύριε ἐκτεκάσάμην κύριον πατέρα μου. *Invocabi Deum Patrem meum.*

ET IN TEMPORE SUPERBORUM SINE ADJUTORIO) *In tempore superborum, cum nullum mihi esset auxilium.* Tempus superborum dicitur quo superbi plurimum habebant auctoritatis & potentiæ.

Ex hoc loco colligunt Interpp. *Syracidi cognitum fuisse Deum Patrem & Deum Filium* adeoque mysterium SS. Trinitatis, (de quo etiam alias dubium esse nequit: quia ejus notitia ad salutem omnino necessaria est;) siquidem invocat *Dominum Domini sui*, id est, *Deum Patrem Filii* qui per incarnationem futurus erat Messias & Redemptor generis humani, Dominusque noster, *Dominum Ps. CX. 1.*

Vers. 15.

ET EXAUDITA EST ORATIO MEA) *Et* hic valet *quia.*

Vers. 18.

CUM ADHUC JUNIOR ESSEM, PRIUSQVAM OBERRAREM) Id est, priusquam peregrinarer. Vide præfationem. Sic πλανᾶσθαι sumitur & supra XXIX. 21. & XXXIV. 10.

PALAM) Aperta voce, non mussitando. Nam sunt, ut ait Plinius, & vota quæ non palam concipiuntur.

*Formam optat modice pueris, majore puellis.*
*Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater.*

Vers. 19.

ANTE TEMPLVM POSTULABAM PRO ILLA) In area Templi: ubi locus erat Israelitarum, qui Sacerdotes non erant.

USQVE IN NOVISSIMIS) *Ad extremum usque*, vitæ scilicet.

ET EFFLORUIT TANQVAM PRÆCOX UVA, LÆVATVM EST COR MEUM IN EA) Est in hoc Græco trajectio: ἐξ ἄνθους ὡς σταφυλῆς εὐφράνθη ἡ καρδία μου ἐν αὐτῇ, pro ὡς ἐξ ἄνθους. *Cor meum ob tam lætantem est, sicut* lætari solet aliquis, *ob florem uvæ bene maturæ*: id est, ob vinum, qui flos Liberi patris Latinis. Flos uvæ bene maturæ, id est, vinum optimum, ab omphacite plurimum distans.

AMBULAVIT PES MEUS ITER RECTUM, A JUVENTUTE MEA INVESTIGABAM ILLAM) *Illud*, uempe *iter rectum*, in Græco est αὐτὴν, quia refertur ad εὐθύτητα. Jubauditur *quia*. Ideo rectum iter instituti, quia à juventute quæsivi sapientiam.

Vers. 20.

INCLINAVI MODICE AUREM MEAM, ET EXCEPI ILLAM: MULTAM INVENI IN ME IPSO SAPIENTIAM) *Aurem prebui parumper ut discerem, & brevi multam in me eruditionem deprehendi.*

ET MULTUM PROFECI IN EA) πρόκοπτε quidem Græcis Philosophis profectum in Sapientia significat: qua re regregius est Plutarchi libellus: sed hic rectius erit intelligere bonos successus ex sapientia perceptos. Sic προκοπὴ pro felice eventu sumsit scriptor 1. Maccabæorum VIII. 8. quem etiam Latine processum dixere Suetonius & Seneca.

Vers. 23.

DANTI MIHI SAPIENTIAM) *Ei qui mihi dedit Sapientiam.*

DABO GLORIAM) Bene δόναμιν *gloriam* vertit. Est μετωνυμία frequens.

Vers. 24.

CONSILIATVS SVM ENIM UT FACEREM ILLAM, ZELATUS SUM BONUM) In Sixtino: διενοήθη γὰρ ποιῆσαι αὐτὴν: τῷ ἐζήλωσα τὸ ἀγαθόν. *Constitui enim eam* (Sapientiam) *exercere factis*, (non nudo cogitatu aut sermone) *honestoque studio ductus sum* semper.

ET NON CONFUNDAR) *ideo* meæ vitæ *me non pudet.*

Vers. 25.

COLLUCTATA EST ANIMA MEA IN ILLA) Nulli operæ pepercit, ut omnes difficultates, quæ in via sunt sapientiæ superarem.

ET IN FACIENDO EAM CONFIRMATVS SVM) In Sixtino est: τῷ ὁ ποιήσει λαὸς διεκρίθημεν. Et annotatur alios libros habere: τῷ ὁ ποιήσει μου. Media lectio vera: τῷ ὁ ποιήσει, μὴ διεκρίθημεν. *Ad actus meos attentus fui.* Nihil egi temere, πολυπραγμονῶν, frequens Hellenistis, ut Exod. 28. 8. 32, 24. 39, 4. 2. Reg. XVI. 10. Psalm. XIX. 20. Ezech. 43. 18. Dan. IX. 14.

Vers. 26.

MANUS MEAS IN ALTUM EXTENDI) Deum deprecans.

ET INSIPIENTIAM EJUS LUXI) Recte legit: τῷ τὰ ἀγνοήματα αὐτῆς ἐπέθηκα. Pro quo in quibusdam libris male, ἐπένθησα. *Dolui de ejus erroribus antea illis.* Ejus, nempe animæ meæ, de qua sermo præcesserat,

Vers. 27.

Vers. 27.

ET IN AGNITIONE INVENI EAM) *In puritate vitæ invēni eam.* Nam

Πολλοὶ γαρ κεκτηνται τιμιοτητα τοσε.

Hoc membrum est & in Sixtino, sed trajectum.

Vers. 28.

POSSEDI CUM IPSA COR AB INITIO: PROPTER HOC NON DERELINQVAR) *Pridem animus meus ei fuit conjunctissimus. Ideo* ab eo *non deserar.* Sicut ab amico amicus non deserit.

Vers. 29.

VENTER MEUS CONTURBATUS EST, QUÆRENDO ILLAM) Sic in Sixtino: κοιλια μου ἐτυρβαχθη ἐκζητουσα αὐτην: summo animi affectu eam quæsivi. מעי, quod κοιλιαν plerumque vertunt Hellenistæ, sæpe viscera significat, & per viscera etiam affectus quosvis. Psalm. XL. I. Cantic. V. 5. Es 16, 11. Jerem. 4. 19. Thren. I. 21. II. 11.

PROPTEREA BONAM POSSIDEBO POSSESSIONEM) In Græco *possidi*. Recte:

Σωφια δε αγαθη κτηται τιμιώτερον.

Vers. 30.

DEDIT MIHI DOMINUS LINGUAM MERCEDEM MEAM) Deus mihi eloquentiam dedit, præmium studiorum meorum.

ET IN IPSA LAUDABO EUM) Ideo ea utar ad ipsius laudes.

Vers. 31.

ET CONGREGATE VOS IN DOMUM DISCIPLINÆ) Hospitium sumite in domo disciplinæ. Respondet בית לון Hebræo.

Vers. 32.

QUID ADHUC RETARDATIS, ET QUID DICITIS IN HIS? ANIMÆ VESTRÆ SITIUNT VEHEMENTER) Illa, *quid dicitis in his?* ἡ τι λεγεται ἐν τουτοις; non sunt in Sixtino, & sine eis sensus bene cohæret. *Quid adhuc moramini, cum vehementer sitiant animæ vestræ?* Id est, plane opus habeant bona institutione.

Vers. 33.

APERUI OS MEUM: ET LOCUTUS SUM) *Aperte prologuor.*

COMPARATE VOBIS SINE ARGENTO) Id scili. et cujus maxime egetis, ut jam dixit. Sumtum ex Esa. LV. 2. Sapientes Hebræi non pacifcebantur mercedem.

Vers. 34.

ET COLLUM VESTRUM SUBJICITE JUGO) Dictatis sapientiæ.

IN PROXIMO EST ENIM INVENIRE EAM) Vide supra 21. & Deuteron. xxx. 14. Adde sequentia quæ hoc dictum explanant.

Vers. 35.

VIDETE OCULIS VESTRIS) Me respicite.

QUIA MODICUM LABORAVI) In juventute diligens ad studia fui.

ET INVENI MIHI MULTAM REQVIEM) Vitam non inopem. Medicus fuit, ut credo, & hic & majores ejus.

Vers. 36.

ASSUMERE DISCIPLINAM IN MULTO NUMERO ARGENTI) Id est, cum multo numero argenti. Scire per se suave est hominibus, quanto magis si & divitias adferat?

ET COPIOSUM ANNUM POSSIDERE IN EA) *Per tam acquirite: κτασθε.*

*Pineda* l. III. de rebus sal. c. 3. putat hæc *in persona Salomonis* dicta. *Siracidem enim doctrinam, & sensa Salomonis conscribere.* Sed ad *imitationem* Salomonis ea dicta alii potius censent. *Ephrem* in Cant. Spirit. de laude sapientiæ: *Relinque*, inquit, *negligentiam, perditionis erarium. Posside aurum cum mensura, & doctrinam absque mensura.*

Vers. 37.

LÆTETUR ANIMA VESTRA IN MISERICORDIA IPSIUS) In beneficiis quæ per ipsam disciplinam conferuntur. Ita enim חסד usurpant Hebræi, quod Græci ἐλεος transferunt. Legit: επι τω ὀικτιρμω αὐτου, non αὐτῳ.

ET NON CONFUNDEMINI IN LAUDE IPSIUS) Nunquam vos pudebit eam magnificisse.

Vers. 38.

OPERAMINI OPUS VESTRUM ANTE TEMPUS) Ante senectutem, quæ multis auxiliis indiget. Vide Prov. VI. 6.

ET DABIT VOBIS) Disciplina in qua laboraveritis.

MERCEDEM VESTRAM IN TEMPORE SUO) Cum maxime opus habebitis.

Huc facit illud *Gregorii M.* hom. XXXVII. in Evang. *Ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Unde Paulus egregius prædicator dictitat:* Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. *Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat dictamen laborum.* Similis huic nostræ est Apostolica exhortatio, *Gal. VI. 9. Bonum facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum.* Bene autem operatur, ut hic *Osiander*, qui secundum mandata Dei, non autem secundum judicium rationis suæ, vitam instituunt. Et quamvis pii homines aliquandiu videntur bonorum suorum operum præmia nulla in hac vita percipere: tamen suo tempore ea remuneratur Dominus, etiam in hac vita, & in futura vita cumulatissime ea compensabit æterna gloria & felicitate, *quam propter Christum Mediatorem nobis largiatur Deus trinus & unus.*

*AMEN.*

I. N. I.

# ANNOTATA AD LIBRUM BARUCH ET EPISTOLAM QUÆ DICITUR JEREMIÆ.

*PRÆLOQUIUM GROTII.*

HÆc in Hebræo nunquam exstitere, sed exercitamenta sunt Judæi Græce callentis, qui finxit ea quæ Baruch potuit scribere eorum nomine ad jussu, qui cum Jechonia in Babyloniam deportati fuerant, ad populares suos, qui post Jechoniam deportatum Hierosolymis manserant. Fuit autem hic scriptor Baruchum missum Hierosolymis in Babyloniam quinto anno post deportatum Jechoniam. Alius aliquis qui exstitit navit Baruchum nunquam iuisse in Babyloniam ante deportationem posteriorem quæ Zedekia regnante contigit, addidit quædam ad scriptum hoc, quæ bene expensa cum cæteris non cohærent. Sunt & à Christianis exscriptoribus addita quædam.

*OBSERVATIONES.*

Sea ratione scripta tractanda, ut *hæc, illa ista*, quæ ἀσύγκατα, vel à vero aliena sunt, demantur, aut ab aliis, atque aliis abjecta statuantur, ecquis autor juvari non poterit, ne credatur minus consentanea scripsisse? Satis autem hæc testantur, librum præsentem falso à *Pontificiis* quibus impense noviſſimis temporibus favit Grotius, *Canonicis & Prophetieis* accenseri. Nam si *in Ebræo* nunquam extitit, neque ad Ebræorum *Canonem* pertinere potuit, extra quem nullum Vet. Test. scriptum divinum novimus. *Tirino* quidem Jesuitæ dubium haud est, *Ebraice vel Chaldaice scriptum esse*, sed nullum ejus rei habet testem, nullum documentum, nisi quod *Latinus textus c. VI. 24. 55. 56. Ebraizet*, quod vero caput non ad *Baruchum* pertinet, sed *Epistolam Jeremiæ* adscriptam exhibet, quam pro Jeremiæ Epistola Tirinus habet, è quo etiam non magis sequitur Baruchum Ebraice aut Chaldaice scripsisse, quam *Novum Testam.* quia passim Ebraizat, fatentibus pluribus Pontificiis, Ebraice aut Chaldaice ἐν πεωτοτύπῳ scriptum esse: & fatetur Tirinus, *Ebraicum exemplar non extare*, quod interire minime permisisset, *divina providentia*, si divinum fuisset, ac pars Canonis divini, usui perpetuo Ecclesiæ divinitus consecrati. Porro quum pro *exercitamentis* hæc tantum habeat Grotius *Judæi alicujus* iisque à diversis interpolatis, quantum *autoritatis* his relinquatur, minime obscurum est. In *Concilio* certe *Tridentino* eliminandus nonnullis visus est hic liber è numero Canonicorum teste *Petr. Suavi* lib. II. Hist. Conc. Trid. quem etiam *Melchior Canus* Episcopus Canariensis adsessor istius Concilii, *non efficere certas atque constantes fidei Catholicæ veritates* agnoscit l. XII. Locor. c. 6. p. 367. Unde pro Canonico eum habere non potuit: Sed & post Canonizationem libri Tridentinam à Papistis controversia illi mota à *Iob. Driedone* l. I. de Catal. script. c. 4. ad difficult. 4. *Sixto Senensi in Biblioth. S. Stapletono* relect. Controv. V. q. 3. art. 3. omnibusque illis qui Canonem Ebræorum probant, & sequuntur. Driedoni conjungit Tirinus etiam veteres S. *Hieronymum, Gregorium Nazianzenum, Damascenum, ut & Lyranum*, ac *Dionysium*, qui hunc librum pro Canonico non habuerunt. Quamvis hanc eorum sententiam iterum dubiam reddere conetur, ac si in recensendis libris Canonicis *librum* Baruch nomine *Jeremiæ, cujus Baruch scriba fuit*, comprehenderint, quod vero perquam ineptum & à mente veterum prorsus alienum est: unde *Tirinus* veteres tandem in hac controversia in medio relinquit, & ad Papistica sua Conciliabula, quæ vero librum acanonicum reddere tam non potuere Canonicum quam ex scripto *humano divinum* fieri non potest, sese unice recipit, *quicquid sit*, inquit, *de antiquis, certum est jam ex Concilio Florentino, & Tridentino, debere eum Canonicis libris adnumerari.* Sed quomodo juvabit hunc *Prophetam* suum Tirinus, vel quisquis alius Papistarum, integrum scriptum prout in Latina Editione Sixtina habetur, pro Canonico assumens, quod juvare certe aliter non potuit Grotius, nisi, post derogatam eidem Canonicam autoritatem, corruptum illud, & interpolatum esse statueret. Aperte enim nimis divaricatur à Scriptura *Canonica*, ut pote cum Baruch se in Babylonia hoc scriptum composuisse *cum eversa esset Hierosolyma* c. I. 1. testatur, qui non in Babylonem, sed *Ægyptum* se contulit (*Jer. XLIII. 6.*) & cum *post eversionem urbis* Sacerdotibus Hierosolymam pecuniam missam ait, *ut pro captivis Judæis sacrificia offerrent* c. I. 7. siquidem post eversum templum nulla offerri amplius potuerint sacrificia, antequam reverterentur Judæi è captivitate, & altare exstruerent Domino *Thren. II. 6. Dan. III. 38. Esdr. III. 3.* denique cum *Bar. I. 11.* captivi Judæi orare jubentur *pro vita Nebucadnezaris Regis Babylonici, & pro vita Baltasaris filii ejus*: Cujus filium non *Baltasarum*, sed *Evilmerodachum* fuisse, è 2. *Reg. XXV. 27.* constat. Adde quod *Baruch* profiteatur *se librum suum legisse Iechonia, & populo toto, imo & potentioribus, filis Principum, & senioribus ad lectionem hujus libri audiendam coactis Bar. I. 3. 4.* quod haudquaquam cum Jechoniæ captivitate, in qua pessime habebatur, consistere potest, nec ullo modo credibile, Babylonios permissuros fuisse, ingentem multitudinem, & totum populum seditionibus obnoxium, prope Regem suum, dum is carcere attineretur, cogi; ne dicam, quod populus iste ad fluenta Babylonis dispersus fuerit, non vero intra unum tractum à Babyloniis conclusus *Psl. CXXXVII. 1.* Tandem à *superstitione* facile liberare non potest quod *Bar. III. 4. Deus rogatur, ut preces* τῶν τεθνηκότων τῶν ἀπὸ *mortuorum Israelis audiat*, siquidem Scriptura à mortuis memoriam & cognitionem eorum, quæ geruntur in terris removeat: Vid. *Iob. XIV. 21. c. XXI. 21. Psl. VI. 6. Psl. CXV. 17. Es. LXIV. 16.* Quod enim nonnulli *civiliter mortuos* intelligunt, dilutum nimis, & à phrasi scripturæ alienum est.

*Baruch urbi tractatur scripturæ Canonicæ,*

Cæterum nec *stylus, & character dicendi Propheticam majestatem* sapit in hoc scripto, & collectio illa sententiarum & coacervatio è variis scripturæ locis, structuræ etiam indoles, & *nimis verbosa*, in *Epistola Jeremiæ* adscripta, idololatriæ Babylonicæ confutatio, genium *scripturarum divinarum*, aut *S. Jeremiæ* haudquaquam referens, ad abjudicandam hisce autoritatem *Propheticam* non parum faciunt: quam ex sola patrum allegatione sub scripturæ nomine fortè facta minus firmiter Pontificii probant: quibus *Driedo* ipse jam satisfecit l. c. *sic*, inquiens, *Cyprianus, Ambrosius, cæterique Patres* senten-

*sententias citant ex libro Baruch, ex tertio, & quarto Esdræ* (quos vero ipsimet Papistæ è Canone excludunt) *non tanquam ex Canonicis libris, sed tanquam ex libris continentibus dogmata quædam pia juvantia & non contraria, sed potius consona fidei nostræ.* Non ergo vel *Barucho* liber hic, vel *Epistola* adjecta *Jeremiæ* tribui potest, quia nec spiritu Prophetico nec Prophetica lingua Ebræa scripta sunt quod tum è *phrasi Græcanica*, tum ex illa peculiariter loquendi ratione quæ c. VI. 2. occurrit, manifestum est. Ideoque rectè à *Grotio Judæo alicui Græca callenti* adscribitur.

Id tamen haud diffitemur dignum esse hoc scriptum, quod in *Ecclesia legatur*, quum stimulos addat ad pœnitentiam, modumque ejus, quantum imprimis ad veram cordis humiliationem exhibeat: & *idololatria, quæ in imaginum cultu exhibetur*, in Epistola Jeremiæ annexa *graphice*, Bellarmino dicente, *depingatur*: Cui vero affinem esse iconolatriam Papalem praxis ipsa, & experientia assatim testatur.

*Argumentum* ergo *Baruchi* est partim *Pareneticum* quo excitantur *Judæi* in Babyloniam transportati inq; captivitate ibi hærentes ad pœnitentiam, agnitione & confessione cum inobedientiæ & idololatriæ cap. I. tum pœnæ & justitiæ divinæ, & imploratione divinæ gratiæ, & misericordiæ cap. II. quæ porro expeditur cap. III. addita exhortatione ad veram sapientiam cujus contemtus causa fuerit omnis mali. Partim *consolatorium*, quod non ad perditionem venditi sint gentibus, quodque reversuri sint cum gaudio c. IV. unde excitantur ad deponendum vestitum luctus, & induendum ornatum gloriæ & lætitiæ c. V. Epistola vero Jeremiæ monet, ne visa Babyloniorum idololatria eos imitentur, proposita & prolixe ostensa idolorum vanitate maxima.

*Interpretes* libri Baruch & Epistolæ annexæ è Pontificiis imprimis celebrantur *Christoph. a Castro, Cornelius à Lapide, & Maldonatus, Tirinus, Menochius* cum *Joh. Hagen ab Indagine*; è nostris *Vict. Strigelius, & Osiander.*

---

*BARUCHI PARS I. PARAENETICA.*

# AD POENITENTIAM.

## CAPUT I.

*Præmisso titulo, nomine & prosapia Autoris ac tempore, libricque publice prælecti effectu, formula præscribitur Confessionis, inobedientiæ & idolatriæ ceu causæ supplicii Dei justissimi.*

Vers. 1.

ET HÆC VERBA LIBRI] Initium Hebraizans, quale Jud. I. 1. I. Macc. I. 3. Præmittitur narratio. Verba ipsa libri, id est mandata deportatorum ad eos, qui manserant incipiunt infra 10. Epistola prælegenda 15.

Solet apud *Ebræos* Vav esse nonnunquam *inchoativum*, non vero *continuativum*, vel *copulativum*, ut Ez. 1. Esdr. I. Esse enim hæc verba vel mandata deportatorum, non vero ipsius *Baruchi*, quem Prophetam Pontificii faciunt, unde colligat Grotius, non apparet.

Vers. 2.

IN TEMPORE QVO CEPERANT CHALDÆI JERUSALEM] Id est ex quo ceperant.

ET SUCCENDERANT EAM IGNI] Hoc est unum ex illis quæ dixi additamentis. Urbs Hierosolyma accensa fuit regnante Sedecia, Jechonia regnante capta, non incensa.

Videt Grotius hæc non cohærere cum cæteris. Ideo ut juvaret autorem, addita esse illa de *Hierosolyma igne succensa*, confinxit. Sed repugnabunt omnes *Pontificii*, qui textum Latinum incorruptum, & integrum prout à Pont. Rom. editus est, authenticum esse πξ ηςῆ λαξ contendunt. Reclamant etiam *omnia exemplaria Græca*, & *Latina*. Neque *illum* Codicem diversæ lectionis proferre Grotius potuit, aut *illum* saltim *documentum* vel *testimonium* ex antiquitate. *Papistæ* se torquent, ut ἀσύγκλωςα concilient. Sed temere. Maldonatus numerari annos vult ex eo tempore quo Jechonias Babylonem ductus est, ut quintus hic annus designatus sit spontaneæ deditionis, & sexto proinde anno ante urbis devastationem hæc acciderint. Argumentis utitur eam in rem solidis. *Non hoc*, inquit, *ante urbis vastationem accidisse MANIFESTUM EST: quia adhuc templum, & altare stabat, ut dicitur vers. 10. adhuc erant sacerdotes in Jerusalem, ut dicitur v. 7. adhuc erant vasa, qua secerat Sedecias, cum priora a Nabuchodonosore ablata fuissent v. 8.* Adde *quod si post urbis excidium hoc accidisset, non legisset Baruch librum in auribus Jechoniæ, sed Sedeciæ, cum & Sedecias post excidium urbis Babylone esset, illiq; potius liber esset legendus, quam Jechoniæ.* Sed quomodo hanc sententiam, quam MANIFESTAM agnoscimus, cum verbis textus, quod hæc *ex eo, quo ceperunt Chaldæi Jerusalem, & succenderunt eam igni, concilabunt* Jesuitæ? *Maldonatus* re desperata ne aggressus quidem id est. Alii quum luculenta sint verba de *succensa Hierosolyma, anno quinto post vastatam Hierosolymam* hæc gesta esse ajunt, cum *Tirino, Menochio, Cornelio a Lapide, Torniello item, Lyrano, Hugone*, ut & *Theodoreto*. Et confirmant hanc sententiam è cap. II. 2. 3. *Facta sunt in Jerusalem mala, quæ non sunt facta sub cælo, ut manducaret homo carnes filii sui, & filiæ suæ.* Hoc enim contigit in obsidione, & excidio Jerusalem, non ante. Item è v. 26. ubi luget templi excidium: quod vero simul cum urbe eversum est. Hæc illi urgent satis firma. Sed quid respondendum sit ad argumenta Maldonati non inveniunt. *Cornelius* comminiscitur, *Judæos in ruinis templi erexisse altare levi opere, ut haberent suæ religionis publicum exercitium, ibidemque sacrificarent.* Sequitur *Cornelium Menochius & Tirinus*, qui tamen de *clandestino & furtivo exercitio* interpretatur. Sed quodnam habent hujus *altaris* fundamentum; Provocant quidem ad *Jer.* 41, 5. Verumenimvero non asseritur illic *novum altare* exstructum post incendium templi. Solum *venisse* dicuntur *viri è Sichem, Silo, & Samaria, ut offerrent in domo Domini.* Credidere ergo *domum Domini*, urbe incensa, adhuc *superesse*, vel saltim *non ita concrematam esse, quin parietes, altare, & partes aliæ remanserint salvæ*, ut *Cornelius* ipse habet ad l. c. aut annon a se restaurari posse in isto loco aliquod *altare* persuasi esse poterant, qui etiam contra interdictum legis divinæ *Lev. 19, 27.* gentilium more *barba rasi, & incisi* vel *lacerati* facie & vestibus advenierant: uti *Christ. à Castro, & Sanctius* putant, *licet illi templum combustum audissent, voluisse tamen eo loco illo templi, quem Deus elegerat, munera sua offerre.* Quod vero superstitionis erat, quia à Deo tale quid minime demandatum erat. Num vero Barucho superstitio etiam adscribenda, quod templo diruto, & altari destructo in illo loco citra mandatum Dei sacrificia offerri voluerit? Tum vero, si *furtivus* cultus ibi citra mandatum Dei institui poterat, quidni etiam in *Babylone* ipsa furtiva ratione clanculum offerri potuissent sacrificia? Et præcario hoc assumitur, *sacerdotes Hierosolymis relictos*, ubi *secum* tantum

*Frustra Judæi Pontificii hic contendunt de templo.*

*populi, vinitores, & agricolas* Babylonii reliquisse dicuntur 2. *Reg. XXV.* 12. Necè *Threnis* tantum c. 2, 6. constat cessasse illic cultum divinum, sed *Dan.* 3. 38. (quem locum pro *Canonico* habent Papistæ) aperte asseritur, *non est in tempore hoc holocaustum, neque sacrificium, neq; oblatio, neque locus primitiarum &c.* quod temere ad *publicum & solemne* exercitium restringitur. Adde, quod verba Baruchi vers. 8. innuant *vasa* tantum *templi à Babyloniis sublata*, non vero templum & altare penitus destructum esse: & quid opus fuisset vasa alia cultus divini causa comparare, & mittere, si jam destructum & diruptum prorsus fuit Domini templum? Ita nusquam hæc sibi constant, nullaque arte, ne Jesuitica quidem, conciliari possunt.

V. 3. ET LEGIT BARUCH VERBA LIBRI HUJUS) Epistolæ quam jussu Jechoniæ & cum eo deportatorum scripserat, ut judicarent, an mentem eorum satis expressisset.

ET AD AURES POTENTIUM FILIORUM REGUM) Id est, eos qui de Davidis sanguine cum Jechonia avesti fuerant.

Epistolæ Systaticæ, vel credentialis ut vocant, instar sunt quæ *vers. 10. 11. 12. 13. 14.* habentur: ipse vero *liber* ad contribules in Jerusalem missus à Barucho conscriptus *v. 15.* inchoatur. Prælectus autem publice in Babylone fuit *eum* ut illi captivi etiam ad pœnitentiam excitarentur, quem scopum Baruchum obtinuisse *v. 5.* docetur, *eum* ut communi nomine istorum captivorum destinaretur ad contribules in Jerusalem relictos.

V. 4. AD FLUMEN SODI) Ubi urbs Soita inter Euphratem & Tigridem Ptolemæo.

V. 6. SECUNDUM QUOD POTUIT UNUSQUISQUE MANUS) Locutio Hebræa, ut Lev. V. 7. & alibi.

V. 7. AD JOAKIM FILIUM HELCIÆ) Nam cum deportatus fuit Jechonias, non fuere deportati sacerdotes.

An vero relicti fuere Hierosolymis post exustum templum? *Joakimum* etiam aliquem summum sacerdotem istis temporibus fuisse non constat, etsi in libro Judith circa tempora Manassis Iojakim Pontifex fuisse fingatur. c. IV. 5. Conf. 1. Par. VI.

V. 8. CUM ACCIPERET VASA TEMPLI, QUÆ ABLATA FUERANT DE TEMPLO) *Postquam acceperat* (nempe Nabuchodonosor, cujus sequitur mentio) *Vasa templi, quæ scilicet ex templo ablata fuerant.* Vasa illa potissimum, quorum mentio 2. Reg. 24, 13. 2. Par. 36, 10.

Jojakimum vasa accepisse vult *Maldonatus; Vatablus, Cornelius* & alii Baruchum. Non inconveniens foret Grotii explicatio, si mentio Nebucadnezaris præcessisset, & verba sequentia de Sedekia pro additamentis habenda essent. Sed unde hoc docebitur?

REVOCARE IN TERRAM JUDA DECIMA DIE MENSIS SIVAN) In Græco: ἀποστρέψαι εἰς γῆν Ἰούδα τῇ δεκάτῃ τοῦ Σιούαν, Id est, *cum rediturus esset* (Baruch) *in terram Juda decima die Mensis* Sivan. Id est, circa Majum, quo tempore commodissima sunt itinera.

VASA ARGENTEA QUÆ FECIT SEDECIAS FILIUS JOSIÆ REGIS JUDÆ) Et hoc est ex illis additamentis, de quibus præfatus sum.

Ita ergo vasa nulla in Judæam missa erunt, quod tamen communiter credunt Interpp. quia *aurea* retinuit Nebucadnezar, de *argenteis* vero nihil hic scriptum, si hæc, ut Grotius vult, embolimæa sunt, nec ad textum pertinent. Neque Baruch mihi stante hac Grotiana explicatione Hierosolymam, sed ipse eo reversus est. Cæteri autem interpp. omnes Baruchum misisse hanc Epistolam, & librum suum Hierosolymam, non vero eo transtulisse sentiunt. Nemo de illo additamento ab alio textui assuto vel somniaret.

V. 10. ECCE MISIMUS AD VOS PECUNIAM) Collectam.

HOLOCAUTOMATA ET THUS) In Græco amplius: *holocaustomata, & victimas pro peccato, & thus.*

ET FACITE MANNA) Legendum in Græco non μάννα, sed *μανᾶ*. Ita enim מנחה de qua Lev. II. vertunt V. T. interpretes. Idem error & alibi in libros irrepsit, ut diximus ad Marc. 9. 49.

Etsi ita per errorem habeatur apud LXX. *Jer. 17, 26. Dan. 2, 46.* non debuit tamen sequi errantes vulgatus Latinus, aut errorem sequentem vulgatum approbare Pontifex Romanus. Aliud enim est *Manna*, panis de cœlo demissus, aliud *Minchæ*, oblatio, vel donum.

ET OFFERTE PRO PECCATO AD ARAM DOMINI DEI NOSTRI) *Pro peccato* hic non est in Græco: & rectè, quia illud *offerte ad aram*, nempe victimarum, refertur ad holocausta, victimas pro peccatis, & ad *μανᾶ*.

V. 11. ET ORATE PRO VITA NABUCHODONOSOR REGIS BABYLONIS) Sumtum ex Jer. 27, 9.

ET PRO VITA BALTHASAR FILII EJUS) Balthasarem hic vocat, qui fuit Evilmeraduchus nominatus 2. Reg. 25, 27. Jer. LII. 31. & Berosо ac Ptolemæo.

UT SINT DIES EJUS SICUT DIES COELI SUPER TERRAM) Id est, generis ejus.

*Evilmeraduchum* filium fuisse Nebucadnezaris certum est è 2. *Reg. 25, 27. Jerem. 52, 31.* ut & exoticis scriptoribus, sed *Balthasarem* Nebucadnezaris filium primogenitum fuisse quod fingit vel dubie conjectat *Cornelius*, vel quod mavult idè *Balthasarum* eundem esse cum Evilmerodacho ut hic etiam Grotius putavit, quasi ipse fuerit binominis, dictusque sit tam Balthasar, quam Evilmerodach Rex ultimus Chaldæorum, sub quo capta est Babylon à veritate Historica, & Chronologica prorsus alienum est. Vid. Chronicon nostrum sacrum circa Canonem Ptolemæi.

V. 12. ET UT DET DOMINUS VIRTUTEM NOBIS) Ut durare possimus in his malis.

ET ILLUMINET OCULOS NOSTROS) Id est, liberet nos ab hoc exsilio, quod cæcitati comparatur. Es. LXI. 1. Vide dicta ad Luc. IV. 18.

UT VIVAMUS SUB UMBRA NABUCHODONOSOR REGIS BABYLONIS) Sub ejus tutela, in patria scilicet. Vide Ezech. 31, 6. Dan. 4, 9. 18.

Cur *illuminatio* sit *metaphorice*, non proprie accipienda, nulla est ratio: illuminatione enim opus erat ad veram pœnitentiam, & conversionem.

ET SERVIAMUS EIS MULTIS DIEBUS) Id est, libere reverearnur imperium Babylonicum, secundum pacta cum regibus Chaldæis pridem facta.

ET INVENIAMUS GRATIAM IN CONSPECTU EORUM) Amici simus illorum regum.

Vers. 13. QUIA PECCAVIMUS DOMINO DEO NOSTRO, ET NON EST AVERSUS FUROR EJUS A NOBIS USQUE IN HUNC DIEM) *Ita ut non adhuc ejus sæviam ira.* Tam gravia peccavimus, ut pœnæ etiam nunc duterent.

V. 14. ET LEGITE LIBRUM ISTUM) Epistolæ istæ,

RECITARI IN TEMPLO DOMINI) Ut legatur in Templo de more Synagogæ. Quem imitati Christiani epistolas Apostolorum, & post eas Episcoporum aliorum legebant in Ecclesiis.

IN DIE SOLEMNI) In Græco: *In diebus festis*, id est, Paschate, Pentecoste & σκηνοπηγίᾳ.

ET IN DIE OPPORTUNO) *Et in diebus temporis*, scilicet præfixis. Nam καιρὸς & ἑορτὴ opponi solent, ut Sirach. 33, 8.

Vers. 15. ET DICETIS) Ex epistola hac sequentia recitabitis.

DOMINO DEO NOSTRO JUSTITIA) Testimonium Justitiæ ex nostra confessione. Sumta hæc ex Daniele IX. 7. 8. 9. & sequentibus. Adde & Nehem. IX. 32. 33. 34. & sequentibus.

V. 17. ET NON CREDIDIMUS DIFFIDENTES IN EAM, ET NON FUIMUS SUBJECTIBILES EI) Hic tres versiones diversæ illius, *καὶ οὐκ ἐπειθόμεθα αὐτῷ*, in unum coaluerunt scribentium vitio.

Vers. 19. A DIE QUO EDUXIT PATRES NOSTROS DE TERRA ÆGYPTI USQUE IN DIEM HANC) Sæpe scilicet. Vide dictum caput Nehemiæ.

ERAMUS INCREDIBILES) Iterum in Græco: *ἐμαθόμεν ἀπειθοῦντες.*

ET DISSIPATI RECESSIMUS, NE AUDIREMUS VOCEM EJUS) In Græco: *καὶ ἐσκορπίζομεν πρὸς τὸ μὴ ἀκοῦσαι τῆς φωνῆς αὐτοῦ.* Efficaciam vox bene Græca, significatque inconsiderate agere aliquid, oppositumque habet τὸ ἐπιστήμονός τι πράξειν. Sensus ergo est: *Inconsulto studio tua verba negleximus.* Non

Non ergo opus suspicione Menochij, *in Græco textu*, (quem perperam LXX. virorum dicit, quum hi non transtulerint Apocrypha) *legendum* ἐν τῷ ἀδᾶμ, ut inter se conveniant Latinus & Græcus textus.

V. 20. ET ADHÆSERUNT NOBIS MULTA MALA) ἐκολλήθη. Ide lo quèdi genus habet infra 3,4. ubi vertit interpres, *aggluttinata sut*.

ET MALEDICTIONES QVAS CONSTITVIT DOMINVS MOSI SERVO SVO) *Execratio illa, quam Dominus Mosi servo suo dixit*: Deuteron. XXVIII.

QVI EDVXIT PATRES NOSTROS DE TERRA ÆGYPTI) In Græco: ὁ ἀγαγὼν αὐτὸν ἐν ἐκείνῳ καιρῷ: *illo tempore cum eduxit*: id est, intra illos an. XL. Hebræorum est, quodvis tempus ἐκείνῳ dicere.

DARE NOBIS TERRAM FLVENTEM LAC ET MEL) *Ut daret nobis*. Vide Sirach. XLVI. 11. & ibi dicta.

SICVT HODIERNA DIE) In Græco: *Quales est hæc dies*, quasi hoc tempus est: refer ad verba non proxima, sed remotiora de execratione. Et enim eventus Baruchi temporibus respondit.

V. 21. ET NON AVDIVIMVS VOCEM DOMINI DEI NOSTRI SECUNDVM OMNIA VERBA PROPHETARVM) Præcepta Dei per Prophetas enunciata.

ET ABIVIMVS VNUSQUISQUE IN SENSVM CORDIS NOSTRI MALIGNI) *In sensu*. Capita quisque nostra secuti sumus.

## CAPUT II.

### *Pœnæ promeritæ & justitiæ divinæ confessio, cum implorationæ misericordiæ divinæ.*

V. 1. STATVIT DOMINVS DEUS NOSTER VERBVM SVVM) פקים ratas fecit minas. Hic ἐστάναι idē, quod ἐγεῖραι Sir. 36, 14.

ET AD JUDICES NOSTROS) Senatores magni Synedrij.

V. 3. VT MANDVCARET HOMO CARNEM FILII SVI) In Græco: *Ut manducaremus quisq; carnem filij sui*. Nam ἀνθρωπος hic valet אישׁ Hebræum in sensu distributivo. Vide Lam. II, 20. IV. 10.

ATqui hæc quæ in *lamentationibus* referuntur, cum exercitu urbs & templum, vel in *excidio Chaldaico*, non vero se xennio antea facta sunt: uti ad quintum annum captivitatis Jechoniæ hic liber Baruchi refertur, c. 1, 2. Non ergo sibi constitit hic Grotius.

V. 4. ET DEDIT EOS SUB MANV REGVM OMNIVM QVI SVNT IN CIRCVITV NOSTRO) οἱ ἐθνεσι κυκλῳ ἡμῶν περίοικοι, quæ vox non semper subditos, sed sæpe etiam belli fortuna inferiores significat, ut videre est in Græco, Gen. 20. Ergo hoc refer es non tantum ad Chaldæos & Ægyptios, sed & ad Syros, Moabitas & Ammonitas. De quibus vide II. Reg. XXIV. 2.

IN IMPROPERIVM) ἐν ὀνειδισμῷ, ex Esa. XLIII. 18.

ET IN DESOLATIONEM) εἰς ἀφανισμόν. Ex Jerem. XXV. 38. Illud ad populum, hoc ad terram refertur.

V. 5. ET FACTI SVMVS SVBTVS ET NON SVPRA) Contrarium promissi conditionali Deuteron. XXVIII. 13.

V. 6. ET DOMINO DEO NOSTRO IVSTITIA) Repetit quod supra dixerat I. 15.

V. 8. ET NON SVMVS DEPRECATI FACIEM DOMINI DEI NOSTRI) Ex Dan. 9, 13. (mia 44, 27. & Dan. 9, 14.

V. 9. ET VIGILAVIT DOMINVS IN MALIS) Ex Jerem.

V. 11. ET FECISTI TIBI NOMEN SICVT EST DIES ISTA) *Sicut hoc tempus*, ostendit scilicet. Desumtum enim hoc ex Nehemia IX. 10. & Dan. IX. 15. (MVS) Ex Dan. IX. 5.

V. 12. PECCAVIMVS, IMPIE EGIMVS, INIQVE GESSIMVS IN OMNIBVS IVSTITIIS TVIS) *Contra omnia præcepta tua*. Hunc sensum aperit nobis idem Danielis locus.

V. 13. QVIA DERELICTI SVMVS PAVCI INTER GENTES) Esa. XXIV. 6. Jerem. XLII. 2.

V. 14. DA NOBIS INVENIRE GRATIAM ANTE FACIEM EORVM QVI NOS ABDVXERVNT) Aliud enim illis in locis precari non licebat.

V. 15. QVIA NOMEN TVVM INVOCATVM EST SVPER ISRAEL ET GENVS IPSIVS) Tum Israel auctor generis, tum ejus posteritas à Deo nomen habent. Dan. IX. 19.

V. 16. DE DOMO SANCTA TVA) Finguntur enim scripta hæc stante adhuc Templo priori, ut & supra apparuit I. 10. quod ostēdit recte à nobis pro nō scriptis haberi quæ spuria esse indicavimus.

Imo scripta hæc esse quinto anno à deportatione Jechoniæ stante adhuc templo statuit Grotius, etsi v. 3. ea retulerit ad tempora excidium sequuta.

V. 17. QVIA NON MORTVI QVI SVNT IN INFERNO) Vide Sirach. XVII. 21.

QVORVM SPIRITVS ACCEPTVS EST A VISCERIBVS SVIS) *Equorum vis cerebrum abreptus est spiritus*: i. e. illud quo vivitur.

ET IVSTIFICATIONEM DOMINO) Approbationem decretorum Dei.

V. 18. SED ANIMA QVÆ TRISTIS EST SVPER MAGNITVDINE MALI, ET INCEDIT CVRVA ET INFIRMA) Animam dixit, hominem intelligens. Sensum vide Psal. LI, 19. πάντων in descriptione miseriæ est apud Jobum XXII. 29.

ET OCVLI DEFICIENTES) Psalterium, Ps. 69, 4. Sam. 2, II. !

ET ANIMA ESURIENS) Homo jejunus se macerans, Psalm. 7, 5.

Ex *antithesi* patet respici celebrationem Dei quæ fit in hoc seculo, quæ non fit à defunctis, sed à viventibus; Nam honorem Dei apud homines alios hujus seculi ore & lingua mortui prædicare nequeunt, ad mutuam ad glorificationē Dei excitationē. Petitur ergo ne hæc glorificatio Dei publica intereat, ut ne populus Dei penitus opprimatur.

V. 19. QVIA NON SECVNDVM IVSTITIAS PATRVM NOSTRORVM NOS FVNDIMVS PREGES) Non nitimur eorum factis, quorum exempla deseruimus. Confer Dan. IX. 18.

V. 20. SED QVIA MISISTI IRAM TVAM) Subintelligo, meritis nostris. Hæc enim confessione veniam eblanditur.

V. 21. SIC DIXIT DOMINVS) ἔτας ἐστιν κύριος. *Sic enim dixerat Dominus*, per Jeremiam scilicet. Exaggerat culpas. Quæ Seuecæ dixit Jerem. XXVII. 12. eadem ante ipsum regibus Tyri dixerat.

INCLINATE HVMERVM VESTRVM) Male admodū in Græcis omnib9 κλίνατε τὸν τράχηλον: cū & exl atino Interprete, & ex sensu, apparet legendum, τὸν ὦμον. Jugū & humeris & cervicibus fertur. Et X. 27.

ET OPERA FACITE REGI BABILONIS) Id est, servite, עבד Jer. XXVII. 12. Soler autem עבד verti non raro per ἐργάζεσθαι.

ET SEDEBITIS IN TERRA QVAM DEDI PATRIBVS VESTRIS) *Habitabitis*. Sic enim ישׁב sumitur Hebraïce.

V. 22. DEFECTIONEM VESTRAM FACIAM DE CIVITATIBVS JUDA, ET A FORIS JERUSALEM, ET AUFERAM A VOBIS VOCEM JUCUNDITATIS) In Græco minus est verborum, & contuncio infolita: ἀλλεῖψω πάντων ἐκ πόλεων Ἰούδα καὶ ἔξωθεν Ἰερουσαλὴμ, φωνὴν εὐφροσύνης: & quæ sequuntur, pro ἐκλείπουσι πάντες, nomen pro infinitivo. Jer. 7, 34. unde hic locus desumptus est, legimus καταλύσω ἐκ πόλεων Ἰούδα, καὶ ἐν ταῖς ἔξω Ἰερουσαλὴμ φωνὴν εὐφροσύνης. (φωνὴ χαρμονῆς.

ET VOCEM GAUDII) φωνὴν χαρμονῆς hic: in Jeremia autem ET VOCEM SPONSI ET VOCEM SPONSÆ) Hæc quoque habes dicto loco Jeremiæ, ut & ejusdem XVI. 8. XXV. 10.

ET ERIT OMNIS TERRA SINE VESTIGIO AB INHABITANTIBVS EAM) οἱ ἄκαστοι, ut supra 4. quod in dicto loco Jerem. XVI. est οἱ ἐγκάτοικοι. Non dicit hoc accidisse Hierosolymis, sed Judææ & locis extra Hierosolyma.

V. 24. ET STATVISTI VERBA TVA) Ut supra 3.

VT TRANSFERRENTVR OSSA REGVM NOSTRORVM ET OSSA PATRVM NOSTRORVM DE LOCO SVO) Nihil enim religiosum videri, præsertim irato & avaro.

*Quæque carent ventis & solibus ossa Quirini*
*Nefas videre, dissipabit insolens.*

Sumpta hæc ex Jerem. 8, 1. 2.

Hæc argumento esse possunt, scripta hæc *post excidium urbis*: Nam de Hierosolyma prædicta sunt pleraque, ideoque quum jam impleta illa dicantur, non tam per excidium aliorum locorum extra urbem, quam ipsius urbis impleta esse intelligendum est; ubi etiam à Chaldæis, cum thesauros in sepulchris Regum quærerent, effossa corpora Regum sunt. *Jer.* IIX. 1. 2. quod *v.* 26. hic luculentius erit.

V. 25. ET MORTVI SVNT IN DOLORIBVS PESSIMIS) Multi superstitum temporibus Jechoniæ.

ET IN EMISSIONE) ἐν ἀποστολῇ, in missione, id est, in pestilentia à Deo immissa. Ita enim sumi vocem ἀποστολὴ ostendunt Græca versiones Jer. 32, 36. Aliæ enim habent ἐν ἀποστολῇ pro qualiter ἐν λοιμῷ. Mitti optime dicitur de pestilentia 2. Par. 7, 13. Ez. 5, 8. 24. 10.

V. 26. SICVT HÆC DIES) *Ostendit* scilicet, ut supra explicavimus 9. Significat non exustum Templum sed à paucis celebratum, & spoliatum præcipuis ornamentis, tributum.

PROPTER INIQVITATEM DOMVS ISRAEL) Decem

ET DOMVS JUDA) Duarum tribuum.

Verba illa ET POSUISTI TEMPLUM TUUM IN IPSO, respiciunt utiq; templum eversum & desolatum: *in quo hactenus invocatum erat nomen Domini.*

V. 27. ET FECISTI IN NOBIS DOMINE DEVS NOSTER SECVNDVM OMNEM MISERATIONEM TVAM ILLAM MAGNAM) In Græco: *secundum æquitatem tuam & omnem misericordiam tuam magnam, ἐποίησας*, quæ propriæ est æquitas, pro clementia etiam sumitur, ut hic, ita Cant. trium puer. 13. Sap. 12, 18. II. Macc. 9, 4. Clementia Dei Jechoniæ temporib. in eo apparuit, quod quamquā bona parte populi abducta, manserit tamē urbs, & templum, & regnū.

V. 28. SICVT LOCVTVS ES IN MANV PVERI TVI MOTSI) Id est, per Moysem. Hebraismus, בְּיַד עַבְדְּךָ מֹשֶׁה.

IN DIE QVO PRÆCEPISTI EI SCRIBERE LEGEM TVAM) Id est, *quo tempore*: ut supra I. 20. in Græco.

V. 29. DICENS) Nempe quoad sensum; Deuteron. XXVIII. 62. Pari modo quæ sequuntur desumpta sunt ex Deuter. & XXXI. 19.

MULTITVDO HÆC MAGNA) In Græco: ἡ ὀχλοποιία ἡ μεγάλη: i. e. *turba ista tantum edens, sontium*. Abitrarium pro con rectore foler de aquis dici ὀχλεῖν apud Græcos interpretes; & populi actus experiri.

V. 30. ET CONVERTATVR AD COR SVVM) Id est, *tandem ad se redibit*. Lev. XXVI. 39. & sequentibus.

V. 31. ET DABO EIS COR, ET INTELLIGENT) Ut intelligant. Deut. XXX. 6. Jer. 24, 7. 32, 39. 40. Ezech. II, 19. 36, 26.

AVRES ET AVDIENT) *Ut audiant*. Id est, attentionem animi, quæ auris interior.

Vers. 33. ET AVERTENT SE A DORSO SVO

DURO) Dorsum durum dicitur esse iis qui legem, velut onus à Deo impositum, ferre nolunt: ut apparet Ps. 81, 7. unde dorsum durum dicitur 2. Reg. xvii. 14. in Græco, ubi cervices duræ in Hebræo.

QUIA REMINISCENTVR VIAM PATRUM SVORVM QVI PECCAVERUNT IN ME) Recte legit: ὅτι μεμνήσονται, non ut nunc in Græcis scribitur, ἐὰν μεμνήσωνται. Et vias intellige, eventus malorum facinorum.

V. 34. ET DOMINABVNTVR EIS) Mellius in aliis codicibus Latinis *ejus*: nam in Græco est κυριεύσουσιν αὐτῶν, nempe τῆς γῆς.

ET MULTIPLICABO EOS, ET NON MINORABVNTVR) Desumpta hæc ex Jerem. XXIX. 6.

V. 35. ET STATVAM ILLIS TESTAMENTVM ALTERVM SEMPITERNUM) Hæc sunt ex Jeremia XXXI. 32. & sequentibus.

ET NON MOVEBO AMPLIUS POPVLVM MEUM FILIOS ISRAEL A TERRA QVAM DEDI ILLIS) Manſit hoc illis usque ad Messiam: manſisset & postea, si Messiam recepissent: quæ conditio alibi exprimitur, alibi subintelligenda est.

## CAPUT III.

*Continuatur imploratio divinæ gratiæ, & docetur, interitus causam esse sapientiæ divinæ neglectum.*

Vers. 1. SPIRITVS ANXIVS) πνεῦμα ἀκηδίας. Sumitur his Scriptoribus ἀκηδία pro torpore mœsto Psal. CXIX. 28. & LXI. 3.

V. 2. PECCAVIMVS ANTE TE) In conspectu tuo.

V. 3. ET NOS TERIBIMVS IN ÆVUM) ἡμεῖς ἀπολούμεθα τὸν αἰῶνα. *Nos vitam amittimus*, Non eam perpetuam habemus, ut tu.

NOn amplius ad pietatis officia, in hoc seculo, redituri.

V. 4. AUDI NUNC ORATIONEM MORTVORVM ISRAEL) Mortuos vocat eos qui in captivitatem abducti erant, ut apparet infra vers. 7. nimirum quod similes essent membris a corpore suo abscisis, nihil ultra succi aut vitæ habentibus.

Cur vero *mortuos civiliter* intelligamus potius quam *naturaliter mortuos*, imprimis quia nulspiam *isto* sensu mortui in S. literis, quod constet, dicuntur, nec temere à literali & consueta significatione discedendum. Est igitur hic aliquid superstitionis non probandæ, ut antea diximus. Unde videmus *Pontificios* orationes Abrahæ, Isaac, Jacob & similium hic recurrere, quos vero parum juvat hæc auctoritas, quia liber est Apocryphus. *Cornel. à Lapide* mortuos *in limbo Patrum* intelligit, orantes pro suorum libertate. *Maldonatus* tamen per *mortuos* intelligit *afflictos*, *qui nihil à mortuis differre videbantur*.

ET AGGLVTINATA SVNT NOBIS MALA) Et hic est pro *propter quod*. Vocem ἐκολλήθησαν habuimus & supra I. 20.

V. 5. SED MEMENTO MANVS TVÆ) Potentiæ sæpe demonstratæ.

V. 7. PROPTER HOC DEDISTI TIMOREM IN CORDIBVS NOSTRIS) Nempe per immissa nobis mala.

ET LAVDAMVS IN CAPTIVITATE NOSTRA) Etiam in captivitate nostra, quanto magis id facturi ubi libertatem reddideris.

V. 8. IN IMPROPERIVM, ET IN MALEDICTVM, ET IN PECCATVM) In Græco: εἰς ὀνειδισμόν, καὶ εἰς ἄραν καὶ εἰς ἁμαρτίαν. Priora duo habes supra I. 20. II. 4. sed ἀμαρτία significat res alienum, quod inter ea est, quæ lex comminatur, Deuter. XXVIII. 44.

V. 9. UT SCIAT PRVDENTIAM) Nempe eam, per quam Deus habetur propitius.

V. 11. INVETERASTI IN TERRA ALIENA) Senescitis ante diem.

COINQVINATVS ES CUM MORTVIS) Quia inter alia multa ministeria etiam mortuorum Chaldæorum cadavera pollincire cogebantur.

*Cornel. à Lap.* hæc ita reddit: COINQUINATUS ES CUM MORTUIS, q. d. in Babylone versaris velut in sepulchro, quasi cum mortuis jam esses mortuus, ita sordes, ita iquales. Qui sensus è sequentibus luculentus est.

DEPVTATVS ES CVM DESCENDENTIBUS IN INFERNVM) Non pluris habitus quam sepulti. Locutio sumpta de Psalmo XXVIII. 1.

Vers. 12. DERELIQUISTI FONTEM SAPIENTIÆ) Legem Dei: quæ & via jam dicetur.

Vers. 14. UBI SIT LONGITURNITAS VITÆ) Quomodo parari possit.

UBI SIT LUMEN OCULORUM) Id est, res prosperæ; sicut calamitas cæcitas vocatur. Vide supra I. 8.

V. 16. UBI SVNT PRINCIPES GENTIVM) Ostendit alia imperia facile mutari, cum Israelitarum semper manserit, quamdiu legis orbitam sectabatur.

ET QUI DOMINANTVR SVPER BESTIAS) Qui venatu magnam partem ævi terunt, quod Parthorum reges facere solitos ex Tacito dicimus.

V. 17. QVI IN AVIBUS COELI LVDVNT) Aucupiis indulgent; quod alterum principalis otij solet esse oblectamentum.

V. 18. ET NON EST FINIS ACQVISITIONIS IPSORVM) Nullum finem fecere opes congerendi.

Πλοῦτος δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται.

QVI ARGENTUM FABRICANT, In nummos cudunt.

NEC EST INVENTIO OPERVM ILLORVM) Vidimus sæpe ingentè vim pecuniæ prædâ factâ hostibus.

V. 19. ET ALII LOCO EORVM SVRREXERVNT) Translata ad alios sunt regna. ἑτέρους, quod sequitur, videtur ad hunc sensum pertinere, ut significet non juniores, sed novos reges illis successisse.

V. 20. VIDERVNT LVMEN) Fuere aliquandiu in rebus prosperis.

VIAM AVTEM DISCIPLINÆ IGNORAVERVNT) Vitæ Deo placentis.

V. 22. NON EST AVDITA IN TERRA CANAAN) Multa invenere Phœnices:

*Phœnices primi, famæ si creditur, ausi*
*Mansuram rudibus vocem signare figuris.*

Navigandi ars eisdem repertoribus ascribitur. Illam autem vivendi disciplinam non repererunt.

NEQVE VISA EST IN THEMAN) Quæ pars Idumææ magos semper infignes habuit. Vide Jer. XLIX. 7. Vide & ea quæ dicta ad Matth. II. 1.

V. 23. FILII QVOQVE AGAR QVI EXQVIRVNT PRVDENTIAM QVÆ DE TERRA EST) Ismaelitæ periti aromatū rerumq; similiū. Gen. XXXVII. 25.

NEGOTIATORES MERRÆ) Est Maara Sidoniorum Josue XIII. 4. & Stephano Marnan, addito ן paragogico; quod frequens Phœnicibus.

ET THEMAN) Themanem bis nominat, quia & sapientes ibi multi, & multi mercatores.

ET FABVLATORES) οἱ μυθολόγοι. Arabas olim fuisse egregios artifices fabularum utilium, quales sunt ex quibus Phryx Æsopus nomen consecutus est, ex iis quæ Erpennius edidit apparet. Sunt & genus μυθῶν eæ quæ dicuntur παροιμίαι.

ET EXQVISITORES PRVDENTIÆ ET INTELLIGENTIÆ) Duobus vocibus expressit Græcum unum, τῆς συνέσεως. Prudentiæ ejus quæ homines hominibus gratos aut utiles reddit, præcepta noverant: quæ homines Deo, non norant.

V. 24. O ISRAEL, QVAM MAGNA EST DOMVS DEI) Universum hoc, cujus imaginem gerebat Templum Hierosolymitarum.

Hoc nomine etiam apud Ethnicos *mundus* nuncupatus est, uti Diogenes referente Plutarch. libr. de Tranquill. anim. *mundus*, inquit, *est fanum quoddam sanctissimum & Deo dignum.*

V. 26. IBI EVERANT GIGANTES) In hac ipsa Dei domo. Intellige illos Noæ coævos: ut Sap. XIV. 6. ubi additur ἀρχῆς, ut hic ἀπαρχῆς. eidem ἀρχαῖοι γίγαντες Sir. XVI. 8.

V. 27. NON HOS ELEGIT DOMINVS) Sed Noam cum familia sua.

Vers. 29. QUIS ASCENDIT IN COELVM, ET ACCEPIT EAM) *Ut eam* (sapientiam) *acciperet*. Suntum de Mose Deuteron. XXX. 14.

Vers. 30. QUIS TRANSFRETAVIT MARE) τίς διεπέρασεν εἰς τὸν θάλασσαν. Paulus Rom. X. 7.

ET ATTULIT ILLAM SVPER AVRUM ELECTVM) καὶ ἤνεγκεν αὐτὴν χρυσίῳ ἐκλεκτῷ, *Ut comparet eam auro optimo.*

Vers. 31. NON EST QVI POSSIT SCIRE VIAS EJUS, NEQVE QVI EXQVIRAT SEMITAM EJUS) Idem significat quod Plato, de Deo nihil certi haberi, nisi Deo ipso se patefaciente: quod fecit Israelitis.

Vers. 32. QVI PRÆPARAVIT TERRAM) *Fabricavit* κατεσκεύασεν, ut Sap. IX. 2. בָּרָא, per κατασκευάζειν vertitur Esa XL. 28. XLIII. 7.

IN ÆTERNO TEMPORE) εἰς αἰῶνα χρόνου, id est, ut semper duret.

Vers. 33. QVI EMITTIT LUMEN ET VADIT) Hebraif-

Hebraismus, pro, *quo mittente tux procedit.* Vide Job. XXXVI. 30.

ET VOCAVIT ILLUD, ET OBEDIT IN TIMORE) *Vocanti illico paret.*

Vers. 34. STELLÆ AUTEM DEDERUNT LUMEN IN CUSTODIIS SUIS) *In stationibus quasque suis,* Idem loquendi genus Sirach. XLIII. 12.

Vers. 35. VACATÆ SUNT, ET DIXERUNT, ADSUMUS) Sumtum de Psalmo CXXVII. 3.

ET LUXERUNT EI CUM JUCUNDITATE QUI FECIT ILLOS) *Et* id est, ejus jussu;

Vers. 36. HIC EST DEUS NOSTER) Qui ab Israelitico populo colitur.

ET NON ÆSTIMABITUR ALIUS ADVERSUS EUM) *Nemo ei comparandus est.*

Vers. 38. POST HÆC IN TERRA VISUS EST ET CUM HOMINIBUS CONVERSATUS EST) Hoc est ex illis quæ dixi a Christiano aliquo exscriptore addita.

Addita hæc esse à Christiano exscriptore aliquo τοῖς αὐτοῖς φθόνοις acceptabunt *Photiniani.* Nam frequenter uiurparunt hanc sententiam Catholici Doctores de Filio Dei, vero Deo, ejusque in terra apparitione, & cum hominibus conversatione. Quum vero hoc testimonio tam crebro utantur Patres, idque Scripturæ Divinæ consentaneum censeant, atque eo nomine etiam nomine *Scripturæ* allegare soleant, unde Papistæ perperam argumentum petunt autoritatis Canonicæ hujus scripti, (vid. *Bellarm.* l. 1. de V. D. c. 8. allegans *Athanasium, Cyrill. Clem. Alex. Greg. Nyssen. Eus. Ambr.*) monendum, non quidem ad *fidei Catholicæ* veritatem demonstrandam, ad *consensum* tamen *Ecclesiæ* veteris cum Orthodoxia Catholica confirmandum hoc dictum facere, cui temere derogat *Grotius*, nullo prorsus documento τῆς νεοθεσίας adducto, & sive de Deo in terris viso, sive de sapientia hypostatica id explicetur, tamen usui alicui esse ob consensum veteris Ecclesiæ judaicæ. *Irimus* ad hunc versum ita habet: POST HÆC, id est, *post datam legem per Mosen in monte Sinai, post explicatam viam salutis per ora Prophetas ipsemet Deus in* TERRIS VISUS EST, *nempe cum Dei Filius, qui est ipsa divina sapientia carnem humanam induit,* ET CUM HOMINIBUS in terra per 34. annos CONVERSATUS EST. *Ita Tertullianus c. Prax. c.* VI. *Cyprianus* l. II. *c. Ind. c.* 5. *Chrysost. homil.* II. *in Matth. Athanas. quæst.* XXXVI. *ad Antioch. Euseb.* l. VI. *Demonstr. c.* 19. *Hilarius* l. V. *de Trin. Nazianz. orat.* IV. *de Theol. Ambros.* l. I. *de Fide c.* 2. *August.* l. XIIX. *de Civ. Dei c.* 33. *Basil.* l. IV. *c. Eunom. Cyrill. Alex.* l. X. *contr. Julian. Bernhard. serm.* XIII. *in Cantic. Ebr.* De *Sapientia tamen* non *hypostatica sed in verbo Dei revelata* nonnulli intelligunt, etiam *D. Osiand.* &c.

## *PARS SECUNDA LIBRI CONSOLATORIA.*

## CAPUT IV.

*Commendata sapientia verbi Dei consolatur populum Dei, quod Dominus Ecclesiam liberaturus sit.*

Vers. 1. HIC LIBER MANDATORUM DEI) Id est Sapientia illa, quam omni sapientiæ pretulit, continetur in libro legis,

QUÆ EST IN ÆTERNUM) Usque ad Messiam auctorem novi fœdi.

CONfundit autor sapientiam *hypostaticam*, si de illa, ut Patres communiter volunt in antecedentibus egit, cum *libro scripturæ* divinæ, vel verbo Dei spectato formaliter. Neque Grotio accedendum: qui *legis divinæ V. T.* h. e. *Scripturæ Prophetica* sapientiam tantum *usque ad tempora N. T. pertinere* ait; siquidem ea perpetua sit neque à Christo abrogari debuerit, imo nos per fidem in Christum instruere possit ad salutem æternam 2. *Tim.* III. 15. *Conf.* 2. *Petr.* I. 18. *seqq.*

V. Eod. QUI TENENT EAM PERVENIENT AD VITAM) Addidit *pervenient*, quod subauditur in Græco. Vitam intelligit felicem, in lege promissam.

IN MORTEM VIOLENTAM) Vel immaturam.

Non de vita, vel morte *temporali*, sed *æterna* agitur. Nam & credentibus ac piis vitam æternam promissam, & impiis, atque infidelibus mortem æternam indictam esse in Scriptura Prophetica, non temporalem tantum, sæpius contra *Pelagianizantem Grotium* & monuimus, & probavimus.

V. 2. CONVERTERE JACOB) Ad legem illam.

AD SPLENDOREM EJUS CONTRA LUMEN EJUS) Ubi via ab ejus luce lucere.

V. 3. NE TRADAS ALTERI GLORIAM TUAM) Ne patere ab aliis gentibus laudem pietatis tibi præripi.

V. 4. QUIA QUÆ DEO PLACENT MANIFESTA SUNT NOBIS) Respicitur locus Deuteron. IV. 7.

V. 5. ANIMÆQUIOR ESTO) *Bonum habe animum. Θάρρει.* Sic & infra 21.

POPULUS DEI) *Mi populi*, in Græco,

MEMORABILIS ISRAEL) μεμνημένοι Ἰσραὴλ. Vos pauci, per quos memoria nominis Israelitici conservatur.

Vers. 6. VENUNDATI ESTIS GENTIBUS) Traditi, quomodo traditres emptæ solent, Sic Esai. L. 1. LII. 3.

NON IN PERDITIONEM) Non ut plane gens intereat,

V. 7. IMMOLANTES DÆMONIIS) Id est, idolis, quorum nominibus utebantur mali dæmones. I. Cor. X. 20.

V. 9. ET CONTRISTASTIS NUTRICEM VESTRAM JERUSALEM) Magnorum malorum causa fuistis patriæ urbi, quæ hic per μεταφοράν loquens introducitur.

AUDITE CONFINES (SION) Vos urbes circa Hierosolyma. Sic & infra 24.

V. 10. CAPTIVITATEM POPULI MEI) Illorum qui abducti cum Jechonia.

V. 12. ET DESOLATAM A MULTIS) Nempe civibus. Sic distinguuntur hæc verba in Græco,

V. 14 VENIANT CONFINES SION, ET MEMORENTUR) In Græco a tertia persona transitur ad secundam, μνήσθητε, id est, *expendite animis.* Usurpatur enim & de rebus præsentibus, ut Sirach. VII. 38. & alibi,

Vers. 15. GENTEM IMPROBAM) *Impudentem*; ex Deuter. XXVIII. 50.

ET ALTERIUS LINGUÆ) Psalm. LXXXI. 6. CXIV. 1. EO. XXVIII. 11.

V. 16. QUI NON SUNT REVERITI SENEM, NEQUE PUERORUM MISERTI SUNT) Ex Deuter. XXVIII. 50. Sam. IV. 16. V. 12. Ezech. IX. 6.

[ET ABDIXERUNT DILECTOS VIDUÆ] Jerem. XV. 8.

ET A FILIIS UNIGAM DESOLAVERUNT) *Ex filiabus orbarunt solitariam:* id est, eam quæ illis abdua cris sola relinqueba tur.

*Sola Hierosolyma:* Desolata ergo etiam tum jam illa erat. Iterum non constat sibi Grotiana interpretatio, quod hæc *ante excidium* scripta.

V. 17. EGO AUTEM QUID POSSUM ADJUVARE VOS) Oratio valde πάθητικη, & ob quam vel solam dignus fuit hic liber qui servaretur.

Vers. 19. AMBULATE FILII AMBULATE) I te, ite in oras exteras.

V. 20. EXIII ME STOLA PACIS) Veste temporis prosperi.

V. 22. A SANCTO) Eximie hoc nomen Deo tribuitur: ut Sirach XLVIII. 23. sic & infra 37.

QUÆ VENIET VOBIS AB ÆTERNO SALUTARI NOSTRO) Id est, ab ipso, Mos Hebræis nomina ponendi pro pronominibus. Vide & infra 37.

V. 24. VIDEBIS PERDITIONEM IPSIUS) Gentis Chaldaicæ per Cyrum. Vide & infra 31.

Vers. 26. DELICATI MEI AMBULAVERUNT VIAS ASPERAS) Id est, qui ante delicate educati fuerant. Vide Deuter. XVIII. 54. 56. Esai. XLVII. 1. 8. ubi eadem quæ hic vox Græca.

V. 27. ERIT ENIM MEMORIA VESTRA AB EO QUI DUXIT VOS) *Erit vestri memoria apud eum qui hæc vobis induxit, ἀναγων*, & inde ἀναγωγὴ, voces frequentes in malorum deletione. Sic & infra 29.

V. 29. SEMPITERNA JUCUNDITATE) Duturnam.

Vers. 30. EXHORTATUR ENIM TE QUI TE NOMINAVIT) *Consolabitur te qui nomen tibi dedit.* Vide supra II. 15.

Vers. 31. NOCENTES PERIBUNT QUI TE VEXAVERUNT) In Græco: *Miseri* (nempe erunt) *qui te vexaverunt.* Idem adjectivum bis positum in Græco repetitur, pro quo Latinus posuit, *punientur.*

ET

ET QVÆ ACCEPIT FILIOS TVOS) Babylon, quo primum advecti: distributi deinde in alia loca.

Vers. 34. ET AMPVTABITVR EXSULTATIO MULTITUDINIS EJVS) Auferam (ei) exsultationem de populi frequentia.

ET GAUDIMONIUM EJVS ERIT IN LUCTUM) ἀγαγοίσκω αὐτὸν, ἱλαστὸν ὄντα.

Vers. 35. IGNIS ENIM SUPERVENIET EI) Dei ira, quæ sub iguis nomine describitur. Deuteron. XII. 24. & apud Prophetas sæpe.

Nonnulli *de igne proprie* intelligunt: quia sc. Babyloni Persæ ignem injecerunt *Es.* XIII. 19. *Ier.* L. 39.

ET HABITABITUR A DÆMONIIS) Sectius est hic scriptor Græcam versionem, quæ est Esa. XIII. 21.

Vers. 37. VENIUNT COLLECTI AB ORIENTE) Babylonicuri & Persicum postea Imperium Judææ partim ad Septentrionem, partim ad Orientem.

## CAPUT V.

*Pergit Baruch Ecclesiam Dei in Babylone consolari, & cum gloria redituram in terram sanctam promittit.*

Vers. 1.

INDUE TE DECORE ET HONORE) Lætis vestibus, de quibus supra IV. 20.

Vers. 2. DIPLOIDE JUSTITIÆ) Ex Joh. XXIX. 14. Διπλόϊδες in his libris vestes fuisse partæ pellibus, aut re alia. Respondet plerumque Hebræo מְעִיר, quæ vestis Regum & Prophetarum. Justitia ita ornabit urbem, ut matronas diplois.

ET IMPONET MITRAM CAPITI HONORIS ÆTERNI) Bona fama erit pro mitra, quo matronarum capita ornabantur. Ezech. XXVI. 16. in Græco Judith. XVI. 6.

Vers. 4. PAX JUSTITLÆ) Quia pax Justitiam sequitur. Psal. LXXXV. 11.

ET HONOR PIETATIS) Pietatem sequitur bona fama. Nomina hæc significant elogia, quæ merito ei dari poterant. Sic & Esa. I. 26. LXI. 3.

I. e. *celebraberis in omnem æternitatem*, ut *Osiander* habet, *quod sit urbs, in qua sit pax, justitia, & vera pietas. (Vera enim Ecclesiæ splendor & ornatus non consistit in externa potentia, divitiis, dignitatibus mundanis: sed in eo, quod vera Ecclesia habet pacem conscientiæ per fidem in Messiam, quod fide justificata, etiam justa facit, quod veræ pietati ex animo studet. Hunc ornatum ostendat nobis Pontificia Ecclesia, & Christi Ecclesiam ipsam esse credemus.*

Vers. 5. ET CIRCUMSPICE) Repetitum ex iis quæ supra IV. 36.

GAUDENTES DEI MEMORIA) Deum commemorando.

Vers. 6. EXIERVNT ENIM ABS TE PEDIBVS DUCTI AB INIMICIS) *Acti, ut pedibus irent.*

PORTATOS IN HONORE SICUT FILIOS REGNI) In carrucis & lectis, quomodo vectari solent viri è regio genere. Idem sensus Isaiæ XLIX. 22.

Vers. 7. CONSTITVIT ENIM DEUS HUMILIARE OMNEM MONTEM EXCELSUM, ET RVPES PERENNES ET CONVALLES REPLERE IN ÆQVALITATEM TERRÆ) Esaiæ XL. 3. Vide quæ dicta ad Luc. III. 4.

UT AMBULET ISRAEL DILIGENTER) ἀσφαλῶς, *secure.*

Vers. 8. OBUMBRAVERUNT AUTEM ET SILVÆ) Legit ἰσκίασαν, pro quo nos habemus ἐσκίασαν, *subsultarunt*: ut solet fieri curribus præter vehentibus. Ex Psal. XCVI. 12.

Alludi ad *columnam ignis*, quæ per noctem Judæos ex Ægypto redeuntes præcedebat Ex. XIII. 21. alij censent; ut lumen majestatis vocetur non lumen naturale, sed divina virtute factum, ut ex eo divina gloria, & majestas appareat.

Vers. 9. ADDUCET ENIM DEVS ISRAEL) In Græco: *Ducetur autem populus Israel.*

CUM MISERICORDIA ET JUSTITIA QVÆ EX IPSO EST) Per Dei misericordiam ac bonitatem talia procurantem.

Id est, *Osiandro* exponente, *Deus Israelitas reducet jam cum gaudio & majestate, per misericordiam & justitiam. (Misericordia enim sua complectitur Deus populum suum: Justitia sua ulciscitur hostium malitiam, qua Ecclesiæ Dei molesti fuerunt. Cum igitur tristitia & afflictionibus obruimur, bene speremus, & tempus expectemus, quo Dominus nos recreabit & exhilarabit. Dominus enim mortificat & vivificat: deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat & sublevat. 1 Sam. 2.)*

## CAPUT VI.

*EPISTOLA IEREMIÆ ADSCRIPTA.*

*In qua graviter monentur Israelitæ, ne in Babylone idola colant; ac luculenter docetur, statuas & imagines, quæ ad cultum divinum prostant, nihil habere dignitatis. Cultoresque imaginum omnium mortalium esse stolidissimos.*

Vers. 1. EXEMPLAR EPISTOLÆ) Deest in Græcis exemplaribus quibusdam. Credam esse alterius scriptoris, conjunctum prioribus ob argumenti affinitatem. Differt tamen argumentum tempore. Nam illa ad deportationem Jechoniæ: hæc ad illam quæ sub Sedecia, urbe & templo exustis, contigit, pertinent. Eamque causam esse suspicor, cur quæ notavimus ante, ad illa Baruchi nomen præferentia sint adscripta.

AD ABDUCENDOS CAPTIVOS) Nempe cum essent Reblathæ II. Regum XXV. 20.

Alij ad *abducios* malunt cum *Hugone*, & *Lyrano*. Putat *Lyr.* & *Dionys.* scriptam fuisse hanc Epistolam antequam abducerentur, sed missam postquam essent abducti. *Hugo* tamen scriptam eam ad Judæos putat, dum in itinere essent, quo tempore partim abducti erant, partim abducendi.

V. 2. USQUE AD GENERATIONES SEPTEM) Vox γενεὰ apud Græcos varias habet significationes. Sumitur enim pro vita hominis, pro XXX. annis, pro XXV. pro XX. annis, ut notat Hesychius: pro septem annis apud medicos. Hic vero pro decem annis sumi manifestum est, quod quia exemplo caret, suspicari aliquis possit olim scriptum fuisse: ἐως δεκάδων ἑπτὰ.

Ex eo autem satis patet *Ebrao idiomate* librum scriptum non esse. Quanquam nec Græco sermoni hæc significatio usitata sit, unde ad σφάλμα se recipit Grotius.

V. 3. DEOS AUREOS ET ARGENTEOS) Simulachra Deos vocat, quia nihil in re erat præter simulachra.

IN HUMERIS PORTARI) ἐν ὤμοις, ait Euripides in Taurica Iphigenia de Diana Taurica.

V. 5. ADORANTES) προσκυνοῦντας, id est, procumbentes ritu supplice.

TE OPORTET ADORARI DOMINE) Ideo enim Judæis veritum ullum imaginis signum apud simulachra exhibere, ne tali gestu foveretur falsa opinio, de numine aliquo in simulachris latente.

V. 6. ANGELUS ENIM MEUS VOBISCUM EST) Inspector eorum quæ facitis: ἐφορῶν, ut ait Philo.

*Angelum increatum* alii intelligunt: Ita Osiander, Filius meus unigenitus, quem aliquando in mundum missurus sum, ut salutis vestræ causa incarnetur, vobiscum est. IPSE AUTEM EXQUIRAM, rectius, *Exquiret* animas vestras. Quod certe non est Angeli creati.

IPSE AVTEM EXQVIRAM ANIMAS VESTRAS) *Ipse exequiret animas vestras*: id est, vindicabit mortem vestram. Idem loquendi genus II. Sam. IV. 11. Exod. XVIII. 20. XXXIII. 8. & Gen. IX. 5. XLVI. 22.

V. 7. FALSA SVNT, ET NON POSSUNT LOQVI) Simile habes Psal. CXXXV. 15. & Sap. XIII. & 14.

Vers. 8. ITA ACCEPTO AVRO FABRICATI SUNT. CORONAS CERTE AVREAS HABENT SVPER CAPITA SVA) Hæc cohærent in Græco: *Fabricarunt coronas aureas super capita deorum suorum.* Plautus: *At ego ie sacram coronam furripuisse Jovi scio.*

Vers. 9. UNDE SUBTRAHUNT SACERDOTES AB EIS AURUM) In Græco additur *interdum.*

Vers. 10. DANT AVTEM ET EX IPSO PROSTITUTIS, ET MERETRICES ORNANT, ET ITERUM CVM RECEPERINT ILLVD A MERETRICIBVS ORNANT DEOS SVOS) In Græco est aliter: *Dant etiam de illis* (auro fulicet & argento) *etiam iis qua sub eodem tecto sunt meretricibus, ipsos autem argenteos & aureos, & ligneos, quasi essent homines, ornant vestibus.* Vers. 1.

Vers. 11. HI AVTEM NON LIBERANTVR A RVBIGINE ET TINEA) Arnobius libro VI. *Ita enim non videtis spirantia hæc signa, quorum plantas & genua contingitis, & contrectatu orantes, modo cæsiem stillicidiorum labi, putredinem modo carie relaxari, ut nidoribus atque fumo suffita ac deformitate nigrescant, quemadmodum facile longiori incuria perdant sive speciem, (ita legendum, non sensu simili) & rubigine convulneretur exesa. Ita, inquam, non videtis sub ipsorum simulachrorum vobis stelliones, soricis, mures, blattasque lucifugas nidamenta ponere, atque habitare?*

Vers. 12. OPERTIS AVTEM ILLIS VESTE PVRPVREA) Solebant enim dij ad eorum habitum, qui inter homines splendidissimus, effingi.

Vers. 13. SCEPTRVM AVTEM HABET VT HOMO, SICVT IVDEX REGIONIS) *Ut homo provinciam regens.* Sic Achilles sceptrum habet apud Homerum. Pari modo apud Græcos Jupiter cum sceptro fingebatur.

QVI IN SE PECCANTEM NON INTERFICIT) In Græco: ὃς οὐκ ἐᾷ, id est interficere nequeat.

V. 14. HABET ETIAM IN MANV GLADIVM ET SECVRIM) Quomodo fingi solebant bellorum dij. Securis multis gentibus in usu belli.

SE AVTEM DE BELLO ET LATRONIBVS NON LIBERAT) Simulacra bello capta testantur historiæ, sæpe & latronibus & piratis in prædam cessere. Vide quod infra 20. adferemus.

UNDE VOBIS NOTVM SIT QVIA NON SVNT DII) Nam Deus יהוה a potentia dicitur.

Vers. 15. OCVLI EORVM PLENI SVNT PVLVERE) Vide supra 12.

Vers. 17. ET SICVT ALICVI QVI REGEM OFFENDIT, CIRCVMSEPTÆ SVNT IANVÆ, AVT SICVT AD SEPVLCHRVM ADDVCTVM MORTVVM) In Græco: *Ac sicut ei qui in regem peccavit, & ob id ad mortem ductus*, (id est, ducendus est) *circumsepta sunt atria.* Ait Suidas Atticis ipsum locum ubi supplicium sumebatur, dictum αὐλάς.

ITA TVTANTVR SACERDOTES OSTIA CLAVSVRIS ET SERIS) *Ita ædes* sacras *sacerdotes muniunt foribus & claustris & vectibus*, Euripides in descriptione Templi Tauri:

*Ἡ χαλκέοντα κλῆθρα δόντες πυγόλοι;*

Vers. 18. LVCERNAS ACCENDVNT ILLIS) Lactantius VI. 2. *Nunne igitur mentis suæ compos putandus est qui auctori & datori lumen candelarum ac cerarum lumen offert pro munere?*

ET QVIDEM MVLTAS) In Græco: *Etiam plures quam ipsimet ipsi.*

SVNT AVTEM SICVT TRABES IN DOMO) Non plus vident, quam trabs.

Vers. 19. CORDA VERO EORVM DICVNT ELINGERE SERPENTES QVI DE TERRA SVNT) Per cor intelligit receptus simulachrorum. Pro *serpentes* in Græco est ἑρπετὰ, repentia, quo vocabulo recte vermes intelligas.

ET VESTIMENTVM IPSORVM, ET NON SENTIVNT) Legit recte in Græco: περὶ τῶν ἱματισμῶν αὐτῶν τῶν ἐπιθανόντων: in nostris codicibus περὶ illud alterum desideratur.

Vers. 20. NIGRÆ FIVNT FACIES EORVM A FVMO QVI IN DOMO FIT) Nidoribus nigrescunt: ut Arnobium dicentem modo audivimus.

Vers. 21. VOLANT NOCTVÆ ET HIRVNDINES) Varro in Menippeis: *Apollo à piratis maritimisque prædonibus spoliatus ita est, ut ex tot auri ponderibus, quæ instituta congesserant sæcula, nec unum quidem habuerit scriptitum, quod his undique hostilis ostenderet.*

ET CATTÆ) αἴλουρος, in Græco: Eos Cattas vocant gentes è germanis oriundæ. Evagrius: ὁ δὲ ἴδιος αἴλουρος ἔνιοι δὲ κάτταν ἢ συνήθειαν λέγει.

Vers. 23 AVRVM ETIAM QVOD HABENT AD SPECIEM EST. NISI ALIQVIS EXTORSERIT ÆRUGINEM, NON FULGEBUNT) In Græco cohærent hæc hoc modo: *Quod nisi quis ab auro, quod illis additum est ornatui, virus abtulerit, non fulgebunt dii illi.*

NEQVE ENIM DVM CONFLARENTVR SENTIEBANT) Unde ergo sensum accepissent, cum ab artifice eum non habuerint?

Vers. 24. IN QVIBVS SPIRITVS NON EST IPSIS) *Ipsis* hic abundat, nec est in Græco:

Vers. 25. IN HVMERIS PORTANTVR) Ut supra 3.

OSTENTANTES IGNOBILITATEM SVAM) ἄτιμίαν, vilitatem. Vilior enim ea quæ se movere non possunt: iis quæ semet movent.

Vers. 26. NEQVE SI QVIS EVM STATVERIT RECTVM PER SEMET IPSVM STABIT) Imo gomphis sustentantur, Esai. XLI. 7.

SED SICVT MORTVIS MVNERA EORVM ILLIS APPONENTVR) Id est, ipsi ea accipere non magis valent, quam mortui.

Vers. 27. HOSTIAS AVTEM ILLORVM VENDVNT SACERDOTES IPSORVM, ET ABVTVNTVR) Nempe ad res turpes.

SIMILITER ET MVLIERES EORVM DECERPENTES) σαπροτύπτοι, *salte condientes* ea quæ subito adsumere non possunt.

NEQVE INFIRMO NEQVE MENDICANTI ALIQVID IMPERTIVNT) Neque pauperi neque infirmo. Nam πτωχὸς in his libris quemvis egenum significat. Opponitur hoc præcepto Hebræis dato Deuteron, XIV. 28.

Vers. 28.

DE SACRIFICIIS EORVM FOETÆ ET MENSTRVATÆ CONTINGVNT) Fœtas hic intellige eas quæ recentes à partu sunt, quomodo apud Virgilium:

*Fecerat & viridis fœtam Mavortis in antro*
*Procubuisse lupam.*

Ubi Servius, *fœtam quæ peperit & nutrire posset.* Hinc corrige Græcum, & ubi habemus; κατακλιμένοι ἐκ λόχῳ ἄκτινου, scribe λοχῷ, id enim puerperam significat. Apud Hebræos fœminæ quæ purgantur, aut mensis recurrit (quæ dicuntur ἀποκαθήμεναι, ut Levit. XV. 32. XX. 18. Sam. I. 18. Esai. LXIV. 6. Ezech. XXII. 10 XXXVI. 17. aut etiam ἀφέδρου ut Levit. XII. 2. XV. 19. 20. 24. 25. Ezech. XVIII. 6. quia mos erat ut seorsim fœderent, ne propinquitate nocerent aliis.) Aut ex partu, Templo arcebantur, apud Babylonios vero tales fœminæ & templum accedebant, & edebant de victimis.

Vers. 29.

UNDE ENIM VOCANTVR DII) Qua enim de causa dii vocarentur?

QVIA MVLIERES APPONVNT DIIS) An quia mulieres illis diis apponunt, πάντα scilicet.

Vers. 30.

ET IN DOMIBVS EORVM) Ita vocat quæ ipsi templa.

SACERDOTES SEDENT HABENTES TVNICAS SCISSAS) Nimirum quia qui è Babylonis (ut & ab Ægyptiis) dii dicebantur, revera erant homines mortui, ideo eorum sacerdotes omnia præferebant signa luctus, inter quæ & vestem findere, quod propterea sacerdotibus Hebræis in luctu interdictum, quo longius ab idololatrarum moribus dissiderent. Levit. XXI. 10.

ET CAPITA ET BARBAM RASAM) Et hoc lugentium: sed quia ab idololatris in templis usurpatur, vetitum in luctu sacerdotibus Hebræis Levit. XXI. 5.

QVORVM CAPITA NVDA SVNT) Sine tegmine. Hoc quoque lugentium, ut apparet Levit. X. 6. & Hebræis sacerdotibus pari de causa in luctu vetitum Levit. XXI. 10. Luctum cum dico, vocem eam proprie sumo, id est, ob mortem alicujus.

Vers. 31.

RVGIVNT AVTEM CLAMANTES CONTRA DEOS SVOS) Apud deos suos miserabile clamant; nempe ob eandem, quam dixi causam. Ad Ægyptum, Lucanus:

*Et quem tu plangens hominem testaris Osirim,*

Vide I. Regum XVIII. 28.

SICVT IN COENA MORTVI) ὅπερ τοῖς ἐν περιδείπνῳ νεκροῖς. *Sicut in silicernio fieri solet.* De quo vide Festum & Nonium. Græcam quæ hic est vocem περιδείπνα usurpat & explicat Hieronymus ad XVI. Jeremiæ.

*Gentiles*, inquit *Joh. Conr. Dieteric.* in Antiqu. Bibl. p. 641. *Solebant cibum potumque mortuorum tumulis apponere sive infere potius, additio insolenti clamore, unde* inferiæ *dicebantur res, quæ inferebantur sepulchro, Græcis χοαὶ dictæ à fundendo, de quibus præ aliis Euripidem vide in Oreste v. 112. seq. Ab exequiis manibus deoblatum convivium funebre, & apparatum parentale. Apud Nasamonas, Africæ populum, non nisi Manium cultus obtinebant. De iis ita Tertullianus* de anima c. 57. p. 361. Nasamonas propria oracula apud Parentum sepulchra mansitando captare Heraclides (*Ponticus*) scribit, vel Nymphodorus (*Amphibolites, qui de legibus & ritibus barbaricis scripsit, teste Clem. Admon. ad gent. & 1. στρωμ.*) vel Herodotus. *Herodoti locus est in Melpomene. Græci illud περιδείπνιον vocant. Varro Meleagris apud Nonium:* Funus exe-

exequiati cum lauſu (laute) ad ſepulchrum antiquo more *Silicernium* confecimus, i. e. περίδειπνον, quo pranſi diſcedentes dicimus alius alius, Vale. *Hier. in c. 16. 4. Jerem. p. 102.* Mœris eſt lugentibus ferre cibum & præparare convivium, quæ Græci περίδειπνα vocant, & à noſtris vulgo appellantur *Parentalia*, eo quod Parentibus juſta celebrentur. Idem in cap. Oſ. 9. p. 32. Lugentium coenas Græci νεκρόδειπνα vocant. Nos *Parentalia* poſſumus dicere, ab eo, quod Parentibus mortuis immolentur. *Etymologus* p. 699. περίδειπνον ἡ ἐπὶ τοῖς ἀποθανοῦσι γινομένη ἑστίασις. *Pollux. 8.* Onom. 7. ἡ ἐπὶ τῷ πένθῃ σύνοδος, περίδειπνον, & hinc verbum περιδειπνέω de funebri epulo poſt Aberi exequias uſurpatum, 2. Sam. 3, 35. *Euſtathius* ad Hom. Il. Ψ. v. 680. *diſtinguit inter epulum, quod in ſepulchro, & quod poſt ſepulturam agitabatur, illudque vocari ait* τάφον, *hoc vero* περίδειπνον. *In hunc ſenſum nonnulli explicant verba Tobiæ* c. 4. 18. Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, ἐπὶ τὸν τάφον τῶν δικαίων. *Illud quoque ex hoc ritu deſumptum Syr.* 30, 19. Bona abſcondita in ore clauſo, ſicut appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro, θέματα βρωμάτων παρακείμενα ἐπὶ τὰ τάφω. *Idem illud Oſeæ* 9. 4. ut panis lugentium, qui *in luctu edebatur. Epulas rogo & tumulo illatas cum alloquio ad defunctos tali: Ἀναπαύ, φάγε, teſtatur Epiphanius*, in Ancorato p. 505. *quem morem adhuc Lithuanos in ſepulchretis obſervare mihi relatum eum apud illos degerem; & idem de Livonis ſcripſit Stuckius* in antiqu. Conviv. p. 75. *De Americanis Lerius* Hiſtor. navig. in Brazil. p. 269. *Barthius* Adverſ. p. 1874. *De Turcis Bart. Georgievitz.* lib. de Turcar. cerem. p. 15. *teſtatur, quod ſepulchra frequentent ſortemque ſuam deſiderent vocatis ad epulas & convivia amicis & propinquis.* Hæc quia forte locum præſentem illuſtrant iubjungere viſum ſuit.

Verſ. 32.

VESTIMENTA EORVM AVFERVNT SACERDOTES) Idolorum. Simile habuimus ſupra 9.

Verſ. 33. NEQVE REGEM CONSTITVERE POSSVNT, NEQVE AVFERRE) Nam ſi talia facere poſſent etiam ſe facturos prædicerent, ut Deus ſe it. Vide hoc argumentum tractatum Eſa. XLI. 23. XLIV. 7. XLVIII. 3.

Verſ. 34. NEQVE HOC REQVIRVNT) Id eſt, vindicant: ut ſupra 6.

Verſ. 36. DE NECESSITATE HOMINEM NON LIBERANT) *In calamitate.* Nam id ſignificat Græcum ἐν ἀνάγκῃ. Vide quæ dicta ad Lucam XXI. 23. Uſurpant ſic & Chaldæi, ſcribuntque אנקתא, ut videre eſt Geneſ. XXII. 14. XXXVIII. 25. Eſther V. 1.

Verſ. 18. LAPIDIBVS DE MONTE SIMILES SVNT) Æque immobiles.

QVI AVTEM COLVNT EA CONFVNDENTVR) Eſa. XLII. 71.

Verſ. 40. ADHVC ENIM IPSIS CHALDÆIS NON HONORANTIBVS EA) *Præſertim cum & ipſi Chaldæi iſta* (idola) *exponant contemtui*: nempe poſtulando ab ipſis ſæpius quæ vident non poſſe præſtari.

AD BEL) Belum, cujus examium remplum Babylone. Meminere Beroſus, Abydenus, Hecatæus, Curtius. Quod Syri Phœnices dicunt בעל, id Babylonii בל, litera extrita. Rex olim fuerat, ſed conſecratus in Solem. Jovem tamen Græci ſæpe interpretantur, quod inter Deos Chaldæorum principatum obtineret, ut apud Græcos ὁ ζεύς.

POSTVLANTES AB EO LOQVI) Vim loquendi muto concedi.

Verſ. 41. ET IPSI CVM INTELLEXERINT RELINQVENT EA) Meliusin Græco: *Et non poſſunt illi* (Chaldæi) *cum hæc videant* (ſimuli ab illis non poſſe corporum vitia) *ea relinquere.* Tantum valebat mala conſuetudo.

SENSVM ENIM NON HABENT IPSI DII ILLORVM) *Senſum enim nec ipſi habent*: nempe qui colunt idola ſenſu communi carent, ex Pſalmo CXV. 7.

Verſ. 42. MVLIERES AVTEM CIRCVMDATÆ FVNIBVS INVIIS SEDENT) De more Babyloniarum mulierum ſe in Veneris, quam Μύλιττα, id eſt, Genitricem vocabant, honorem vulgantium diximus ad Levit. XIX. 29. ex Herodoto & Strabone. Funes illi non ſunt zona virginea. Nam ad omnes mulieres etiam nuptas mos ille peſſimus pertinebat. Neque funes hic ſunt quod χρυσοτειρίες διζῶδαι apud Herodotum. Significat enim eo vocabulo Herodotus vias factas ad rectum lineam. Ea quippe eſt vocis illius ſignificatio, & illæ ipſæ ſunt viæ quarum hic mentio. Sed erant funes illi ſigna διὰ πομπικὰ, (qualia multa frequentabantur apud Orientis populos) ex quibus intelligebatur tales feminas eſſe voti reas. Omnis enim promiſſio vinculum vocatur.

*Menochius* ad h. l. hæc annotat: Alii aliter hunc locum interpretantur: probabilior videtur eorum explicatio, qui ajunt has mulieres funiculo corpus vincire ſolitas, ut ſignificarent ſe Virgines, & Veneris religione & amore captas detineri, hocque ſigno quaſi Veneri ſacras, primo obvio ſui copiam facere, & petere, ut funem ſolvat, & neſaria ſacra Veneri faciat: ſicque incesta copulatione, ceſto ſive zona dirupta matrimonium inibant. Dn. *Dietricus* ita de hoc loco habet: *Antiqua fuit & infamis Babylonis conſuetudo, ut virgines ante matrimonium proſtituerentur; nam publico erat ſanctum edicto, ut qua mulier in matrimonium veniret, quin prius meritoria fuiſſet, venerique tributum corporis ſemel in vita ſolviſſet. Id tradit Herod. Hiſt.* Ὁ δὲ δὴ ἄριστος τῶν νόμων ἐστὶ τοῖς Βαβυλωνίοισι ὁ δὲ δεύτερος γυναῖκα ἐπιχωρίην ἰξομένην ἐς ἱρὸν Ἀφροδίτης ἅπαξ ἐν τῇ ζόῃ μιχθῆναι ἀνδρὶ ξείνῳ. *Neſaria iſta ſacra in proſtituione pudoris, ut audis, ad templum Veneris peragebantur, erantque, quæ ſpurciſſime Deæ initiabantur, unctæ unguentis, nodis quoque corollisque juncis tempora revinctæ, ut lucuienter Hiſtoricus tradit, qui duplex funiculorum genus nominat; alterum quo fœminarum capita redimita; alterum, quibus tentoria facta & extenſa. Antiquitus meretrices ſolebant funiculos ſive loras geſtare in ſinu & ſub veſte, qua in colla injiciebant eorum, quorum ſe amore teneri profitebantur, ut indicatur in Petronij Satyrico, & Epiſtico Plauti.* Hæc ibi B. *Dietericus*, & plura alia, quæ hic conferri poterunt.

V. Eod. SVCCENDENTES OSSA OLIVARVM) In Græco eſt: Σωμώσσῃ τὰ πίτυρα. Eſt πίτυρα vox Hebræa פתורא & apertum ſignificat, id eſt, quod rimam dicere Juvenalis, & in centone Auſonius. Σωμώσσῃ τὰ πίτυρα eſt id quod ſuffire naturam dixit Plinius. Strabo de Babyloniis: ἐκκαίουσι δ' ἀντὶ μυρσίνου ἐλαίδος ἐπιτηδείως ἔχοντος. Cur ergo oſſa olivarum hic proſunt Interpres? non quia olivæ quædam πιτυρίδες dictæ ab Athenæo: ex enim nomen id habent quod colore furfurem referunt: ſed quia legit τὰ πίτυρα, id eſt, τὰ ἐκπίτυρα. Epityrum eſt condimentum caſei memoratum Plauto in Milite, Varroni, Catoni, Columellæ. Id autem Heſychius exponit, τὸν ἐλαίῳ ἐκπιεσμένον, id eſt ſuccum expreſſum de olivis tuſis poſt factum oleum.

De hoc loco *Tirinus* ita habet: MULIERES *tam nuptæ quam innuptæ, exponentes publice cuique volenti pudicitiam ſuam,* SEDENT IN VIIS *templorum* CIRCUMDATÆ FUNIBUS, *id eſt, cingulo ſeu zona quaſi virginali: teſtantes hoc ſigno ſe Veneri ſacras eſſe, & primo cuiq; obvio copia ſui facere, ut ceſto ſive zona dirupta, Veneri neſaria ſacra ſic peragant. Ita ex Herodoto, Strabone, Curtio, Polydoro Virgilio, S. Auguſtino & aliis noſter a Caſtro & à Lapide. Interim* SUCCENDUNT OSSA, *id eſt, nucleos durós & quaſi oſſeos,* OLIVARUM; *Græci* πίτυρα *vocant teſte Beroaldo. Erat hoc genus philtri, ſeu veneficii, quo diabolares iſtæ, quas nec forma, nec genus, nec divitiæ commendabant, procorum duritiem incantare, & in iis concupiſcentia flammam ſuccendere conabantur, addita imprecatione, ut ſicut oſſa illa ignibus, ſic hoſpites earum amore torrerentur. Et hos ritus à Babylonis Græcos didiciſſe docet Theocritus, & Goevara, & Pererius & Delrio. Utebantur vero potius* olivæ, *quam aliarum arborum nucleis, ut certius ac clarius teſtarentur ſuæ concupiſcentiæ*

*tiæ flammas, cum nuclei olivarum, utpote magis oleati & pingues, vehementius ardeant.*

Vers. 43.

ATTRACTA AB ALIQVO) Extra Templum, ut nos docet Herodotus.

NEQVE EVNIS EJVS DIRVPTVS SIT) Quod erat signum liberatæ voto, quod ἀνοικτήριον τῆς θεᾶς, dixit Herodotus.

Vers. 44. OMNIA AVTEM QVÆ IN ILLIS FIVNT FALSA SVNT) Vana quæ fiunt circa simulachra, Vide supra 6.

Vers. 45. A FABRIS AVTEM ET AVRIFICIBVS FACTA SVNT) Es. XL. 18. 20. XLI. 7. XLIV. 12. 13. Jer. X. 3. Os. VIII. 6. XIII. 2.

NIHIL ALIVD ERVNT, NISI ID QVOD VOLVNT ESSE SACERDOTES) *Artifices*, in Græco: id est, fabri illi & fusores.

Vers. 46. NON SVNT MVLTI TEMPORIS) Non diutius vivunt, quam homines alii, sæpe & minus ob metallorum vapores.

ESSE DII) Id est, immortales. Nemo dat, quod non habet.

Vers. 47. RELIQVERVNT AVTEM FALSA) Relinquunt post se opera fallacia.

ET OPPROBRIVM POSTEA FVTVRIS) Nempe ubi gentes ad verum Deum converterentur, quod Prophetæ futurum prædixerunt: quo & ea pertinent quæ infra 50. dicentur.

Vers. 48. VBI SE ABSCONDANT CVM ILLIS) Vt Æneas cum Trojæ penatibus.

Vers. 49. QVOMODO ERGO SENTIRI DEBEANT QVONIAM DII SVNT) In Græco: *Quomodo ergo non percipiatur ipsos deos non esse.*

Vers. 50. ET NVLLVM DEI OPVS CVM ILLIS) *In illis.* ἐργον dixit pro virtute operativa.

Vers. 51. VNDE ERGO NOTVM EST QVIA NON SVNT DII?) Sequitur interpres Græcum, quale nunc est, sed excidit negativa particula. Recta enim est lectio: πῶς δὲ ἂ γνωσθῆ ἐστι, ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοί: cui non appareat illos deos non esse?

Vers. 52. REGEM REGIONI NON SVSCITANT) Repetit quæ dixerat supra 32. & sequentibus. Non constituunt Regem quomodo Deus Davidem.

NEQVE PLVIAM HOMINIBVS DABVNT) Vt Deus Israeli per Eliam.

Vers. 53. IVDICIVM QVOQVE NON DISCERNENT) Vt Deus fecit contra Core & factionem ejus, & contra Achanem.

NEQVE REGIONES LIBERABVNT AB INJVRIA) Quomodo Deus Hierosolyma liberavit a Sennacheribo.

QVIA NIHIL POSSVNT, SICVT CORNICVLÆ INTER MEDIVM COELI ET TERRÆ) Non plus valent quam corniculæ, quæ & ipsæ, sicut simulachra, partim in terra, partim in aëre versantur, sed neutrum valent immutare.

Vers. 54. IPSI VERO SICVT TRABES IN MEDIO COMBVRENTVR) Vt Dii Romanis accidit, exusto Vestæ templo.

Vers. 55. REGI AUTEM ET BELLO NON RESISTENT) *Et hostibus, καὶ πολεμίοις.* Regi hostes ducenti.

Vers. 58. ITAQVE MELIVS EST ESSE REGEM) *Justus melior sit rex.* Et ita per nominativum Latine vertenda & sequentia.

IN QVO GLORIABITVR QVI POSSIDET ILLVD) *Quo utatur, quid possidet:* ut fecuris, lebes, olla.

Vers. 59. OBAVDIVNT) Deo egregium ministerium suo motu præstant.

Vers. 60. SIMILITER ET FVLGVR CVM APPARVERIT PERSPICVVM) Legit ut nos habemus, ἐναντίος ἐστι. Sed puto legendum, ἐπακόλουθός ἐστι, *obsequens est*, id enim & præcedentibus & sequentibus optime congruit.

ID IPSVM AVTEM ET SPIRITVS IN OMNI REGIONE SPIRAT) *Idem ventus totam regionem perflat.* Hebraice רוח sæpe est ventus, sic & πνεῦμα Joh. 3, 8.

Vers. 61. ET NVBES QVIBVS CVM IMPERATVM FVERIT) *Nubes cum eis imperatum fuerit.* Ita enim Latine reddes quod in Græco est: *nubibus cum imperatum a Deo fuerit ire in orbem totum, faciunt* (nempe illæ) *quod jussum est.*

Vers. 62. IGNIS ETIAM MISSVS DESVPER) Fulmen.

VT CONSVMAT MONTES) Horatius:

*Feriuntque summos*
*Fulmina montes.*



Lucanus: *Scilicet ille petet Rhodopen, petet ignibus Oeam.*

HÆC AUTEM NEQUE SPECIEBUS, NEQUE VIRTUTIBUS UNI EORUM SIMILIA SUNT) *Illa similia sunt:* non Soli, Lunæ, astris specie: non nubibus, ventis, fulmini, efficacia pares sunt.

Vers. 63.

NEQUE JUDICIUM JUDICARE) Vide supra 53.

Vers. 65.

NEQUE ENIM REGIBUS MALEDICENT, NEQUE BENEDICENT) Id est, neque proderunt, neque nocebunt.

Vers. 66.

SIGNA ETIAM IN COELO GENTIBUS NON OSTENDUNT) Signa tempestatium, ut Virgiliæ astraque alia.

Vers. 68.

NULLO ITAQUE MODO NOBIS EST MANIFESTUM QUIA SUNT DII) *Nullo argumento apparet nobis hos esse deos.*

Vers. 69.

NAM SICUT IN CVCVMERARIO FORMIDO NIHIL CUSTODIT) ὥσπερ γὰρ ὁ σικυηλάτης προβασκάνιον τῶν φυλάσσει. Sed fascinandum σικυηλάτῃ προβασκάνιον. Vox σικυηλάτης pro cucumerario extat & Ef. I. 8. Dici autem solere προβασκάνιον non προβασκάνιον, docet nos Phrynicus, qui tamen eam ipsam vocem urbanius puram rejicit, vultque dici βασκάνιον. Vocabantur autem sic formæ quædam ridiculæ valere creditæ ad avertendum, fascinum, ἐπεὶ φόβον ἀπετρεπεν, ut Pollux loquitur, producens Aristophanis ea de re locum. Fures talibus nugis non terrentur.

Vers. 70.

ET IN HORTO SPINA ALBA) In Græco non *est alba*; sed ἄμπελος. Sed spinam albam usurpatam adversus incantationes docet in Fastis Ovidius: Aves vero ista remedia non curant.

SIMILITER ET MORTVO PROJECTO IN TENEBRIS) Qui tandem fœtore se prodit.

Vers. 71.

A PURPURA QUOQUE ET MURICE) In Græco: ἀπὸ τῆς πορφύρας, καὶ τῆς μαιμάξης: sed legendum μαρύγος, quomodo margaritæ apud Pausaniam, & in Epigrammate Græco vocantur. Ærate corrumpi margaritas satis constat.

QUÆ SUPRA ILLOS TINEANT) *Quæ supra illos corrumpitur*; nam & sic σήπεσθαι usurpant Græci; & Sirach XIV. 20. Job. XL. 7.

IPSI ETIAM POSTREMO COMEDUNTUR) *Comedentur*: id est, adedentur a carie post ornamenta sua.

ET ERUNT OPPROBRIVM IN REGIONE) Nullos ultra honores accipient, sed extra conspectum amovebuntur.

Vers. 72.

NAM ERIT LONGE AB OPPROBRIIS) Nemo ei exprobrabit Deum carie corrosum.

Ad versum ultimum addimus paraphrasin Osiandri, & cum eodem præsens scriptum concludimus: MELIOR itaque EST HOMO JUSTUS, QUI NON HABET SIMULACHRA, *potentissimus gentibus, qua idola colunt:* NAM *qui ab Idololatria sibi cavet, & solum verum Deum colit, is* ERIT LONGE AB OPPROBRIIS: *non confundetur:* [*Qui autem imagines colunt sive Ethnici sint sive Pontificii, nisi resipuerint, in aternum confundentur. Imagines enim adorare & colere insana est idololatria: sive illæ imagines Deos gentium, sive Sanctos in Christo quiescentes repræsentare videantur. Scriptum est enim, Dominum DEUM tuum ADORABIS; & illi SOLI servies, Matth. 4. cap. Dominus Papistas ab idolorum cultu ad verum Dei cultum clementer reducat.*

*Amen.*]

*I. N. I.*

# IN ADJECTA AD DANIELEM.

## CAPUT III.

## ORATIO AZARIÆ.

*Qui in fornace candente (suo & sociorum nomine) confitetur peccata Israelitarum, quibus exilium Babylonicum meriti fuerant, petitq. ut Dominus populi sui tandem clementer misereatur; In fornace illæsus conservatur, Chaldæi vero ignem augentes à flamma interficiuntur.*

Vers. 23.

*ET AMBULANT IN MEDIO FLAMMÆ*) Si hic hymnus ab ipsis juvenibus ant etiam Daniele factus esset, locum suum haberet in Hebræo Danielis cap. III. post comma 23. sicut habet in Græcis multis & Latinis.

ETiamsi factus esset ab illis juvenibus, non tamen ideo *Canoni* inserendus. Esse autem hymnum hunc *apocryphum* dubitandum non est, tum quia scriptus non est *lingua Ebræa*, teste *Hieronymo*, tum quia *Ecclesiæ Israelitica & primitivæ Christianæ testimonio* destituitur.

Vers. 27. *UNIVERSA OPERA TUA VERA*) Id est, recta.

Vers. 32. *INIMICORUM NOSTRORUM INIQUORUM*) In Græco: ἀνόσιων. Sic autem vocantur omnes impii, etiam qui Deum nunquam coluere, גוים.

Vers. 34. *NE DISSIPES TESTAMENTUM TUUM*) Promissa patribus facta.

Non *nuda promissa* Patribus facta, sed *fœdus* cum illis initum quod testamentum vocari solet. Cum autem petitur, ne id irritum fiat, *propter Abrahamum dilectum Domini, & Isaacum servum tuum, & Israel sanctum ejus*, respicitur objectum promissionis, & fœderis Patriarcharum præcipuum, quod est *Messias*, semen illud benedictum, ob quod misericordiam suam concedit nobis Dominus, nec eandem aufert: idem ergo est *propter Abrahamum, atque propter gratiosam promissionem fœdere sanctam Patriarchæ Abrahamo*, & reliquis, vel, propter Messiam, uti *Gen. 12, 3. in te*, idem est, ac *in semine tuo* Gen. 22, 18.

Vers. 38. *NON EST TEMPORE HOC PRINCEPS.*) Rex de domo Davidica.

*ET DUX ET PROPHETA*) In Græcis *Prophetæ* præcedit. Pro *duce* in Græco est ἡγούμενος, quomodo omnes magistratus appellari solent. Sir. IX. 22. X. 2. 24. XXIII. 22. XXXIX. 4.

*NEQUE HOLOCAUSTUM, NEQUE SACRIFICIUM, NEQUE OBLATIO, NEQUE INCENSUM, NEQUE LOCUS PRIMITIARUM CORAM TE*) Harum rerum penuria animos venturo Evangelio præparabat.

*Christo* venturo hactenus *animos præparasse* dici potest, quia desiderium ejusdem acuebat. Evangelium proprie *æternum est Ap. 14, 6. Non autem esse Prophetam* vere dici non poterat. Nam *Ezechiel*, & *Daniel* utique Prophetæ erant; aut κατὰ τὸ intelligendum, quod scilicet in Judæa non sit Propheta; illi enim in Babylone erant; vel quod vix ullus Propheta sit.

Vers. 39. *IN ANIMO CONTRITO, ET SPIRITU HUMILITATIS*) Vide Baruch. II. 18.

Vers. 40. *SIC FIAT SACRIFICIUM NOSTRUM*) Cordis scilicet: ex Ps. LI. 19.

*QUONIAM NON EST CONFUSIO CONFIDENTIBUS IN TE*) Ps. 25. 1.

Sensus est, *quæsumus Domine, ut preces nostras & suspiria ab humili corde profecta ita accipias, ac si mille hostias tibi obtulissemus:* quia qui in te confidunt non confunduntur. *Ps.* LI. 19. Habemus hic partes veræ pœnitentiæ: *Contritionem* nempe, & *fidem*. Sequitur *fructus*, nova obedientia. *Et nunc sequimur te in toto corde & timemus te*, & humiliter *quærimus faciem tuam.*

Vers. 43. *ET ERUE NOS IN MIRABILIBUS TUIS*) κατὰ τὰ θαυμάσιά σου, secundum illa mira quæ olim fecisti.

Vers. 44. *QUI OSTENDUNT SERVIS TUIS MALA*) Experiri faciunt. Expressit Hebræum הראות, quod est in Ps. LX. 5. & alibi.

Vers. 46. *NAPHTHA*) De hac materia vide Strabonem XV. Plutarchum Alexandro: Diosc. I. 102. Plinium II. 105. Arabes vocem retinet نفط.

Alii, notante S. Hieronymo, *ossa olivarum* intelligi putant, quæ projiciuntur cum amurca arefacta, & naphtha appellant.

Vers. 47. *EXCUSSIT FLAMMAM*) Exire fecit.

Factum id *ab angelo* Domini, quem *Dei Filium* fuisse ad *Dan. 3. cap.* observavimus.

Sequitur in Vulgata Latina

### CANTICUM TRIUM VIRORUM
*in fornace ardente*

*Quo celebrant Dei sapientiam, justitiam*, bonitatem, *& omnipotentiam & hæc omnia in Creaturis considerare nos docent, quia illa de Creatoris benignitate, & Majestate nobis quotidie concionantur.*

Vers. 51. TUNC HI TRES QUASI EX UNO ORE LAUDABUNT

Hæc uti & antecedens Canticum in Ebræis voluminibus non reperiri Vulgata ipsa *Sixti V.* & *Clementis 8.* auctoritate recognita & edita testatur.

Vers. 53. *IN TEMPLO SANCTO GLORIÆ TUÆ*) Id est in cœlis.

Templum enim Hierosolymitanum tum exustum erat, & desolatum. *Es. 66, 1. Benedictum Deum* prædicant *in cœlo majestatis.* Quod diversimode describitur, ut *templum gloriæ Domini*, in quo ab angelis & electis celebratur: ut *thronus regni Domini*, in quo sedem suam habet, regnans super omnia: è quo *intuetur super abyssos, infima terræ*, idque præsentissimus & *sedet* simul vel regnat *super Cherubim*: Quod etiam per *firmamentum cœli* exprimi videtur, non tamen firmamentum *cœli* cum *cœlo majestatico* Dei, quod ubique est, confundendum, quod hic fieri apparet: Sed uti *in aliis* habitat & tamen etiam infimæ abyssо præsens est, qui à nulla creatura in cœlo, & in terra abest, utpote præsens omnia in cœlo, & in terra gubernans, Ps. 139. ita elucet, imprimis *in firmamento cœli* regimen Domini, & admiranda potentia, Sapientia, ac bonitas. De cætero templum illud gloriæ Domini, & thronus regni ejus ab æterno sunt, nec rebus in tempore creatis accensери possunt. Nunquam enim non fuit Dominus in templo gloriæ suæ, & in throno regni sui.

Vers. 55. *QUI INTUERIS ABYSSOS*) Maris infima, Syr. XLII. 19.

*ET SEDES SUPER CHERUBIM*) Angelis imperas, quod per שכינה super Cherubim se manifestantem significabatur.

Vers. 60. *AQUÆ OMNES QUÆ SUPER COELOS SUNT*) Nubes quæ sunt supra infimum aerem. Significat per omnia opera Dei majestatem conspici, idq; ipsum excitantis imaginem sumens approbat, imitans Ps. 148.

Aliud *nubes* sunt, aliud *aqua*: Aliud *cœli*, aliud *aër*. Quæ in distincta operum Domini recensione non debent confundi: nec à *proprietate & ordine* discedendum est. *Aqua* ergo super cœlos, vel *super cœlestes* intelliguntur. *Ordo ipse* in hoc cantico postulat, ut illas, non vero *nubes* intelligamus. Præmittuntur enim *Soli*, & *Lunæ*, & *Stellis*, quibus utique nubes superiores non sunt: & de iis, quæ supra infimum aerem sunt, de *rore, pruina, nivibus*, longe post, versu nempe 64. 68. & 70. agitur. Diximus de his aquis *ad* Gen. I. *Aqua supra cœlestes.*

Vers. 61.

*OMNES VIRTUTES DEI*) Planetæ quinque. Vide ad Matth. 24, 29.

Non

Non quinque tantum, sed plures dari Planetas, jam pridem Mathematicorum filii observarunt. *Planetas* autem per *virtutes Dei* hic intelligi unde docebitur, siquidem illi potius sub stellis cœli v. 63. comprehendantur! Ideo per *virtutes Domini* angelos eminentiores rectius intelliguntur *Rom.* IIX. 38.

Vers. 65. *OMNES SPIRITUS DEI*) Venti, ut in Epistola Jerem. 60. & alibi.

Vers. 84. *BENEDICITE SACERDOTES DOMINI DOMINO*) Nam & hi in exsilio dignitatem inter suos retinebant, & preces concipiebant pro populo.

Vers. 85. *SERVI DOMINO*) Levitæ.

Vers. 86. *SPIRITUS ET ANIMÆ JUSTORUM*) Nempe quæ sunt in Paradiso.

Vers. 87. *SANCTI ET HUMILES CORDE*) Judæi deportati.

Vers. 88. *DE INFERNO*) De morte præsente.

Vers. 89. *CONFITEMINI DOMINO QUONIAM BONUS, QUONIAM IN SÆCULUM MISERICORDIA EJUS*) Ex Psalm. CXVIII. II. Paralipp. V. 13. Confiteri est laudare.

Vers. 90. *OMNES RELIGIOSI*) יראי אלהים, ut Job. I. 1. 8. II. 3.

## CAPUT XIII.

### *HISTORIA SUSANNÆ.*

*Susannæ pudicitia duo nequissimi senes judices, insidiantur; cumque ea potiri non possent, accusant eam falso adulterii. Ea cum jam condemnata ad mortem duceretur, puer Daniel Susannæ innocentiam, & senum nequitiam in lucem producit. Absolvitur igitur Susanna, duo autem senes injustitiæ pœnas dant.*

Vers. 1.

*ET ERAT VIR HABITANS IN BABYLONE*) Hanc historiam Judæi non plane negant. Ajunt enim duos Senatores Judæos, Achabum & Sedeciam nomine, quod multas mulieres Hebræas adulterassent, Susannæ etiam pudicitiam attentassent, mortis supplicio affectos, non quidem lapidatione, sed incendio: idque non decreto Judæorum, sed ipsius Nabuchodonosoris. Quippe ajunt sub Chaldaica deportatione nulla judicia capitalia fuisse penes Judæos, quamquam sub Persico imperio nonnullis in locis id forte evenerit. Moribus autem Chaldæorum pœnam adulterii fuisse incendium. In qua re convenit Thalmudicis cum iis quæ Origenes ab Judæis didicisse se testatur ad Jerem. XXIX. 22. ubi quæ à nobis dicta vide. Hoc autem quod nunc in manibus habemus scriptum, non ex Hebræo translatum, sed primitus ab Judæo aliquo Hellenista fuisse scriptum, ostendit παρονομασία, quæ est infra, inter χῆνος & χῆρος: item πρίσαι & πρίζαι; quam in vocibus frustra quæres.

Quicquid de *Judæorum* sit sententia, sive fabula sit, sive Historia, quæ ab illis recensetur, huic eomœdiæ similis, hanc laciniam certe *Canonicam* minime esse vel ex iis quæ Grotius hic adducit, apparet, nec Grotius ipse pro Canonica eam habuit, uti *Papistæ*, *Concilii Tridentini* gratia, habent. 1. Quia non est scripta *lingua Prophetica*, Ebræa vel Chaldaica, sed lingua Græca, quod παρενομασία illa luculenter probat. Unde *Maldonatus* ipse valde titubat de textu Ebræo; *Ceterum*., inquit in procœm. in Dan. *non contendimus hæc à Daniele Hebraice scripta esse, sed à quocunque tandem scripta sint, non de alio, quam de Daniele, Prophetæ scripta esse, nec ideo tanquam fabulosa rejicienda. Quanquam illud etiam probabilius est, & tacito Ecclesiæ judicio magis consentaneum, Danielem scripsisse omnia, sed hæc Hebraïs excidisse, aut eos ipsos malo animo, ut Origenes putat, de libris Hebraicis deleviss?* (Cur vero id fecissent?) *unde enim quæso & LXX. & Theodotion & Symmachus & Aquila nisi ex Hebraico sermone transtulissent?* At transtulisse hæc LXX. Interpp. unde docebunt Jesuitæ? aut etiam de *Symmacho*, & *Aquila*. 2. Non scripta à *Propheta*, sed *à Judæo quodam Hellenista*, nedum à Daniele, cujus prophetiæ temere appenditur in vulgata Latina, Papistis authentica, etsi nesciant ipsi, quo loco inseri debeat. Aliqui enim post *primum* caput eam infarciendam, juxta *Græcos Codices* & *Arabicam versionem* putant cum *Tirino*, sed quomodo illi in gratiam redibunt cum *editione Latina* à Pontificib. Rom. approbata? Quomodo cum *Hieronymo*, quem hanc fabulam in ultimum locum rejecisse, una cum Historia Belis & Draconis *Tirinus* ex ea causa ait, *quod ea in Hebræo non reperierit, sed ex Græcis exemplaribus, non* LXX. *Interpp. forte nimis hic corruptis* (at LXX. Interpp. Ebræa tantum Biblia Canonica transtulere, non Græcos apocryphos libros, vel appendices librorum) *sed Theodotionis in Latinum transtulerit.* De quibus vero aliud edoceat Jesuitas *Hieronymus* nec non *Ludovicus Vives*. Ille procœm. in Daniel. *Daniel*, inquit, *apud Hebræos nec Susannæ habet Historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis Draconisve FABVLAS, quas nos quia in toto orbe dispersæ sunt, VERIS antepositio, easque IUGULANTE, subjecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse. Hic* vero (Vives) in comment. l. XIIX. Augustin. de Civ. Dei c. 3. *Propheta*, inquit, *Habacuc mentio fit Dan. 14. quod prandium suum ex Judæa Babylonem tulerit ad Danielem, quo testimonio ad probationem temporum Augustinus non est usus, quod ea Belis Historia & totum cap. XIV. cum Historia Susannæ Apocrypha sint, nec in Hebræo habeantur, nec sint versa LXX. senibus.* Et fatetur *Corn. à Lap.* hanc historiam non *videri ab ipso Daniele, sed à quopiam Ebræo, in captivitate Babyl. vel paulo post scriptam.* Non ergo *propheticæ* autoritatis est. 3. Non consonant *Historiæ temporum*, quæ hic narrantur, tum qua *judicia capitalia* Judæis in Babylone captivis tribuuntur, tum quæ non *incendium*, sed *lapidatio* pœna adulterii constituitur. 4. *Drama* senum, & judicii, Danielis ignoti, & quod magis est pueri rogatu instituti totum *fabulam* sapit, si quicquam. Absurde senes illi finguntur judices fuisse isto anno in populo: nam articulus οἱ πρεσβύτεροι v. 8. ἀναφορικός est, & v. 5. iidem πρεσβύτεροι & λαὸν vocantur, & ηγεταὶ v. 41. & tamen, quum tanta illis authoritas esset, ad simplicem Danielis παιδαρίου vocem totus populus non commovetur tantum, sed etiam ad tribunal regreditur, senibus etiam illis publicis populi judicibus nihil quicquam contradicentibus, & se ultro pueruli privati & ignoti arbitrio committentibus, qui tamen facile præcipiebant animo meditatum scelus in caput suum exiturum. 5. Ἀνῃρέσεις luculentæ hic occurrunt. Daniel hoc caput XIII. introducitur ut παιδάριον puer, & quidem *nemini* hactenus *notus*, qui tamen jam cap. VII. ex *primis satrapis* fuit in aula Darii. Et quomodo ipse *sub finem regni Astyagis* puer censeri poterat, qui cum Jojakimo transtatus jam Babylonem fuerat, adeoque sub finem regni Astyagis ultra 40. annos habebat? Quæ & alia in hoc Dramate sine dubio moverunt non *Erasmum* tantum (quem *Leo X. delectum suum filium* vocat) in scholiis super præfat. Hier. in Dan. sed etiam *Driedonem* l. 1. *Catal. de script. Eccles. c. ult.* & *Sixtum Senens. l. 1. Bibl. c. 3.* ut à Canone rejicerent Historiam Susannæ; *Maldonatus* etiam Jesuita consensum Ebræorum (à quibus tamen Canonem scripturæ V. T. acceperant Christiani) ut & *Hieronymi* nec non *Eusebii* & *Apollinarii* nobis largitur, nec habet quod illis opponat, nisi *Ecclesiæ*, hoc est *Pontificis Romani*, & *conciliabuli Tridentini sensum*, cujus vero definitio jam

ad partes vocatur, eſtque ipſum τὸ μεμνῆσθαι. *In qua ſententia*, inquit Maldon. in Dan. p. 593. *ſunt omnes Hebræi, qui nec hiſtoriam Suſannæ & Belis, nec trium puerorum carmen Hebraice legunt, & tanquam ab aliquo Græculo addita videre ſolent: Hieronymus illis fortaſſe plus ſatis aſſentitur, nimis enim ſæpe, ac nimis libere fabulas vocat. Scio nonnullos pio quodam ſi dio hanc verborum aſperitatem benigna interpretatione lenire voluiſſe, quaſi nomen fabulæ, non ſuo ſitato more pro falſa ſitaque narratione, ſed pro vera hiſtoria uſurpaverit. Quod magis equidem opto verum eſſe, quam video; Sic enim appellat fabulas, ut eas canonicis libris opponere, Hebræorumque ſententiam probare videatur. Itaque tanquam minus culpæ in illo fuerit, quam illi Ruffinus objecit, tamen fortaſſe fuit aliquid. Quod non ideo dico, ut Hieronymum virum tantum reprehendam, quem ego ſingulari quodam ſtudio proſequor, & omnibus Latinis & Græcis auctoribus antefero, ſed ne quis tanti doctoris autoritate fractus, ab Eccleſiæ ſenſu diſcedat. Nam ut illi tunc leuerit ita loqui atque ſentire: cum Euſebius & Apollinarius, ut ipſe dicit, ita ſentiebant; nobis nunc certe non licet, cum vetuſtas ipſa & multorum ſcriptorum conſenſus, & Eccleſiæ aut approbatio, aut lectio & non reprobatio auctoritatem dedit.* Hæc Maldonatus. At vetuſtatem hic ſtare à parte Pontificiorum inficiamur, & *modernæ Eccleſiæ* Papiſticæ *approbationem* aut *lectionem* librum aliquem *Canonicum*, h.e. *divinum* facere poſſe, penitus negamus.

Verſ. 4. *ERAT EI DOMARIVM*) In Græco: παιδάριον, de qua voce vi e Sirach XXIV. 31.

*AD IPSVM CONFLEBANT IVDÆI*) Convenibant in ejus domum, qua curiam non habebant.

*Spanhemio* non videtur vero conſentaneum Jojakimum captivum recens Babylonem delatum opulentum fuiſſe, domum cum pomario παράδεισον horum amœniſſimum poſſediſſe, & in tanto honore ac ſtatu viguiſſe, quum Judæi in captivitate exuti fuerint bonis ſuis, & oneribus graviſſimis à Babyloniis attriti valde, quorum miſera conditio ſatis ex Threnorum libro & Pſ. CXXXVII. apparet. Neque vero divitiæ, nec ædes, & horti vel inſtrumenta deliciarum alia ipſius judicio piis Indæis conquirenda erant Babylone, ſed manus domini agnoſcenda, & tempus viſitationis ſuæ & periodus liberationis, ac reditus in palæſtinam exſpectanda, imo ſolicitanda continuit à Deo precibus.

Verſ. 5. *ET CONSTITVTI SVNT DE POPVLO DVO SENES IVDICES IN ILLO ANNO*) Hebræi nunquam judices habuere annales, ajut binos. Sed poterant hi eſſe aſſeſſores ejus qui erat ראש הגלוית ἀρχιμαγειρίτης.

*Africanus* adhibet hoc contra autoritatem hujus hiſtoriæ, quomodo in Babylone Judæi habere potuerint ſuos judices, cum captivi eſſent? quod *Cornelius* quidem *indulgentia Chaldæorum* factum putat, ſed credibile nullo modo eſt, Chaldæos tantum Judæis captivis indulſiſſe, ut judicia exercerent, & ſupplicia decernerent capitalia, de quo poſtea.

*DE QVIBVS LOCVTVS EST DOMINVS, QVIA EGRESSA EST INIQVITAS DE BABYLONE A SENIORIBVS IVDICIBVS*) Nempe apud Jeremiam dicto jam loco. Sentum ſequitur, non verba.

Reſpici Jer. XXIX. 21. Volunt cum Judæis nonnullis *Rabanus, Hugo, Thomas, Lyranus, Sabanus, Delrio* & alii: qui etiam putant hos Suſannæ *judices* fuiſſe *Achab*, & *Sedeciam* Pſeudo-Prophetas. Quæ v. *Africanus, Hieronymus*, & *Maldonatus* fabulis accenſent. Hi enim, quos Pſeudo-Daniel hic commemorat, non *frixi* ut illi apud Jeremiam, ſed *lapidati* ſunt, nec id à *Rege Babylonis*, ſed à *Judæorum populo*, neque *quod quidam dicunt, ſimile vero eſt*, Maldonato judice, *Jeremiam frixos, qui lapidati fuiſſent, appellaſſe quod omnis pœna ignis dici ſoleat*, unde *Maldonatus* mavult dicere, *non verba, ſed ſenſum alicujus Scripturæ loci recitari, qualis ille eſt Jer. XXIII. 14.*

*QVI VIDEBANTVR REGERE POPVLVM*) οἱ δοκοῦντες τὸν λαὸν: qui honorem erant conſecuti populum gubernandi. De hac locutione vide quæ diximus ad Marcum X. 42.

Verſ. 9. *VT NON VIDERENT COELVM*) Id eſt, ut Deum non reſpicerent. Vide ad Lucam XV. 18.

Verſ. 19. *VVLNERATI AMORE EJVS*) Vulnus alebant venis, ut Virgilius loquitur.

Verſ. 15. *SICVT HERI ET NVDIVS TERTIVS*) Id eſt, quomodo ſolebat. Locutio Hebraica quæ exſtat Gen. XXXI. 2. 51. Exod. IV. 20. Joſ. IV. 18. XX. 5. Ruth. II. 11. Sam. IV. 7. X. 11. XIV. 21. & alibi.

*CVM DEABVS SOLIS PVELLIS*) Quæ ἄδμητοι dicebantur. Vide Judithum.

Verſ. 17. *ET SMEGMATA*) Græce fcribi debet σμῆγματα, non σμέγματα. Latine etiam ſmegma dixit Plinius XXII. 25. Exprimere voluit Hebræum בוריות. De quo vide Jerem. II. 22.

Verſ. 18. *PER POSTICVM*) διὰ τῆς πλαγίας θύρας: per tranſitus incognitos aliis. Tales illi de quibus Virgil.

*Limen erat, caecaque fores & pervius uſus*
*Tectorum inter ſe Priami, poſtesque relicti*
*A tergo.*

Verſ. 22. *ANGVSTIÆ SVNT MIHI VNDIQVE*) Erant ſane magnæ. Sed piis animis inſpirat Deus egregia conſilia.

Verſ. 23. *SED MELIVS EST MIHI ABSQVE OPERE INCIDERE IN MANVS VESTRAS, QVAM PECCARE IN CONSPECTV DOMINI*) Pro *aliquo opere*, in Græco eſt, μηδὲν πραξάντων, id eſt, cum nihil mali commiſerim. Vide quantum differat Suſanna à Lucretia, Judaiſmus illorum temporum ab eo quod optimum erat in paganiſmo.

*Dominicus Soto* l. V. de juſt. q. 1. a. 5. *Navarrus* in Manuali c. XVI. n. 1. & alii exiſtimant Suſannam ita *angustias omnes effugere potuiſſe, ſi vi, & metu infamiæ, imo mortis compulſa permiſſet adulteris ſuam explere libidinem, non conſentiendo, vel cooperando ſed permittendo, & negative ſe habendo: Neque enim*, inquiunt, *tenebatur ad conſervandam caſtitatem clamando ſeſe diffamare, & in mortis periculum conjicere; Cum integritas corporis minus bonum ſit, quam fama vel vita.* Sed male hi *Moraliſtæ* conſulunt conſcientiæ. Nam *permiſſio* illa ſine conſenſu fingi non poteſt, quum non vi ſtuprata cenſenda ſit, ſed adulteris copiam ſuam facere maluerit, quam famæ vel vitæ periculum, nec id tamen inevitabile prorſus ſubire. Quum ex adverſo potius *fama* calumniæ & *vita* præſentiſſimo diſcrimini committenda, quam *corpus adulterio* exponendum ſit, ut exemplo ſuo docuit *Joſephus*; neque acquieſcere *Caſuiſtarum* ſuorum deciſioni potuit *Tirinus*, ideoque reſpondet, *non ſatis fuiſſe caſtiſſimæ heroinæ animam à peccati labe intactam conſervare, voluiſſe inſuper etiam corporis pollutionem devitare*: quanquam jam offenſum ſit, nec animam ipſam à peccati labe intactam conſervari potuiſſe, ſi metu infamiæ vel mortis etiam permiſiſſet adulteris libidinem in corpore ſuo expleri. Rectius *Chryſ.* hom. de Suſanna, *Suſanna*, inquit, *aſpernabatur quod audiebat, quia timebat eum, quem nihil latebat, falſi enim teſtes poſſunt ledere famam, non occidere conſcientiam.* Unde *Lucretian Rom.* redarguit *Cornel. à Lap.* quod *libidinem Tarquinii admiſerit, ne macularetur infamia*, quodque pluris *famam* fecerit, quam *pudicitiam*, & *conſcientiæ teſtimonium. Ante ſcelus caſtæ mors ſubeunda fuit.*

Verſ. 25. *ET CVCVRRIT VNVS AD OSTIA POMARII, ET APERVIT*) Nempe quaſi adulterum perſequens. Vide infra 39.

Verſ. 27. *QVIA NVNQVAM DICTVS FVERAT SERMO EJVSMODI DE SVSANNA*) Nulla de ea fuerat fabula.

Verſ. 32. *IVSSERVNT VT DISCOOPERIRETVR*) Nempe quaſi ex ipſo aſpectu ſigna deprehenſuri culpæ.

culpæ. Nam solent judices etiam hoc non contemnere, Feminæ cæteroqui in publico etiam faciem velabant, Gen. XXIV. 65.

Imo discooperiri jussere senes nequissimi matronam castam ex ea causa, quæ hic additur, ut *vel sic* aliquo modo *satiarentur decore ejus*; quandoquidem corpore tam venustæ mulieris frui non potuerint.

Vers. 34. POSVERVNT MANVS SVAS SVPER CAPVT EJVS) Deposita judicium persona, ut testes ferebant, ex lege quæ est Levit. XXIV. 14. Hæc unica est ratio solvendi ænigma illud Jurisconsultorum: Judex an judicare debeat ex eo quod ipsi compertum sit, an ex actis.

Vers. 38. ET VIDIMVS EOS PARITER COMMISCERI) Quasi dicant: deprehendimus eam ἐπαυτοφώρῳ, ut est Joh. VIII. 4. Draco dixit, ἐν ὕπνῳ: Solon, ἀφ' ἕω ἐν ἀφροδισίοις: Pomponius in ipsis rebus Veneris: Ulpianus in ipsa turpitudine.

Vers. 41. CREDIDIT EIS MVLTITVDO QVASI SENIBVS ET JVDICIBVS POPVLI) Nam in Testimonii dignitas, fides, mores, gravitas examinantur, ut ait lex in testimonium, D. de testibus.

ET CONDEMNAVERVNT EAM AD MORTEM) Videtur sensus esse: dignam morte existimarunt.

*Capitalium supplicium ejus* habuisse Iudæos captivos in Babylone nullo modo sit verosimile, aut Babylonios id ipsis concessisse, non reservato sibi summo *appellationis jure*. Quod excipiunt Papistæ, ut autoritatem hujus libri sustineant, *Iudæos etiam sub ipsis Romanis jus habuisse reos secundum legem*
Joh. XIIX. 31. *suam judicandi Joh.* XIIX. 31. Resp. habuisse, sed ita ut testati ibidem ipsimet sint: *nobis non licet interimere quenquam*, unde Pilati verba, si non *illusoria* sint, *judicia* tantum *minora* concernere palam est, quibus imprimis *controversia circa sacra* exortæ à Judæis decidebantur, Act. XIIX. 16. quemadmodum etiam in Apostolos *flagris* animadverterunt, sed *in Synagogis* Matth. X. 17. (non *extra* easdem) etsi sub *Romanis* & Regem habuerint & in Patria suis plane legibus vixerint Judæi, in *Babylonica* vero captivitate tantam libertatem minime obtinuerint.

Vers. 42. QVI NOSTI OMNIA ANTEQVAM FIANT) Qui corda introspicis.

Vers. 43. ET ECCE MORIOR) Præsens pro maxime futuro; ut Matth. XXVI. 28.

Vers. 46. MVNDVS EGO SVM A SANGVINE HVJVS) Formula loquendi, ut Matth. XXVII. 14.

Vers. 50. QVIA TIBI DEVS DEDIT HONOREM SENECTVTIS) τὸ πρεσβύτιμον: æquavit te senatoribus. Sic quidam veterum interpretantur locum 1. Tim. 4. 13.

Vers. 51. SEPARATE ILLOS AB INVICEM PROCVL) Multum enim refert, ut est in Epistola Adriani, quam recitat Callistratus L. Testium D. de Testibus, qui simpliciter visi sunt dicere, utrum unum eundemque meditatum sermonem attulerint, an ad ea quæ interrogati sunt, ex tempore verisimilia responderint.

Vers. 53. DICENTE DOMINO, INNOCENTEM ET INJVSTVM NON INTERFICIES) Ex. 23. 7.

Vers. 55. ANGELVS DEI ACCEPTA SENTENTIA DE EO, SCINDET TE MEDIVM) Concitata scilicet multitudine. Nam Deus res tales per Angelos facere dicitur. Sic & infra 59.

Vers. 56. SEMEN CANAAN ET NON JVDA) Moribus Cananæos referens, non eum unde diceris Judam. Simile Ezech. XVI. 3.

Vers. 57. SIC FACIEBATIS FILIABVS ISRAEL) Illis quæ ex decem erant tribubus, deportatis per Salmanassarem, quas pridem Idololatria invaserat; morum omnium bonorum corruptrix. Mira cognatio est pietati cum virtutibus omnibus, impietati autem cum vitiis.

Vers. 59. GLADIVM HABENS) Id est, mandatum à Deo. Qui à judicibus mandata habent, gladio utuntur. Bene convenit huic narrationi illud Quintiliani V. 7. *Illud fortuna interim præstat, ut aliquid, quod inter se parum consentiat, à teste dicatur: interim quod saepius evenit, ut testis testi diversa dicat.*

Vers. 61. ET CONSVRREXERVNT ADVERSVS DVOS PRESBYTEROS) Per modum seditionis, quomodo Stephanus lapidatus, & Jacobus Hierosolymorum episcopus. Lapides plebis arma.

Vers. 62. QVIA NON ESSET INVENTA IN EA RES TVRPIS) Turpitudo, ut Vlpianum dicentem modo audivimus.

Atqui *modus ille procedendi* valde *ridiculus* nec *Danielis sapientia* vel *gubernatione Spiritus Sancti* dignus censendus est, quemadmodum v. 45. dicitur (quanquam phrasi scripturæ minus solemni aut consentanea, SVSCITAVIT DOMINVS SPIRITVM SANCTVM PVERI IVNIORIS, num enim Spiritus Sanctus à Domino suscitandus est aut suscitatione opus habet?) Nimirum fingitur interrogatos fuisse duntaxat senes illos, sub qua arbore Susanna se adulterio polluerit, quasi id necessario sub arbore fieri debuerit, vel testium fuerit arboris speciem, subito tali, & inopinato sibi objecto spectaculo anxie contueri, & necessario designare. Hinc etiam responsum affingitur senibus, quod vervecum est potius, quam hominum qui per ætatem usu rerum & experientia poliere debebant, & satis nosse, quomodo quæstiones frivolæ id genus in foro vel eludi possent, vel declinari. Unde Tirinus, nequicquam hic ad divinam providentiam recurrens, *mirum*, inquit, *est, his adulteris vel eorum alteri, non venisse in mentem posse se negare, memoriam tam nefandæ arboris sibi inhæsisse, vel turbatos facinore, ad arborem qualis esset, non attendisse.*

ET REX ASSTAGES) *Hoc initium est narratiunculæ sequentis in editione Sixtina: pro qua narratiuncula neque Origenes, neque Apollinaris*, neque *Eusebius* respondere unquam Porphyrio voluerunt. Quod de Abacuco hic dicitur plane ignotum est Judæis. Et Abacucus ante Nabuchodonosarem vixit, cum hæc sub Cyro gesta dicuntur. Tum vero Danielis in leonum speluncam missi aliam causam recitat ipse Daniel,

Eam tamen narratiunculam sustinere in gratiam *Tridentini Concilii* satagunt Papicolæ. Etsi nusquam hæc cohæreant, sed plane ἀσύνδετα sint. Quod enim *Lyranus, Hugo, Dionysius Carthusianus, Torniellus, Cornel. à Lapide* & alii hæc rapiant ad sequentem Historiam cap. XIV. cum *Græcis codicibus*, & *editione Arabica* tam *Ægyptia Alexandrina*, quam *Antiochena*, viderint Papistæ, quomodo cum autoritate authentica *Latini textus* consistere possit; aut quomodo etiam quæ in *Græco* textu & *Arabica* versione ad *primum* caput Danielis pertinent, ad *decimum quartum* caput abripi queant? Cæterum satis efficacia sunt Grotii argumenta adversus Commentum illud de *Habacuci prophetæ raptu* per aërem. 1. Quod nusquam de eo Iudæi quicquam tradiderint: qui tantum miraculum sine dubio celebrassent. 2. Quod chronologiæ non conveniat relatio. 3. Quod repugnet Historiæ Danielis Canonicæ, quæ precationem Danielis publicam, non vero Draconis & statuæ Belis exterminium causam facit conjecti in lacum leonum Danielis: *Addes* quod Schema illud de Habacuco è crinibus suspenso ab Angelo, & sic ad Danielem in lacum leonum cibi ei adferendi causa delato valde jocularе sit. Subjicere tamen placet nonnulla de *Historia* vel *fabella* potius *Belis*, & *Draconis*, ne illæ Apocryphæ Jaciniæ intactæ maneant, quia in pretio sunt apud Papistas, imo in Canone.

---

## *HISTORIA BELIS.*

*Daniel Regi singulari industria impostoras sacerdotes Idoli Belis detegit: itaque sacerdotes Belis occiduntur, & idolum Belis destruitur.*

V. 1. ERAT DANIEL CONVIVA REGIS.

*De quo Rege hic agatur, cujus convivæ*

CUjus Regis conviva fuerit Daniel juxta hanc fabellam, non inveniunt, quod solide afferant Pontificii. *Astyagis*, quem nonnulli intelligunt, haud fuisse agnoscit *Cornel. à Lapide*, & *Tirinus*, *Daniel* quia hic nunquam fuit *Rex Babylonis*; & vi vers. *fuerit?* 65. cap. præced. jam tum defunctus erat, cum hæc

contigisse finguntur. Nec *Darii* vel *Cyri* amicum fuisse, *Tirinus*, *Cornelius*, Maldonatus admittunt, etsi hic notet *omnes, dum alter alterius errorem sequitur, hæc ad Cyrum referre.* Causam illi reddunt: quia *Darius & Cyrus non Belum, sed solem coluere.* Unde & *Xerxes* sepulchrum Beli, *Strabone* l.xvi. teste, destruxit. Quodque *ausi non fuissent Babylonii jam à Dario, & Cyro subacti mortem illis intentare, ut huic Regi intentant v.28.* Adde quod Danielem ita oportuerit bis sub Dario conjici in lacum leonum, hic, & Dan. VI. aut si semel sub *Dario*, iterum sub *Cyro* conjectus, qua ratione post liberationem sub Dario factam Daniel in pretio & honore summo in aula Darii & Cyri fuisse asseritur, Deusque Danielis publico diplomate celebrandus proclamatur Dan. VI. & quomodo agnitioni veri Dei, à quo se Monarcham constitutum esse Cyrus publice & solemniter intimavit *2. Par. XXXVI. 23. Esdr. I. 2.* convenit illa fabella de cultu Belis, & Draconis? *Evilmerodachum* sibe *Balthasarum* fuisse *Cornelius & Tirinus* ajunt, cujus conviva fuerit Daniel: at confusio illa *Evilmerodachi* & *Balthasaris*, qui temporibus & regimine non minus, quam ortu maxime differunt, minime ferenda est: tum vero Balthasari convivam fuisse Danielem haudquaquam congruit relationi Canonicæ Danielis scripturæ, quod Daniel Balthasari ne notus quidem fuerit illa nocte, qua interfectus est Balthasar, unde quæsivit Dan. 5. 13. *Tune es Daniel de filiis captivitatis Judæ, quem adduxit Pater meus Rex de Judæa: Maldonatus* Jesuita recipit sese ad *Nebucadnezarem*, & sub eo Daniele adhuc puero, hæc accidisse statuit; sed quomodo id conveniat inscriptioni, quâ ponunt in *v. 65. cap. præced. Corn. & Tirinus?* quomodo hæc gesta *puero Danieli* aptari possunt de subruto idolo Belis, de interfecto Dracone? & quomodo Daniel *conviva Regis* fuit, ita ut hanc autoritatem sic compellandi Regem, & hæc facitandi obtinuerit? Illis certe haud convenit jejuna ista explicatio tanti elogii, tantorumque factorum, quod *conviva Regis* fuerit, id est, *vixerit ex mensa Nabuchodonosoris.*

Vers. 2. *ARTABÆ DVODECIM*) Artaba, teste Herodoto, Medimnum Atticum capit, & tres Chœnices.

*Artaba* inquit Epiph. libr. de ponder. & mensur. *continet Sextarios 72.* unde colligere est, quod magna similæ copia huic idolo quotidie impendenda fuerit. *Amphora continebat 48. Sextarios* sive *Sciphos majores*, quorum quisque viginti uncias aquæ aut vini capiebat, interprete *Cornel. à Lapide.*

Vers. 23. *ET CRIBRAVIT &c.*

Id est *cribrando sparsit* per totum templum, ne si lapilli cineri immixti spargerentur, in eos pedibus impingentes venturi noctu sacerdotes fraudem persentiscerent, cineremque everrerent.

Vers. 21. *ET TRADIDIT BEL IN POTESTATEM DANIELIS &c.*

*In veteri Testam.* (observatio hæc Osiandri est) *Pseudo-prophetæ occidebantur, & aræ atque templa idolatrica destruebantur: In novo autem Test. falsi Doctores verbo Dei convincuntur, ablegantur, & ex Ecclesia rejiciuntur, & altaria atq. templa ab Idolatria repurgantur, & ad usum fruendæ religionis transferuntur: ut quæ servierant antea idolis, nunc serviant Deo vero: cui sit honor & laus in omnem æternitatem Amen.*

*HISTORIA DRACONIS.*

*Daniel Draconem Babylonicum, qui pro Deo colebatur, occidit, ideog. in lacum leonum immittitur, sed à Deo liberatur, hostes a. ejus à leonibus discerpuntur.*

Vers. 22. *ET ERAT DRACO MAGNVS IN LOCO ILLO*) Magna semper gentium superstitio circa serpentes fuit, quibus numen inesse aliquod illis persuaserat is qui ab initio formam induit serpentis, & mores serpenti consimiles hominibus instillat. Vide Eusebium de præparatione, ubi de Taauto. Vocabantur ἀγαθοὶ δαίμονες, ut Servius ad tertium Georgicon notavit. Adde Statium quinto Thebaidos: Plutarchum Alexandro: Epitomen Livii Libro XL. *Anguem in quo ipsum numen fuisse constabat.*

Gaudet Diabolus, *ad primi* (in Eva) *facti memoriam commendandam, ut Augustinus* l. XI. de Gen. ad liter. c. 28. loquitur, forma serpentis. Ideo etiam vocatur *serpentis & Draconis* nomine *Es. XXVII. 1. Apoc. XII. 9. 13.* Draco corpore est forti, longævo, horribili, oculorum acie acri, unde etiam à δέρκεσθαι dictus, id est à videndo, ideoque divini quid præ se ferre illis qui à Dracone infernale fascinati erant visus est; & apud Gentiles passim *Draconis, vel templa Draconi sacra* deprehenduntur, teste *Strabone l.* XIV. ac Dracones præfecti sunt *custodiæ oraculorum, thesaurorum, heroum in infantia*, uti de *Hercule*, ac *Nerone* Poetæ fabulantur; vid. *Corn. Pascal.* l. VII. de Coronis c. 15 *Romani* ob pestem eliminandam serpentem *Epidaurium* coluerunt, ceu *urbis Æsculapium*, ut loquitur *Valer. Max.* l. I. c. 8.

Vers. 26. *FECITQVE MASSAS, ET DEDIT IN OS DRACONIS.*

Diruptus est Draco *pice, adipe & pilis pariter coctis*, & infusis, vel inditis ori, non quod pix aut pili venenati sint, sed quod boli ex ea massa conflati, ut erant glutinosi, & emplastrici, inhæserint gutturi Draconis, & viæ angustiori ad ventriculum, qua penitus obturata, & anhelitu, ac respiratione præpedita suffocari, imo crepare necessum habuit. vid. *Fr. Vales. de sacr. Philos. c. 31.*

Vers. 27. *JVDÆVS FACTVS EST REX*) Ἰουδαῖος γέγονε βασιλεύς, non ut nunc legitur ὁ βασιλεύς: non enim hoc voluit, regem factum esse Judæum, sed Danielem hominem Judæum in Chaldæa Regem agere. Impune quidvis facere, id est Regem esse, ait Sallustius.

Imo Regem ipsum Ἰουδαΐζειν videntur intendisse, vel ob favorem adversus Danielem ipsi tanta indulgere adversus deos suos facinora. Quod ex *v. 28. sequ.* haud obscure colligere est.

Vers. 28. *TRADE NOBIS DANIELEM ALIOQVIN INTERFICIEMVS TE ET DOMVM TVAM.*

Quis credet hæc à subditis dicta cum tanta comminatione ad Monarcham, vel Regem gloriosum & potentissimum. Et quamnam habebat domum *Belsaz.* cui hæc *Corn. à L.* & *Tir.* dicta volunt? *Cyro* v. quomodo devicti, & subjugati dicere talia ausi fuissent?

Vers. 30. *MISERVNT EVM IN LACVM LEONVM.*

Hoc *prima vice* factum Tirinus ait sub Balthasare. Sed ille ne noverat Danielem, nisi nocte sibi fatali & emortuali. Duabus vicibus ergo illa supplicia remissionis in lacum Danieli Prophetæ inflicta fuisse Papistæ volunt. Quod vero, quomodocunq; *Historiam* & Chronologiam ipsi confundant, nullatenus vero consonat. Unde olim *alium Danielem* interfectorum Draconis, alium *Prophetam*, teste *Hier.* constituere, quam eidem Prophetæ duabus vicibus hoc supplicium exantlandum fuisse credere, maluere. Nam hunc Danielem ex tribu *Levi*, alterum a. ex *tribu Juda* dixere, è *stirpe Regia* oriundum. Sed tam verum illud de *gemina immissione Danielis* in lacum est, quam hoc de *gemino Daniele*. Committimus hic inter sese commentorum Patronos, imprimis *Papicolas.*

V. 32. ERAT AUTEM HABACUC PROPHETA IN IUDÆA.

Eundem, qui inter minores numeratur, intelligi *Pererius, Hector Pintus, Tirinus*, alii putant, & ad *Hieronymum, Epiphanium & Dorotheum* provocant: Sed vix ac ne vix quidem *Chronologia* id congruit, idcirco contradicunt *Torniellus*, & *alii.* atq; alium quendam *Habacuum* fingunt, hoc est geminum Habacuum faciunt. Sed non attinet operosius in his fabulis commorari. *Domine sanctifica nos in veritate, verbum tuum* (solum) *est veritas. Amen.*

*I. N. I.*

I. N. I.

# ANNOTATA
# AD MACCABAICUM I.

*Præloquium Grotii.*

MAgnæ fuere res Judæorum, adverse primùm, deinde dubiæ, postremum prosperæ, sub Antiocho Illustri, & is, qui enm sequuti sunt Syriæ Regibus. Earum in historia generali mentionem fecerant Græci, ac Latini scriptores, quorum meminit Hieronymus in Prolegomenis ad Danielem. Judæi complures partim inde, partim ex majorum suorum commentariis collegêre, quæ ad se pertinebant. Horum duo ad nos libelli pervenere, idem argumentum, sed non usquequaque consentienter tractantes, qui vocantur Maccabæorum primus & secundus. Nam tertius ad res in Ægypto ante gestas pertinet, ultimumque obtinuit locum, quod non parem nactus sit auctoritatem. Est autem liber primus scriptus diligenter, & cum Josepho bene convenit: plus tamen sæpe dolorum & affectuum admiscens, quam ferat historia. Vocantur autem Maccabæorum libri, ideo quod Judas Asmonæus libertatis vindex in vexillis scriptam habuit per figla, (ut Justinianus loquitur) sententiam eam quæ exstat Exod. xv. 11. מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה Solent enim Hebræi primas literas nominum colligere, & ex eis collectis vocem fingere compendii causa. Sic רַבְּבָם Rabbi Moses Ben Maimon, רַשְׁבָּם Rabbi Moses ben Nehman. Pari modo ex illis vocibus factum nomen, Maccabæi, quod Asmonæis adhæsit: & ab iis ipsa illa tempora dicta Maccabaica.

*OBSERVATIONES.*

*Nomen Maccab.*

DE *nomine* prius dicemus, κατ' ὕστερον πρότερον, tum de *numero*, & *ordine* librorum, porro de *auctoritate* eorundem, nec non de *auctoribus*, ut & *Chronologia*, denique de *argumento* & οἰκονομίᾳ *libri primi* in specie.

*Nomen Maccabæorum*, ex inscriptione vexillorum Judæ Asmonæi dicta ratione per Cabalam Ebræis receptam *Sigla*, quam ipsi רֹאשׁי תֵּבוֹת i. e. *Capita dictionum*, ob initialium literarum collectionem, vocant, è c. *Ex. XV. 12.* facta ortum esse, non abnuimus. Cum enim Judas Antiochum oppugnaturus ab Angelo moneretur, ut viriliter ageret, Deoque confideret, dedisse verba illa Exodi *quis est sicut tu inter Deos Domine*, vexillis abbreviate inscripta loco militaris tesseræ, fertur, quæ vulgus *MaCaBi* legit, atque inde Judam ipsum ob victoriam hoc symbolo reportatam nuncupavit. Vid. *Reuchl.* l. III. Cabal. *Mercer.* in abbrev. Ebr. *Schickard.* in bechin. happeruscb. p. 67. Quod nomen fratribus etiam Judæ, totiq; adeo familiæ postea cessit, ob merita & celebritatem Herois istius, qui Mattathiæ filii Ebræis *Asmonei* dicti sive ab *oppido tribus Hasmon*, Jos. xv. 27. seu potius quasi *Chasmonim, magni Principes*, uti *abavus* Mattathiæ *Hasmoneus* Josepho dictus. Atq; inde hæc scripta Græci appellarunt τὰ Μακκαβαϊκὰ quia *res gestas Judæ*, ejusq; successorum, & fratrum describunt. Non desunt tamen, qui simpliciter nomen מַכָּבָה à מָכַךְ *extinxit* deducant, q. d. *extinctorem*, uti Darius *Coercitorem*. & Xerxes ἀρηϊον *Martium* notat, observante *Drusio* l. 2. observ. in Macc. c. 14. Atque ita nomen Maccabæorum à *robore* desumtum, censet. *Joseph. Gorionid.* l. III. c. 9. cujus etymi rationem se non invenire fatetur Munsterus. *Füller.* l. II. c. 13. ita reddit quod מכה sit PLAGA, בי PER ME, q. d. *Plaga per me inferetur* (apostatis, & gentilibus populi persecutoribus.) Magis tamen probat deductionem nominis à מאב ut dicatur quasi *dolorem afferens*: vel à Syro מכב, ut notet φιλικὸν *amantè*. *Johannes Erhardus Fullenius* Jesuita Leodiensis in Commentar. Histor. & moral. ad 1. Maccab. proleg. p. 2. à Rad. כבש *subjugavit*, vel כבע *vi rapuit* deduci posse arbitratur. Sed inepte: sic enim tertia radicalis *Schin* vel *Ain*, absorbebitur. Cæterum aliud librorum horum nomen legitur apud Eusebium l. VI. c. 25. quod nempe *Origenes eorum inscriptionem* hanc observarit, σαρβὴθ σαρβανὶ ἐλ h. e. *Princeps domus Princeps filiorum Dei.* Vid. *Servius.*

*Numerus Maccab.*

Numerantur autem non tres tantum, sed *quatuor* libri, sub Macc. nomine. Nam & *quarti* Athanasius mentionem fecit in Synopsi. De quorum numero, summa, & ordine Tirinus in præf. libr. Macc. *Circumferuntur numero quatuor* (Maccab. libri) *explicant autem quia statq fuerit Ecclesiæ Dei sub tertia Monarchia, quæ fuit Græcorum. Sicut ergo libri* Eldræ, Nehemiæ & Estheræ *exponunt varios casus Synagogæ partim prosperos, partim adversos tempore secundæ Monarchiæ*, Persarum & Medorum; *Ita* hi libri Maccabæorum *recensent ejusdem casus tam calamitosos, quam felices* tempore tertiæ Monarchiæ sub Regibo Asiæ, & Ægypti, *juxta Prophetiam Dan. 2. 7. & 11. Quod si temporis habenda esset ratio, primum locum inter quatuor obtineret* tertius, *cum ea, quæ quarti Ægyptiorum Regis* Ptolemæi Philopatoris, & Antiochi magni *tempore Judæis contigerint, enarret. Secundus locus deberetur ei, qui nunc quoq;* secundus est, *& continet* acta Antiochi Epiphanis, & Judæ Maccabæi. *Tertio loco esset qui nunc* primus vocatur, *& præter acta Judæ Maccabæi, insuper etiam fratrum illius*, Jonathæ, & Simonis *victorias prosequitur. Quarto loco maneret qui nunc* quartus *est, quia gesta recenset* Johannis Hyrcani filii Simonis.

*De auctoritate libr. Maccab.*

Auctoritatem librorum Maccab. quod attinet, duos illos *tertium* nempe, & *quartum* Pontificii pro *Apocryphis* habent, *Francisco Turriano* tamen excepto, qui tertium etiam pro Canonico venditat, vel potius suadet, ut in *Canonem recipiatur* l. 1. de Can. Apost. c. 11. idq; ob autoritatem *Canonum Apostolicorum*, quod Canone 84. *tres libri Maccabæorum* computentur. Quo forte etiam inclinavit Tirinus, dum solos quidem duos priores Canonicos esse dicit, *reliquos* autem ADHUC *Apocryphos esse* ait, sc. donec & illos Ecclesia Romana, quæ primum & secundum in Canonem recepit, recipiat, tametsi fateatur, *eos à nulla probato Concilio, nullisq; Patribus in sacrorum librorum Canone reconsensi*, adeoq; Canones illos Apostolicos posthabeat, quos etiam ceu *apocryphos*, vel adulterinos tum *styli ratio*, tum *temporis collatio* docet, *& jus Canonicum* ipsum autoritate *Isidori* rejicit *C. sancta Romana dist. 15. 16.* ut taceam ea ratione etiam *Clementis duas Epistolas*, & *Constitutiones Apostolicas*, autoritate Canonis Apost. 84. Scripturæ Canoni accensendas fore, quo argumento *Bellarm.* ipse l. 1. de Verb. Dei cap. 20. hunc 84. Canonem rejicit.

*De Libro tertio.*

*Priores* tamen duos Maccab. libros ob definitionem *Concilii Tridentini sess. IV.* pro Canonicis suscipiunt Pontificii. Sed temeraria est illa definitio, quia libri illi nec à *Propheta* scripti sunt uti c. IX. 27. habetur, nullos amplius Prophetas superesse, ac longo tempore jam nullos fuisse: unde scriptis V. Test. utpote Propheticis accenseri non debuere, nec *lingua Ebræa* extant, quæ Canoni Vet. T. divinitus destinata fuit, nec *veritati* ubiq; litant, sed admixta habent *falsa* plurima, sibiq; ipsis passim *contradicunt*, quod agnoscit hic Grotius: ideoq; à Spiritu S. qui *veritatis Spiritus est*, profecta non sunt: ac præterea *impia, & superstitiosa* nonnulla continent, quæ omnia suis locis designabuntur: de-

*De Libr. 1. & 2.*

nique & ab *Ecclesia Judaica*, cui *credita fuere τὰ λόγια τȣ̃ Θεȣ̃ Rom. 3, 2.* reprobati sunt nec unquam pro *Canonicis* habiti, neque à *Christiana primitiva, Ecclesia*, nedum à *Christo*, & *Apostolis*, qui solos Propheticos libros in V. T. pro Canonicis & divinis habent, ceu *Canonici* & ἐνδιάθηκοι susceperi sunt, etsi *à Patribus nonnullis* quandoque allegentur Scripturæ nomine, quia scilicet *libris Bibliis* adhæserunt, & ad illustrandas scripturas divinas faciunt, atque *ædificationis Ecclesiæ causa* publice lecti sunt. Reprobantur certe à Canone ab *Origene* apud Euseb. l. VI. c. 28. *Athanasio* in Synopsi, *Hilario* in Proleg. super Psalm. *Amphilochio* in Jambis. *Ruffino* in Expos. Symb. *Hieronymo* præf. in libr. Reg. & Proverb. *Gregorio M.* l. XIX. Mor. c. 13. ut & à *Concilio Laodic.* c. 59. *Augustinus* ipse etsi l. XIIX. de C. Dei c. 36. l. 2. Contr. Epist. Gaudent. c. 13. *Ecclesiam libros Maccab. habere pro Canonicis* scribit, alio sensu id non intelligit, quam prout *Cajetano* monente *Canonici laxiori* significatione dicti, qui in *Ecclesia leguntur pro morum ædificatione*: quum diserte Augustinus eos è *scripturis divinis* excludat, & à Canonicis, proprie scilicet dictis, distinguat. *Concil. Carthagin. III.* ad quod provocant Papistæ, omittere in Canone Maccabæorum libros in Græcis editionibus, ut & in collectione Canonum Cresconii Africani notavit *Christoph. Justellus* ad Cod. Eccles. African. Adde & è Pontificiis *Occam.* part. III. Dial. tract. I. l. 3. c. 16. *Lyranum* in c. I. Esdr. *Carolum Sigonium* Comm. in Sever. Sulpit. &c.

De *auctoribus* horum librorum vix certi quid definiri potest, nisi quod duos diversos esse constet, quod patere ait Tirinus primum *ex materia*, quia posterior liber eadem quæ prior prosequitur, sed prorsus aliter, nec tamen meminit unquam alter alterius: secundo ex *Chronologia*, seu annorum supputatione, quæ in priore libro est *Alexandrina*, in posteriore *Chaldaica*, differentes fere semper integro sesquianno; tertio, *ex stylo & phrasi*, quæ in priore libro *Hebraism* redolet, in posteriore *Græcum*: Sicuti & *Origenes* in Ps. I. apud Eusseb. l. I. c. 25. & *Hieronymus* Epist. CVI. dicunt vidisse se priorem Maccabæorum librum Hebraeum, quem deperditum dolet *Scaliger* l. V. de emend. tempor. Sed imprimis diversitas insignis est utriusq; autoris in eo, *quod primus* liber *graviter scriptus sit*, posterior ex *quinq; libris Jasonis Cyrenei* ab autore incerto, *stylo prorsus affectato* in Epitomen redactus Vid. *2. Macc. II. 24.* adeo ut *B. Lutherus* non injuste pronunciarit *quam merito liber primus* (ob Characterem dicendi) *S. Scripturis accenseri potuerit, tam merito secundum rejectum esse. Qui* vero *auctores isti fuerint, non liquet*, ait. *Isidorus*, l. VI. Orig. c. 11. & l. de offic. c. 11. *Hieronymus* Catal. Vir. Illustr. & l. 2. contr. Pelag. *Josephum* autorem utriusque facit: sed in eo calculum non meretur. *Rupertus, Mariana* & *Servius* posteriorem *Judæ Esseno* tribuunt, de quo 2. Macc. I. 10. Sed nulla autoritate, etsi is valde à Josepho celebretur l. XIII. 5. 9.

## Ad intelligentiam Maccabaicorum proderit observasse seriem Regum Syriæ & Ægypti, quorum plerique in illis & à Daniele commemorantur. Sunt autem hi ordine cum annis regiminis uti sequuntur.

*REGES SYRIAE.*

ALEXANDER M. à cæso Dario Monarcha 6. annis.

SELEUCUS NICANOR ante devictum Antigonum, ex quo Asiæ imperium obtinuit, unde anni Seleucidarum ineunt regnavit ann. 13.

Post eundem devictum annis - - 30.

ANTIOCHUS SOTER Seleuci filius annis 19.

ANTIOCHUS Θεὸς Soteris filius, de quo Daniel c. XI. 5. regnavit annis - - 15.

SELEUCUS CALLINICUS, qui Berenicen novercam, cum infantulo interfecit; Sed neptem suam ultus est Ptolemæus Evergetes, spoliavit regnum Callinici Dan. XI. 7. Regnavit ann. 20.

SELEUCUS CERAUNIUS Callinici Fil. Dan. XI. 10. - - - - - 3.

ANTIOCHUS MAGNUS Ceraunii frater cæsus primum à Philopatore Ptolemæo, post contra filium ejus Epiphanem Ptolemæum castra movit, sed à Romanis Epiphanis pupilli tutelam suscipientibus victus, quibus Asiam cessit & filium Antiochum Epiphanem obsidem dedit; ab Elymæis post ea cum omni exercitu suo deletus juxta vaticinium Dan. XI. 10. -. 20. & lib. 3. Maccab. - - - - 37.

SELEUCUS PHILOPATOR Antiochi M. filius natu major. Nullis præliis, sola avaritia famosus Dan. XI. 20. 2. Maccab. 3, 33. - 12.

ANTIOCHUS EPIPHANES Philopatoris frater regnum dolo invasit (Vivis coloribus à Daniele c. XI. 21. c. 8, 9. 23. depictus) anno Regni Græcorum 137. (1. Maccab. I. 11.) qui

Anno 1. regni sui exauctorato Onia summo & sancto Pontifice impium Jasonem fratrem ejus surrogavit 2. Maccab. IV. 7.

Anno 2. primam expeditionem suscepit in Ægyptum 2. Macc. IV. 21. Dan. XI. 22. inde Hierosolymam pacatus ingreditur 2. Macc. IV. 21.

Anno 5. submoto Jasone Menelaum in Pontificatu substituit 2. Macc. IV. 23. c. 3. 4.

Anno 6. bellum secundum in Ægyptum instituit 2. Macc. V. 1. 1. Macc. I. 18.

Anno 7. à Romanis coactus Ægypto quam invaserat, excedere, Hierosolymam revertitur omnemque furorem in Judæos effundit Dan. XI. 29. 1. Macc. I. 21. 2. Maccab. V. 11. seqq. triduo solo occidit Hierosolymis 80000. Judæorum, vendit 40000. & totidem in carceres abripit 2. Macc. V. 14. Mox per Apollonium plures alios de novo trucidat v. 24. alios item per Philippum cap. VI. 11. Idolum Jovis abominabile in templum collocat v. 2. Tunc & Eleazarus martyrio afficitur v. 18. & septem fratres Maccabæi c. VII.

Anno 9. insurgit adversus tyrannum Mathatias 1. Maccab. 2. Quo post aliquot menses defuncto filius ejus Judas Maccabæus arma capessit c. III.

Anno 10. Apollonius à Juda occisus 1. Maccab. III. 11. & alter Antiochi belli Dux prostratus vers. 23.

Anno 11. (qui Græcorum erat 147.) Antiochus in Persidem contendit 1. Maccab. III. 37. Judæi Gorgiam fundunt, & fugant c. IV.

Anno 12. Judæi ipsum quoque Lysiam in fugam compellunt, templumque Hierosol. emundant. v. 52.

Anni 13. initio in reditu è Persida moritur Antiochus cap. VI. 16. Cum regnasset integris annis - - - - - - 12.

ANTIOCHUS EUPATOR, filius Antiochi Epiphanis novennis successit: cum tutore Lysia à Demetrio Seleuci Philopatoris filio occisus anno Græcor. 151. regnavit annis 2.

DEMETRIUS SELEUCI filius regnavit usque ad annum Græc. 160. ab Alexandro Veles occisus; per annos (1. Mac. I. 7. c. X. 1. 50.) 10.

Ejus anno 2. Judas Macchabæus occiditur à Bacchide

Bacchide & Alcimo ducibus Demetrii, 1. Macc. IX. 1. 3. 18. cui mox Ionathas surrogatur v. 30.

ALEXANDER VELES Antiochi Epiphanis filius (vulgo habitus) præfuit ab anno Græcor. 160. finiente usque 167. inchoantem (1. Macch. XI. c. XI. 17.) qui per Zabdiel Arabem, & Ptolemæum Philometorem Regem Ægypti, socerum suum (qui & ipse tertio post die mortuus est) occisus: regnavit annis duobus postremis una cum Demetrio Demetrii Seleuci filio 1. Maccab. X. 67.) per annos - - 6.

DEMETRIUS Demetrii Seleuci filius Josepho Nicanor dictus ab anno Græcor. 167. (1. Macc. XI. 19.) usque ad 172. quo captus est ab Arsace rege *Parthorum* (1. Macc. 14, 1. 3.) regnavit annis - - - - - 6.

ANTIOCHUS Alexandri Velis filius ope Tryphonis tutoris ad regnum evectus, tenuit illud ex parte per quadriennium, sed vivente Demetrio Nicanore ab anno 168. usque ad 172. 1. Maccab. 11, 39. 54. ab eodem Tryphone occisus. 1. Macc. 13, 32.

TRYPHON extra ordinem & stirpem Seleucidarum regnum Asiæ per dolum & cædem Antiochi obtinuit: qui antea etiam fraudulenter Jonathan & filios ejus occiderat, 1. Macc. XIII. 12. 23. occisus & ipse à Sedete. Joseph. l. 13. Antiquit. c. 8. Præfuit per annos - - 3.

ANTIOCHUS SEDETES Eusebio, Josepho Soter filius emetrii Seleuci frater Demetrii Nicanoris, eo à Parthis capto 1. Macc. XIV. 3. oblatam fratris uxorem Cleopatram cum regno capessit occiso Apamææ TRYPHONE invalore. Vid. Joseph. l. c. Fœdus cum SIMONE Judæ Maccabæi fratre initit, & fregit (1. Macc. XV. 1. 27.) post interemtus à fratre suo Demetrio Nicanore, cum regnasset annis - - 7.

*REGES ÆGYPTI.*

ALEXANDRO M. successit in regno Ægypti

PTOLOMÆUS LAGI ante gregarii militis filius, Soter dictus, de quo Dan. XI. 5. Multa Judæorum millia abduxit in Ægyptum, regnavit annis - - - - - 40.

PTOLEMÆUS PHILADELPHUS filius annis - - - - - 38.

PTOLEMÆUS EVERGETES ejus frater annis - - - - - 26.

PTOLEMÆUS PHILOPATOR, de quo Dan. XI. 10. sub nomine Regis Austri annis 17.

PTOLEMÆUS EPIPHANES ejus Filius duxit Cleopatram ANTIOCHI M. Filiam Dan. XI. 17. regnavit annis - - - 23.

PTOLEMÆUS PHILOMETOR ejus filius annis - - - - - 35.

PTOLEMÆUS EVERGETES II. qui & PHISCON post mortem fratris regnavit annis 29. Duo illi fratres in magno schismate vixêre post mortem Patris Ptolemæi Epiphanis. Insurgentibus enim Ægypti primatibus in Philometorem 2. Macc. IV. 21. eique substituentibus Phisconem Antiochus Epiphanes Syriæ Rex specie ferendæ opis suæ ex sorore nepoti Philometori, semel atque iterum expeditionem in Ægyptum suscepit 2. Macc. IV. 21. 1. Macc. I. 17. quod v. factum revera est, cum regnum Ægypti suo regno adjungeret. Inhibentibus vero id Romanis in Judæos grassatus est Antiochus 1. Macc. I. 21. Porro cum Ptolemæus Philometor Alexandro genero suo regnum Asiæ eripere tentavit subito extinctus est. 1. Macc. XI. 18. Anno regni Græcorum 167.

Cæterum primus Maccabæorum historiam annorum fere 40. continet, & ea, quæ à *Juda & fratribus* sub *Antiocho Epiphane, Eupatore, Demetrio Sotere, Alexandro Epiphane, Demetrio Nicanore, & Antiocho Sedete* Regibus gesta sunt, describit: ac distribui potest in duas partes. In *prima* ea continentur, quæ gesta sunt à *Juda Maccabæo*, usque ad c. IX. præmissis tamen iis, quæ Pater gessit. Huc ergo spectant quæ contigere partim sub *Antiocho Epiphane*, vel Illustri usq; ad c. 6, 17. partim quæ sub aliis Regibus: & quidem tum sub *Antiocho Eupatore* Epiphanis filio c. 6. tum sub *Demetrio* Seleuci filio c. 7. 8. 9. *Altera* parte exhibentur res gestæ *fratrum Iudæ*, & quidem tum *Jonathæ* c. IX. X. XI. XII. tum *Simonis* c. 13. 14. 15. 16.

Atque hæc in antecessum de libris Maccabæorum, quos commentariis & notis illustrarunt *Rabanus, Thomas, Lyran. Carthusian. Lorichius, Joh. Erhard. Fullonius, Osiander, Belgici Interpp.* Draudius in Biblioth. Class. recenset & *Simonem Anglum, Joh. Hagen ab Indagine, Guilhelm. de Meletona &c. Serarius, Tirinus, Menochius, Drusius.* Quæ ἀσυνφωνίας cum aliis Historicis in his libris occurrunt, *Albericus Gentilis* conatus est expedire peculiari tractatu eam in rem edito. Sed in progressu constabit nonnulla conciliationem nullam admittere, & neque omnes, neque potiores ἀντιλογίας attigit, nedum expediit Gentilis. Ipsi etiam Grotio, utut in talibus expeditissimo in quibusdam aqua hæsit.

*PARS I.*

# CONTINENS GESTA JUDÆ MACCABÆI.

## CAPUT I.

*Alexander M. moriturus regnum inter suos Principes dividit: ab horum uno genitus est Antiochus Epiphanes tyrannide illustris. Qui post spoliatam Ægyptum Hierosolymam invadens templum diripuit, idololatria polluit, libros sacros abolere conatus est, circumcisionem prohibuit, Israelitas ad idololatrica sacra coegit, multis deficientibus, aliis autem mortem potius subeuntibus.*

V. 1. *ET FACTUM EST*) Initium ad formam Hebraicam, ut Jud. I. initio Baruchi & alibi.

*QUI PRIMUS REGNAVIT IN GRÆCIA*) Hoc posterius sequitur in Græco, & quidem post Darii mentionem: *& pro eo primus regnavit in Græcia.* Per Græciam intellige Syriam & Ægyptum, quæ כתים eo tempore dicta Hebræis.

*QUUM præcedat ἀνθ' οὗ* pro eo, *& dictum sit Darium hunc nunquam in Græcia regnasse, quis non animadvertit, Græciam hic pro Asia sumi debere?* ait Drusius. *Sic Syria cava vocatur in historia Ebraica Macedoniæ f. 32. col. 4.* Sic regnum Græcorum, *id est, Syro-Macedonum, qui non in Græcia sed in Asia regnarunt. Sepe isto sensu usurpatum vomen* יון *apud compositorem Historiæ gentis Iudæorum.*

*EGRESSUS DE TERRA CITHIM*) Diximus alibi primum Cyprios dictos כתים, ubi est *Kition* colonia Phœnicum: deinde per κατάχρησιν omnia loca trans mare peti posita: in quibus est & Macedonia. Vide quæ dicta ad Num. 24, 24. & infra §. 9.

Egressus autem est *anno 2. regni sui* dicente *Diodoro* lib. XVII. de terra Cethim, id est, *ex Occidentalibus insulis, & regionibus maritimis, quales erant Græcia, Macedonia, Cyprus, Italia,* &c. ut Hieronym. etiam exposuit. Cæterum Alexand. M. Philippi filium hic dici tantum ex opinione vulgi putat *Fullonius*, quod Olympias à Philippo repudiata fuerit ob stupri suspicionem, aut ob adulterium commissum quod & Philippus ultimo pro-

pe vitæ

pe vitæ tempore Alexandrum filium suum non esse prædicarit, teste *Justino*, quodque Alexander ipse stirpis suæ incertus ad Ammonis Cornigeri oraculum ea potissimum de causa adierit, ut certi aliquid disceret, teste Arriano, qui ejus Historiam ex Ephemeridibus ipsius domesticis contexuit.

*DARIUM REGEM PERSARUM ET MEDORUM*) Ad Arbella. Hic in Græco τὸν ἐνάνδρε repetitur, cum præcessisset μετὰ τὸ πατάξαι. Nimirum solet id fieri, post interjectam parenthesin, quo melius appareat sermonis cohærentia.

Vers. 2.

*CONSTITUIT PRÆLIA MULTA*) In Græco: *Gessit bella multa.* Non cum Persis tantum sed & cum Græcis, & Indis.

Tria fuere illustrissima, ad Granicum amnem Phrygiæ cum Darii Ducibus: ad Issum Ciliciæ, & decretorium illud ad Arbela juxta Tigrin.

*ET OBTINUIT OMNIUM MUNITIONES*) Justinus: *Nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit.*

*ET INTERFECIT REGES TERRÆ*) Reges vocat more Hebræo præfectos magnarum nationum.

Vers. 3. *ET PER TRANSIIT USQUE AD FINES TERRÆ*) Ad Oceanum Indicum.

*ET ACCEPIT SPOLIA MULTITUDINIS GENTIUM*) De ingente præda, quam ex Asia habuit Alexander, vide Strabonem lib. XV.

*ET SILUIT TERRA IN CONSPECTU EJUS*) Locutio Hebræa: id est, paruit ei. שקט לפניו

V. 4. *ET EXALTATUM EST, ET ELEVATUM EST COR EJUS*) Ita ut pro Deo haberi concupisceret.

*Anno* ut dictum est, *secundo* regni sui primum iniit prælium cum Ducibus Darii Regis Persarum & Medorum: Anno *tertio* secundum prælium. Anno *sexto* subjugatis interim Phœnicia, Ægypto, & Judæa Darium tertio prælio penitus prostravit, totiusque Asiæ Imperator salutatus est. Hic est ille *Dan. 7, 6.* alatus pardus, ille *occidentis hircus* c. 8, 5. bicornem *Orientis arietem* prosternens, & conculcans, v. 7. Nec his contentus victoriis, imperio totî mundi inhians. Conf. de præliis ejus, & quomodo ad Gangem usque & Oceanum Indicum sibi omnia subjecerit *Josephus* l. XI. Antiqv. c. ult. *Justin.* l. XI. *Livius* l. XLV. Plinius l. X. c. 7. Notat tamen *Fullonius*, cum cujus ambitioni angustus erat orbis universus, vix ejus duodecimam partem habuisse. Americam ne norat quidem. In Africa nil præter Ægyptum obtinuit. Æthiopas, Libyos, Numidas, cæterosque Lusitanorum victoriis aut commerciis lustratos Africæ populos non vidit. Asiæ dimidium non subjugavit. In Europa nihil possedit præter Macedoniam & devictas à Patre Græciæ provincias.

Vers. 7. *ET VOCAVIT PUEROS SUOS NOBILES*) παῖδας vocant Hellenistæ omnes alicujus ministros, quales Alexandro complures erant valde illustres.

*Pueri Regii*, inquit Livius l. XXV. *apud Macedonas vocabantur principum liberi ad ministerium regis delecti.*

*ET DIVISIT ILLIS REGNUM SUUM CUM ADHUC VIVERET*) Id est, præcipuam rerum curam permisit viris quatuor: de quibus diximus ad Dan. 8, 22.

*Josephus filius Gorionis* l. III. *partitus* inquit, *est terram in quatuor principes magnos de familia sua.* Contrarium docent exotici scriptores, per Perdiccam nempe vel alios post mortem Alexandri M. regnum divisum esse, *Justinus* l. XII. *Diodorus* l. XX. *Curtius* in morte Alexandri, ut & Orosius l. III. c. 23. Sic & *Josephus* l. XI. 8. *Post obitum Alexandri imperium ejus inter successores est divisum.* Quis hæc conciliabit? Curtius refert quidem, *credidisse quosdam testamento Alexandri distributas esse provincias*: addit vero: *sed famam ejus rei (quanquam ab auctoribus tradita est) vanam fuisse comperimus.* Et satis liquet ex oratione Perdiccæ post obitum Alexandri habita nihil de successore uno vel pluribus ab Alexandro statutum fuisse. *Capite opus est*, inquit apud Curtium Perdiccas libr. X. Hoc uno, an pluribus in vestra potestate est. Addit; *Sextus mensis est, ex quo Roxane pregnans est. Optamus ut marem enitatur, cujus regnum Diis approbantibus futurum quando adoleverit, interim à quibus regi velitis destinate.* Cæterum in hac divisione *Ptolemæo* Ægyptus cessit; *Seleuco* Asia major, seu Syria, & Babylonia: *Antigono* minor Asia: *Arideo* & *Antipatro*, utpote tutoribus Alexandri junioris Alex. ex Roxane filii Macedonia cum bona parte reliquæ Græciæ. Quia post mortem Alex. M. demum hæc distributio contigit: ut falsitatis hic rea sit hæc libri Maccabæor. narratio quasi ante *Alexandri* mortem facta sit.

V. 8. *ANNIS DUODECIM*) Et quod excurrit.

Annis *sex Monarcha* fuit, *duodecim* regno suo præfuit, ætatis 32. cum 8. mensibus diem ibiit. In lectum decidisse v. 6. dicitur seu veneno, seu crapula Babylone prostratus, quorum hoc volunt *Curtius*, *Justinus*, & alii, illud *Athenæus*, de quo hic prolixe Fullonius.

Vers. 10. *ET IMPOSUERUNT OMNES SIBI DIADEMATA POST MORTEM EJUS*) Signum regiæ potestatis. Narrat hoc Diodorus Siculus libro XX.

Non statim post mortem Alexandri: Omnes enim eo honore abstinuisse, quamdiu filii Regis sui superarent Justinus l. XV testatur.

ET MULTIPLICATA SUNT MALA IN TERRA.

Mutuis enim bellis collisserunt inter se Alexandri successores, unde magnis cladibus affecti sunt populi.

Vers. 11. *RADIX PECCATRIX*) ῥίζα ἁμαρτωλὸς, id est, mulcas de se edens actiones pessimas, ut radix ramos.

Drusius, *vocatur*, inquit, radix peccati, *quia primus Judæos coegit peccare, h. e. Deos gentium colere:* Sed rectius ad peccata Antiochi ipsius refertur, quæ ex hac infelici radice propullularunt. Conf. *Ebr. XII. 15. 1. Tim. VI. 10.*

*ANTIOCHUS ILLUSTRIS*) Ἐπιφανὴς Græcis: Inimicis ἐπιμανὴς.

Scilicet *illustris* seu *nobilis* à rerum gestarum gloria dictus à suis gentilibus, sed quia bellicam gloriam fœde obscuravit insanus in Deum Deiq; cultores furor, sordidæq; helluationes & scortationes, ἐπιμανὴς id est, *insanus* passim audiebat. Vid. *Joseph. Gorion.* l. III. c. 6. *Polybius* l. II. v. 10.

*FILIUS ANTIOCHI REGIS*) Magni Antiochi.

*QUI FUERAT ROMÆ OBSES*) Nempe Antiochus Illustris. Meminit Justinus XXXIV.

Obses fuerat pro patre suo à Scipione in Asia devicto: sed morte fratris sui Seleuci Philopatoris comperta, Roma profugit in Syriam, regnumq; ut *Dan. c. XI. 21.* prædixerat, invasit, exclusoque Demetrio fratris Seleuci filio, cui regnum jure debebatur.

*REGNAVIT IN ANNO TRICESIMO SEPTIMO REGNI GRÆCORUM*) In Syria scilicet: id est, à Seleuci initio. Sic & infra 21. & 57. Antiocho huic cœvus fuit Perseus rex Macedonum, cujus victi historiam cum narrasset Livius libro XLV, ait *Macedonum regnum à summo culmine fortunæ* (id est, à rebus Alexandri M.) *ad ultimum finem quinquagesimo annos stetisse.*

V. 12. *EXIERUNT EX FILIIS ISRAEL VIRI INIQUI*) Menelaus & Tobiæ filii. Joseph. Ant. XII. 6.

*EAMUS ET DISPONAMUS TESTAMENTUM CUM GENTIBUS*) Fœdus faciamus cum Antiocho, &, quo id sit firmus, sacra ejus suscipiamus. Sic & olim multi fecerant, modo in Chaldæorum, modo in Ægyptiorum gratiam.

*QUIA EX QUO RECESSIMUS AB EIS INVENERUNT NOS MULTA MALA*) Falsam allegant malorum suorum causam, ut illi apud Jer. 44, 18. ita animo exciderant ingentia illa beneficia Dei, qui ipsos ab idolis ad se conversos in patriam restituerat.

V. 13. *ET DEDIT ILLIS POTESTATEM, UT FACERENT JUSTITIAM GENTIUM*) Ut sequerentur ritus gentium: id enim est quod δικαιώματα significant. Potestatem dedit, id est, promisit se eos qui id facerent indemnes præstiturum.

Vers.

Vers. 15.

ET ÆDIFICAVERVNT GTMNASIVM IN HIEROSOLTMIS) Lorum in quo homines nudi luctabantur: quod contra mores erat Hebræorum. Et certe, si Accio credimus,

*Flagitii principium est, nudare inter cives corpora.*

Vide II. Macc. IV. 12.

*Iuvenes* ibi exercitia habuisse, quæ *discos, arcu, saltu, cursu, luctâ* peraguntur *Johan. Marian.* ait: Conf. *2. Macc. 4, 14.* Sed non illa sola: neque tantum, quæ in *profanis & superstitiosis literis* instituta, ut *Thomas, Lyran. & Genbrardus* volunt, fed etiam in impuris omne genus libidinibus exercitia ibi frequentata esse alii censent, siquidem *l. 2. c. 4. v. 12. Gymnasio* huic *ephebia*, seu *lupanaria*, & quidem masculà conjungantur, qualia lustra etiam olim *Hierosolymis* ab impiis Regibus instituta *1. Reg. 15, 12. 2. Reg. 23, 7.* & postea ab Herode restaurata, teste *Josepho* l. XV. Ant. c. 9. l. XV. c. 11. Sed hæc sententia nititur imprimis *vulgatæ versioni 2. Macc. 4, 12.* Vid. quæ illic annotata.

Vers. 16.

ET FECERUNT SIBI PRÆPUTIA) Id est, ὑπεσπάσαντο, quod est verbum ei rei proprium, apud Fabium I. Cor. VII, 18. & Epiphanium de ponderibus & mensuris. Attrahebatur enim pellis ad tegendam glandem ea ratione quam describit Celsus VII. 25. Id Josephus vocat, τὴν αἰδοῖον περιτομὴν ἐπικαλύπτουσι.

ET RECESSERVNT A TESTAMENTO SANCTO) A fœdere. Hebræa circumcisionem eximie vocant בְּרִית.

ET VENUMDATISUNT VT FACERENT MALUM) Manciparunt se peccatis. Locutio eadem 1. Reg. XXI. 25. Rom. 7, 15. Simile Judith. 7, 14.

Vers. 17.

ET PARATVM EST REGNVM IN CONSPECTV ANTIOCHI) כִּנּוֹן, quod ἑτοιμάζω solet verti, sed significat *confirmatum est*. Postquam bene se stabilitum in regno Syriæ vidit Antiochus: τῆς βασιλείας αὐτῷ χωρούσης κατὰ τρόπον, ait Josephus.

Ἕτοιμον *in lingua Hellenistarum firmum, stabile*, ait Drus. ut *Ps. 93, 2.* Græci potius dicerent ἠρεμοῦν.

ET COEPIT REGNARE IN TERRA ÆGYPTI) In Græco: καὶ ὑπέλαβε βασιλεῦσαι τῆς Αἰγύπτου. *Cogitabit de adipiscendo regno Ægypti.* ὑπολαμβάνειν est cogitare: Ut Jerem. XXXVII. 8. & propius ad usum qui in hoc loco, Sap. XVII. 2. πάθοι αὐτὸς (Αἰγύπτος) λαβὼν, ait Josephus.

Vers. 18.

IN MVLTITVDINE GRAVI, IN CVRRIBVS, ET ELEPHANTIS, ET EQVITIBVS, ET COPIOSA NAVIVM MVLTITVDINE) μετὰ πολλῆς δυνάμεως, Josepho, exercitu magno Dan. II, 25. ubi dicta vide.

Vers. 19. ET CONSTITVIT BELLVM) Eadem locutio quæ supra 2.

ADVERSVS PTOLEMÆVM REGEM ÆGYPTI) Philometora, ut hic Josephus & Hieronymus ad Danielem.

Nimirum pulso *Heliodoro* in vasore, & *Demetrio* quoque nepote suo fraudibus fublato, ut hic *Tirinus* habet, regnum jam pacifice possidebat Antiochus. Sed non contentus regno uno paterno, tentavit etiam partim dolo, partim vi potiri sceptro Ægyptio, ut prædictum erat *Dan. 11, 22. seqq.* Eripuerat jam Patrueli suo absenti, Romæ obsi di regnum Syriæ: jam etiam alteri è sorore Cleopatra consanguineo suo, eidemque pupillo regnum eripere molitur. Et hæc est *secunda* Antiochi hujus in Ægyptum expeditio *2. Maccab. V. 1.* de *priori* habes *2. Maccab. 4, 21.* quæ videtur *anno secundo* regni ejus suscepta: posterior vero *anno sexto*, nempe 142. anno regni Græcorum, ut hic insinuatur: Nam *sequente anno* regressus ASCENDIT HIEROSOLYMAM, ubi ut v. 23. habetur ingressus SANCTIFICATIONEM, id est *sanctuarium*, sive templum, totius orbis locum sanctissimum, extulit inde ALTARE Thymiamatis *aureum*, & MENSAM auream, in qua panes Deo sacrati apponi solebant, ET LIBATORIA, id est, *crate-*

*res* ad vinum Deo libandum, unde COMMOTA, conturbata, mærore repleta est tota terra Judææ *v. 29. Drusius* primam expeditionem anno regni sexto, alteram anno octavo factam dicit, qui fuit Græcorum 145. Sed *Tirini* computus rectius habet. Conf. *p. 21.* Gemina illa expeditio prædicta *Dan. 11, 25. 29.* Vid. *Hieronym.* in istum locum.

Vers. 20. Eod. VERITUS EST PTOLEMÆUS A FACIE EJUS, ET FUGIT) *Et non stabunt*, ait Daniel.

Vers. 20.

ET COMPREHENDIT CIVITATES MUNITAS IN TERRA ÆGYPTI) Josephus: κατεδουλώσατο τὴν Αἴγυπτον.

Vers. 21.

IN CENTESIMO ET QUADRAGESIMO ET TERTIO ANNO) Postquam Seleucus regnavit. Ita Josephus.

Vers. 22.

ET ASCENDIT HIEROSOLTMAM IN MULTITUDINE GRAVI) Dan. 8, 12. Josephus: μετὰ πολλῆς δυνάμεως.

Vers. 23.

INTRAVIT IN SANCTIFICATIONEM) εἰς τὸ ἁγίασμα, in sanctuarium. Sic & Dan. XI. 31.

ET ACCEPIT ALTARE AUREUM) βωμοχρύσεον. Sic & Josephus.

ET CANDELABRUM LUMINIS) λυχνίας χρυσᾶς, Josephus plurali numero, quia multi erant scapi.

ET UNIVERSA VASA EJUS) Forcipes, patellas, Exod. 25.

ET MENSAM PROPOSITIONIS) Τράπεζαν ait Josephus.

ET LIBATORIA) Quibus vinum libabatur, Exod. 25, 29. 37, 19. Num. IV. 7. I. Par. XXVIII. 17.

ET PHIALAS) Ad vinum, similam, oleum.

ET MORTARIOLA AUREA) Θυίσκας in Græco: Ea sunt thuribula, Josepho θυμιατήρια. Ita enim legendum quomodo 2. Paralip. 26, 19. Ezech. 8, 11. Male nunc in Josephi libris θυσιατήρια. Præcessit enim altaris holocaustorum mentio, neque præter id aliud erat altare, nisi fustitum.

ET VELUM) μετὰ τῶν καταπετασμάτων ἀπασχολισμῶν, ἅπερ ἦν ἐν βύσσῳ καὶ κόκκῳ πεπασμένα. Josephus.

ET CORONAS, Regum dona. Vide Josephum I, 2.

ET ORNAMENTUM AUREUM QUOD IN FACIE TEMPLI ERAT) *Omnem ornatum aureum, qui pro Templo confabricabatur.* Coronas & fustula appensa Templi foribus, ut discimus infra IV. 57.

ET COMMINUIT OMNIA) καὶ ἐλέπισε πάντα, *decorticavit omnia*, nempe quæ non aurea, sed inaurata erant.

Drusius, *desquamavit omnia, sive nudavit omnia squamis*, Squama auri, ut squama æris Lex. Vet. λεπὶς χαλκῆ.

Vers. 24.

ET VASA CONCUPISCIBILIA) τὰ σκεύη τὰ ἐπιθυμητὰ: opera ex gemmis facta, aut gemmata, כְּלֵי־חֶמְדָּה, Dan. XI. 8.

ET ACCEPIT THESAUROS OCCULTOS QUOS INVENIT) κειμένους καὶ τοὺς δυναστεῖς τοὺς ἀποκρύφους. Josephus.

Vers. 25.

ET FECIT CÆDEM HOMINUM) Id est, *cum fecisset*. τοὺς μὲν ἀνῄρετο. Josephus.

ET LOCUTUS EST IN SUPERBIA MAGNA) Dan. VII. 8.

Vers. 27.

ET INGEMUERUNT PRINCIPES) ἄρχοντες. Sic eximie solent dici magni Senatûi senatores.

ET SENIORES) Decuriones urbis.

VIRGINES ET JUVENES INFIRMATI SUNT) ἐξένευσαν. In morbos inciderunt præmœrore. Vid. II, 1.

ET SPECIOSITAS MULIERUM IMMUTATA EST) Simile loquendi genus Sirach. 13, 31.

Vers. 28.

OMNIS MARITUS SUMSIT LAMENTUM) Id est novus maritus, νυμφίος. Eas personas nominat quas minime decebat luctus.

ET QUÆ SEDEBANT IN THORO MARITALI) ἐν παστῷ, id est, in thalamo. Ps. XIX. 6. Joël. II. 16.

Vers. 29.

ET COMMOTA EST TERRA SUPER HABITANTES IN EA) Id est, hominibus præ horrore visa est commoveri terra. Tale illud:

*Et geminum sidem, & duplices considere Thebas.*

ET

ET VNIVERSA DOMVS IACOB INDVIT CONFVSIONEM) Locutio Hebraeat ut Job. VIII, 10. Psalm. CXXXII, 18. Sic ex contrario dicuntur felices gloria indui.

Vers. 30.

ET POST DVOS ANNOS DIERVM) Περιπλώμενος ἐαυτοῦ, ut Homerus loquitur.

*Post duos plenos annos, ita ut dies aliquot superfluerent* ut hic *Tirinus.*

MISIT REX PRINCIPEM TRIBVTORVM) Apollonium. 2. Macc. 24.

Reliquerat Hierofolymis Philippum quendam genere Phrygem, qui Judæos vexaret. Post misit Apollonium.

Vers. 31.

ET LOCVTVS EST AD EOS VERBA PACIFICA IN DOLO) Paris servantem se simulabat, ut ait secundi Maccabæi scriptor dicto jam loco.

Vers. 33.

ET ACCEPIT SPOLIA CIVITATIS) διαρπάσας πᾶσαν τὴν πόλιν: Josephus.

ET SVCCENDIT EAM IGNI) Partem ejus. ἐνέπρησε δὲ αὐτῆς τὰ κάλλιστα: Josephus.

ET DESTRVXIT DOMOS EJVS ET MVROS EJVS IN CIRCVITV) καταβαλὼν τὰ τείχη, Josephus: qui omnia per Hieridorum gesta Antiocho tribuit, ut auctori.

Vers. 34.

ET CAPTIVAS DVXERVNT MVLIERES ET NATOS, τοὺς δὲ αἰχμαλώτους γυναῖκας ἅμα καὶ τέκνοις ἤλασεν. Josephus.

Vers. 35.

ET ÆDIFICAVERVNT CIVITATEM DAVID MVRO MAGNO ET FIRMO, ET TVRRIBVS FIRMIS, ET FACTA EST ILLIS IN ARCEM) Locus quidem hic opere factus eratimminens Templo, sed situs erat in parte urbis inferiore, ut Josephus nos docet, non hoc tantum loco, sed & apertius belli Judaici l. I. Erat ergo hic locus in Septentrionali parte, ex qua sola Templo nocere poterat. Vide Josephum eundem XIV. 8.

Ita quidem *Serarius* cum *Vilalpando*, & *Adrichomio* arcem hanc Syrorum in *parte inferiori* collocant, pro se citantes Josephum. Sed observat *Fullonius* Josephum a seipso dissentire, quia l. XII. 14. indicat in monte Sion, & hic Civitatem David nominari, qua voce proprie mons Sion notetur 2. Sam. 5, 7. 1. Reg. III. 1, 1. Par. XI. 5. arcesq; in editissimo loco strui soleri, cui alius nullus imminear, qualem jam olim Jebusæi Solymis elegerant, inde per Davidem depulsi 2. Sam. V.

Vers. 36

ET POSVERVNT ILLIC GENTEM PECCATRICEM) φυλὴν Μακεδονικὴν, quibus se addidere τῶν πολλῶν οἱ ἀπόστοι καὶ πονηροί, ut narrat Josephus.

Vers. 37.

ET FACTI SVNT IN LAQVEVM MAGNVM) εἰς μεγάλον σκῶλον: id est, causa peccandi multis. Sic σκάνδαλα sumitur 1. Tim. 3, 7. VI. 9. 2. Tim. 2, 26.

Laqueus periculi potius hic intelligendus, quod præsidiarii civibus omnibus, sed imprimis templum adeuntibus crearunt, eos quasi laqueo irretientes, ipsisque insidiantes, ut caperent.

Vers. 38.

ET FACTVM EST HOC AD INSIDIAS SANCTIFICATIONI) Insidiæ inde fiebant Templum frequentantibus. Vide supra 33.

ET IN DIABOLVM MALVM IN ISRAEL) εἰς διάβολον πονηρὸν τῷ Ἰσραήλ, singularis pro plurali: multi enim in arce erant delatores: nisi forte scriptum fuit, εἰς διαβολὴν πονηράν.

*Menochius*, in *hostem* perpetuo intentum & excubantem ad nocendum.

Vers. 39 ET EFFVDERVNT SANGVINEM INNOCENTEM PER CIRCVITVM SANCTIFICATIONIS) Qua ad Templum ibatur.

ET CONTAMINAVERVNT SANCTIFICATIONEM) Polluit Antiochus Templum suibus mactatis, ut narrat Josephus. Altera & major pollutio infra sequetur.

Hæc acciderunt anno regni sui octavo, & 145. *regni Græcorum*, vel *Seleucidarum*, qui ab Ægyptiis *Alexandri* anni dicuntur, & a nonnullis *Judaici*, quia fere omnium hac æra Judæi in Judæa degentes, vocantur. Quam æram inchoavit *Seleucus* non ab initio regni sui aut morte Alexandri M. sed *12. annis & 8. mensibus post Alexandri mortem a mense primo Nisan, forte quia illo anno, & mense Seleucus devicto Antigoni emulo fuit filio Demetrio, ex Ægypto, quo profugerat, Babylonem reversus, imperium totius Asiæ sibi vendicavit.*

Vers. 40.

*ET FUGERUNT HABITATORES IN IERUSALEM PROPTER EOS*) Vide 2. Macc. V. 27.

NATI EJUS RELIQUERUNT EAM.

Id est cives ejus, sive capti ab hostibus sive in voluntarium exilium profecti.

Vers. 41.

*SABBATA EJUS IN OPPROBRIUM*) Mutavit enim tempora, id est, temporum jura Antiochus. Dan. 7, 25. 2. Macc. VI. 6.

Vers. 42.

*SECUNDUM GLORIAM EJUS MULTIPLICATA EST IGNOMINIA EJUS*) Hebraismus, id est, quanta ejus gloria ante fuerat, tanta postea vilitas ejus.

Vide similem Phrasin *Ap. XIX. 7.*

Vers. 43.

*ET RELINQUERET IVUS QUISQUE LEGES SUAM*) Paribus legibus tribusque viverent, tanquam omnes Macedones essent.

Voluit legem esse generalem, ut Judæi facilius inducerentur ad gentilismum.

Vers. 44.

*ET CONSENSERUNT OMNES GENTES*) Cæteræ extra Judæos: etiam Samaritani 2. Macc. VI. 2. Josephus 12, 7.

Vers. 45.

*ET MULTI EX ISRAEL CONSENSERUNT SERVITUTI EJUS*) Ritibus ejus: τῇ λατρείᾳ αὐτοῦ. שעבודיו Tacitus: *Rex Antiochus demere superstitionem, & mores Græcorum dare adnixus.*

*ET SACRIFICAVERUNT IDOLIS*) σπονδὰς θεοῖς εἰ μὲν ἐκόντι, οἱ δὲ κρὸ δι ὑπάλειαν τῶν ἐπιτεθειμένων ζημιῶν κατακολάζειν εἰς ὁ βασιλεὺς διετέτακτο. Josephus.

ET COINQUINAVERUNT SABBATUM.

Non observantes illud prophanarunt.

Vers. 46.

*ET MISIT REX LIBROS*) Epistolas.

Vers. 47. *ET PROHIBERENT HOLOCAUSTA*) Cessavit hoc edicto juge sacrificium per annos tres, ut ait Josephus 12, 11. Vide Dan. 11, 31.

Vers. 49. *ET IUSSIT COINQUINARI SANCTA*) Templum.

*Sabbati* & *festorum* aliorum violationem intelliges Tirinus. Sed de illis jam versu præced. actum.

*ET SANCTUM POPULUM ISRAEL*) In Græco: *& sanctos*: id est, Sacerdotes & Levitas. Num. VIII. 14. & sequentibus.

Vers. 50.

*ET IUSSIT ÆDIFICARI ARAS ET TEMPLA*) Lucos, τεμένη, ut hic est in Græco. Sic & Josephus: ἐκκοπτόντες δὲ ἐν ἑκάστῃ πόλει καὶ κώμῃ τεμένη αὐτῶν καὶ βωμούς. Utrumque lege vetitum & lucos facere & aras sacrorum causa alibi quam in templo. Deuteron. XVI. 21. Josue XXII. 16.

*ET IMMOLARI CARNES SUILLAS*) θύειν ἐπ' αὐτοῖς σῦς καὶ ἡμίονον. Josephus.

*ET PECORA COMMVNIA*) Id est, quibus aliæ gentes vescuntur, non autem Judæi. Sic κοινὸς sumitur & infra 65. & Act. X. 14. 28. XI. 8. Rom. XIV. 14.

Vers. 51.

*ET RELINQUERET FILIOS SUOS INCIRCUMCISOS*) ἐκέλευσε δὲ καὶ περιτέμνειν αὐτοὺς τὰ τέκνα. Josephus.

*ET COINQUINARI ANIMAS EORUM IN OMNIBUS IMMUNDIS, ET ABOMINATIONIBUS*) Puta puerperas recentes, & in profluvio seminas admittere ad Templum: cadavera tangere, neque expiari.

*ET MUTARENT OMNES IUSTIFICATIONES DEI*) Id est, ritus, ut supra 14.

Vers. 52.

*ET QUICUNQUE NON FECISSENT SECUNDVM VERBUM REGIS ANTIOCHI MORERENTUR*) 2. Maccab. VI. 9. τοὺς δὲ μὴ προαιρουμένους μεταβαίνειν εἰς τὸ Ἑλληνικὸ καταφάσκειν. Josephus: κόλασιν ἀπειλήσας.

Vers. 53.

Vers. 53.

ET PRÆPOSUIT PRINCIPES POPULO, QVI HÆC FIERI COGERENT) In Græco est ἐπισκόπους, nec aliter eos Josephus appellat; ἐπιστάτας dixit scriptor 2. Maccabaici V. 22. Vox ἐπισκόπου & ἐπιστάτης respondent Hebræis פקדים & נצבים, ut videre est Num. IV. 16. XXXI. 14. Jud. IX. 28. 1 i. Reg. XI. 16. 19 2. Paralip. 34, 12. 17. Nehem. XI. 9. 14. Illæ autem voces Hebrææ quemlibet negotio alterius, præsertim publico, præpositum significant, Etiam נגש, id est, ἐργολάβους, φορολόγους, πράκτας, dicitur ἐπίσκοπος. Ef. LX. 17. & ἐπιστάτης, Exod. V. 14.

Vers. 54. ET JUSSERUNT CIVITATIBUS JUDA SACRIFICARE) Diis Græcis: Josephus, τοῖς ὑπ' αὐτὸ νομιζομένοις σιβίοις.

V. 55. ET CONGREGATI SUNT MULTI DE POPULO AD EOS QVI DERELIQVERANT LEGEM DOMINI) Distinguenda hæc aliter: *& congregati sunt multi de populo ad eos* (Græcos) *qui* (nempe Israelitarum) *dereliquerant legem Domini.* Ita enim Græca habent, & id exigunt quæ posita supra 16. & 36.

Vers. 56.

ET EFFUGAVERUNT POPULVM ISRAEL IN ABDITIS ET IN ABSCONDITIS FVGITIVORVM LOCIS) Et redegerunt Israelem in specus ubicunque ipsis locus esset latendi. Vide 2. Macc. VI. 11. & Heb. XI. 38. κρύφας esse specus apparet infra II. 31. 36. 41.

Vers. 57.

ÆDIFICAVIT REX ANTIOCHVS) *Ædificarunt:* homines Antiochi scilicet.

ABOMINANDVM IDOLVM DESOLATIONIS) βδέλυγμα ἐρημώσεως, ex Dan. XI. 31. ubi Theodotio, βδέλυγμα ἐφανισμένον. Notum est βδέλυγμα Hellenistis esse idolum. Ef. XX. 8. 20. שקוץ, quod verti solet εἴδωλον, vertitur βδέλυγμα. Sic & שקוצים de diis gentium positum vertitur 1. Reg. XI. 5. 33. Et גלולים plerumque εἴδωλον, ut 1. Reg. XXI. 26. Ez. XXXII. 3. βδέλυγμα. Et quod dicto loco Danielis est שמם, plurimis in locis ex origine sua βδέλυγμα vertitur: at 1. Reg. XI. 5. 7. εἴδωλον. At βδέλυγμα ἐρημώσεως, sive ἐφανισμένον est tale, propter quod non templum tantum sed & urbs ipsa à pijs omnibus fugienda esset. Vide quæ diximus ad Matth. XXIV. 15.

Idolum Jovis Olympii, inquit Menochius, quod desolationis dici vult, vel quod *desolatur & profanatur per id templum*, vel quod *abominatio desolationis* idem sit, quod *abominabilis desolatio*, vel *abominatio desolatoria*. Recte autem confert Grotius Dan. XI. 31. quod vaticinium hic impletum est: non vero ut *Cajetan.* ad Matth. XXIV. putat, *Dan. IX. 27.* ibi enim de alia abominatione desolationis, non *idoli*, sed *supplicii* sermo est. Quæ vero perperam à Fullonio ad h. l. confunduntur cum Vaticinio *Dan. XI. 38. 39.* inepte fingente, uno loco Danielem c. XI. 38. tres abominationis desolationes prædixisse, 1. sub *Antiocho.* 2. sub *Tit.* 3. sub *Antichristo.*

V. 58. ET ANTE JANVAS DOMORVM) Januæ enim sacræ Græcis: & in Orphicis hymnis est Θεὸς πυλουχέων, qualis Janus Romanis.

Vers. 59. ET LIBROS LEGIS COMBVSSERVNT IGNI, SCINDENTES EOS) Josephus: ἐφυλάξατο δὲ αὐτὸ βίβλῳ ἐνεῦθεν ἱερὰ τῶν ἰόνων, καὶ πυρὶ οὐ ἐνεβάλετο καὶ ἔτοι ὡς κακοὶ κακῶς ἀπώλοντο.

Similia à Papistis facta multis exemplis probat B. Wilhelm. Nigrin. in Papist. script. contemt. p. 38. seqq. & p. 91. Antioch. figura est Anti-Christi Romani.

Vers. 60. ET APVD QVEMCVNQVE INVENIEBANTVR LIBRI TESTAMENTI) *Fœderis*, Idem hoc quod libri legis.

ET QVICVNQVE OBSERVABAT LEGEM DOMINI, SECVNDVM EDICTVM REGIS TRVCIDABANT EVM) Legit κατὰ τὸ σύγκριμα τῦ βασιλέως. In nostris Græcis male excidit κατὰ. Significat hic σύγκριμα edictum non quodvis, sed de procerum consilijs factum, ut apparet Dan. IV. 14. 21.

Vers. 61. IN VIRTVTE SVA FACIEBANT HÆC POPVLO ISRAEL) In Græcis nostris illud ὁ ἴσχυσεν αὐτοῦ cum priori sensu cohæret, Occidebant eos omni vi.

IN OMNI MENSE ET MENSE) Singulis mensibus ad præpositos referebatur index occisorum.

Alii rectius de illis explicant, qui Neomenias primo die cujusque mensis juxta legem celebrare deprehensi sunt, quia ut postea dicetur, singulis mensibus die 25. sacrificandum Jovi erat, loco celebrationis Neomeniæ in honorem Dei sanctæ.

V. 62. SACRIFICABANT SUPER ARAM QVÆ ERAT CONTRA ALTARE *Super altare.* Nam altari veteri novum altare superstrui fecerat Antiochus: ἐπικοδομήσας δὲ ἐφ' τῷ θυσιαστηρίῳ βωμὸν ὁ βασιλεύς, ait Josephus.

Quia altare holocaustorum, in quo statua Jovis locata est, amplum erat, ideo in eo præter ipsum simulachrum Jovis constitutum est etiam aliud parvum altare, in quo idolo sacrificabatur. In Græco enim est ἐπὶ βωμοῦ ὃς ἦν ἐπὶ τὸ θυσιαστηρίου. Ita *Menochius.*

Vers. 63.

ET MULIERES QVÆ CIRCUMCIDEBANT FILIOS SUOS) Licebat enim per legem Mosis circumcidere etiam feminis Exod. IV. 25.

V. 64. ET SUSPENDEBANT PUEROS A CERVICIBUS) τοὺς δὲ γυναῖκας καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν οὕτω περιέτεμνον κατὰ τὸν τῦ βασιλέως περισταλέντα ἀπόγονον ἐκ τῶν τεκνόντων αὐτοὺς τῶν ἀπεκρυμμένων, ait Josephus: & scriptor 2. Maccabaici: Δύο γὰρ γυναῖκας αἰτηχθέντας περιτετμηκέναι τὰ τέκνα αὐτῶν. τούτων δὲ ἐκ τῶν μαστῶν κρεμάσαντες τὰ βρέφη καὶ δημοσίᾳ περιαγαγόντες αὐτὰς τὸν τεῖχος ἐκρήμνισαν.

Vers. 65. ET MULTI DE POPULO ISRAEL DEFINIERUNT APUD SE UT NON MANDUCARENT IMMUNDA, ET ELEGERUNT MAGIS MORI QVAM CIBIS COINQVINARI IMMUNDIS: ET NOLUERUNT INFRINGERE LEGEM DEI SANCTAM, ET TRUCIDATI SUNT) Josephus: οἱ δὲ δικαιώσαντες τῇ τοῖς ψυχαῖς εὐγενείᾳ μὴ ἐφυλάξασθαι αὐτὰ, τῶν δὲ πατρίων ἐθῶν κλέινα λαγὼν ἐσχον, ἢ τῆς τιμωρίας ἧν ὁ μὴ πειθομένοις ἐπείλησεν αὐτοῖς. καὶ διὰ τῦτο κατὰ πᾶσαν ἡμέραν ἀπώλοντο, κ. πικρὸς βασάνοις ὑποφέροντες ἀπέθνησκον. Exempla vide 2. Macc. VI. 7. 8. & in libro τῶν Μακκαβαίων, qui Josepho ascribi solet. Confer vaticinium. Dan. XI. 33.

V. 67. ET FACTA EST IRA MAGNA SUPER POPULUM VALDE) Id est, malum magnum. Sic enim loquuntur Hellenistæ ut Ef. 37, 3. Sir. 5. 8. 1. Thess. I. 10.

## CAPUT II.

*Matathias miserrimum Ecclesiæ statum deplorat, constanter cum suis venuit Antiochi mandatis obsequi, quin potius zelo accensus Judæum apostatam, & præfectum Antiochi interficit, & ex urbe Modin discedit: Alii quidam Judæi in antro die Sabbathi trucidantur: Matathias exercitu collecto gentes profligat, aras evertit, circumcisionem restituit, ac moriturus filiis Ecclesiæ curam commendat, Juda belli duce declarato.*

V. 1. SACERDOS EX FILIIS JOARIB) Quæ erat familia primæ ἐφημερίας. 1. Paral. XXIV. 7. à Phinea veniens: infra 54.

AB JERUSALEM) Unus eorum qui ex Hierosolymis fecesserat, ut videre est 2. Macc. V. 27.

FUit autem MATATHIAS, quod nomen idem est, ac Græcis Dorotheus, Theodorus, Dosideus, & Theodosius, h. e. *donum Dei*, sacerdos summus non sola electione, sed successionis jure, postquam *occiso Onia tertio*, Anno 141. regni Græcorum, quinto regni Antiochi (2. *Macc. IV 34.*) *filio* a. ejus *Onia* in Ægyptum profugo (*Joseph.* l. XII. c. VI. l. XIII. c. VI. & l. I. de Bell. Jud. c. I.) fratre vero *Jasone* ad ritus gentilitios prolapso devolutus ad Ægyptum est Pontificatus ceu primæ Sacerdotalis classis principem primum; à quo etsi spe conversionis fratrum Oniæ perpetuo inter se tumultuantium abstinuerit ad tempus: ubi tamen re desperata coactus est, pereunte alioqui religione, & Republica, & consentientibus ac probantibus indigenis temporalem *Principatum* suscipere, admisit eadem opera etiam *Pontificatum*, cui jam inde à relaxata captivitate Babylonica, justu Regum Persarum, adnexum magna ex parte fuisse principatum nonnulli è Josepho

I. XI. Ant. c. 4. colligunt; Susceptit autem eundem *anno regni Antiochi nono, Græcorum 145.* tenuitque anno uno, sed non integro. Vid. *Serarius, Mariana, Abulens. & Tirinus.* Fuisse Matathiam etiam ex *stirpe Regia* Juda ratione *matris* Hieronym. Epiph. August. XII. c. Faust. c. 42. Rupert. l. IX. de Trin. c. 29. Lyr. Burg. Tostat. in Gen. XLIX. Galatinus, Fullonius, & alii non pauci statuunt, quia Aaronica & Regia stirps solebat quandoque matrimoniis misceri, ut de Joiada constat 2. Par. XXII. Cur autem Hierosolyma discesserit Matathias causam reddit *Joseph.* l. 1. de Bell. Iud. c. 1. quod nempe *Bacchidem* unum ex præfectis *Antiochi occiderit, & in montes* (Modin oppidulum monti inædificatum) *se recepcerit. præsidiorum veritus multitudinem.*

ET CONSEDIT IN MONTE MODIN) καὶ ἐκάθισεν, quæ modo κώμη, modo πόλις vocatur, id est, non spernendum municipium. Diximus ad Danielem ita nobis videri, dictum sic Syriaca pronunciatione locum hunc, à Deo quem ibi coluerant Phœnices, id est, Cananæi, cujusque cultum ibi posita ara restituit Antiochus aliquanto postquam eo confugerat Matathias, ut discimus infra 15. Nam מעוז אלהים, id est, אלהי מעוזים, Deus belli, Syriace est מערין, mutato Zaiin in Daleth, & Mem plurali in Nun, ut fieri solet. ע autem per O verti solet, ut in עבדיה Obadias, עבד אדום Obededom, עזיה Ozias, עזיאל Oziel, & similibus.

De voce מעוז vid. quæ ad Danielem diximus. Non ad Antiochum amplius illa Dan. XI, 30. Sed ad Anti-Christum pertinent. Deum Phœnicum in Modin cultum ita vocatum & urbem illam inde nomen accepisse, nullo testimonio aut documento ostendere potuit Grotius. Sua tantum somnia venditat. Neque de cultu illius numinis ab Antiocho illic restituti hic ullum vestigium. Deus vero Mausim apud Danielem non tanquam numen aliquod antiquitus cultum, sed tanquam recens excogitatum numen ab illo Rege de quo Propheta agit invectum introducitur c. XI. 38. Collocat autem *Adrichomius* urbem Modin in tribu *Dan.* Sed ea in antiqua distributione finibus tribus *Judæ* continebatur. *Modin*, ait Hieron. de locis Hebræis, *vicus juxta Diospolin, unde fuerunt Maccabæi, quorum hodieque ibidem sepulchra monstrantur.*

V. 2. JOHANNEM QVI COGNOMINABATUR GADDIS) Bene legit in Græco Γαδδίς, non ut nos habemus, Ιαδδὶς: Josepho Γαδδὼ. Id vero significat frugum congeriem tam Chaldaïs & Arabibus, quam Hebræis.

V. 3. ET SIMONEM QVI COGNOMINABATUR THASI) In Græco: Θασσὶ. In Josepho Μασσὼς. Utrumvis dicas, Syriace ferventem significat.

Vers. 4. ET JUDAM QVI VOCABATUR MACCABÆUS) Ideo quod pro dicto suo usurparet sententiam, quam modo ex loco Exod. XV. produximus.

V. 5. ET ELEAZARUM QVI COGNOMINABATUR ABARON) Ἀυαρὰν: in Josepho Αὐρὰν, עברון *pertransiens:* quasi dicas periculorum victorem.

ET JONATHAN QVI COGNOMINABATUR APPHUS) Ἀπφοῦς, ut habet Josephus, & sic in Græco rescribendum pro Σαπφοῦς. אפוס.

V. 6. HI VIDEBANT MALA QVÆ FIEBANT IN POPVLO JVDA ET JERVSALEM) Pro *mala* in Græco est βλασφημίας. Hebræi verborum nomine etiam facta significant, ut hic facta impia.

V. 7. CONTRITIONEM) σύντριμμα, שבר. id vero pro calamitate summa sumitur.

Vers. 8.

SANCTA IN MANV EXTRANEORVM FACTA SVNT) τὸ ἁγίασμα. Templum.

Vers. 9.

VASA GLORIÆ) Magnifica illa vasa. Vide supra I. 23. 24.

Conf. *Ezech. XXIII. 26.* Pretiosa erat supellex templi, de cujus gloria & magnificentia gens Judæa & poterat & solebat gloriari.

Vers. 10.

QVÆ GENS NON HÆREDITAVIT REGNVM EJVS, ET NON OBTINVIT. SPOLIA EJVS) Madianitæ, Philistini, Ammonitæ, Syri, Moabitæ, Assyrii, Ægyptii, Caldæi, Macedones.

Vers. 11.

OMNIS COMPOSITIO EJVS ABLATA EST) *Omnis ornatus.* πᾶς ὁ κόσμος.

Quod de *regno*, & *spoliis* ejus à gentibus variis acceptis v. 10. queritur Matathias, recte *Osiander* ita interpretatus est: *Regnum nostrum Iudaicum prophanis gentibus in prædam rapinam cessit:* Quod additur *omnis compositio ejus ablata:* reddidit, *omnis ejus majestas periit.* Menochius illa imprimis ad occupationem arcis Regiæ refert: *Quæ gens non hereditavit regnum ejus*, ut in eo, velut *in paterna hereditate* dominaretur, pulsis, aut cæsis legitimis possessoribus: *quod maxime pertinet ad Sionem, & arcem Regiam, in qua cum præsidio erant præfecti Regii, & duram in Judæos fideles tyrannidem exercebant.* Nimirum variæ gentes admixtæ fuere exercitui Antiochi.

QVÆ ERAT LIBERA) Ita sub Macedonibus, ut leges suas ac judicia retineret, Alexandri Magni concessu.

FACTA EST ANCILLA) Lam. I. 1.

Vers. 14.

ET SCIDIT VESTIMENTA SUA) Qui mos in gravi dolore. Vid. Matth. XXVI. 65. & ibi dicta.

ET OPERUERUNT SE CILICIIS) In Græco: καὶ περιεβάλοντο σάκκους. Vid. Matth. XI. 21.

De luctu publico accipitur in Chronico templi secundi: *Præcepit eis qui aderant ut jejunarent & affligerent se coram Domino cum fletu, sacco, & cinere, post finito jejunio dixit eis, si occidi vultis propter nomen sacrosanctum cur moriemur ut femineæ? Egrediamur potius, & pugnemus in Philippum. Si moriemur, moriemur cum gloria. Forte Deus laudandus adjuvabit nos & non exscindet Israelitas qui evaserunt.*

Vers. 15.

UT COGERENT EOS QVI CONFUGERANT IN CIVITATEM MODIN IMMOLARE) In Græco: οἱ καταναγκάζοντες τὴν ἀποστασίαν εἰς Μωδεὶν τὴν πόλιν. Facilior esset constructio: οἱ καταναγκάζοντες εἰς ἀποστασίαν Μωδεὶν τὴν πόλιν. Sed frequentes sunt apud Hebræos tales ὑπαλλαγαί. Vox ἀποστασίας respondet Hebrææ מעל. Vocem ἀναγκάζειν in hac historia usurpat & Josephus.

ET ACCENDERE THURA ET A LEGE DEI DISCEDERE) Hæc in Græco non sunt verbotenus.

Vers. 16.

SED MATATHIAS ET FILII EJVS CONSTANTER STETERUNT) Legi hic interpres συνέστησαν, non ut nos habemus, συνήχθησαν, &, ut puto, rectius.

Vers. 17.

ET RESPONDENTES QVI MISSI ERANT AB ANTIOCHO) Est quidem in Græco ἀποκριθέντων: sed hoc verbum, ut & Hebræum ענה etiam sermonem inchoantibus tribuitur.

PRINCEPS ET CLARISSIMUS ET MAGNUS IN HAC CIVITATE) Ut sacerdos & dives & eruditus. Magnus est רב.

Vers. 18. FAC JUSSUM REGIS) Sacrifica idolo hic collocato.

ET MUNERIBVS MULTIS) In Græco: καὶ ἀποστολαῖς στολαῖς. Est autem ἀποστολὴ proprie viaticum, quo abeuntem prosequimur. Minus proprie de quovis munere dicitur, ut videre est I. Reg. IX. 16. 2. Maccab. III, 2. 3. Esdr. IX, 52.

V. 21. PROPITIUS SIT NOBIS DEUS. NON EST UTILE RELINQVERE LEGEM) In Græco: ἵλεως ἡμῖν καταλιπεῖν τὸν νόμον καὶ τὰ δικαιώματα. Est autem curtata locutio, quæ significat, propitius nobis magis sit Deus, quam ut deseramus legem & ritus. De hoc loquendi genere satis diximus ad Matth. X. 22.

Vers. 22.

NON AUDIEMUS VERBA REGIS ANTIOCHI, NEC SACRIFICABIMUS TRANSGREDIENTES LEGIS NOSTRÆ MANDATUM, ET EAMUS ALTERA VIA) Græca sic habent: *Ἰσσὶς Regis non parebimus in hoc ut transgrediamur cultum nostrum in dextram vel sinistram:* id est, in ullam partem. Loquendi genus familiare Hebræis. Gen. XXIV. 49. Num. XX. 17. Deuteronom. II. 27. V. 32. XVII. 20. XXVIII. 23. Jos. I. 7. & alibi.

V. 24. ET DOLUIT) In Græco: ἐζήλωσεν. Ira commotus est, ut Phinees Num. XXV. 11.

CON-

CONTREMUERUNT RENES EJUS) id est, *Sic fecerat.* Συνεδοχὴ qualis Ps. LXXIII. 21. & alibi.

SECUNDUM JUDICIUM) Id est, secundum legem quæ extat Deuteronom. XIII. 9. ubi dicta vide Vide & quæ diximus libro secundo de Jure Belli & Pacis XX. 9.

Non erat Matathias privatus, sed *Principatum* gerebat in populo, & mandarat Dominus, ut siquis aliquem abstrahere velit a Patria religione, occidatur. Vi l. *Cyprian.* exhort. ad martyr. Aliqui tamen hoc factum heroicum faciunt, quod non ad imitationem trahendum.

TRUCIDAVIT EUM) Filius adjutoribus, ut ait Josephus.

Vers. 25.

SED ET VIRUM QVEM REX ANTIOCHUS MISERAT) Apellam nomine, ut ait Josephus.

Hic Apella hostis erat qui cogebat Judæos immolare: unde à Matathia, zelo accensus, interfectus, etsi ab Antiocho ad id missus: Non enim *Antiochus* legitimus Judæorum Magistratus erat, sed per mendacia, dolos, & fraudem ac violentiam in eos tyrannidem exercebat. Improbat tamen hoc factum *Spanhemius* disput. Theolog. part. 2. p. 235. & *voluptas* indicium facit, quod hic autor talia commendet, & cum facinore Pinehæ conferat, imo arguit Matathiam quod *se ipsum Ducem consti tuerit populo, & gentem integram ad arma concitarit*, in quo vero *Spanhemius* calculum non meretur. Rectius Fullonius vel jure naturali Matathiam tuetur in comment. p. 103. per quod licet hostes & invasores injustos occidere, quales erant apostata impius, seductor, minister Regius aliique: proculcatos satellites plures in tumultu ait Gorionides qui Regum ministrum stiparunt.

Vers. 27.

STATUENS TESTAMENTUM) *Ratum habens factum:* Dei scilicet, מעשיד הבריות.

IN MONTES) In loca invia, ubi speluncæ erant.

Vers. 29.

MULTI QVÆRENTES JUDICIUM ET JUSTITIAM) Tum id quod lex præcipit, tum id quod per se bonum est.

Vers. 30.

QVONIAM INUNDAVERUNT SUPER EOS MALA) Ἐπληθύνθη: *multa facta sunt.* Tanta ut ultra consisti in municipio non posset.

Vers. 21,

QVI ERAT IN JERUSALEM CIVITATE DAVID) *in urbe* scilicet: de qua supra l. 35.

Vers. 32.

ET CONSTITUERUNT ADVERSUS EOS PRÆLIUM) πόλεμον: id vero hic significat expugnationem speluncæ.

Vers. 33.

RESISTITIS ET NVNC ADHVC) In Græco est: Ἕως τῶν ἐξελθόντες ποιήσατε κατὰ τὸν λόγον τῶν βασιλέων. Sed apparet Latinum legisse, ἕως ποτε; τῶν ἐξελθόντες, &c. *Quamdiu resistetis? nunc saltem exite, & facite Regis jussa.*

Vers. 34.

NEQVE FACIEMVS VERBVM REGIS, VT POLLVAMVS DIEM SABBATORVM) Nam inter præcepta Antiochi erat & opus facere sabbato. supra l. 48.

Vers. 36.

ET NON RESPONDERVNT EIS) Id est, non restiterunt. Sic ἀντιλέγειν ponit pro resistere ostendimus ad Luc. II. 34. sic ἀνταγορεύειν est benefacere.

NEC OPPILAVERVNT LOCA MVLTA) τὰς κρύφας, id est, specum. Ita enim κρύφας sumi diximus supra l. 36. Josephus: διὰ τὰς ἐσόδους ἐμφράξαντας: quod factum omnino fuerant, nisi eos impedisset Sabbati religio, ut sequentia ostendunt.

Vers. 37.

MORIAMVR OMNES IN SIMPLICITATE NOSTRA) Perstantes in pietate. Sic ἁπλότης sumitur 1. Par. XXIX. 17. Non semper eadem apud Judæos sententiæ valuerunt. Notant Thalmudici ante Asmonæorum tempora, in quibus nunc versamur, legem Sabbati rigide intellectam, ita ut ne vitæ quidem exciperetur periculum. Testis ei rei Græcus etiam Agatharchides: Οἱ καλούμενοι Ἰουδαῖοι σάλον οὐκέτι σχηματίσαντες σαφῆ, ὃν καλῶν ἐφεστηκὸς ἀναγκαίως τοῖς ἐγχωρίοις, ἀργῶν ἐσθημένοι δι' ἑβδόμην ἡμέραν, οὐδὲ μὴν τὰ ὅπλα βαστάζειν ἐν ταῖς ἐπιπεσούσαις χρείαις, οὔτε γεωργίας ἀπτόμενοι, οὔτε ἄλλης ἐπιμελούμενοι λειτουργίας μεθόδιμος, ἀλλ' ἐπὶ τοῖς ἰεροῖς ἑστῶτες τοῖς χρήμασι εὐχρήστοις μᾶλλον τοῖς ἱερεῦσιν, ἐφιέντες δὲ τὴν πόλιν Πτολεμαίῳ τῷ Λάγου μετὰ τῆς δυνάμεως, κατὰ τὴν τῶν πατρίων αὐτῶν φυλακὴν τὴν πόλιν διατηροῦντων τοῦ θείου, ὃ μὴ πατρὶς ἀλλοφύλοις θυσάντων πώποτε, ὃ δὲ νόμος ἐξηγήσατο φαῦλον ἔχων ὑπόνοιαν. Τὸ δὲ συμβὰν πολλοῖς τῶν ἄλλως πάντως διενέγκαι, τοιαῦτα φυγεῖν ἰσχυσιᾶς, καὶ τὴν περὶ τοῦ νόμου παραφυλακὴν ὑπόνοιαν δικαιοῦν τοῖς αἰσθανομένοις λογισμοῖς περὶ πάντ' ἀκριβουμένην ἐξαστέρισεν.

Persuasio illa de *lege Sabbati* etsi forte illo tempore multis hæserit, & fere communis fuerit, (ut ex hac historia apparet,) *superstitio* tamen mera erat: quia à Deo talis Sabbati observatio, ut ne vitæ liberandæ causa quidem aliquid agere liceat, nusquam præscripta, & *vim vi repellere licet* quovis die sive festo sive profesto, *Ceremoniale cedit moriali.* Et *Sabbatum propter hominem est, non homo propter Sabbatum: ita que melius fecissent boni hi viri si etiam in Sabbato fortiter hostibus restitissent.* Non ergo cum *Tirino martyribus* accensendi, qui non *pro legis divinæ*, sed *superstitiosæ* & vanæ de lege Sabbati *persuasionis custodia*, abstinentes à defensione licita, seque temere morti subjicientes, occubuere. *Etsi forte scirent se tali occasione*, ut *Tirinus* loquitur, *loco & tempore ad id non obligari, ac licet absque peccato potuissent resistere, & injustam vim justa vi repellere, maluere tamen crudeli nece perire, quam sabbati violatores, vel hostium opinione, audire.* Ita enim *scandalum* hostium non dedissent, quia vana erat illa opinio, vitæ autem & conscientiæ suæ omnino consuluissent, citra ullam Sabbati violationem, si hostibus restitissent. Nec juvare Tirinum temere hic *B. Osiandro* se opponentem alia Judæorum *exempla huic similia sub Ptolemæo Lagi (Joseph. l. XII. Antiqv. c. 1.) sub Apollonio & sub Philippo 2. Macc. V. 6. possunt*, utpote quæ æque à *falsa persuasione*, & *superstitione* sunt: Interim simpliciorum hominum ignorantiam zelo legis servandæ, & reverentia in Deum, qua movebantur, excusari quadantenus *Menochio* non abnuimus. *Fullonius* Jesuita non modo *non peccasse Judæos hosce aggredientibus non resistendo, cum facile possent inter angustias montium, sed peccatrices etiam fuisse*, contendit, *si repugnassent; quia contra conscientiam suam egissent*, imo *etiamsi non ignorassent, licitum sibi Sabbato esse vim vi repellere, non tamen ad eam repellendam obligatos fuisse:* Siquidem *etiam hodie, si quis in odium fidei ab infideli invaditur, non teneatur se tueri, imo nec fuga sibi consulere, nisi caritas aliud ex accidenti suaserit:* Sed conscientia illa *erronea est*, inque ipsam *legem naturæ*, quod non modo liceat vim vi repellere, sed quod sanguinem proprium profundere, seque ipsum morti exponere, nemo debeat, cum vitam suam eripere possit, hostiumque insidias avertere, impingit: & qui *errorem vinci possibilem* sequitur, peccatum in legem *de non occidendo* committit: Obligat quidem conscientia *erronea in re indifferente*, non autem *in re per se prohibita* (qualis est sui ipsius occisio) Vid. *B. Danhavver.* libr. Conscient. apert. Tom. I. p. 110. Porro *caritas ordinata*, quæ à seipsa incipit, *non ex accidenti*, sed *per se* defensionem vel fugam cum ab hoste infideli quis invaditur suadet, imo imperat, uti *Polycarpus* Euseb. IV. 15. & Athanas. (Socr. II. 11.) fuga sibi consuluere. Quo de Athanas. *sic Sancti fugiebant* ut *tanquam medici in usum indigentium reservarentur.* Vid. & exemplum Eliæ 1. Reg. XIX. 2.

Vers. 37.

QVOD INJUSTE PERDITIS NOS) Eripientes αὐτονομίαν, quam Alexander concesserat. Antiochus

Magnus hujus Antiochi pater in Epistola: πολιτευόμενοι ὡς πάντες οἱ ἐκ τῶν ἐθνῶν κατὰ τὰς πατρίους νόμους.

Vers. 39.

ET MORTUI SUNT IPSI) Igne injecto in specum, ut ex Josepho discimus.

Vers. 41.

ET COGITAVERUNT IN DIE ILLA: OMNIS HOMO QVICUNQVE VENERIT AD NOS IN BELLO DIE SABBATORUM, PUGNEMUS ADVERSUS EUM: ET NON MORIEMUR OMNES) Auditis nempe sapientibus, qui apud ipsos erant. Nam Synedrium consuli tempus non ferebat, Exeo tempore valuit sententia: *Periculum animæ* (id est, vitæ) *impellit Sabbatum:* id est, amovet Sabbati observandi obligationem. Qua de re diximus ad Matth. XII. 1.

SICUT MORTUI SUNT FRATRES NOSTRI IN OCCULTIS) Id est, in specu, ut apparet supra 36.

Vers. 42.

TUNC CONGREGATA EST AD EOS SYNAGOGA ASSIDÆORVM) חסדים dicuntur pii. Sed usus posterior recepit, ut appellarentur צדקים quidem qui legem observabant, חסדים vero qui ultra legem institutis quibusdam, sive votis se adstringebant: quæ vocantur τὰ ἐπίταγτα τῦ νόμυ, quales Jeremiæ temporibus erant Rechabitæ. Etiam Pharisæi, quorum prima mentio sub Aristobulo, vocantur חסד אנשי, homines pietatis: sed ipsum nomen חסיד olim adhæsit Essenis. Nam ex חסידי factum חסיי, unde Græcum Ἐσσαῖοι, aut חסין, unde Ἐσσηνοί. Utraque enim terminatio pluralis in usu Syris. Essenos circa hæc tempora aperte ponit Josephus XIII. 9. alibi eos ait fuisse ἐκ πάνυ ἀρχαίυ, respiciens Rechabitas. Synagoga hoc loco multitudinem significat.

Conf. de his *Drusius* de sect. Judæor. *Scaliger* in Elench. Trihær. Serarii, *Schickard.* in Lex. Pentagl. p. 618. *Fuller.* in Miscell. *Asfidæi*, inquit Menochius, *vel iidem fuerunt cum Essenis, vel certe fuerunt familia & secta quædam institutis inter se valde similes, & conjunctæ. Profitebantur Essenivitam theoreticam, erantque quodammodo monachi illius ævi.* Provocat ad *Serarium* l. III. c. 7. Sed *Serario* respondsum à *Scaligero*. Fullonius τὸ ὑπέχεσθαι assumit: An *Asfidæi*, inquit, *iisdem fuerint, qui Essenipostea, divisa in tres sectas, vulgo notissimas, Judaica religione, negare nolo, affirmare non audeo; nec vero nostra multum interest id quærere, quod nescio qua conjectura probabili decidi possit: etsi post Goriodem, Genebrardus, Scaliger, Serarius, ac novissime Caramuel in reg. Sanct. Benedicti disput. XIV. id asserant.*

FORTIS VIRIBVS) Magnanimi viri.

OMNES VOLVNTARIVS IN LEGE) πᾶς ὁ ἐκουσιαζόμενος τῷ νόμῳ. Dicuntur in lege ἐκουσιάζεσθαι, qui Deo offerunt, non imperata lege. Esdr. II. 68. III. 5. Nehem. XI. 2. Ad id exemplum ἐκουσιαζόμενοι τῷ νόμῳ hic dicuntur, qui sponte se offerunt tuendæ per arma legi.

Vers. 43.

ET FACTI SVNT ILLIS AD FIRMAMENTVM) Auxere eorum vires.

Vers. 44.

PERCVSSERVNT PECCATORES) Macedonas, & Judæos qui à Judaismo defecerant.

ET CETERI FVGERVNT AD NATIONES VT EVADERENT) Ad Idumæos, Ammonitas, Moabitas.

Vers. 46.

ET IN FORTITVDINE) In Græco fine copula ἐν ἰσχύι, id est, *quantum poterant.*

Vers. 47.

FILIOS SVPERBLÆ) Superbi eximie Hebræis dicuntur qui Deum contemnunt: ut Num. XV. 30. & alibi.

Vers. 48.

ET OBTINVERVNT LEGEM EX MANIBVS GENTIVM, ET DE MANIBVS REGVM) Εἰς ἐλευθερίαν. Sensus plenus esset: *Opitulati sunt legi, ut eam vindicarent è manibus gentium ac regum.*

ET NON DEDERUNT CORNV PECCATORI) Non permiserunt Antiocho facultatem quæ veller faciendi.

Vers. 49.

NUNC CONFORTATA EST SVPERBIA) *Invaluit impietas.*

ET CASTIGATIO) ἐλεγμὸς: exploratio. Sic enim ἔλεγμὸς sumitur Num. V. 18. & alii.

ET TEMPVS EVERSIONIS) Quo multi à pietate recedent, בזם מהפכות veritur, & מבוכת καιρὸς συγχύσεως.

ET IRA INDIGNATIONIS) Dei, adversum eos qui à lege deficiunt.

Vers. 50.

ÆMVLATORES ESTOTE LEGIS) Ζηλώσατε τῷ νόμῳ, ardenter legi operam date. Eadem constructio supra 26. 27. & Num. XXV. 13. I. Regum, XIX. 10. 2. Regum X. 16.

DATE ANIMAS VESTRAS) Objicire periculis: quod τιθέναι ψυχὰς dixit aliquoties in Evangelio Johannes.

Apud *S. Johannem* animam ponere non est tantum vitam periculo exponere, sed mortem subire, ut pote cum *Christus pro nobis animam posuisse*, vel dedisse dicitur. Non enim tantum periculo mortis nostri causa se exposuit, sed nostri loco mortem subiit. *Matth. XX. 28. Joh. X. 17.*

PRO TESTAMENTO PATRVM VESTRORVM) Pro fœdere à DEO cum majoribus vestris facto.

Vers. 51.

QVÆ FECERVNT IN GENERATIONIBVS SVIS) ἐν ταῖς γενεαῖς αὐτῶν, sua quisque ætate.

Vers. 52.

ABRAHAM NONNE IN TENTATIONE) Justus immolare filium.

REPERTVS EST FIDELIS) Πιστὸς interdum eum significat, qui promissum servat, interdum eum, qui Deo aut alteri confidit. Sensus utervis bonus: sed posteriori magis videtur huic loco convenire, ob verba sequentia, quæ simul cum his respiciunt ad locum Gen. XV. 6. Nam & Jacobus simili modo illa Mosis verba, quanquam posita in historia immolationem Isaci antecedente, ad immolationem refert: quia quæ ante apparere cœperat Abrahami in Deum fiducia, tunc magis apparuit, ut ad Jacobi diximus locum.

ET REPUTATUM EST EI AD JUSTITIAM) Deus hanc ipsius fiduciam pro egregio opere acceptavit: quomodo & factum Phineæ. Ps. CVI. 30.

Vers. 53.

JOSEPH IN TEMPORE ANGUSTIÆ SUÆ) Cum servitutem serviret.

CUSTODIVIT MANDATUM) A domina ad adulterium sollicitatus cum summo suo periculo ei consentire noluit, Deum reveritus matrimonii institutorem.

ET FACTUS EST DOMINUS ÆGYPTI) Sub rege, שילטא Genes. XLII. 6. in Josephi historia. Sic & שולטנא apud Danielem veritur κυρεία.

Vers. 54.

PHINEES PATER NOSTER ZELANDO ZELUM DEI ACCEPIT TESTAMENTUM SACERDOTII ÆTERNI) Id est, longa serie ad posteros transeuntis: quomodo & Davidis regnum βασιλεία αἰώνιος jamjam dicetur, quæ duo pariter comparata habuimus & Sirach. XLV. 31. Hasmonæi fuere & ipsi à Phinea: sed perpetua illa series liberorum patribus succedentium, sicut in Sadoci liberis cœperat, ita per Antiochi tempora fuerat interrupta.

Vers. 55.

JESUS DUM IMPLEVIT VERBUM) Jussum Dei, ut se iniri pararet. Jos. I. 10.

FACTUS EST DUX IN ISRAEL) κριτὴς ἐν Ἰσραὴλ, id est יהושע, quasi dictator.

Vers. 56.

CALEB DUM TESTIFICATUR IN ECCLESIA) Reddendo apud populum verax testimonium de terra promissa. Num. 14. 7. 8.

ACCEPIT HÆREDITATEM) Id est, meruit partem eximiam in terra. Num. XIV. 24. Jos. XIV. 12.

Vers. 57.

DAVID IN SUA MISERICORDIA) Propter bonitatem, quæ in eo insignis fuit adversus Saulum, & amorem popularium, quibus nocere nunquam voluit.

CONSECUTUS EST SEDEM REGNI IN SÆCULA) αἰώνιον, quod interpretare, ut jam dixi. Alioquin sub Matathiæ temporibus nullus in sede regni erat ex Davidis stirpe.

Vers. 58.

ELIAS DUM ZELAT ZELUM LEGIS) Occidendo Baalis Flamines, Achabum libere reprehendendo.

RECEPTUS EST IN COELUM) In sublime evectus 2. Reg. II.

Vers. 59.

Vers. 59.

ANANIAS ET AZARIAS ET MISAEL CREDENTES LIBERATI SVNT DE FLAMMA) πιστεύσαντες hic ut sæpe valet, Deo confisi. Vide eorum verba Dan. III. 17.

Vers. 60.

DANIEL IN SUA SIMPLICITATE LIBERATVS EST DE ORE LEONVM) Ob pietatem in Deum; quomodo vocem ἁπλότητος sumi jam supra notavimus 36.

Vers. 61.

ET ITA COGITATE PER GENERATIONEM ET GENERATIONEM) κατὰ γενεὰν καὶ γενεάν, per succedentes sibi ætates.

QVIA OMNES QVI SPERANT IN EVM, NON INFIRMANTVR) ἀσθενεῖ plerumque respondet Hebræo חָשַׁל, quod alibi veritur per cadere & per consumi. Vides hic ipsum vitæ alterius. Loquitur enim jam moriturus. Idem apud Josephum jubet filios suos ita esse τοῖς ψυχαῖς παρεσκευασμένοις, ὥστε καταφρονεῖν ὑπὲρ τῶν νόμων καὶ δεῖν ἀναγκάζοντος τοῦ, ἢ τὰ ὅπλα, ταύτας ὑμᾶς ὁρμᾶν, οὐκ ὑπερφίεσθαι τοῦ δ' ἀρετὴν ἀγωνάμενον ἀπαθῶς πάλιν ὑμῖν αὐτόν.

Vers. 62.

ET A VERBIS VIRI PECCATORIS NE TIMVERITIS) Vel Antiochi, vel Heliodori, vel Apollonii, vel alterius.

GLORIA EJVS STERCVS ET VERMIS EST) Putrescet ipse, & esca fiet vermium. Sic κόπρος sumitur Ps. LXXXIII. 10. Vires eorum desinent: Dei potentia manebit.

Vers. 63.

HODIE EXTOLLITVR, ET CRAS NON INVENIETVR) Simile Sirach, X. 12.

QVIA CONVERSVS EST IN TERRAM SVAM) *Conversus erit.* Terram suam, in Græco, εἰς τὸν χοῦν αὐτοῦ. in pulverem, unde primum homo sumptus est, Gen. XIII. 19.

ET COGITATIO EJVS PERIIT) *Simul perierunt consilia ejus.* Sic enim sumitur vox διαλογισμῶν pro Hebræo מַחֲשָׁבוֹת in Psalmis, Proverbiis & Sirachide.

VIRILITER AGITE IN LEGE) In lege Dei servanda viros vos ostendite.

Vers. 64.

QVIA IN IPSA GLORIOSI ERITIS) In Josepho vult εὖος, δίκαιοι τῶν ἐπαίνων.

Vers. 65.

SCIO QVOD VIR CONSILII EST) Vir boni consilii.

*Simon* loco Patris ipsis esse debuit, ob prudentiam, uti Principatui *Judæ* ob fortitudinem præficitur, cujus ille etiam veluti *consiliarius* constituitur. *Gorionides* ut & *Chronici templi secundi autor* ajunt, *Judam unctum fuisse in ducem à Mathathia Patre.*

Vers. 66.

FORTIS VIRIBVS) Robore valens.

Vers. 67.

OMNES FACTORES LEGIS) Rom. II. 13.

Hic factores legis dicuntur, qui non parent legi impii Regis, sed legi Domini, pioque ejus observandæ, non violandæ zelo ardent, etsi interim pericula subire cogantur.

ET VINDICATE VINDICTAM POPULI VESTRI) Videtur legisse ἐκδικήσατε ἐκδίκησιν, non male. In nostris Græcis verbum illud excidit, aut constructio est κατὰ σύνεσιν.

Vers. 68.

RETRIBUITE RETRIBUTIONEM GENTIBUS) Hæc omnia spiritum legis sapiunt.

ET INTENDITE IN PRÆCEPTVM LEGIS) *Attendite ad legis præcepta.*

Vers. 69.

ET BENEDIXIT EOS) More majorum. Genes. 47. 8. XLIX. 26.

ET APPOSITVS EST AD PATRES SVOS) κατὰ τετελευτηκέναι de morte.

Vers. 70.

ET DEFVNCTVS EST ANNO CENTESIMO ET QVADRAGESIMO SEXTO) A Seleuci regno, ut supra I. 11. 21. 57.

*Porphyrius* apud Hieron. Dan. XI. vult *Mathathiam in prælio occisum.* Tirinus ait *fieri potuisse vulneratus fuerit Josiæ instar vel Epaminondæ, ac domum relatus, post insignem suorum adhortationem è vulnere paulo post interierit.*

IN SEPULCHRIS PATRUM SUORUM IN MODIN) Ubi possessiones forte per matrem, aut avias habebat, & in iis sepulchra. Non enim Hierosolymis sepeliri licebat. Vide Jeremiam XXXIII. 7. & ibi dicta.

ET PLANXERUNT EUM OMNIS ISRAEL PLANCTU MAGNO) Israelitæ qui in illa loca contugerant.

## CAPUT III.

*Mathathiæ succedit filius Judas Maccabæus, is celebritatem nominis ex victoriis contra impias gentes, consequitur. Profligat Apollonium Ducem Antiochi. Sed & Seronis exercitum fundit. Antiochus Lysiæ mandat, ut Judæos deleat. Contra eam expeditionem Judas piis precibus auxilium divinum impetrat, & exercitum suum lustrans, exhortationibus animosum reddit.*

Vers. 1.

ET SURREXIT JUDAS, QVI VOCABATUR MACHABÆUS, FILIUS EJUS PRO EO.

Successit in locum Patris ex *institutione* ejus; *Serarius* & *Salianus* censent, etiam *jure primogenitura*: quibus favent *Josephus* l. 1. B. J. c. 1. *Josippus* & *Ebræi* nonnulli, Jonathanem secundum, tertium *Johannem*, quartum *Simonem* ordine *generationis* facientes. Quem tamen posterum primogenitum Mathathiæ constituit *Gorionides* l. III. c. 9. ut & *Viterbiensis* part. II.

Vers. 3.

INDVIT SE LORICAM SICVT GIGAS) Sic appellari solent magni roboris viri, ut Es. III. 2. 49. 24.

ET PROTEGEBAT CASTRA GLADIO SVO) Hellenistæ παρεμβολὴν sæpe vocant ipsum exercitum, ut videre est Gen. XXXII. 7. 1. Sam. XIV. 16. & alibi. Sic & infra 27. Venisse eum vocis usum à Macedonibus testatur Phrynichus. Alexandrinus autem sermo multum trahebat de Macedonico. Alexandriæ autem maxime erant ii, quos cum Luca dicimus Hellenistas: Judæi Græco fere moni etiam in sa ris assueti; Sed qui multum à patriæ recederet multa exotica admiscens, præcipue ad Hebræum & Syriacum efficta.

Vers. 4.

SIMILIS FACTVS EST LEONI IN OPERIBVS SVIS) Hæc & multa alia in his libris poetica magis sunt quam historica. Leonis similitudo in viri fortis descriptione frequens, ut Gen. XLIX. 9. Num. XXIII. 24. XXIV. 9. Deut. XXXIII. 22. Utuntur eo sæpe & Græci & Latini Poetæ.

Vers. 5.

ET QVI CONTVRBABANT POPULVM SVVM EOS SVCCENDIT FLAMMIS) Talionem illis reponens de exustis in specu.

Vers. 6.

DIRECTA EST SALUS IN MANV EJVS) Id est per ipsum salvi facti sunt multi.

Vers. 7. ET EXACERBABAT REGES MULTOS) Reges imitatione Hebræorum vocat & regulos, & terrarum præfectos: ut supra I. 2.

Reges utique diversos, *Antiochum* nempe *Epiphanem*, *Antiochum Eupatorem*, & *Demetrium* exacerbavit, id est, fremere, & frendere fecit.

ET IN SECVLVM MEMORIA EJVS IN BENEDICTIONE) *Et* pro *unde*. Memoria ejus, inquit, celebratur in publicis ἐκλογίαις. Vide Sirachiden.

Vers. 8. ET AVERTIT IRAM AB ISRAEL) Id est, calamitatem: ut supra I. 67.

Vers. 9.

ET CONGREGAVIT PERENVNTES) Absque ipso *perituros.*

Vers. 10.

ET CONGREGAVIT APOLLONIVS GENTES) ὁ τῆς Σαμαρείας στρατηγός, pro Antiocho, ut Josephus nos docet. Hic est quem μονάρχην vocat scriptor Secundi Maccabæici V. 24.

Vers. 11.

ET OCCIDIT ILLUM) Vide idem narrantem Josephum XII. 10.

Vers. 12.

ET GLADIUM APOLLONII) μάχαιραν hic in Græco, in Josepho ῥομφαίαν, unde apparet sæpe hæc pro eodem sumi.

De hoc Josephans Gorionides l. III. c. 10. *Cum inter pugnandum videret Judas Apollonium stantem in medio exercitus sui, summo furore decurrit ad eum ad medium usque castrorum omnia penetrans ad dextram, sinistramque fortissimos hostium prosternens, haud secus ac messor manipulos ac spicas messis suæ dejicit, pergensque ad Apollonium, percutit eum sternitque suomet gladio.*

Vers. 13. SERON PRINCEPS EXERCITUS SYRIÆ) ὁ τῆς τοῦδε Συρίας στρατηγὸς Josephus.

CONGREGATIONEM FIDELIUM) ἀθροισμα τῆς ἐκκλησίας αὐτῶν, *exercitum ac multitudinem fidorum hominum. ἐν δικῇ δυεῖν.*

Vers. 16.

IISQVE AD BETHORON) ἄχρι Βεθώρου Josephus. Vide Josue X. 11. Judith. IV. 3.

Vers. 17.

ET NOS FATIGATI SUMUS JEJUNIO HODIE) Jejunio indictitio. Simile vid. infra 47. 2. Macc. 13, 12.

Alii non ultro susceptum sed ex inopia celebratum jejunium intelligunt: quia non dicuntur νηστεύοντες ut v. 47. sed ἀσιτοῦντες.

Vers. 18. NON EST DIFFERENTIA IN CONSPECTU DEI COELI LIBERARE IN MULTIS ET IN PAUCIS) Bene explicavit Hebraicum loquendi genus, διαφόρου τῷ θεῷ. Vide Luc. XV. 21. Sententia eadem Judith. IX. 13. ubi vide. Josephus hoc loco: ὡς ὃ τῷ πλήθει τὸ νικᾶν πρὸς τῶν πολεμίων κρατεῖν, ἀλλ' ἐν τῷ παρὰ τὸ δίκαιον εὐτυχεῖν.

Vers. 20.

IPSI VENIUNT AD NOS IN MULTITUDINE CONTUMACI ET SUPERBIA) *Cum multa superbia & injuria.* Veniunt ut eripiant nobis quæ Magnus Alexander concesserat.

Vers. 21. NOS VERO PUGNABIMUS PRO ANIMABUS NOSTRIS, ET LEGIBUS NOSTRIS) Vide infra VI. 58. 59. τὸ μηδὲν ἀδίκειν ἰσχυρᾷ δυνάμει, Josephus hoc loco.

Vers. 24.

USQUE IN CAMPUM) Ad planas usque.

RELIQUI AUTEM FUGERUNT IN TERRAM PHILISTIM) εἰς τὴν παραλίαν, Josephus.

Seronem in hoc prælio cecidisse Josephus affirmat, ut & *Serarius*. Mox nominatur dux *Ptolemæus 2. Macc. 8, 8.*

V. 27. CASTRA FORTIA VALDE) Vide supra II. 3.

Vers. 28.

ET APERVIT ÆRARIUM SUUM) τὸ γαζοφυλάκιον, reconditas pecunias, quas mox dicit τοῖς ὑπεναντίοις.

Vers. 29.

PROPTER DISSENSIONEM ET PLAGAM QUAM FECIT IN TERRA) Ubi solitudinem fecere, pacem appellant, ait Tacitus. Solitudine autem inducta necesse est deficere tributa.

VT TOLLERET LEGITIMA QVÆ ERANT A DIEBVS PRIMIS) Leges illas observatas ab exitu ex Ægypto, quasdam & ante.

Diversas causas adducunt defectus pecuniæ dissensionem vel defectionem non solum Judæorum, sed etiam aliarum nationum hac occasione Regi rebellantium, vastitatem ac solitudinem, ac bellum in Syria & vicinis Judææ partibus semel iterumque infeliciter gestum, quo fere exhaustæ regiones: & quod bis mille talenta Romanis pro tributo jam à tempore Antiochi M. à Scipione devicti quotannis pendenda fuerunt Dan. XI. 18. 1. Macc. IIX. 10. nec non ob donaria, quæ larga manu dederat, ac sumtus, quos facere consueverat ut v. 30. indicatur. Severus l. 2. *Etenim tum præcipue graviter pecuniæ inopia affectus erat. Nam deficientibus Judæis ab eo, qui ei ultra trecenta annua pensitaverant; præterea Græcis urbibus multisque regionibus persecutionis malo turbatis (ne gentibus quidem pepercerat; quas deserere inveteratas superstitiones & ad unum ritum deducere tentaverat) illis quidem ubi nihil sancti erat, facile relinquentibus, sed tamen omnibus metu, ac clade affectis, vectigalia cessaverant.*

Vers. 30. VT SEMEL ET BIS) Id est, ut antehac. Simile loquendi genus Jud. XVI. 20. XX. 30. 31. 1. Sam. III. 10. XX. 25.

IN SYMPTVS ET DONARIA QVÆ DEDERAT ANTE LONGA MANV) τοῖς ἄνωθεν ἀπορδοκήτως, ait Polybius, cujus verba nobis servavit Athenæus. Erat Antiochus μεγαλόψυχος καὶ φιλόδωρος, teste Josepho. Vide quæ ad Dan. XI. 24.

ET ABVNDAVERAT SVPER REGES QVI ANTE EUM FVERANT) πλεονεκτήσαντα ὑπὲρ τοὺς βασιλεῖς, & *supergressus fuerat reges alios*, nempe largiendo; quod hic in Græco repetitur διαφέρειν χρεί: forte ex glossemate est. Satis enim ex superiori subintelligitur. Πλεονάσειν de omni re dicitur, qua quis alios superat, ut Sir. XI. 12.

Vers. 32. LTSIAM HOMINEM NOBILEM) ἀνδρωπον ἐνδοξον, in Græco: δόξαν ἰσχυτὸν παρ' αὐτῷ: Josephus.

Vers. 33.

ANTIOCHVM FILIVM SVVM) Qui & Patri successit, cognomine Eupator, teste Appiano. Vide & Justinum XXXIV.

Vers. 36. ET VT CONSTITVERET HABITATORES FILIOS ALIENIGENAS IN OMNIBVS FINIBVS EORVM) Circumlocutio coloniarum.

ET SORTE DISTRIBVERET TERRAM EORVM) Qui mos victoribus. Deut. I. 38. XXI. 16. Jos. XIX. 49. 51.

V. 37. AB ANTIOCHIA CIVITATE REGNI SVI) Quam ipse quarta ferme parte auxit. Strabo XVI.

ET PERAMBVLABAT SVPERIORES REGIONES) ἀνέβαινε πρὸς τοὺς ἄνω Σατράπας, in quibus erant Timarchus, & Heraclides, ut ex Appiano discimus.

Aliam causam profectionis in Persidem reddit *Gorionides*, quod nempe *tum etiam gens Persica* intelligens populum Judæum defecisse ac rebellasse contra Antiochum, à *Macedonibus defecerit, Superiores autem regiones* vocantur, quia à mari mediterraneo magis recedebant, quam interiora regni Syriæ.

Vers. 38. PTOLEMÆVM FILIVM DORTMINI) Dorymenis. Δορυμένους. Ita & in Græco hic, & in Josepho.

*Ptolemæum* nempe Cælosyriæ, & Phœnicis Ducem *2. Macc. IIX. 8.* ET NICANOREM Patrocli filium, ET GORGIAM in bellicis rebus experientissimum.

Vers. 40. ET APPLICVERVNT EMMAVM) ἄχρις Ἐμμαοῦ πόλεως, Josephus. Sic & Luc. XXIV. 13. Hic in Græco legendum Ἐμμαοῦν: nam & infra recte sic scribitur, & Plinius scribit Emmaum. Solent ultimæ literæ mutationem recipere.

Non illam Emmaum, quæ prope Tiberiadem est, sed quæ prope Jerusalem, postea *Nicopolis* dicta. vid. *Hieron.* de locis Hebr. *Joseph.* l. IV. B. 3. c. 3. l. XVII. Ant. c. 12. Est & *Emmaus* castellum Luc. 24, 60. stadiis distans Hierosolyma.

Vers. 41. ET AVDIERVNT MERCATORES REGIONVM NOMEN EORVM) Earum regionum quas in Prophetica designat Ezechiel 38, 13. Nomen hic est fama, ut Deut. 22. 14. & alibi.

ET VENERVNT IN CASTRA VT ACCIPERENT FILIOS ISRAEL IN SERVOS) Quasi certa esset à Macedonum parte victoria, immemores sortis humanæ semper, sed maxime in bellis, incertæ. Attulerant & compedes, ait Josephus.

EXERCITVS SYRIÆ) Auxilia è Syria & vicinis locis, ut ait Josephus.

Quibus adeo præsidebat Nicanor, ut quasi certus de victoria mercatores undiquaque evocaret ad ludaica mancipia, quasi jam capta teneret, vilissimo pretio coëmenda *2. Macc. IIX. 11.* Et hi maximo numero mox confluebant ad castra. Adduxerunt & pueros, id est, ministros, reducendis mancipiis, quæ emissent.

Vers. 42. FACERE IN INTERITVM ET CONSVMMATIONEM) Hic est ἐν δικῇ δυεῖν, *facere excidium consummatissimum*: quod una voce Latini dicunt internecionem.

ERIGAMVS DEJECTIONEM POPULI NOSTRI) *Ruinas.*

ET

ET SANCTA NOSTRA) καὶ τῶν ἁγίων, Id est, pro templo, quæ pluraliter τὰ ἅγια, Levit. XXVI. 31. I. Regum VIII. 7. supra III. 58.

Vers. 44.

UT ORARENT ET PETERENT MISERICORDIAM ET MISERATIONES) ἵλεως καὶ οἰκτιρμούς, רחמים וחנינים, à Deo scilicet.

Vers. 45. ERAT SICUT DESERTUM) Supra I. 40. 41. 45.

ET FILII ALIENIGENARUM ERANT IN ARCE: IBI ERAT HABITATIO GENTIUM) Macedonum, ut supra intelleximus. Videtur in Græco pro κατάλυμα ἐν τοῖς ἔθνεσι, quod cum præcedentibus non optime cohæret, legisse κατάλυμα ἐκεῖ τοῖς ἔθνεσι.

ET ABLATA EST VOLUPTAS A JACOB) Dies festi, qui τερπνότης, Psalm. XVI. 11. XXVII. 4. ἡμέραι εὐφροσύνης, Num. X. 10.

ET DEFECIT IBI TIBIA ET CITHARA) Musica templi instrumenta.

Vers. 46.

LOCUS ORATIONIS ERAT IN MASPHA ANTE IN ISRAEL) Cum Templo uti non possent, honestarunt suo conventu locum olim conventui solemnem, Jud. XX. 1. I. Sam. VII. 4.

Necessum est audierit *jam ante* Nicanoris adventum Iuda, non vero tum demum cum ad *Emmaum* applicuit: ideoque se ad eundem præparavit. Neque enim vigilantis & sapientis Ducis fuisset, hoste jam imminente cervicibus de convocando milite, de publicis precibus, de ordinando exercitu cogitare, quæ tamen hic facta narrantur. Ista ante ordinata oportuit, ne imparari opprimerentur. Cæterum *Masphа* intellige non illam quæ in tribu *Ruben I. Macc. V. 35.* neque eam quæ in tribu *Gad Iud. XI. 29.* sed quæ in *tribu Benjamin* erat CONTRA seu è regione Jerusalem, ubi ante constructum Salom. templum erat publicus orationis locus. *I. Sam. VII. 5.* Hic unanimi prece implorant opem cœlestem.

Vers. 47.

ET JEJUNAVERUNT ILLA DIE) Ut supra 16.

ET INDUERUNT SE CILICIIS, ET CINEREM IMPOSUERUNT CAPITI SUO, ET DISCIDERUNT VESTIMENTA SUA) Nam jejunij temporibus mos erat omnia mœroris signa usurpare.

Vers. 48.

ET EXPANDERUNT LIBROS LEGIS, DE QUIBUS SCRUTABANTUR GENTES SIMILITUDINEM SIMULACRORUM SUORVM) Est sic in quibusdam codicibus Græcis. At in aliis plenius: περὶ ὧν ἐξηύρισκον τὰ ἔθνη τὰ ἐντεγράφειν ἐπ' αὐτῶν τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν. Quos (libros) *gentes rimabantur, ut in eis inscriberent picturas idolorum suorum.* Picturæ enim tales vetitæ non minus quam idola Levit. XXVI. 1. Num. XXXIII. 52. Hoc ergo modo libros legis inutiles Judæis reddebant Græci. Quod autem ait ἐξεπέτασαν, idem est quod ἀνέπτυξαν, de quo vide quæ dicta ad Luc. IV. 17.

Aliena est *Fabri*, etsi Tirino probata expositio, Gentiles solitos fuisse insigniores quasque Bibliorum historias & divina miracula ad suos falsos Deos transferre, imo etiam sacros ritus & ceremonias. Quid enim hoc ad illa, *expanderunt libros legis?* Convenientior est *Eman. Saa*, & *Marianæ* sensus exemplo Ezechiæ, qui literas Sennacherib blasphemiis plenas coram domino expandit 2. Reg. XIX. Judæos Biblia à gentibus prophanata, & idolorum imaginibus nominibusque hinc inde inscriptis fœdata coram domino expandisse.

Vers. 49.

ET ATTULERUNT ORNAMENTA SACERDOTALIA) Quia stante Templo sacrificia extra Templum offerre non audebant, sacras vestes de Templo servatas ostendebant Deo.

ET PRIMITIAS ET DECIMAS) Ad alendos Sacerdotes, Levitas, & pauperes Deuteron. XXVI. 11. 13.

ET SUSCITAVERUNT NAZARÆOS) Stare fecerunt, conspicuos in conventu.

QUI IMPLEVERANT DIES) Qui voti Religionem impleverant, ac propterea commendatiores esse debebant.

Vers. 50.

QUID FACIEMUS ISTIS, ET QUO EOS DUCEMUS?) In Templo debent hi se ostendere, & factis sacris voto rite solvi. At nullus nobis ad Templum aditus.

Ducendi enim erant Naziræi ad *ostium tabernaculi* fœderis *Num. VI. 13.*

Vers. 51.

ET SANCTA TUA CONCULCATA SUNT) A profanis gentibus. Vide Luc. XXI. 24.

ET CONTAMINATA SUNT) Suum victimis: inducto idolo.

ET SACERDOTES TUI FACTI SUNT IN LUCTUM ET HUMILITATEM) In Græco: *Sunt in luctu & abjectione:* ut Mattathias fuerat.

Vers. 54.

ET TUBIS EXCLAMAVERUNT VOCE MAGNA) In Græco: *Et cecinerunt tubis, magnaque voce clamaverunt.*

Vers. 55.

TRIBUNOS) In Græco: χιλιάρχους. Secutus est institutum Mosis, Exod. XVIII. 21. Deuteron. I. 15.

Vers. 56.

UT REDIRENT UNUSQUISQUE IN DOMUM SUAM SECUNDUM LEGEM) Deuteron. XX. 5. 6. 7. 8.

Vers. 57.

ET MOVERUNT CASTRA) In Græco: *Et mobili se exercitu.* Nam ita παρεμβολὴ hic sumitur, ut supra III. 2.

AD AUSTRUM EMMAUM) Ad eam partem quæ Hierosolyma versus spectabat.

Vers. 59.

MELIUS EST NOS MORI IN BELLO, QUAM VIDERE MALA GENTIS NOSTRÆ ET SANCTORUM) Euripides:

--- κατθανεῖν γὰρ ἡδέως
Ἢ ζῆν φίλους δρῶ, δυσκλεῶς γεγαυτόμους.

Alius: φέρτερον εὐκλεᾶ μόῖραν ἐν ἀλκᾷ θανεῖν
Ἢ ἀλκὰν φεύγοντα κακὸν ἐπιφέρειν.

Vers. 60.

SICUT AUTEM FUERIT VOLUNTAS IN COELO, SIC FIAT) *In cœlo*, id est, apud Deum, cujus majestas in cœlo maxime. Vide Matth. VI. 10. & ibi dicta.

Confer. etiam quæ leguntur *2. Macc. IIX. 20. & seqq.*

## CAPUT IV.

*Bipartitas Gorgiæ copias profligat Judas, deinde & ipsum quoque Lysiam Syriæ pro-Regem: & dum is exercitum rursus instaurat, templum Hierosol. repurgat, & cultum Dei reparat.*

Vers. 1.

ET MOVERUNT CASTRA NOCTE) καὶ ἀπῆρεν ἡ παρεμβολὴ νυκτός, id est, hoc agmen sex millium, delectum ex toto exercitu, nocte processit.

Vers. 2.

UT APPLICARENT AD CASTRA JUDÆORUM) *Ut irruerent in Iudæorum agmen.*

ET FILII QUI ERANT EX ARCE, ERANT ILLIS DUCES) *Filij arcis*: id est, præfidiarij ἄνδρες Hierosolymitanæ, locorum gnari.

Vers. 3.

QUI ERANT IN EMMAUM) Qui in planis ad Emmaum mansérant; supra III. 57.

Vers. 4.

ADHUC ENIM DISPERSUS ERAT EXERCITUS A CASTRIS) Gorgias ad suos nondum redierat, itaque disjunctæ erant hostium copiæ.

Vers. 5.

VENIT IN CASTRA JUDÆ NOCTU) Ad illa loca montana, quæ ad Austrum ab Emmaunte, uti Judæi ante confederant, & ubi Judas discedens multos ignes reliquerat fallendo hosti, ut Josephus narrat.

Vers. 6.

IN CAMPO) In locis illis planis, ubi pars major exercitus manserat.

CUM TRIBUS MILLIBUS VIRORUM TANTUM) Impar etiam parti hostium, si numeri res esset.

QUI TEGUMENTA ET GLADIOS NON HABEBANT) Nempe quales vellent, Josephus: μετὰ τοιούτων ὅπλων φυλακὴν ἀσκεμένων διὰ πενίαν.

Additur in Græco καθὼς ἠβούλοντο, & in Latinis pluribus SICUT VOLEBANT. *Tegumenta*, id est, *loricas, thoraces ferreos, clypeos.*

Vers. 7.

ET VIDERUNT CASTRA GENTIUM VALIDA) Illos qui in castris manserant apud Emmaum.

ET LORICATOS) Pedites.

ET EQUITATUS IN CIRCUITU EORUM) Vallante peditem equite, ut fieri solet.

ET III DOCTI AD PRŒLIUM) Id est petite aciem struxerant. Ita Josephus.

Vers. 8.

NE TIMUERITIS MULTITUDINEM EORUM) Ut supra III. 18.

Vers. 9.

IN MARI RUBRO) ἐν θαλάσσῃ Ἐρυθρᾷ. Sic dictum ajunt veteres à rege Erythra. Is vero Erythras est Æas sive Edom, ut diximus ad primum de veritate Religionis Christianæ.

Vers. 13.

ET EXIERUNT DE CASTRIS IN PRŒLIUM) Nempe hostes ad Emmaum.

Vers. 14. ET FUGERUNT IN CAMPUM) Per campestria.

Vers. 15. VSQUE GEZERON) μέχρι Γαζάρων, Josephus. Vide quæ ad Marcum V. 1. Quod in Græco legimus Ἀσσαμωΐδ, חצר חמת, vicus Emath, is proxime Gadara fuit, ut ex tabula Judaica cognoscimus.

ET AZOTI) Sic Hebræi vocant quam Phœnices אשדוד.

ET JAMNIÆ) Jamnias duas dixit Plinius, & Strabo Ἰάμνειας: Ptolemæus, χωρὰν Ἰαμνείτιν: ac præterea Ἰαμνείας.

Dubium est, quum *eodem die* Judas cum suis Emmauntem redierit, quo pacto ad *campos usque Iamniæ, Azoti, Idumææ* potuerit excurrisse, quandoquidem urbes illæ diei itinere, & amplius, regio autem hæc bidui minimum Emmaunte disterat? Dicendum videtur campos Iamniæ, Azoti, Idumææ vocari qui eo respiciunt, & ducunt, non autem qui ad eas toparchias aut regiones pertinent. Erant enim in campis Emaunti subjectis itinera diversa eo ducentia. Sic hodie in urbibus portas à celebrioribus locis, ad quæ respiciunt, nuncupare solemus.

Vers. 17.

NON CONCVPISCATIS SPOLIA, QVIA BELLVM CONTRA NOS EST) Id est, alterum nobis prælium imminet cum altero hostium agmine. ἔτι γὰρ αὐτοῖς ἀγῶνα καὶ μάχην ἕτερον, ait Josephus. Simile illud Suetonii in Britannia monitum apud Tacitum XV. 36. *Cædem continuarent, prædæ immemores, parta victoria cuncta illis cessura.* Multis enim sua victoria obstitit, dum omissis telis, præda manus impediunt, ut apud eundem scriptorem Civilis monet historiarum V.

ET EXERCITVS EJVS) Alter ille, qui cum Gorgia exierat.

Vers. 18.

IN MONTE) Vide supra 5.

Vers. 20.

QVOD IN FVGAM CONVERSI SVNT SVI) Illi qui in castris fuerant.

ET SVCCENDERUNT CASTRA) Nempe ex fumo cognoscebant castra à victoribus Judæis incensa.

Incensione castrorum voluerunt Gorgiæ indicare fusas esse ejus copias, & invasa castra: quo & illum terrerent, & in fugam compellerent, quod & feliciter successit.

Vers. 22.

ET FVGERVNT OMNES IN CAMPVM ALIENIGENARVM) In Græco: εἰς γῆν ἀλλοφύλων, in terram alienigenarum: Id est, extra Judæam in fines Idumæorum & Phœnicum.

Vers. 23.

ET ACCEPERUNT AURUM MULTUM, ET ARGENTUM, ET HYACINTHUM, ET PURPURAM MARITIMAM, ET OPES MAGNAS) Quæ mercatores attulerant, ut iis sibi Judæos captivos compararent: supra III. 41.

HYACINTHUM, id est, *vestes plurimas hyacinthinas* violacei coloris Exod. XXV. 4. & PURPURAM non fictam ex vacciniis, vel violis, sed veram, nempe MARINAM ex ostreis teste Vitruvio l. VII. 14. *Tyriam omnium præstantissimam* dicit *Plin. l. IV. c. 39.*

Vers. 24.

HYMNUM CANERANT) Carmen extemporaneum, ἐπινίκιον, ut etiam Moses, & qui cum eo. Exod. XV. Vide quæ ad Matth. XXVI. 30.

QUONIAM BONUS EST, QUONIAM IN SÆCULUM MISERICORDIA EJUS) Hic erat in hymno versus intercalaris, desumtus ex Psalmo CXXXVI. Vide Cant. puer. 59.

Vers. 25.

ET FACTA EST SALUS MAGNA IN ISRAEL DIE ILLA) Id est, non parum ea victoria ad libertatem recuperandam contulit, ut ait Josephus.

Vers. 29.

ET VENERUNT IN JUDÆAM) Sic & Josephus. Male ergo in Græco hodie scriptum est: εἰς τὴν Ἰδουμαίαν, pro εἰς τὴν Ἰουδαίαν.

IN BETHORON) Scribe *in Bethsura*, quomodo infra scribitur 61. In Græco: ἐν Βαιθσούροις. Josephus, ἐν Βεθσούραις κώμῃ τῆς Ἰδουμαίας. Ea est בית צור, Jos. 15. 58.

Vers. 30.

QUI CONTRIVISTI IMPETUM POTENTIS) τὸ δυνάστου, sic vocat Goliathum. Hebræa vox גבור Gen. VI. 4. X. 8. 9. vertitur γίγας: at Jud. V. 30. 1. Paralip. XXVIII. 1. XXIX. 24. Amos. II. 16. δυνάστης.

ET TRADIDISTI CASTRA ALIENIGENARUM) Philistinorum.

IN MANU JONATHÆ FILII SAUL, ET ARMIGERI EJUS) 1. Sam. XIV. 13. 14.

Vers. 31.

ET CONFUNDANTUR IN EXERCITU SUO ET EQUITIBUS) Cum omni suo peditatu & equitatu.

Vers. 32.

TABEFAC AUDACIAM VIRTUTIS EORUM) τῆξον θράσος ἰσχὺν αὐτῶν. *Audaciam multitudinis eorum fac languidam.* Sic τακησομαι ψυχῇ, Deuter. XXVIII. 65. Latine redditur cor pavidum.

ET COMMOVEANTUR CONTRITIONE SUA) Id est, ad contritionem usque ita percellantur, ut intereant.

Vers. 33.

ET COLLAUDENT TE OMNES QUI NOVERUNT NOMEN TUUM IN HYMNIS) *Ut collaudent te:* ut materiam habeant, iterum tuas laudes canendi. Vide supra 24.

Vers. 35.

ABIIT ANTIOCHIAM) Syriæ urbem regiam.

Vers. 36.

ASCENDAMUS NUNC MUNDARE SANCTA) Templum purgare ab idolis: Τὸν ναὸν καθαρίσων, ait Josephus.

ET RENOVARE) Cultum divinum scilicet: Τὰς νενομισμένας θυσίας προσφέρειν, ait Josephus. In Græco est verbum ἐγκαινίζειν, unde dies hic dictus ἐγκαινία. Vide quæ diximus ad Johan. X. 22.

Vers. 38.

VIDERUNT SANCTIFICATIONEM DESERTAM) Vacuum Templum. Ita Josephus.

ALTARE PROFANATUM) Imposito altero Græcorum altari. Supra I. 62.

ET PORTAS EXUSTAS) Supra I. 33.

ET IN ATRIIS) In subdialibus Templi.

VIRGULTA NATA SICUT IN SALTU VEL IN MONTIBUS) Nempe quia Judæi non permissi erant eo accedere. Supra I. 37. 38.

ET PASTOPHORIA DIRUTA) הלשכות, id est, conclavia illa ad Templi latera, in quibus servabantur vestes sacerdotales, instrumenta Templi, copia aromatum & similia, I. Paralip. IX. 26. 33. XXIII. 28. XXVIII. 11. II. Paralip. XXXI. 11. Jerem. XXV. 4. Ezech. XL. 18. 39.

Vers. 39.

ET SCIDERUNT VESTIMENTA SUA) Mœrorem

rorem suum omnibus modis testati sunt: ut supra II. 13.

Vers. 40.

ET EXCLAMARVNT TVBIS SIGNORVM) Et cecinere tubis militaribus, σημασίαις sunt signa, & numeri militum sub signis. Num. II. 2. σάλπιγξιν σημασίας habes & II. Paralip. XIII. 12.

Vers. 41.

VT PVGNARENT ADVERSVS EOS QVI ERANT IN ARCE) ἐν τῇ ἄκρᾳ, de qua supra I. 35.

DONEC EMVNDARENT SANCTA) *Dum ipse Templum purgabat.* Ita sumi exigit textus Græcus & Josephus. Judas, ut ex Sacerdotali genere, sacerdotibus monstrator & adjutor erat ad restituendam Templo sanctimoniam.

Vers. 42. ET ELEGIT SACERDOTES SINE MACVLA) Sine corporis vitio: nam qui vitiosi erant, ministerio arcebantur, Levit. XXI. 17.

VOLVNTATEM HABENTES IN LEGE DEI) θελητὰς νόμου, legis amantes. Nam θέλειν pro amare usurpant Hellenistæ: ut Deuteronom. XXI. 14. II. Sam. XV. 26. & aliibi.

Vers. 43. ET TVLERVNT LAPIDES CONTAMINATIONIS) Illos ex quibus factum erat Græcum altare veteri altari impositum, ut modo diximus.

IN LOCVM IMMVNDVM) Id est, in sepulchretum aliquod.

Vers. 44. ET COGITAVIT DE ALTARI HOLOCAVSTORVM) De veteris secundum legem facti altaris lapidibus. Dubium enim erat an fas esset ac deceret, eis uti postquam idolorum cultu & illicitis victimis pollui fuerant. In re dubia secuti sunt mediam sententiam, ut videbimus.

Vers. 46.

IN MONTE DOMVS) In ipso monte Moriæ.

IN LOCO APTO) Honesto loco, non sordido.

QVOADVSQVE VENIRET PROPHETA) Nam Prophetia à temporibus Aggæi, Zachariæ, Malachiæ cessaverat: neque ejus reditus exspectabatur, nisi paulo ante Messiæ tempora. Vide & infra IX. 27. & XIV. 41.

Vers. 47.

ET ACCEPERVNT LAPIDES INTEGROS) Intactos ferro: ἐκ λίθων συνειλητῶν, ὁ πελεκητοκοπίων ἐν σιδήρῳ. Josephus.

SECVNDVM LEGEM) Deuteron. XXVII. 5.

Vers. 48.

ET ÆDIFICAVERVNT SANCTA) Id est, adytum, ἅγιον ἁγίων, הֵיכָל.

ET QVÆ INTRA DOMVM ERANT INTRINSECVS) τῶν τὰ ἐντὸς τῆ οἴκῳ, הֵיכָל, ea quæ ad ædem sacerdotalem pertinebant.

ET ÆDEM) Non est in Græco: nec aliud est quam alia interpretatio verborum præcedentium.

ET ATRIA SANCTIFICAVERNT) יְקַדְּשׁוּ הַחֲצֵרוֹת, nempe asperione tali qualis describitur Num. XIX.

Quid idolo altari impositio factum, non refertur, nisi huc referantur quæ c. VI. 7. habentur, si eo usque id steterit, & nunc solum amotum fuit. Sine dubio autem non dejectum tantum, sed & ludibrio habitum, forsan etiam comminutum, uti vitulus aureus Exod. XXXII. Multum autem hic superstitionis nonnulli observant, utpote quod *altare holocaustorum destructum eo quod contaminatum esset à gentibus*, quod *lapides in loco certo depositi donec Propheta exurgeret, qui de iis responderet*, quodque *in locum prioris aliud altare ex ὑθελοθρησκεία, exstructum.* Quæ vero commendantur tanquam βουλὴ ἀγαθὴ. Quasi vero non sufficisset purgari illud altare, vel quasi licuisset vetus demoliri, & novum in ejus locum exstruere sine mandato divino. Quasi etiam post Malachiam novus debuisset expectari Propheta, vel quasi altari destructo in eo multum momenti verteretur, quid de lapidibus fieret, & ob id Prophetæ directio expectanda foret, *quæ omnia arguunt superstitionem Judaicam*, uti disputat *Spanhem.* l. c. p. 234. inde *autoritatem Canonicam* hujusce libri refellens. Per *Prophetam* Tirinus *Messiam* intelligit, cui talium solutionem reservatam inepte statuitur.

Vers. 49.

ET FECERVNT VASA SANCTA NOVA) In locum eorum quæ abstulerunt Macedones, Supra I. 23.

ET INTVLERVNT CANDELABRVM) Unum ut Moses instituerat, neque plura fecit Salomo: nam quæ II. Paral. IV. 7. dicuntur מְנֹרוֹת, nihil sunt aliud, quam quæ מְנוֹרַת זָהָב, in Exodo XXV, id est, rami sive calami, quos decem fuisse exipso illo Exodi loco constat.

ET MENSAM IN TEMPLVM) In ipsa æde sacerdotali. Hæc mensa ad panes & Mosis temporibus & Solomonis fuit unica, ut ex Josepho utroque historiæ loco discimus. Plures erant mensæ aliæ in quibus reponebantur phialæ, στοιβάδια, & res similes.

Vers. 50.

ET INCENSVM POSVERVNT SVPER ALTARE) Supra altare illud θυσιαστήριον modo nominatum.

ET ACCENDERVNT LVCERNAS QUÆ SVPER CANDELABRVM ERANT) Septem numero, ut videre est Exod. XXV. 37.

ET LVCEBANT IN TEMPLO) *Et pro quæ*; quæ lucernæ in Templo lucerent. Vnde dies ἐγκαινίων dictus etiam dies φώτων, ut ad modo dictum Evangelistæ Johannis locum notavimus.

Vers. 51.

ET APPENDERVNT VELA) Alterum quod obtegeret adytum, alterum quod ædem, ubi esset opus. De his velis dudbus vide quæ diximus ad Matth. XXVI. 51. περιπετάσματα hic dixit Josephus.

ET CONSVMMAVERVNT OMNIA OPERA QVÆ FECERANT, ET ANTE MATVTINVM SVRREXERVNT) Hebraea locutio, pro qua diceremus: *Et cum omnibus quæ inchoaverant operibus ultimam imposuissent manum, bene mane surrexerunt*, &c.

Vers. 52.

HIC EST MENSIS CASLEV) In Græco, χασλεῦ: Josepho, μηνὸς χασλιὰ, quem à Macedonibus dictum ait Apellæum.

Vers. 53.

SECVNDVM TEMPVS ET SECVNDVM DIEM IN QVA CONTAMINAVERVNT ILLVD GENTES) Eodem mense & die, triennio post, ut hic ait Josephus: triennio & sex mensibus, postquam juge sacrum fuerat interruptum, ut idem Josephus nos docet Belli Judaici I. 1. Quare vetum est quod alibi diximus in II. Macc. X. 3. male scribi διετῆ χρόνον, ubi scribendum τριετῆ.

Biennium illud *2. Macc. X. 3.* non respicere initium *profanationis templi*, sed initium *principatus Judæ*, *1. Maccab. II. v. ult. & cap. IV. 52.* Tirinus vult. *Torniellus* biennium illud terminat in adventu Jesu Hierusalem: *Sed ut bene observat Salianus differre finis biennij figitur in mundatione templi*, ait *Fullonius*, & cum *Saliano* & *Tirino* secundum annum postquam Judas defuncto Patre principatum iniit, intelligit. Additque Tirinus pro conciliatione loci istius *2. Macc. X.* cum præsente, narrari quidem ibi *post Antiochi mortem* repurgationem templi, non autem dici post mortem ejus illam contigisse. Sed nulla est hæc conciliatio. Nam licet ὑστερώσεις quandoque in script. occurrant, hic tamen ejus nec causa, nec indicium ullum apparet: & frustra per ὑστέρωσιν anxie referretur illud quod suo loco jam satis superque fuerat relatum. Unde alij bis purgatum templum dicunt ante, & post mortem Antiochi, sed citra fundamentum: siquidem à purificatione hic descripta non legatur templum ita contaminatum, ut nova purificatione eguerit.

Vers. 54.

ET CTTHARIS ET CINTRIS) Quæ instrumenta valde affinia fuisse necesse est. Videmus enim ab interpretibus permiscri. Κινύρα vox est Hebræa כִּנּוֹר. Κισθάρα vox Græca quæ pro Hebraicis diversis ponitur.

Ita *2. Par. XXIX. 25.* ubi vulg. habet, in citharis, penes LXX. reperitur ἐν Κινύραις. Sic etiam *1. Sam. X. 5. 2. Sam. VI. 5.* unde colligit Menochius instrumenta Musica admodum similia inter se fuisse & fortasse sola magnitudine & fidium numero inter se distincta.

ET BENEDIXERVNT IN COELVM) Voce in cœlum elata.

Vers. 56.

Vers. 56.

ET FECERUNT DEDICATIONEM ALTARI DIEBUS OCTO) Id est, illos dies octo totos feriati sunt. Ἐόρτασε δὲ Ἰούδας μετὰ τῶν πολιτῶν ἀνάπτεσθαι τῆς περὶ τὸν βωμὸν θυσίας ἐφ' ἡμέρας ὀκτώ. Josephus. Id ut jam videbimus, in posterum fuit pro lege.

ET OBTVLERVNT HOLOCAVSTA CVM LÆTITIA) ὁλοκαυτώματα, עלות.

ET SACRIFICIUM SALVTARIS) Θυσίας σωτηρίου, שלמים.

ET LAVDIS) καὶ αἰνέσεως, תודה.

Vers. 57.

ET ORNAVERUNT FACIEM TEMPLI CORONIS AVREIS ET SCVTVLIS) ἀσπιδίσκοις. Scutulum dixit & Cicero.

Atqui constat pios Judæos à talibus templi ornamentis abhorruisse, iisque contentos fuisse, quæ jussu Dei adhibenda. Non ergo fidem hic meretur *autoris relatio*. Quod enim nonnulli obvertunt *spolia & exuvias hostium* illatas templo Domini, utpote *gladium Goliathi*, *1. Sam. XXI. 9.* Scuta Syrorum *2. Sam. IIX. 8. 7. 11.* Salomonem aurea scuta templo affixisse *1. Reg. X.* Roboamum pro illis ærea substituisse *c. XIV.* anathemata multa templo appensa fuisse *Luc. XXI.* Resp. Gladius Goliathi non in templo asservatus fuit, sed penes Abimelechum: nam si anathema fuisset Domino devotum & in templo suspensum, nec Abimelecho licuisset gladium illum à tholis sacris avellere, nec Davidi accipere: *Scuta v. Syrorum* Domino quidem consecrata dicuntur, sed quia materia illa destinata fuit ædificationi templi, non v. quod illa suspensa fuerint è templi lacunaribus. Quanquam etiam hæc valde differant, asservari *monumenta miraculosarum liberationum Dei*, & *corollas delubris Pagatorum inferri solitas in domo Domini ad morem* gentilium suspendi. Scuta Salom. non in templo sed in domo saltus Libani, & Regio armamentario servata, ad cohonestandam pompam Regis ad templum procedentis, ut hic Menoch. habet. Quod ad *Luc. c. XXI.* factum id concernit, idque sequiorum temporum, hic autem de *jure* quæstio est.

ET DEDICAVERVNT PORTAS) *Instaurarunt*, ἐνεκαίνισαν.

ET PASTOPHORIA) De quibus supra 38.

ET AVERSVM EST OPPROBRIVM GENTIVM) Probra à gentibus in Deum Judæorum facta in ipsos recidere.

Vers. 59.

ET STATVIT IVDAS ET FRATRES EJVS ET VNIVERSA ECCLESIA ISRAEL) Præeuntibus Maccabæis statuit populus, utpote liber. Erat enim δημοκρατία μετ' ἀριστοκρατίας. Vide infra VIII. 29. XII. 6.

Vers. 60.

ET ÆDIFICAVERVNT IN TEMPORE ILLO MONTEM SION) Ita sæpe vocatur urbs tota Hierosolymorum, ubi distinguitur a templo. Nam hoc loco Josephus: τειχίσαι δ' ἐν κύκλῳ τὸν πόλιν. Recte

Rectius alij *turres ædificatas ad templi custodiam* intelligunt, quod erat in monte Moria, cui à dextera lævaque imminebant Sion & Aera montes, in quibus hæ turres exstructæ. Nec id negat *Josephus*. Cum *urbem* pariter munire potuerint, *Arcem præsidiariam construxerunt*, *in monte Sion, ex opposito Arcis hostilis*: ait Tirinus.

ET TVRRES FIRMAS) Tum in muris tum ad itinera.

ET CONCVLCARENT EVM) Montem, id est, urbem. Atin Græco: αὐτὸ, nempe τὰ τείχη. Turres erant munimento muris.

SICVT ANTEA FECERVNT) Supra I. 33.

Vers. 61.

ET COLLOCAVIT ILLVC EXERCITVM) δύναμιν, id est, copias aliquas militares.

VT SERVARENT EVM) Sic & in Græco αὐτό. Josephus: φύλακας ἐν αὐτοῖς κατίστατο, nempe in turribus.

ET MVNIVIT EVM AD CVSTODIENDAM BETHSVRAM) καὶ ὠχύρωται αὐτὸ τοῦτο τὴν Βαιθσοῦραν: id est, *& ei* (monti, id est, urbi), *magis custodiendo munierunt etiam Bethsuram*.

VT HABERET POPVLVS MVNITIONEM CONTRA FACIEM IDVMÆÆ) *Ut populus* (Hierosolymitanus) *hoc munimentum haberet contra Idumæam*. Nam Bethsura erat in illo fine Judææ, qui ad Idumæam pertingebat. Josephus: τὴν Βεθσοῦραν δὲ πόλιν ὀχύρωσεν, ἅπως αὐτὴ φρουρὰ αὐτῷ πρὸς τὰς τῶν πολεμίων ἀνάγκας ᾖ χαθ' ὁδόν.

# CAPUT V.

*Idumæos & Ammonitas perpetuos hostes populi Dei debellat Judas; Judæis in Galaaditide & Galilæa laborantibus, bipartito exercitu succurrit: Timothei copias bis dissipat: Israelitas è Galilæa & Galaaditide ad tutiorem locum, in Judæam, transfert: urbem Ephron expugnat. Josephus interim & Azarias, & Sacerdotes complures dum citra consensum ex ambitione in pugnam eunt, insigni clade ceduntur: sed illam Judas aliis victoriis resarcit.*

Vers. 1.

UT AUDIERUNT GENTES IN CIRCUITU) τὰ ἔθνη κυκλόθεν in Græco: in Josepho: τὰ πέριξ ἔθνη, id est, Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, Phœnices.

Vers. 2.

ET COGITABANT TOLLERE GENUS JACOB QUI ERANT INTER EOS, ET COEPERUNT OCCIDERE DE POPULO ET PERSEQUI) Non tantum illos Israelitas occiderunt, qui apud ipsos vivebant, sed & eos, qui in Judæa habitabant: per insidias nempe, ut exponit Josephus.

Vers. 3.

ET DEBELLABAT JUDAS FILIOS ESAU IN IDUMÆA ET EOS QUI ERANT IN ACRABATANE) Legendum videtur in Græco: καὶ ἐπολέμει Ἰούδας πρὸς τοὺς υἱοὺς Ἠσαῦ ἐν τῇ Ἰδουμαίᾳ τῇ Ακραβατηνῇ, pro τὸν Ακραβατηνον *Idea* (nempe ob Israelitas illos obtruncatos) *Judas bellum incubit Esavi posteris in Idumæa Acrabattene*. Pars Idumææ Acrabattene ea est, quæ adscensus scorpionum dicitur Num. XXXIV. 4. Josue XV. 3. Jud. I. 36. Ascensus dicitur, quod acclivis esset: עקרבים vero, id est, scorpionum, ideo quod scorpionis ibi inveniantur. Deuteron. VIII. 15.

QUIA CIRCUMSEDEBANT ISRAELITAS) Id est, incursabant, ut hic Josephus bene explicat.

Illam *Acrabatam in Ascensu Scorpionis Adrichomius* etiam ac *Bonfrer.* in onomast. nec non *Salianus* intelligunt: sed refellit hoc *Fullonius*, & Acrabatanam in *dimidia tribu Manasse* sitam *intra Jordanem* præfert, quia post eam depopulatam transiit Judas ad *Beanitas*, *Ammonitas*, *Galaaditas*, quasi finitimas gentes, à quibus vero longe abest *Ascensus Scorpionis*. Debellatos ergo dicit filios ni ex Idumæa sc. non Australi, sed Orientali in Acrabatenem non longe distantem missi. Vid. Fullon. p. 212.

Vers. 4.

FILIORUM BEAN) Βαάν apud Josephum, viri potentis apud Idumæos,

Tirinus conjectat eos ab urbe Beon Amorrhæorum forsan sic nominatos, quæ *Num. XXXII. 3.* legitur. Mavult tamen Fullonius *Bataneam regionem* intelligere, Trachonitidis partem regioni Basan proximam, finitimam Idumææ Orientali: siquidem ex Acrabatene toparchia, Iordane transito in Batæneam excursus sit facilis, & ex Batænea in Ammonitas finitimos.

QUI ERANT POPULO IN LAQUEUM ET SCANDALUM) Ea locutio hic non ad mores, sed ad vitæ pericula pertinet; nam & cadere de utroque dicitur. Vide supra I. 37.

Vers. 5.

Vers. 5.

ET CONCLUSI SUNT AB EO IN TURRIBUS) Obsessi intra turres, in quibus se tenebant. Ita explicat Josephus.

ET APPLICUIT AD EOS) παρεσκέλασε τὸν ὦνδε, *oppugnavit eos.*

ET ANATHEMATIZAVIT EOS) Votum fecit se neminem eorum in vita relicturum; bona vero se consecraturum Deo, ut Josue VI. 17.

Vers. 8.

ET CEPIT GAZER CIVITATEM) In Græco legitur τὸν Γαζήρ. Sed Ἰαζὴρ legendum; nam Josephus habet Ἰαζώρην. Ea est יעזר Num. XXI. 32. & XXXII. 1.

ET FILIAS EJVS) Oppida minora, ut Josue XVII. 11. & alibi.

Vers. 9. GENTES QVÆ SVNT IN GALAAD) Circum Galaatida, Ita Josephus.

ADVERSVS ISRAELITAS QVI ERANT IN FINIBVS IPSORVM) Adversus Israelitas sibi conterminos.

ET FVGERVNT IN DATHEMAN MVNITIONEM) Nempe illi Israelitæ Galaatidos. Josephus: οἱ δὲ καταφυγόντες εἰς Δάθεμα τὸ φρούριον.

Vers. 13. QVI ERANT IN LOCIS TVBIN) Quæ terra Tob Jud. XI. 3. 5. *in* est terminatio pluralis. Hinc populus Τουβηνοί, II. Macc. XII. 17.

Vers. 15. DICENTES CONVENISSE ADVERSVM SE A PTOLEMAIDA ET TYRO ET SIDONE, ET REPLETA EST OMNIS GALILÆA ALIENIGENIS) In Græco: *& omnem Galilæam alienigenarum.* Sic & Josephus: τύροι τε Πτολεμαΐδης τοῖς Τύροι τοῖς Σιδώνος καὶ τῶν ἀλλογενῶν τῆς Γαλιλαίας. In Galilæa non soli Judæi erant, sed multa colluvies externorum: ut diximus ad Matth. IV. 15. ii fe Phœnicibus contra Judæos conjunxere hoc tempore.

Vers. 16. CONVENIT ECCLESIA MAGNA) Quotquot de populo potuerunt in unum locum contrahi.

Vers. 19. ET NOLITE BELLVM COMMITTERE) Id est, prælium.

Vers. 23. ET IN ARBATIS) τοῖς ἐν Ἀρβάτοις. Et eos qui erant in locis planis & incultis, quæ ערבות Hebræis. Sic & infra IX. 2. ubi ἐν Ἀρβάτοις scribitur, legendum ἐν Ἀρβάθοις, ut hic.

Aliter Menochius, *quæ sint Arbata* inquit, *non satis constat: apparet tamen esse oppidum aut regiunculam Galilææ. Inde fortassis oriundus fuit Abialbon Arbathites, unus de fortibus David 2. Sam.* XXIII. 31. Pro parte aliqua vel oppido Galilææ etiam Fullonius habet.

Vers. 24.

PER DESERTVM) Per Arabiam desertam.

Transito Iordane. Ideo *solitudines Moabitidis, & Arabiæ Petrææ* intelligendæ. *Iosf. XX. XXI.* Hac Moabitica solitudine emensa, quæ diem unum non tenuit, tridui reliquum, torrente Arnon transmisso, positum est in itinere per Arabiam Petræam, qui circuitus ideo faciendus, ne per hostile solum recta in hostes ducentibus alimenta deessent, & ad sumen Iazer, torrentem Iaboc, rivosque alios per hostilium copiarum partem detineretur, donec Datheman venisset in Timothei potestatem. Et videtur Iudas voluisse improvisus hostibus advenire, quod alio nullo itinere melius poterat.

Vers. 25.

ET OCCVRRERVNT EIS NABVTHÆI) *Occurrerunt Nabathæis.* Sic est in Græco, nec aliter Josephus. Nabatæi, aut Nabuthæi pars Arabum: Straboni, Ovidio, Lucano, Juvenali, Plinio, Senecæ Nabatæ: Ptolemæo Ναβαταῖοι. Orti à Nabajotho Ismaelis filio Gen. XXV. 13.

Incolas Arabiæ Petrææ ab urbe *Nabatha* dictos quam *Petram* existimat *Bonferius* intelligunt. Sed *Nabatheos* longe ab ea Petra habitasse vel ex hoc loco colligitur: Nabatha ergo non longe ab Arnon rupe intelligenda.

Vers. 26.

IN BARASA) Legendum est *in Bosorra*, ut est in Græco, & apud Josephum. בצרה significat locum munitum: unde & Carthaginis arx sic appellata, quam inversis literis Βόρρας dixere Græci: ex quo vocabulo male intellecto fluxit fabula de taurino tergo. Erant autem in vicinia Judæorum urbes duæ quibus nomen בצרה, altera Idumææ, de qua Esaias XXXIV. 6. LXIII. 1. Jerem. XLIX. 13. altera Moabitidos, de qua Jeremias XLVIII. 6. 23. Illa in his libris & Josepho Βοσόρρα dicitur, Ptolemæo & Stephano Βόσορα. Hæc vero in his libris Βοσὸρ; ut hoc ipso commate, & infra 36. nec aliter apud Josephum.

ET IN ALIIS) ἐν Ἀλίμοις hic in Græco. Sed legendum videtur literis transpositis, ἐν Μαλιοῖς. Ea urbs Moabitarum, Μάδων dicitur Josepho in hac historia, Ptolemæo Maliattha, Stephano Μαλιάθη, מליאת.

ET IN CASPHOR) In Græco: χαφῶν. Sed restituendum χαφὼν, ut infra 36. χαφὼμα Josepho. Nomen Hebræum est חשבון, ut Esaiæ XVI. 8. & alibi LXX. solent scribere Ἐσεβών. Ptolemæo est Ἐσβοῦς.

ET MAGETH) In Græco Μαγεδὼ, tam hic quam infra 36. Ea est מעכתי, Deuteron. III. 4. & Josuæ XII. 5. in Græcis ibi Μαχαθί, Ptolemæo Μαχὰ.

ET CARNAIM) In Græco & hic & infra XLIII. Καρναὶν terminatione duali Arabica, קרנים Hebraica definentia Genes. XIV. 5. Sed LXX. etiam ibi Καρναΐ. Vide & Esaiæ XLVIII. 25. Idem est Καρνίων II. Macc. XII. 26. Carna in Arabia est & apud Strabonem & apud Ptolemæum.

Harum urbium plerasque *Tirinus* in Chorographica sua Tabula constituit inter *torrentes Arnon & Iaboc.* Sed tota itineris, & circuitus triduani per desertum ratio id nullatenus pati videtur, ideoque alii rectius collocant in dimidia tribu Manasse, trans torrentem Iaboc, & ulteriorem rivum, qui in medium mare Galilææ influit (vocaturque à quibusdam *Hieronce*) judice *Fullonio.*

Vers. 27.

CONSTITUERUNT ADMOVERE) In Græco: τάσσονται παρεμβαλεῖν: *Constitutum habent.* Sic τάσσονται habes infra XII. 26. nec multo aliter II. Macc. VI. 21.

Vers. 28.

ET OCCIDIT OMNEM MASCULUM IN ORE GLADII) impleus vaticinium, quod est Esaiæ LXIII. ex lege Deuteronom. XX. 13. os gladii est acies.

Vers. 29.

USQUE AD MUNITIONEM) ἐπὶ τὸ ὀχύρωμα. Josephus: ἐπὶ τὸ φρούριον, ὕθεν τὸν Ἰουδαίων ἐγκεκλεῖσθαι συνέβαινεν. Intellige castellum supra nominatum Datheman IX.

Vers. 30.

ET MACHINAS) Arietes, testudines.

UT COMPREHENDERENT MUNITIONEM) Ut impetu caperent.

Vers. 33.

ET VENIT TRIBUS ORDINIBUS) Tripartito agmine, εἰς τρεῖς διελὼν τὸν στρατὸν, Josephus.

V. 35. IN MASPHA) Ex Josepho discimus eandem esse quæ supra dicta est Malatæ: hoc est vetus nomen מצפה I. Sam. XXII. 3. ubi in Græco Μασσηφά. Alterum nomen videtur recentius; qualia binominum urbium exempla complura habemus & in sacris & in profanis historiis.

Vers. 36.

ET RELIQUAS CIVITATES GALAATIDIS) Nempe quas Moabitæ occupaverant. Vide supra II. 8.

Vers. 37.

CONTRA RAPHON) Urbis esse nomen docet nos Josephus. Raphana urbs Syriæ in Arabiam recedens Plin. V. 18. Ῥαφανέων Ptolemæo & Stephano.

Vers. 39.

ET ARABAS CONDUXERUNT) Recte, nam quod in Græco est μεμισθωτοι refertur ad ἵππεις: itaque vi est plurale,

Vers. 40. QUIA POTENS POTERIT ADVERSUM NOS) δυνάμενος δυνήσεται. Locutio Hebræa quæ significat, *multum nobis prævalebit.*

V. 41. ET POSUERIT CASTRA EXTRA FLUMEN) Flumen dixit quod modo torrentem: & Latinus dixit *extra* pro *ultra*, intellige, respectu habito ad Timotheum.

TRANSFRETEMUS AD EOS) κατάβησομεν, nam de torrente loquens verbum hic interpres mari conveniens usurpat. In Græco est, διαπεράσωμεν: in Josepho, διαβάντες, περαιοῦν, עבר.

TORRENTEM illum *Adrichomius* in tribu *Gad* n. 23. putat esse *Iaboc*, quo dividebatur illa à tribu *Manasse* trans Iordanem *Iosf. XII. 2. Deut. II. 16.* Sed Raphon præternisit, quam urbem fuisse Josephus l. XII. Ant. c. 12. affirmat. *Remphanem* vocari è Stephano Actor. VII. 43. Junius notat.

Vers. 42.

Vers. 42.

STATUIT SCRIBAS POPULI SECUS TORRENTEM) Præfectos militiæ, sive repositioni militari. ספרים Esaiæ XXXIV. 13. ubi dicta vide.

Vers. 43.

AD FANUM QUOD ERAT IN CARNAIM) Locum, τέμενος habet hic Græcum, & Josephus. Ἀ τεργατεία dea, Maccab. XII. 26. Ἀτάργατις dea, aliis Δερκετώ. עשתרת, & cum ה addito, אדרעתא, id est, גרעתא, ἡ στείνωσις, brevius אדרעה, λόφος, quod idem esse cum antè dictis docet nos Strabo sine libri XVI. Ἀφροδίτην dicunt Græci, & Venerem Latini.

Dicitur autem *Atergation*, inquit Junius ad 2. Macc. XII. *à portentosa Dea, ut Plinius loquitur, quæ profanis scriptoribus dicitur Atergatis, sive Decerto corrupta voce pro Adarceto sive Darceto sermone Syro, quam illi ita colebant ut Latini Opem sive Tellurem deam, quæ calcatur hominum pedibus, unde Syra est appellatio.* Vid. quæ Grotius ad 2. Macc. XII. 26.

Vers. 46.

USQUE EPHRON) In Josepho Ἔμφρων, & populus Ἐμφρώνιος, sed frequens est interjectio literæ μ pro ב Syriaco. Vide 2. Paral. XIII. 19. 2. Macc. XII. 27.

Est hæc urbs *trans Iordanem* in aditu Galaaditidis longe alia ab *Ephrem* urbe *ad Iordanem* sita *1. Macc. V. 46. & Joh. XI. 54.* non situ tantum, sed scriptione etiam differens.

DEXTRA VEL SINISTRA) Id est in ullam partem. Locutio Hebræa.

Vers. 48.

TRANSEAMVS PER TERRAM VESTRAM, VT EAMVS IN TERRAM NOSTRAM, ET NEMO VOBIS NOCEBIT) Imitatur Mosem Num. XX. 17. XXI. 2. Vide quæ ad hoc argumentum pertinentia attulimus secundo de Jure Belli & Pacis II. 13.

Vers. 49.

VT APPLICARENT VNVSQVISQVE) τῷ παρεμβαλεῖν, *Vt irruerent.* Sic supra II. 32.

Vers. 50.

ET TRADITA EST CIVITAS IN MANV EJVS) Pervenit in ipsius potestatem, Deo sic res dirigente; non enim dedita fuit urbs, sed vi capta.

Vers. 51.

ET PEREMERVNT OMNEM MASCVLVM IN ORE GLADII) Vt supra 28.

ET ERADICAVIT EAM) Funditus sustulit.

ET TRANSIVIT PER TOTAM CIVITATEM SVPER INTERFECTOS) Significat stragis magnitudinem. τοῦτο δὲ τὸ τῶν πεφονευμένων πολὺ Θ, ait Josephus.

Vers. 52.

CONTRA FACIEM BETHSAN) *Contra faciem*, id est, è regione, Βαθσαὼ hic in Græco: Βεθσάην Josepho, בית שאן: Josue XVII. 11. & Jud. I. 27. ubi in Græco ut hic Βαιθσάν. Docet Josephus eandem esse quæ postea à Scytharum incursu dicta est Σκυθόπολις: quod nomen est apud Strabonem libro XVI. Plinium V. 18. & sic vocatur hæc urbs in hac ipsa historia II. Macc. XII. 29.

Præmittitur IN CAMPO MAGNO qui non ille est, quem *Adrichominus & Bonfrerius* Mageddoet Esdrelon vocatum dicunt in Galilæa, sed alius isto superior (ut Fullonius in h. l.) qui ab Hieronymo vocatur *Aulon*, alias *vallis silvestris*, Gen. XIV. 3. quem post Sodomæ incendium majori ex parte cooperuit mare mortuum.

Vers. 53.

ET ERAT IVDAS CONGREGANS EXTREMOS) ἐπαγόμενον τοὺς ἐσχατίζοντας, id est, quod Græci una voce dicerent ὁμαγές, id est: clam ebat agmen. Hebræi אסף, quod est ἐπισυνάγειν, hoc sensu usurpant, ut videre est Jos. VI. 9.

Tirinus vult Judam extremos agminis ceu providum Ducem congregasse, ne qui forte præ ignavia, fatigatione, vel infirmitate in tanta multitudine, etiam fœminarum, & puerorum deviaret à reliquo agmine & sic hostibus præda fieret.

Vers. 55.

CONTRA FACIEM PTOLEMAIDIS) In conspectu Ptolemaidis vide supra 22.

Vers. 56.

JOSEPHVS ZACHARIÆ FILIVS ET AZARIAS PRINCEPS VIRTVTIS) In Græco ambo vocantur ἀρχοντες τῆς δυνάμεως, *capiarum princeps.*

Sacerdotes fuisse Mariana, Menochius & Sa, ut & Tirinus volunt: & illi quidem eosdem, qui v. 67. designantur. Sed hoc posterius refellit ad v. 67. Tirinus: *Historica hæc narratio*, inquit, *diversos esse probat, ni fallor.* Quod tamen multo probabilius esse putat *Fullonius*, quod nusquam tota Historia Maccab. de aliis referatur qui copias duxerint præter liberos Matathiæ, quam de Josepho, & Azaria, quodq; nusquam amplius de Josepho, & Azaria mentio fiat, unde colligit eos in fuga periisse.

Vers. 57.

ET EAMVS PVGNARE ADVERSVS GENTES) Mendose, quippe contra Imperatoris interdictum supra 17. & mox 61. quod non omisit hic notare etiam Josephus.

Vers. 58.

ET ABIERVNT IAMNIAM) de qua supra IV. 15.

Vers. 59.

ET EXIVIT GORGIAS DE CIVITATE) Vir belli admodum peritus. II. Macc. V. 11. 9.

Vers. 62. NON ERANT DE SEMINE VIRORVM ILLORVM) Non erant de domo Asmonæa.

V. 63. ET VIRI IVDA MAGNIFICATI SUNT VALDE IN CONSPECTV OMNIS ISRAEL) Melius in Græco: *Et vir ille Judas fratresque ejus magnum nomen adepti sunt apud omnem Israelem.*

Vers. 65. EXPUGNABANT FILIOS ESAU. Reliquias *Idumæorum*, quod prædixerunt *Obadias c. 1. & Sophonias c. 1.*

ET PERCUSSIT CHEBRON) χαζὼν in Græco: quomodo & in Græca versione Josue X. 36. & alibi: χεβρῶνα, Josephus.

ET FILIAS EJUS) Accipe, ut supra 8.

ET TURRES SUCCENDIT IN IGNE IN CIRCUITU) Omnia munimenta detraxit, ut hic Josephus explicat.

Vers. 66. ET PERAMBULABAT SAMARIAM) Pro Σαμάρειαν, lege Μάρισσαν, ex Josepho, & II. Macc. XII. 35. nam Samaria longe est ab iis locis, ubi tum bellum gerebatur. Μάρισσα est מרשה, 1. Paralip. II. 42. II. Paralip. XI. 8. & XIV. 9. ubi in Græco Μαρισά. Illud autem διεπορεύετο non male vertas *transiit*: captam enim narrat Josephus.

Cur vero non *Samaritas* etiam cum reliquiis Idumæorum & alienigenis, h. e. Philistæis ceu Israelitarum hostes expugnatos à Juda credamus, & eorum loco Μαρισσεῖς assumamus, etsi Samaria distaret à reliquis locis? Nonne enim ad illos etiam se convertere potuit Judas?

Vers. 67.

IN DIE ILLA CECIDERUNT SACERDOTES IN BELLO, DUM VOLUNT FORTITER FACERE, DUM SINE CONSILIO EXEUNT IN PRÆLIUM) Ex hoc Latino facile restituas Græca quæ corrupta sunt, hunc in modum: ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἔπεσον ἱερεῖς ἐν πολέμῳ, βιαζόμενοι αὐτοὶ ἀσυμφόρως ἐν τῷ αὐτοὺς ἐξελθεῖν εἰς πόλεμον ἀβουλήτως. Dicit eos inconsulto processisse in prælium: (nam id πολέμῳ voce in his libris significatur) quia Dei opem prius non invocaverant.

Vers. 68.

ET DECLINAVIT IUDAS IN AZOTUM, IN TERRAM ALIENIGENARUM) In Græco: εἰς Ἄζωτον γῆν ἀλλοφύλων, ubi γῆν significat urbem: ut Matth. II. 6. ubi dicta vide.

ET DIRUIT ARAS EORUM, ET SCULPTILIA DEORUM IPSORUM SUCCENDIT IGNI) Ex lege Deuteron. VII. 5.

ET CEPIT SPOLIA CIVITATUM) Tum Azoti ipsius, tum minorum circa oppidorum.

## CAPUT VI.

*Antiochus volens spoliare templum in Elymaide frustratur. Idem auditis rebus gestis Iudæ Maccabæi, ex animi mœrore ægrotat, & moritur: Cui filius ejus, Antiochus Eupator, succedit. Iudas arcem Ierosolymitanam obsidet: accusatur ab Apostatis coram Rege. Antiochus Eupator obsidet*

*obsidet Beth-Suram: Iudas cum eo prælium secundum committit: Eleasar Elephantem occidit: Iudas cum suis retrocedit. Beth-Surá sese Regi dedit. Rex Ierosolymitanum templum obsidet, sed alio avocatus, pacem cum Iudæis facit.*

Vers. 1.

ET REX ANTIOCHUS PERAMBULABAT SUPERIORES REGIONES.) Ita dicebantur Syromacedonibus omnia quæ erant trans Euphratem.

ET AUDIVIT CIVITATEM ESSE ELTMAIDEM IN PERSIDE NOBILISSIMAM ET COPIOSAM IN AURO ET ARGENTO) Secutus est hoc loco interpres Josephum, qui urbem vocat Elymaida, nempe quia in hoc libro, quem plerumque sequitur, legerat: ὅτι ἐστὶν Ἐλύμαις ἐν τῇ Περσίδι πόλις ἐνδοξος, &c. cum hoc tempore sincerior exstet lectio: ἡ Ἐλύμαις ἐν τῇ Περσίδι. Hebræi [illegible] solent dicere pro toto imperio Persico: ideo hic scriptor Hebraïs lectoribus interpretans addidit, ἐν τῇ Περσίδι. Elymais est apud Græcos regionis nomen, non urbis: hanc urbem vero, de qua hic agitur, Persepolim esse vult scriptor Maccabaici secundi IX. 2. At Persepolim ab Alexandro diratam omnes scriptores consentiunt. Sed potest fieri ut in proximo templum fuerit Græcis condirum, & in eo donaria plurima.

Vers. 2.

TEMPLUMQVE IN EO LOCUPLES VALDE) Deæ Nannææ, ut ait scriptor Maccabaici secundi I. 13. & restituendum forte id nomen Straboni libro XVI. ut sit Ναναίας ἱερὸν, pro Ἀτταίας. Hanc Ἀρτέμιδα, id est, Dianam dixit Polybius Josepho memoratus, quia lucis præerat, ut Diana apud Græcos. Dianam Persicam nominat & Tacitus Annalium III. Dianam in Elymaide fuisse quam Antiochus hic spoliare voluerit, dicit Hieronymus ad Daniélem ex Polybio, ut ait, & Diodoro. Significat [illegible] Persis Patrem, ut ait Arúch & Scholiastæ ad Sotam & Jalkutum. [illegible] ergo, Nanaïæ, matrem significaverit, lingua Persica illa veteri, non hac nova, quæ multum de Scythico trahit, ideoque multa vocabula habet communia cum Germanis, qui Scythicæ sunt originis. Mater autem omnibus gentibus dicta est terra, quam in lucis colisolitam alibi ostendimus, cum de Astarte ageremus. Appianus hanc ipsam Deam Venerem Elymæam vocat: nimirum quomodo & Astarten nonnulli Venerem interpretantur. Et hieri potest, ut ab Elymæis primum hujus numinis cultus ad Macedonas, & per Macedonas ad Persas devenerit. Sic & Anaitis alias Diana credita, Straboni Venus.

NOn ignorare quidem hæc antea poterat, sed in memoriam à magnatibus illi revocatæ sunt hæ divitiæ, & instigatus est ad deprædationem, ut frater ejus Seleucus 2. Macc. c. III. ad expilandum templum Hieros, *Dianam* etiam B. Lutherus vult cui sacrum hoc templum cujus hic mentio, cum *Iosepho, Polybio, Hieronymo*, in *Dan XI. 39. Porphyrio, Thoma* & *Lirano*, ut & *Pererius, Saa*, & alij: *Veneri* tamen *Agathiam, Clementem, Berosum, Athenoclem, Symmachum* ut & *Gyraldum* favere *Serarius, Mariana, Tirinus*, & alij putant. Cui etiam *II. Macc. I. 13. seq.* magis convenire *Tirinus* censet, ut & *Fullonius*.

ET ILLIC VELAMINA AVREA) In usum Templi.

ET LORICÆ ET SCVTA) *Et arma* capta de hostibus, nempe in urbe Persepoli priusquam incenderetur. Vide Curtium.

QVÆ RELIQVIT ALEXANDER PHILIPPI REX MACEDO) Signum victoriæ.

QVI REGNAVIT PRIMVS IN GRÆCIA) Id est, in Syria & Ægypto, post Persas primus. Vide supra I, 1. & quæ diximus ad Johan. VI. 35.

Vers. 3. ET VENIT ET QVÆREBAT CAPERE CIVITATEM) Antiochus Templum cum ædificiis circumjectis spoliare volebat, ut olim pater ejus Elymæi Jovis templum, nihilo meliore successu.

Vers. 4. ET INSVRREXERVNT IN PRÆLIVM) Josephus: καὶ τρεῖς ἀντεστάντων, ἀπωσάντων τὴν ὑπαίθρ. ἀπωτάσαντες γὰρ ἀπὸ τῆς πόλεως τοὺς ἐπεξελθόντας ἐδίωξαν.

ET REVERSVS EST IN BABTLONIAM) Est quidem in Græco: εἰς Βαβυλῶνα, quomodo & in Josepho. Sed Βαβυλὼν interdum regionem significat. Neque in urbe, sed in montanis locis mortuum dicit scriptor secundi Maccabaici IX. 28. Erudite ergo vertit hunc locum interpres.

Vers. 5. ET VENIT QVI NUNCIARET EI IN PERSIDE.

At 2. *Macc. IX. 3.* illa nunciata ei docentur κατ' Ἐκβατανα. Ecbatana autem non in Persside, sed Mediæ metropolis erant. Hæc ergo quomodo conciliabuntur? Ἀντιλογίαν illam adversus librorum horum autoritatem fuse exequitur *Spanhem.* part. II. Diss. Theol. p. 171.

Vers. 6. QUIA FUGATA SUNT CASTRA) Exercitus Seronis, Lysiæ, Gorgiæ.

Vers. 7. DIRUERUNT ABOMINATIONEM) Idolum. Supra I. 57. IV. 42.

ET SANCTIFICATIONEM) τὸ ἁγίασμα. Templum Hierosolymitanum.

CIRCUMDEDERUNT MURIS EXCELSIS) IV. 60.

SED ET BETHSURAM CIVITATEM SUAM) Dilectam Antiocho ob situs opportunitatem. Vide supra IV. 29. 61.

Vers. 10. ET ARBITRATUS EST SE MORI) συνεὶς ὅτι μέλει τελευτᾶν, Josephus: *Intelligens instare sibi mortem.*

QUI IUCUNDUS ERAM ET DILECTUS IN POTESTATE MEA) Quam eram suavis atque amabilis in imperio meo? ὡς ἐπὶ hic est admirantis. Χρηστὸς suavis, gratiosus. Vide Luc. V. 39.

Vers. 12. SPOLIA AUREA ET ARGENTEA) Supra I. 23.

ET MISI AUFERRE HABITANTES IUDÆAM) ἔξαγειν, *ut occiderentur*. Supra I. 60. & sequentibus.

SINE CAUSA) Ob solam religionem, quæ certe tali sævitiæ causam justam præbere non poterat.

Vers. 13. PEREO TRISTITIA MAGNA) φθίνω ἀπελεύσομαι, ait Appianus.

IN TERRA ALIENA) Procul ab Antiochia, ubi sedes regia.

Vers. 14. ET VOCAVIT PHILIPPUM UNUM DE AMICIS SUIS) ὃν τῶν φίλων hic in Græco: ἑτῶν τριάκοντα, Josepho. Secundi Maccabaici scriptori IX. 29. vocatur ὁ σύντροφος αὐτοῦ.

Vers. 15. ET DEDIT EI DIADEMA ET STOLAM SUAM) Vestem regiam.

ET ANNULUM) Hæc omnia Philippi fidei permisit, ut is ea filio Antiochi Antiocho Eupatori servaret. Ita Josephus.

UT ADDUCERET ANTIOCHUM FILIUM SUUM) Ex iis locis in quibus agebat nonum ætatis annum, ut ex Appiano discimus. At is, ut & Josephus, educatum sub Lysia Antiochum Eupatora ait, nimirum quia Philippus metu Lysiæ copias sibi paraturus ivit in Ægyptum primum: II. Macc. IX. 9. inde in Persidem: infra VI. 56. Josephus XII. 14.

ET NUTRIRET EUM ET REGNARET) *Ad regnandum.* In Græco enim est τοῦ βασιλεύειν, subaudito ὑιὸν.

De morte Antiochi non convenit huic *scriptori* cum *autore libri* II. *Maccab.* Qui enim hic in *Babylonia*, præ *mœrore animi* extinctus, illic *in templo Nannææ lapidibus obrutus*, morte violenta interiisse dicitur c. I. 16. ac rursus c. IX. v. 5. 7. 28. alio adhuc fato periisse perhibetur, utpote qui *præcipitatus è curru, & in montanis gravi visceram dolore correptus* diem obierit. Quæ ἀσύστατα & ἀσύμφωνα. *Apprehendit* enim *eum dirus dolor viscerum & amara internorum tormenta.* v. 5. & v. 7. *contigit illum impetu eumtem de curru cadere, & gravi corporis collisione membra vexari:* v. 9. *de corpore impij Κτίσαντα in templo Nannææ lapidibus obrutus*, morte violenta interiisse dicitur c. I. 16. ac rursus c. IX. v. 5. 7. 28. alio adhuc fato periisse perhibetur, utpote qui *præcipitatus è curru, & in montanis gravi visceram dolore correptus* diem obierit. Quæ ἀσύστατα & ἀσύμφωνα. *Apprehendit* enim *eum dirus dolor viscerum & amara internorum tormenta.* v. 5. & v. 7. *contigit illum impetu eumtem de curru cadere, & gravi corporis collisione membra vexari:* v. 9. *de corpore impij* Κτίσαντα *vermes scaturiere, ac viventis in doloribus carnes effluxere, ut odore etiam illius, ac fetore exercitus gravaretur:* & ita *peregre in montibus miserabili obitu functus est*, v. 28. At II. *Macc I. 13.* κατεκόπησαν *morte Antiochi.* *irreconciliabiles de vita functus est*, v. 28. At II. *Macc I. 13.* κατεκόπησαν *morte Antiochi.* *Duces ipse Antiochus, & cum ipso immensus exercitus in templo Nannææ:* & v. 16. *de sacerdotibus* dicitur συνεκεφαύνωσαν τὸν ἐγκεκοινωκότα καὶ μέλη ποιησαντες, καὶ τας κεφαλας ἀφελοντες τοῖς ἔξω παρέβαλλον *conjecta lapidum, quasi fulminantis obruerunt Ducem* (ANTIOCHUM) *confectoque membratim, AMPVTATIS CAPITIBVS, foras proje-*

*projecerunt.* Quæ adeo inter se pugnant, ut nulla arte vel cum scriptore libri primi Maccabæorum autor secundi, vel secum ipso conciliari possit: Ineptum enim est de *diversis personis* hæc intelligere, ac si 2. *Macc. I. de Antiocho Magno* vel de *Antiocho Sedete*, ut *Menochius* vult cum *Sigonio, Serario, Mariana, Tirino*, ut & *Roperto*: capite IX. vero de *Antiocho Epiphane* agatur. Eundem enim utrobique Antiochum designari collatio utriusque capitis docet, neque temporis ratio permittit ut c. I. de Antiocho M. intelligatur, vel de Antiocho Sedete: unde agnoscit Grotius ipse ad v. 11. c. 1. *Antiochum illustrem ibi intelligendum esse, qui templum Nannææ deprædari voluit.* Et de *Antiochi Sedetis* morte longe alia referunt Historici: quem Appianus *seipsum interfecisse* in Syriac. sub fin. *Ælianus seipsum præcipitasse* l. X. de animal. c. 34. *Justinus vero desertum à suis, & occisum, cum contra Parthos pugnaret* l. XXXIIX. asserunt, nemo v. in *Nannææ templo* occisum dicit. *Tirinus* ipse obitum Antiochi Sedetis in Chronico cap. XL. aliter recensет: nimirum *non à sacerdotibus in templo Nannææ lapidibus obrutum, sed à fratre suo Demetrio Nicanore interemtum esse.*

Vers. 16. ANNO CENTESIMO QVADRAGESIMO NONO) Ab initio Seleuci, quod hic addit Josephus.

At anni Græcorum non ab initio Seleuci computantur, seu à morte Alexandri M. ex quo regnum Syriæ obtinuit Seleucus, sed ab eo tempore, quo Seleucus imperium totius Asiæ sibi vindicavit, devicto nempe Antigoni æmuli sui filio Demetrio.

ET VOCANT NOMEN EJUS EUPATOR) διὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἀρετὴν, ait Appianus.

Tirinus, *quasi felicem tanto Patre.* Iterum hic ἀντιλογία occurrit cum 2. *Macc. X. 11.* Hic enim *Lysias* Antiochum Eupatorem post mortem Antiochi Illustris Patris regno præfecit. *Illic* vero Lysias à Rege Eupatore regni rebus administrandis dicitur admotus. Si autem eà Lysiæ dignitas ante Epiphanis mortem jam fuit, ut eandem filij educationi præfecerit, utque idem Antiochus post mortem filium regno admovere potuerit, qui ergo ab autore libri secundi Maccab. introducitur tempore Eupatoris ut privatus, & ignotus prius, & ab Antiocho demum illo evectus, & in dignitate constitutus? De *Antiocho* enim *Eupatore* ita Autor ille: ὅτος παραλαβὼν τὴν βασιλείαν, ἀνέδειξε ἐπὶ τῶν πραγμάτων λυσίαν τινα.

Vers. 18. ET HI QVI ERANT IN ARCE) Nam cum Judas urbem ingressus Templum purgavit, arcis obsidendæ tempus non habuerat: ideo quod Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, Phœnices undique in eum insurgerent.

CONCLVSERANT ISRAEL IN CIRCVITV SANCTORVM) Id est, Infestos Israelitis faciebant ad Templum aditus. Ita explicat Josephus, qui per excursus ex arce multos ait interfectos.

ET QVÆREBANT EIS MALA ET FIRMAMENTVM GENTIVM) Quanquam multi inter eos arcis custodes gente erant Judæi, sed legis desertores.

ET FECERVNT BALISTAS ET MACHINAS) Quod hic est balistas in Græco est βελοστάσεις, quomodo מַתְקֵן redditur Ezech. XVII. 17. XXI. 22. Erant autem contabulationes quibus imponebantur catapultæ, aliæque id genus machinæ. Vide Tittvium X. 20. Aggeres dixit hic Josephus. Vide & infra 51.

Vers. 21. ET EXIERVNT QVIDAM EX IIS QVI OBSIDEBANTVR) Nodu inobservati, utfieri solet: & hoc exprimit. Josephus.

Vers. 22.

QVOVSQVE NON FACIS JVDICIVM) Id quod æquum est. Jam enim dicent: ob patrem tuum fumus in his angustiis.

Vers. 23. ET VINDICAS FRATRES NOSTROS) Populares nostros, qui in eadem sunt causa; & nunc obsidentur.

Vers. 24. ET QVICUNQVE INVENIEBANTUR EX NOBIS INTERFICIEBANTUR, ET HÆREDITATES NOSTRÆ DIRIPIEBANTUR) V. 22. 45. 52.

Vers. 26. ET MUNITIONEM BETHSURAM MUNIERUNT) IV. 61.

Vers. 27. ET NON POTERIS OBTINERE EOS) Redigere iterum sub tuam ditionem.

Vers. 29. ET DE INSULIS MARITIMIS) Id est oris maritimis. Nam ita ad Hebræorum imitationem vocem νήσων usurpant ipsi nostri scriptores.

Vers. 30. CENTUM MILLIA PEDITUM, ET VIGINTI MILLIA EQVITUM, ET ELEPHANTI TRIGINTA DUO) Convenit in his numeris Josephus.

DOCTI AD PRÆLIUM) Assuefacti parere imperiis. Παιδαγωγῶν εὐσταγείας, de elephantis Polybius historiarum tertio.

Maxime discrepat liber secundus in numero peditum 110000. equitum quinque millia, elephantorum 2. 22, referens. Quæ tanta ἀντιλογία est, ut *Espæ* & *Salianus* non inveniant, quod dicant, nisi auctorem utrumque in diversa incidisse monumenta. Sed ubi sic θεοπνευστία, & autoritas istorum librorum divina!

Vers. 31. ET FECERUNT MACHINA) Macedones.

ET EXIERUNT, ET SUCCENDERUNT EAS IGNI) Bethsuræi eruptione facta usserunt machinas Macedonicas.

Vers. 32. AD BETHZACHARAM) ἢ ἦν τότε Βηθζαχαρία λεγομένη, Josephus ad villam Zachariæ virinobilis. nam בֵּית & urbem & vicum & villam significat.

CONTRA CASTRA REGIS) Intervallo stadiorum LXX, ut hic Josephus.

Vers. 34. ET ELEPHANTIS OSTENDERUNT SANGUINEM UVÆ ET MORI AD ACUENDOS EOS IN PRÆLIUM) *Vt pararent eos prælio.* Id enim est παρασκευαι. Sanguinem uvæ & mori vocat succum sanguini similem, more Hebræo, ut apparet Deuter. XXII. 14. rubentia enim erant Judææ vina. Hæc autem proposita elephantis, ut coram conspectu assuefierent in prælio sanguinem conspicere, neque eo viso consternari, aut in furias agi.

Alii aspectu & olfactu vini irritatos elephantos ajunt cum Francisco Valesio Sacr. Philos. c. 82. nonnulli vero etiam epotandum ipsis præbitum vinum cum Æliano de animal. l. VI. & tertio Macc. dicunt, ut accenderentur fortius ad pugnam. Sic & Fullonius: *tum colore, tum potu* elephantos efferari potuisse, magis autem si *utrumque* simul adhibitum & aspectus, & potatio, *quod hic factum.*

Vers. 35. ET DIVISERUNT BESTIAS PER LEGIONES) θηρία, quod hic *bestiæ* vertit, etiam Polybius Græcique alii eximie de elephantis usurpant: ut belluas Terentius. Quod vero Latinus dixit legiones, id in Græco est voce Macedonica φάλαγγας. Et autem ea vox ὁμώνυμος. Nam, ut ait Urbicius, Τὸ μὲν τοι πεζικὸν ἅπαν ἐρέτευμα ὁμωνύμως τοῖς μετικοῖς τάγμασι λέγεται φάλαγξ. Sic Demosthenes de Philippo Macedone: φάλαγγας ἐ πλικῶν ἄγει, quod Scholiastæ interpretantur τάξεις. Hic significat ea vox millenarias cohortes, ut docent sequentia. Sic & Antiochus Magnus partes phalangis elephantis distinguebat, teste Livio XXXVII.

MILLE VIRI IN LORICIS CONCATENATIS) Τεθωρακισμένοι ἐν ἅλυσι δύτες, habentes loricas squammatas. Sic I. Sam. XVII. 5. שִׁרְיוֹן קַשְׂקַשִּׂים vertitur θώρακα ἁλυσιδωτὸν. Et autem קַשְׂקַשִּׂים, λεπίς. Virgilius pro eodem dixit loricam consertam hamis.

ET GALEÆ ÆREÆ IN CAPITIBUS EORUM) Quales una voce χαλκοκορυστὰς, dicit Homerus.

ET QVINGENTI EQVITES ORDINATI UNICUIQVE BESTIÆ ELECTI ERANT) Qui latera phalangium tegere solebant, ut nos docet Livius dicto libro.

Vers. 36. IN ANTE TEMPUS UBICUNQVE ERAT BESTIA IBI ERANT) πρὸ καιροῦ est in Græco: id est, etiam antequam opus esset.

Vers. 37. TURRES LIGNEÆ SUPER EOS FIRMÆ PROTEGENTES SUPER SINGULAS BESTIAS) Turritorum elephantorum mentio apud Hirtium, Florum, Vegetium, & alios.

ET SVPER EOS MACHINÆ) Missilio.

ET SUPER SINGULAS VIRI VIRTUTIS TRIGINTA DUO, ET INDUS MAGISTER BESTIÆ) In Græco: ἐφ' ἑκάστου δύο καὶ τριάκοντα οἱ πολεμοῦντες ἐπ' αὐτοῦ καὶ ὁ Ἰνδὸς αὐτῶ. *Super singulos erant viri*

*Viri ternis & bini, qui ex iis depugnabant, & præterea Indus cornacque.* Indus sine alio additamento vocari solet belluæ rector, ut ex Polybio libro. V. & ex Vegetio secundum codices manuscriptos III. 24. videre est, nimirum quod ex India ut elephanti optimi (præstant enim illi Africanis, testibus Polybio ac Livio) ita & elephantorum magistri quos rectores dixit Livius. Interpres Latinus vocem minus tritam, duabus aliis additis, clariorem fecit. Livius turribus superstitisse præter rectorem ait quaternos armatos. Sed ne numerum hic positum nimis miremur facit Plinius VIII. 7. qui turritis elephantis sexagenos aliquando fuisse ait propugnatores.

Vers. 38. ET RESIDVVM EQVITATVM) Bene vertit τὴν ἱππικὴν. Subauditur enim ἵππον, quod equitatum historicis solet significare.

HINC ET INDE STATVIT IN DVAS PARTES) Id est, ad utrumque latus peditum: nam in Græco additur τῆς παρεμβολῆς.

TVRIS EXERCITVM COMMOVERE, ET PERRGERE CONSTIPATOS IN LEGIONIBVS EJVS) κατατάσσοντες τὴν καταφερομένην ἐν τοῖς φάλαγξιν. Legit Latinus φάλαγξιν. Sed quam habemus nos in Græco lectionem veram esse apparet ex Josepho, qui dicit decum pediteminὶ τὰ ἑνιὰ. Sensus ergo est, ab illo equitatu peditem in montium faucibus æstimatum munitumque fuisse.

Vers. 39. IN CLTPEOS AVREOS ET ÆREOS) In Græco tantum est, χρυσᾶς ἀσπίδας: at in Josepho: τοῖς τε χρυσᾶς καὶ χαλκᾶς ἀσπίδας. Improprie autem dixit aureos clypeos, qui erant argentei, sed ex parte aurati. Vocabantur qui sic armati erant Argyraspides, ut præter scriptores rerum Alexandri tradidit Livius dicto jam libro. De solis repertis illis armis habes & apud Josephum: ubi & de parte exercitus per summos montes missa.

Vers. 41. ET COMMOVEBANTVR OMNES INHABITANTES TERRAM A VOCE MVLTITVDINIS) In Græco: *Et perterrebantur omnes qui ipsorum multitudinis sonum audiebant.*

Vers. 43. ET VIDIT ELEAZAR FILIVS SAVRA) In Græco: Ἐλεάζαρος ὁ Σαυαράν: Sed legendum, ut in aliis est codicibus, Αὐαράν. Josepho: Ἐλεάζαρος ὁ ἀδελφὸς αὐτῶν (Juda) ὃν Αὐαρὰν ἐκάλουν. Idem est qui supra II. 3.

LORICATAM LORICIS REGIS) Nam & elephantos suis distinguebat ornatus. Fuisse qui vestibus tegerentur purpureis dicit Plutarchus Eumenes. Florus II. 8. *Elephantis ad hoc immensæ magnitudinis, auro, argento purpura, & suo ebore fulgentibus, atrem utrinque ballaberat.*

Vers. 44. ET DEDIT SE VT LIBERARET POPVLVM SVVM) Cæde regia ut sperabat. Vide quæ de hac re diximus de Jure Belli & Pacis libro tertio c. IV. 8. ubi exempla habes similia.

ET ACQVIRERET SIBI NOMEN ÆTERNVM) Quæ cupido non miranda in homine Judæo.

Vers. 46. ET OCCIDIT EVM) Vulnerato ventre, ut ait Josephus. Ventres elephanto molles Plin. VIII. 10.

ET MORTVVS EST ILLIC) Obtritus scilicet mole elephanti: ὁ δὲ ὑπικτειναντῶν τὸν Ἐλεάζαρον διαβάντων τὸν ἄνδρα ἀνὰ τὰ βάθρα. ait Josephus.

Eleazarum illum Josephus l. XII. Antiqu. c. 14. Gortionid. l. III. c. 29. fratrem faciunt Judæ Maccabæi, sed dicitur Eleazarus ille *Avaran*, & in Latino textu *Saura*, non vero *Matathiæ* filius. Porro accusant autem nonnulli *Eleazari* hujus temeritatem arguuntque eundem, quod vitæ prodigus fuerit ex famæ cupiditate, qui vero gloriæ appetitus, cui vita posponitur, h. e. majus bonum minori, parum ordinatus est; imo contendunt, quod αὐτόχειρ factus ipse sit, cum se elephanto supposuit, cujus casu non poterat non opprimi, idque ut æternum sibi nomen compararet, quod *hominis ambitiosi est, & vani, pii non item*, ut ait *Spanhem.* p. 2. disp. Theol. p 234. & pag. 237. *Revera αὐτόχειρ*, inquit Spanh. *fuit, quippe qui successisse dicitur Elephanto, & se ei supposuisse & quidem proviso periculo inevitabili*, ut patet ex v. 44. Et *vanæ gloriæ desiderio* certe absolvi non potest, quia id fecit, ut æternum nomen sibi acquireret v. 44. quod quum eo medio conciliare sibi voluit, quod nullo modo *licitum* erat, nempe inevitabili vitæ periculo sese subjiciendo, neque *martyrii*, neque *heroici facinoris* laudem obtinuit, ac ne quidem *temeritatis*, & *ambitionis* crimen effugere potest, quicquid etiam *Toſtatus* ad 1. Sam. xv. q. 73. *Navarr*, de simb. num. 53. ea de re disputent, ut & Fullonius Jesuita in comment. ad h. l. Autoritati *Ambrosii* l. 1. offic. c. 40. opponi potest autoritas *Gregorii* M. l. XIX. Moral. c. 13. & *Rabani* in h.l. Nec credibile est, quod Historia refert existimasse Eleazarum Regem insidere huic elephanto, quum *Eupator puerulus* tum adhuc fuerit, de quo id præsumere non potuit. Quod autem Regis mentio fit v. 28. cum *iratus* dicitur, *modus loquendi* est, quo significatur iratos eos, qui Regis personam sustinebant, notante *Fullonio*.

Vers. 47. ET VIDENTES) Judas & fratres ejus.

VIRTVTEM REGIS) ἰχὺν, id est, copias ingentes.

DIVERTERVNT SE AB EIS) Abierunt Hierosolyma, ut aperte ait Josephus, & ex hic sequentibus intelligitur.

Vers. 48. CASTRA AVTEM REGIS) Pars exercitus regis. Nam pars ivit ad Bethsuram. Ita hic Josephus.

Vers. 49. ET EXIERVNT DE CIVITATE) Viram salvam pacti, ut narrat Josephus.

QVIA SABBATA ERANT TERRÆ) Id est erat annus Sabbaticus, sive septimus, per quem terra vacabat à frugibus.

ET CONSTITVIT ILLIC CVSTODIAM) Præsidium.

Ve. 51. ET STATVIT ILLIC BALISTAS) In Græco: βηλοδόκους, de quo vide supra 2.

ET MACHINAS) Puta arietes.

ET IGNIS IACVLA) πυρόβολα. Descriptio ὀργάνου πυροβόλου est apud Heronem.

ET TORMENTA AD LAPIDES IACTANDOS) καταπέλτας. Sub eo nomine veniunt & catapultæ, ut disci potest ex Cæsare primo de Bello Civili.

ET SPICVLA) Non est in Græco.

ET SCORPIOS) Ad mittendas sagittas, quales describit Vegetius IV. 22. Tertullianus: *Ballistam machinam, & tetractu tela vegetantem de scorpio nominant.*

ET FVNDIBVLA) *Fundibula* scripsit interpres, quomodo & Hieronymus XVIII. 10. Pari desinentia fustibalum habes apud Vegetium.

Vers. 52. FECERVNT AVTEM ET IPSI MACHINAS CONTRA MACHINAS EORVM) Uruntur enim & obsidi balistis, scorpionibus, fundis, Vegetio teste IV. 22. Arietibus autem opponunt culcitas, laqueos, lupos: ut habes eodem Vegetii libro, capite 23.

Vers. 53. ESCÆ AVTEM NON ERANT IN CIVITATE) In Græco: ἐν τοῖς ἀγγείοις. Vox est generalis quæ hic saccos significat.

EO QVOD SEPTIMVS ANNVS ESSET) Ut modo dictum 49.

ET QVI REMANSERANT IN IVDA DE GENTIBVS) Tum in arce, tum in aliis præsidiis, quæ Maccabæi nondum expugnare potuerant.

CONSVMSERANT RELIQVIAS EORVM QVÆ REPOSITÆ FVERANT) τὰ ὑπολειμμένα τῆς περιθέσεως, *reliqua repositorum*, in apothecis scilicet, quales fieri solebant anno sexto.

Vers. 54. ET REMANSERANT IN SANCTIS VIRI PAVCI) ὑπὸ τῶν ἁγίων, id est, ἐν τῷ ἱερῷ, in Templo, ut hic Josephus. Plerique ob inediam suffugerant.

Vers. 56. REVERSVS ESSET A PERSIDE ET MEDIA) Ubi copias sibi paraverat.

Vers. 57. ET DICERE AD REGEM) Antiochum Eupatorem, quem Lysias, de quo hæc dicuntur, eo tempore habebatin sua potestate.

ET LOCVS QVEM OBSIDEMVS EST MVNITVS) Templum in modum arcis, propriique muri, ait Tacitus.

ET INCVMBIT NOBIS ORDINARE DE REGNO) In Græco: ἐπίκειται ἡμῖν τὰ τῆς βασιλείας, id est, regni cura nobis incumbit, nempe ne Philippus tutorio nomine cuncta ad se trahat. Id plutis Lysiæ quam Templum capere.

Vers. 58. DEMVS DEXTRAS HOMINIBVS ISTIS) Amicitiæ & securitatis, ut Levit. vi. 2. Prov. VI. 1. Gal II. 9. infra XI. 50. 62.

ET FACIAMVS CVM ILLIS PACEM) Cum illis qui in templo sunt.

ET CVM OMNI GENTE EORVM) Cum omnibus Judæis qui in Judæa.

Vers. 59. ET CONSTITVAMVS ILLIS) ἐφ' οἷς ἂν θῶνται, *pacta ipsis confirmantur.*

VT AMBVLENT IN LEGITIMIS SVIS) Utantur αὐτονομίᾳ. Josephus, τοῖς πατρίοις ἔθεσι χρωμένους ζῆν.

SICUT PRIUS) Ante Antiochi illustris Tempora.

PROPTER LEGITIMA ENIM EORUM QVÆ DESPEXIMUS, IRATI SUNT) Sensus est bonus, sed probabilius est ab interprete scriptum *dissersimus*. Est enim in Græco διεταξάμεθα.

Vers. 60. ET RECEPERUNT ILLAM) *Acceperunt* pacem Judæi qui in Templo erant.

Vers. 61. ET JURAVIT ILLIS REX ET PRINCIPES) More deducto à Persis regibus, ut vidimus Esther. I. 19. Dan. VI. 7.

ET EXIERUNT DE MUNITIONE) De munimentis templi.

Vers. 62. ET INTRAVIT REX MONTEM SION) Arcem, & per eam vir in Templum.

DESTRUERE MURUM) Munimenta Templi.

Vers. 63. ET OCCUPAVIT CIVITATEM) Ipsumque Philippum, Lysia haud dubie auctore, occidit, quod addit Josephus.

Occupavit Antiochiam *Judæis cooperantibus*, quo de testatur *Josephus*, ut & *Gorionides*.

## CAPUT VII.

*Demetrius Seleuci Philopatoris filius Antiochi Eupatoris Patruus paternum Syriæ regnum recuperat. Antiocho Eupatore cum Lysia à propriis militibus jugulato. Alcimus apostata summum Pontificatum ambiens Judæos apud Demetrium accusat, & una cum Bacchide in Judæa multa perfide & crudeliter facit. Sed Judas reprimit armis utriusque petulantiam. Nicanorem quoque à Demetrio submissum secundo vincit, & mortui caput, ac manum de muro suspendit.*

Vers. 1. EXIIT DEMETRIUS SELEUCI FILIUS AB URBE ROMA) Id quomodo factum sit narrat luculenter Polybius hujus abitus Demetrio suasor. Digna est historia quæ legatur in Excerpto de legationibus CXIV. Vide & Justinum XXXIV. 3. & Epitomen Livii libro XLVI. Antiochi Magni filius major fuit Seleucus: hujus filius hic Demetrius, cui regnum per injuriam eripuit Antiochus illustris minor natu Antiochi illius Magni filius. Dictus postea hic Demetrius Soter.

ET ASCENDIT CUM PAUCIS VIRIS) Comitibus octo, famulis quinque. Hebræi omne iter Judæam versus ascensum vocant.

IN CIVITATEM MARITIMAM) Tripolim Syriæ. Ita Josephus, & scriptor secundi Maccab. XIV. 1.

*Demetrius* ille Seleuci *Philopatoris* filius extincto parente, fraude patrui sui *Antiochi Epiphanis* spoliatus fuerat paterno regno, cum propter teneram ætatem minus idoneus esset rebus gerendis, Romæ tantisper latuit dum adolesceret, nempe per annos circiter 14. præfuit enim *Antiochus Epiphanes* per annos 12. *Eupator* vero per biennium. Clam autem aufugit Roma Demetrius, ubi obses pro Epiphane patruo fuerat, in civitatem maritimam, ubique primum, ut Rex Syriæ acceptus est. Tripolis illa urbs Phœniciæ maritima sic dicta, quod tribus populis habitaretur, & in totidem partes distinctis Tyriis, Sidoniis Aradiis, non autem Arabibus ut Salianus habet ex Diodoro.

V. 2. UT INGRESSUS EST DOMUM REGNI PATRUM SUORUM) Sedem regni, Antiochiam scilicet.

Non vero civitatem maritimam antea nuncupatam, uti vult Salianus.

Vers. 4. ET OCCIDIT EXERCITUS) Jussu Demetrii, ut ex Josepho, Appiano, & Livii Epitome discimus.

Dixerat enim NOLITE MIHI OSTENDERE FACIEM EORUM. h. e. nolo vivos habere, sed mortuos. Hoc enim sensu acceperunt illud mandatum, adeoque occiderunt eos. Causam cædis patratæ cupiditatem regnandi, fuisse dubium non est, permissæ vero à Deo causam facit Fullonius *per juria pueri Eupatoris, & peccata Patris Antiochi*. Sulpitius l. II. tribuit Eupatori tantum unum regni annum cum sex mensibus, rectius autem Josephus, Eusebius & alii ei assignant biennium. Addunt nonnulli adhuc aliquot menses.

V. eod. ET SEDIT DEMETRIUS SUPER SEDEM REGNI SUI.

Firmum ipsi tum demum regnum erat postquam occisus esset Eupator, ubi Rex etiam à Tiberio Græcho legato Roman. vetere amico salutatus mox fuit. Dicitur vero sedes regni sui, quia avitum erat & patrium, eique jure deberi videbatur: Cum nepos esset Antiochi M. & Seleuci Philopatoris primogeniti filius: Eupator vero filius esset Epiphanis, qui secundo genitus regnum, exclusо fratris filio, invaserat.

Vers. 5. ET ALCIMUS DUX EORUM) Qui Ἰακειμος, יקים Hebræis, is mutatio nonnihil vocabulo inter Græcos Ἀλκιμος vocari voluit. Sic Josue Jason, Onias Menelaus, Hillel Pollio, Silas Silvanus, Posides Pansa, Saulus Paulus.

QVI VOLEBAT FIERI SACERDOS) In Græco est: *Volens sacerdos esse*: id est, manere. Adeptus jam quidem summum sacerdotium erat popularium consensu ut Josephus nos docet XII. 16. Sed Syris postea Hierosolymorum possessionem adepti non sperabat se retinere honorem posse, nisi parta Syriæ Regis gratia.

At verus Pontifex fuit *Juda*, à quo nunquam Alcimus admissus fuit, uti nec à reliquis Judæis constantibus.

Vers. 8. BACCHIDEM QVI DOMINABATUR TRANS FLUMEN) Euphratem, qui semper intelligendus, ubi absolute ab Hebræis flumen nominatur. Erat hic Mesopotamiæ præfectus, ut Josephus nos docet.

Vers. 9. UT VIDERET EXTERMINIUM QVOD FECIT JUDAS) Non est in Græco, sed sensus est in superioribus.

ALCIMUM IMPIUM CONSTITUIT IN SACERDOTIUM) κρὶ ἔστησεν αὐτῷ τὴν ἱερωσύνην, id est, *firmavit ei sacerdotium*. Vide 2. Macc. XIV. 3.

Vers. 10. VERBIS PACIFICIS IN DOLO) Nempe ut Judam & fratres ejus comprehenderet.

Vers. 11. ET NON INTENDERUNT IN SERMONIBUS EORVM) Fidem non habuerunt.

QVIA VENERUN CUM EXERCITU MAGNO) Quomodo veniunt qui bellum meditantur, ut exponit hic Josephus.

Vers. 12. CONGREGATIO SCRIBARUM) Viri eruditi, sed minus periti aulæ artium.

REQVIRERE QVÆ JUSTA SUNT) Ut nempe staret iis quæ Seleucus Demetrii Pater, & ante eum reges constituerant.

Vers. 13. ET PRIMI ASIDÆI QVI ERANT IN FILIIS ISRAEL) *Et primi* (ad Bacchidem accessere) *ii qui Asidæi erant ex filiis Israel*. Nam in Græco scribendum οἱ Ἀσιδαῖοι ἦσαν, non οἱ. Vide supra II. 42. Erant ii viri simplices. Conf. 2. Macc. XIV. 6.

Passi *aliquid humani* sunt pii illi, ac fortes viri. Gustarant suavitatem pacis cum Eupatore initæ, eamque cum extremis illis miseriis, obsessio Templo toleratis compararant. Veriti itaque iteratas novi belli calamitates, audito pacem ab Alcimo intendi, inconsulto Juda Maccabæo ad eum abeunt, imprimis quia homo erat sacerdos de semine Aaron (quod tamen negat Josephus) unde bona fide secum actum iri persuasissimi erant.

Vers. 16. SECUNDUM VERBUM QVOD SCRIPTUM EST) Psalm. LXXIX. qui scriptus quidem est de temporibus aliis, sed in hæc tempora non minus congruebat. Sic eadem scriptura sæpius impleri dicitur.

Vers. 18. NON EST VERITAS ET JUDICIUM IN EIS) Nec fidem, nec jus curant.

TRANSGRESSI ENIM SUNT CONSTITUTUM ET JUSJURANDUM) Id est, pactum, & quidem juratum.

Vers. 19. ET APPLICUIT IN BETHZECHA) Scripsit interpres *Bethzetha*. In Græco Βαζηθ, pro Βαθσηθ, Josepho Βαθζὼθ. Hebraice בית זית, Syriace ܒܝܬ ܙܝܬܐ, quod effertur ab aliis tenuius Bethzeitha, ab aliis crassius Bethzeithe, est locus olivifer. Ammianis libro XXIII. *Zaitam Syrorum locum, qui olea arbor interpretatur*. Est ea vox Hebræis, Syris & Arabibus communis.

Josephus *vicum* facit, Adrichomius *civitatem* in dimidia tribu *Manassæ* cis Jordanem, quæ Jud.

VII.

VII. 23. Bethseba. Bonfrerius in onomast. mavult esse oppidum Bezec inter fines tribus Judæ situm. Adrichomio favet ratio itineris, quod Bacchides tenuit.

ET QUOSDAM DE POPULO MACTAVIT, ET IN PUTEUM MAGNUM PROJECIT) Bene explicavit interpres compendium dictionis, quod est in Græco: ὡσεὶ αὐτὸς εἰς τὸ φρέαρ τὸ μέγα.

Vers. 20. ET RELIQUIT CUM EO AUXILIUM) βοήθειαν, id est, copias. Josephus: μετὰ στρατιᾶς τινος.

Vers. 21. ET SATIS AGEBAT ALCIMUS PRO PRINCIPATU SACERDOTII SUI) In Græco: ἠγωνίσατο Ἀλκιμος περὶ τῆς ἀρχιερωσύνης, quod Josephus, qui hunc scriptorem maxime sequitur explicat: Ἀλκιμος δὲ τὴν ἀρχὴν αὐτῆς βεβαιώσασθαι. *Omni modo id agens, ut summum sacerdotium sibi firmum faceret.*

Certasse dicitur de summo sacerdotio, qua extorquere id de manibus *Judæ Maccab.* conabatur, apostatis, qui ad eum concurrerunt, ipsum multum juvantibus, qui plagam magnam in Israel rapinis, cædibus, vastitate fecerunt.

Vers. 22. ET OBTINUERUNT TERRAM JUDÆ) Per tantam vim milites plurima oppida occuparunt.

ET FECERUNT PLAGAM MAGNAM IN ISRAEL) Legit ἐν Ἰσραὴλ, quod rectius, quam quod nunc habemus in Græco ἐν Ἰερουσαλὴμ. Natus error ex scriptionum compendiis IA, & IAM. Sensus est quam Josephus exprimit, multos Judæ partium ab eo interfectos.

Alij conficiunt prædones istos, vastata circum regione, ausos in ipsam urbem Hierosolymam nondum undique permunitam irrumpere, & sævire in eos, qui à Maccabæo stabant. Ita *Fullonius*. Sed conjectura illa historiæ non convenit. Neque enim in urbem tum penetrarunt, in qua se continebat Judas.

Vers. 23. MULTO PLUS QUAM GENTES) Ut solent acerrima esse fratrum odia.

Comparatio sit inter vastitatem ac cædes nuper à Bacchide factas, non a. cum iis, quas aliis retro annis Judæi à Gentilibus Epiphane, & Eupatore regnante, acceperant. Sævit Alcimus cum suis magis quam exteri.

Vers. 24. ET CESSAVERUNT ULTRA EXIRE IN REGIONEM) Tenuerunt se intra præsidia.

Non ausos amplius excursionibus Judæam infestare, in Samaritidem aliasque remotiores provincias ipsos sese recepisse, Fullonius ait.

Vers. 26. UNUM EX PRINCIPIBUS SUIS NOBILIORIBUS) Summum amicum Demetrij, & ex eis qui cum ipso Roma profugerant. Ita Josephus. Elephantarchum fuisse ait scriptor secundi Maccabæi XIV. 12.

ET MANDAVIT EI EVERTERE POPULUM) Josephus: μηδενίαν φυλὴν ποιεῖσθαι τῶν Ἰουδαίων.

*Nicanorem* eundem fuisse, de quo supra c. III. & 2. Macc. IIX. cum *Saliano Fullonius* censet, quem post Epiphanis mortem ad Demetrium navigasse, & post cædem Octavij, Diodoro Romam euntj, ut Demetrium ad capessendum regnum impelleret, se comitem adjunxisse, ait, unde unus fuisse de comitibus Demetrij Roma fugientis *Iosepho*, & *Polybio* Nicanor dicitur.

Vers. 28. VIDEAM FACIES VESTRAS) Amice inter nos colloquamur.

V. 29. PARATI ERANT CAPERE JUDAM) Signo in id dato à Nicanore: quod Judas animadvertit. Ita Joseph.

V. 31. JUXTA CAPHARSALAMA) כפר Hebræis & Syris est vicus. Multa autem loca Judææ ac Syriæ nomen habent inde incipiens.

Vicus ergo Iosepho vocatur *Capharsalama* l. XIII. c. 18. Quem oportet Hierosolymæ vicinum fuisse, quum illuc Syri à clade refugerint. Non ergo cum Bonfrerio *Antipatris* haberi potest. Quæ prope à mari abfuit, Ioppen inter & Cæsaream sita, ex *Guilhelmi Tyrij* descriptione.

V. 32. ET CECIDERUNT DE NICANORIS EXERCITU FERE QUINQUE MILLIA VIRI) Imo vicinam penes Nicanorem fuisse ostendunt & Josephus, & II. Macc. scriptor. Quare vertendum: *Interfecti sunt à Nicanore ferme quinquies mille*, Judæi nimirum.

ET FUGERUNT IN CIVITATEM DAVID) In Templum scilicet. Nec aliter legendum apud Josephum, quam ἐπὶ τὸ ἐν Ἱεροσολύμοις ἱερὸν φύγοντες, non εἰς τὴν ἄκραν. Nam ἄκραν, ut statim sequentia ostendunt, tenebant Macedones. Vide supra VI. 62.

Est hæc iterum ἀντιλογία irreconciliabilis: Si enim verum quod victoria penes Nicanorem fuerit, ut cum *Josepho 2. Macc.* asserit, & hoc in loco è v. 33. apparet, quomodo hic eadem tribuitur *Judæ* tum in Latino Papistis authentico, tum in Græco textu, qui non potest aliter verti, quam de *victoria* Judæ & *cæde Nicanoris*; Καὶ ἔπεσον τῶν παρὰ Νικάνορ ὡσεὶ πεντακισχίλιοι ἄνδρες. Sed occurrunt plura in hoc capite cum cap. XIV. libri secundi collato adversa fronte pugnantia, & ἀσυγκλωστα: Dicitur hic v. 27. *fraude & insidiis* Nicanor adortus Judæos Hierosolymis, ut sudam in suam potestatem redigeret v. 29. At in secundo Macc. *affectus* erga Judam *sincerus* ei tribuitur, non v. fraus, & dolosus animus. Hic *sanctuarium* Nicanor *contaminasse*, & sacerdotes illusisse dicitur v. 33. 34. ibi v. nihil mali Hierosolymis patrasse legitur v. 23. Hic describitur ut *hostis capitalis* Judæorum v. 26. Illic v. *alia prorsus persona* ei assingitur, quippe qui Demetrij ab Alcimo coctati mandatis demum coactus, ingratiis etiam suis, Judæos invaserit v. 28. 29.

Vers. 33. ASCENDIT NICANOR IN MONTEM SION) In arcem, ἄκραν.

At de *templo* hic relatio fit, è quo ipsi obviam iverunt sacerdotes ceu victori, ut sc. monstratis sacrificiis quæ pro Rege offerebantur, animum ejus placarent.

DE SACERDOTIBUS POPULI) Addit Græcum, & *de senioribus populi*. Ita dici solent Senatores magni Synedrij.

HOLOCAUTOMATA QUÆ OFFEREBANTUR PRO REGE) Ut olim pro Persis regib. Esdr. VI. 10. & postea pro Augusto & Tiberio Romanorum Imperatoribus, ut nos docent Philo ac Josephus.

Vers. 34. IRRIDENS SPREVIT EOS) In Græco: *Cum sannis irrisit.*

ET POLLUIT) Aures scilicet eorum verbis blasphemis. Eam interpretationem Josephus nobis suggerit.

ET LOCUTUS EST SUPERBE) Ut quondam Antiochus supra I. 26.

V. 35. ET JURAVIT CUM IRA DICENS: NISI TRADITUS FUERIT JUDAS &c.

Qui tam superbe loquutus esset, Iudamque ausus fuisset postulare, si cladem ipse à Iuda passus, tot millibus ejus cæsis, fuisset?

V. Eod. CUM REGRESSUS FUERO IN PACE) Id est, *feliciter.*

Vers. 26. ET STETERUNT ANTE FACIEM ALTARIS ET TEMPLI) Id est, inter altare holocaustorum, & היכל, id est, basilicam Templi, utrunque in conspectu habentes.

Vers. 37. TU DOMINE ELEGISTI DOMUM ISTAM) Per Prophetas Solomoni locutos II. Reg. XXI. 7. Psal. LXVIII. 17.

Ver. 39. AD BETHORON) In Græco: Βαιθωρὼν: Josepho Βεθωρὸν. Vide supra III. 16. & ibi dicta.

*Bethoron inferiorem* ad tribum *Benjamin*, non *superiorem* ad tribum *Manassen* pertinentem intelligit *Salianus*, & *Fullonius*. Si enim Cethoron superior intelligatur, quare copiæ Nicanoris Gazarum & non aliorsum potius refugissent?

V. 42. IN ADARSA) In Græco, ὁ Ἀδαρσᾶ: & in Josepho, ὁ Ἀδασᾶ, qui trigintà stadiis eam distitisse ait à Bethoron, nam legendum in Josepho τῆς Βεθωρὸν, non τῆς Βεθωρῆ, ostendunt præcedentia. Videtur Adasa nomen habuisse à myrtis, quæ הדס Hebræis.

V. 41. A REGE SENNACHERIB) Explicationis causa nomen proprium regis adjecit, quod in Græco subauditur.

EXIIT ANGELUS, ET PERCUSSIT EX IIS) Hebraica constructio, pro *eorum, Angelus exiens* (è cœlo) *percussit octoginta quinque millia.*

V. 42. ET SCIANT CÆTERI QUIA MALE LOCUTUS EST CONTRA SANCTA SUA) *In Templum*, subaudi, cum suo malo.

V. 44. UT AUTEM VIDIT EXERCITUS EJUS QUIA CECIDISSET NICANOR, PROJECERUNT ARMA SUA ET FUGERUNT) εἰς φυγὴν ἐτράποντο βίψαντες τὰς πανοπλίας, ait Josephus. Solet plane heriut ducis morte spes animique militum cadant; ut Silius ait: *Postquam spes Italiam, mentesque in Consule lapsæ.*

Fallitur *Gorionides*, Nicanorem à Iuda singulari duello provocatum, & cum fugeret retractum, inque duas partes dissectum asserens: magis a. fallitur *Iosephus Ebræus* (quem vocat Gorionides) fingens Nicanorem hoc prælio captum dimissumque paulo post cum fœdere &c.

V. 45. AB ADAZAR) In Græco recte, ἀπὸ Ἀζαρᾶ.

VSQVEQVO VENIATVR IN GAZARA) Vide supra V. 8.

ET TVBIS CECINERVNT POST EOS CVM SIGNIFICATIONIBVS) Eo cantu tubæ qui victoriam partem significaret, ut nempe eo audito, ex omnibus oppidis & vicis concursus fieret ad persequendos eos qui fugiebant. Hunc sensum innuunt & Græca hic verba: τοῖς σάλπιγξι τοῖς περὶξ κώμας ἠχήσασιν, ὅτι νικῶν ἰὼς τελευᾷ.

Vers. 46. ET VENTILABANT EOS CORNIBVS) In Græco est vox militaris ὑπερίσχυσαν αὐτὸς, quæ ipsa est Judith XV. 6. Proprie est cornua ita extendere, ut undique claudatur hostis; improprie quovis modo hostem circumvenire, sicut tunc fecere Judæi concursi facto undique.

ET CONVERTEBANTVR ITERVM AD EOS) Id est, *adversa fronte pugnabant*, non tantum tergis, ut ante, insistebant. Hoc enim vult quod hic Græce dicitur, πρὸ ἀντεχεσθαι ἐτοι πρὸς τέτες: explicatius apud Josephum: ἑκάτεροι αὐτὸς γινόμενοι κατὰ πρόσωπον.

ET CECIDERVNT OMNES GLADIO) Ad novem millia, ut ait Josephus.

Sine dubio *major* fuit *numerus*. Equis enim credet, tam exiguo exercitu Nicanorem de primis Demetrij amicis, Elephantorum præfectum, contra veteranum victorem in prælio condicto prodisse? Libro II. Macc. 35000. minimum cecidisse dicuntur.

V. 47. ET DEXTRAM EJVS QVAM EXTENDERAT SVPERBE) Nempe contra Templum: In hoc quoque similis Sennacheribo II. Reg. XIX. 21. 22.

Vers. 49. ET CONSTITVIT AGI) In Græco: χρίσεται: & constituerunt, nempe Judas cum Senatu & populi primis. Vide II. Macc. XV. 36.

Vers. 50. TERTIA DECIMA MENSIS ADAR) Ostendit Josephus ad sua tempora hunc diem celebratum. Postea celebrari desiit.

Vers. 51. ET SILVIT TERRA JVDA DIES PAVCOS) In Græco: ἡσύχασεν, id est, *quievit*, ab armis scilicet. Sic & infra VII. 50. IX. 57. XI. 38. XIV. 4. *Dies paucos*: id est, exiguo tempore, ut hic Josephus.

## CAPUT IIX.

*Iudas variis inductus rationibus cum Romanis fœdus init, cujus capita referuntur. Romani ad Demetrium scribunt, ne' post hac Iudæis molestus sit.*

Vers. 1. ET AVDIVIT JVDAS) Jam summum sacerdotium, & cum eo gentis principatum adeptus, ut Josephus nos docet.

NOn tum demum adeptus est, sed decedente Patre, qui ipsum populo præfecit, consequutus est principatum, eique in Sacerdotio summo successit.

ET ACQVIESCVNT AD OMNIA QVÆ POSTVLANTVR AB EIS) Legit hic interpres πρωτοβεμίοις, non πρωτοβεμίοις, ut quidam habent libri. Audiit Romanos facile acquiescere postulatis, æquis scilicet. Describitur hic Romana Respublica, qualis erat ante Punicum bellum tertium, ad quod usque tempus magnæ apud Romanos fuere virtutes, aut virtutum imitamenta. Florus de hac ætate: *Hactenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, sanctus, atque magnificus.* Cicero tunc penes Romanos patrocinium ait fuisse gentium, non imperium.

ET QVICVNQVE ACCESSERVNT AD EOS STATVERVNT CVM EIS AMICITIAS) Et servare eos amicitiam eis qui se ad ipsos applicuere. Sic ἰσότιμος habuimus & supra II. 29.

Vers. 2. QVAS FECERVNT IN GALATIA) In Gallogræcia quam devicit Cn. Manlius, post pacem cum Antiocho Magno.

*Galatæ* primo loco ponuntur, quod illa victoriis per Europæ maximam partem, & per totum Orientem celebraretur.

ET DVXERVNT SVB TRIBVTVM) Partem aliquam. Tota enim Galatia serius facta est provincia.

Vers. 3. ET QVANTA FECERVNT IN REGIONE HISPANLÆ) Celiberis per M. Portium Catonem, Fulvium Flaccum, & Tiberium Sempronium Græchum devictis. Vaccæis vero per L. Posthumium temporibus Antiochi Magni, Seleuci & Antiochi illustris.

ET QVOD IN POTESTATEM REDEGERUNT METALLA ARGENTI ET AURI) *Metallis plumbi, ferri, æris, argenti, auri tota ferme Hispania scatet.* Plin. III. 3.

*Strabo* l. III. ait, nusquam quod adhuc sciretur, auri, argenti, æris, ferri, optimorum vim tantam, quantam in Hispania reperiri, ubi non effodiatur modo aurum, sed & à fluminibus ac torrentibus inter arenas volvatur.

ET POSSEDERUNT OMNEM LOCUM CONSILIO SUO ET PATIENTIA) Loca illa Hispaniæ, ubi maximam Romani patientiam ostendere, ut breviter ostendit Florus II. 17.

Non quasi omnem locum expugnassent, sed quem possederunt, consilio & patientia expugnasse dicuntur.

Vers. 4. LOCAQUE QUÆ LONGE ERANT VALDE AB EIS) Ut Bojos, Dalmatas, Afros.

ET REGES QUI SUPERVENERANT EIS AB EXTREMIS TERRÆ, CONTRIVERUNT) Porsenam, Tyrrhum, Syphacem, Viridomarum, Gentium.

CÆTERI AUTEM DANT EIS TRIBUTUM OMNIBUS ANNIS) Quæ provinciæ dictæ tributariæ. Plinius Historiæ Naturalis XII. 1. Instit. tit. de Rerum divisione. §. Per traditionem. L. Ætatem. D. de Censibus.

ET PHILIPPUM ET PERSEN CETEORUM REGEM) Κιτίων, id est, Macedonum, ut supra I. 1. Est autem ὑπέζευγμα, nam & Philippus Rex Macedonum victus à T. Q. Flaminio, & Perses victus, & in fidem acceptus à Paulo Æmilio.

Perperam *Thomas Perseæ* Regem *Persarum* intelligit, cum *Perseus Philippi filius* intelligatur: cum Philippo pugnatum quatuor annis, tum pax facta: Perseus quadriennio debellatus, captusque & Macedonum nomen extinctum.

ET CÆTEROS QUI ADVERSUS EOS ARMA TULERANT, CONTRIVERUNT IN BELLO, AC OBTINUERUNT EOS) Ut Ætolos, Istros, Illyrios.

ET ANTIOCHUM MAGNUM REGEM ASIÆ) Syriæ, multarumque præterea in Asia regionum. Historiam vide apud Polybium, in Excerptis Legationum, Livium libro XXXVII. & XXXVIII. Florum II. 8.

Vers. Eod. HABENS CENTUM VIGINTI ELEPHANTOS.

*Livius* tantum *quinquaginta quatuor* numerat. *Salianus* ait, necesse non esse, ut omnes elephanti, de quibus hic mentio, in exercitu Antiochi fuerint, quum ali potuerint in variis regionibus. At hic de exercitu Antiochi sermo expressus est.

ET EQUITATUM) Vide ejus descriptionem apud Livium XXXVII.

CURRUS) Falcatas quadrigas dixit Livius.

ET EXERCITUM MAGNUM VALDE) Trecenta millia peditum, Floro teste. Et Appianus omnem exercitum facit LXX. millium.

Vers. 5. ET QUIA CEPERUNT EUM VIVUM) Improprie dictum. Effecerunt ut ipse Romanis fide data se sisteret Lysimachiæ, ut narrat Polybius libro XVII.

Mirum explicandi genus, ut sc. salvetur autor, *vivum capere* est *efficere ut quis fide data se sistat!* Qua arte non difficile est falsa quæque salvare. Non enim captus fuit vivus, sed prælio elapsus per legatos de pace egit. Non multo melior *Saliani* conciliatio, quod *ferme captus*; neque *Serarij*, quod *omnino captus*, at *opera Africani Scipionis dimissus fuerit*, quod commentum, unde probabitur? Ideo Senarius re desperata, reliêto *Antiocho M.* ad *Perseæ* se recepit, sed contra evidentem textus συνέχειαν qui non de Persea, sed *Antiocho* agit. Fullonius etsi id falsum sit, verum tamen *esse ad Iudam relatum*. Sed quomodo Iudas rem non ita pridem gestam ignorare potuit? Alij sic explicant, *vivum captum*, h.e. *regno expulsum, cæsum, & Romanis obnoxium redditum*. Sed hæc toto cœlo distant. Et distincte hic primum cladis Antiochi refertur, postea captivitas: συνετρίβη ὑπ' αὐτὸν, ἢ ἑλαθὸν αὐτὸν ζῶντα. Absolvi ergo hæc relatio à falsitate non potest.

V. 7. ET STATVERVNT EI VT DARET IPSE, ET QVI REGNARENT POST EVM TRIBVTVM

TVM MAGNVM) Intelligit argenti probi Attica talenta XII. millia duodecim portionibus æquis, & tritici DXI. millia modium. Narrat Polybius excerpto de Legationibus XXXV. & Livius XXXVIII.

ET DARET OBSIDES) Vigini, iisdem autoribus.

ET CONSTITVTVM) In Græco: περὶ διαλαβὲ, id est, partem imperii, ea nimirum quæ Romanis cis Taurum. διαιρεῖν est divino. Exodi VIII. 23.

Vers. 8. ET REGIONEM INDORVM, ET MEDOS ET LYDOS DE OPTIMIS REGIONIBVS EORVM, ET ACCEPTAS EAS AB EIS, DEDERVNT EVMENI REGI) Primum & illud ante *acceptas* superest more Hebræo. Deinde pro *ab eis*, in Græco est παρ' αὐτῶν, ab ipso Antiocho. Sed potuitne homo Judæus ignorare suo tempore neque Mediam, neque Indiam fuisse Romanorum, aut Eumenis successorum? Omnino exscriptoris est vitium, ac legendum: περὶ χώρας τὴν Ἰωνίαν καὶ Μυσίαν καὶ Λυδίαν. Hæc enim Eumeni data videas apud Livium XXXVIII. In Jonia enim Ephesus & Tralles.

Conjecturam illam de *Ionia* & *Mysia* Serarius proposuit. *B. Lutherus* hoc modo correxit, *Ioniam, Asiam*, quem sequitur *Osiander*. Sed quomodo Pontificii Latinum textum quem pro authentico habent, tuebuntur, si hic mendo cubat? *Et mirus hic est Codicum consensus*, ait Drusius. *Nam qui variaret in scriptura ne unus quidem mihi visus*. Ideo suspicatur *certas regiones Asiæ cis Taurum* ab Hellenistis Judæis ita vocatas fuisse: Sed nullum ejus rei adfert documentum. Alii nomen *Indiæ* late posse accipi, ajunt: ut *vicinæ Indiæ regiones* notentur: at distincte regiones hic recensentur, non ergo lata illa significatio locum habet. *Salianus* recipit se ad *regionem Indicam ad Pontum sitam*, uti & ad *Meticam Thraciæ provinciam*: Sed citra ullam autoritatem: unde *Menochius* relationem fallam agnoscit de *India*, & *Media*, *ad veritatem autem historiæ sufficere*, ait, *ludam ita audiviſſe, etsi aliter res forte haberet*. Sed Judas hæc pro fundamentis ineundi cum Romanis fœderis habuit, cui vero perspecta talia non fuisse, haud verosimile est.

ET QVIA QVI ERANT APVD HELLADAM VOLVERVNT IRE ET TOLLERE EOS) Intellige Ætolos, Cephalenium, Zacynthum & alios qui Antiocho faverant.

Vers. 10. ET MISERVNT AD EOS DVCEM VNVM) Fulvium Nobiliorem.

ET IN SERVITVTEM ILLOS REDEGERVNT VSQVE IN HVNC DIEM) Id est, in fœdus inæquale, quod exstat apud Polybium & Livium.

Vers. 11. ET RESIDVA REGNA ET INSVLAS QVÆ ALIQVANDO RESTITERVNT ILLIS EXTERMINAVERVNT) Destruxerunt, ut Capuam, Siciliæ & Sardiniæ Urbes aliquas, in Illyrico Scordam.

Vers. 12. CVM AMICIS AUTEM SUIS, ET QVI IN IPSIS REQVIEM HABEBANT) Qui fidem ipsis habebant, Id enim est ἐπαναπαύεσθαι, ut Ezech. XXIX. 7.

CONSERVAVERUNT AMICITIAM) Vide supra ad initium huius capitis, Salustius: *in amicos fideles erant*.

Vers. 13. QVIBVS VERO VELLENT AUXILIO ESSE VT REGNARENT, REGNABANT) Ut Massinissa, Eumenes, Prusias.

Vers. 14. ET IN OMNIBVS ISTIS NEMO PORTABAT DIADEMA) Post Tarquinios exactos.

## NEC INDUEBATUR PURPURA.

At *purpura Romæ usos Livius* l. XXXIV. aperte docet: & *Dionysius Halicarn.* testatur triumphantes corona & purpurea trabea auro intertexta, insignibus Regiis usos, quod etsi extraordinarium fuerit, nimirum in triumphis solum adhibitum, gestata tamen omnino ita purpura cum corona, more Regio.

Vers. 15. QVIA CVRIAM FECERUNT SIBI) *At Senatum eos sibi constituisse*. Dixit βουλευτήριον, pro βουλὴν.

ET QVOTIDIE CONSULEBANT TRECENTOS VIGINTI) Non erat numerus definitus: sed tot forte erant illis temporibus ad quæ respiciens Prudentius:

*Sic consilia Patrum consistere Conscriptorum:*
*Non aliter licitum prisco sub tempore, quam si*
*Trecentum senisse Patres legerentur in unum.*

At non fuerunt plures quam *trecenti*, nisi *posterioribus temporibus*. Hic vero de *veteri consuetudine* sermo est.

CONSILIUM AGENTES SEMPER DE MULTITUDINE, UT QVÆ DIGNA SUNT GERANT) *Consultantes de populo ut ei officium faciat*. Hoc ideo dicit, quia à Senatu ferme de omnibus causis publicis ac privatis judices dabantur. Ita Polybius in Reipublicæ Romanæ descriptione.

Vers. 16. ET COMMITTUNT UNI HOMINI MAGISTRATUM SUUM PER SINGULOS ANNOS DOMINARI UNIVERSÆ TERRÆ SUÆ, ET OMNES OBEDIUNT UNI) Bini quidem erant Consules, sed bellum uni mandabatur. Itaque universam terram intellige, in qua bellum geritur. Belli gerendi & cuncta quæ eo pertinent administrandi potestatem habebat Consul. ἐξουσίαν αὐτοκράτορα, ut ait Polybius: dilectus agebat; conscribebat exercitum, auxiliis socialibus quæ visum erat imperabat: Tribunos constituebat militum: in omnes qui in exercitu ac provinciis erant jus habebat animadvertendi: & de publicis pecuniis expendendi quantum ipsi videretur.

Non potest ita salvari Autor. Non de *imperatore exercitus* loquitur: sed de *imperio in totam Rempe.* & temere quod de universa terra dicitur ad *eam in qua bellum geritur* restringitur. Alii ergo de *dictatoria* potestate hoc intelligunt. Sed invito textu: qui de *Magistratu annuo* loquitur. Dictatura autem semestri spatio definita fuit, nec *tempore Iudæ* ullus Romæ *dictator* fuit. Alii ajunt *Consules alternis diebus imperare solitos*. Sed id fallum esse Historia docet, imo *Livius* l. XI. testatur ideo duos Coss. creatos esse, *ut alterius auxilium & provocatio esset*, alterutro ex Coss. sua potestate abutente, & quod eo modo minime putarent posse per licentiam insolescere animum humanum, ut habet Salustius. Unde *Menochius* ad h. l. falsitatem agnoscit: *At duo*, inquit, *erant Coss. sed sic audiverat Iudas (de uno) ut etiam quod sequitur de invidia &c. quod tamen falsum est*. Sic Heroem illum, Principem & Sacerdotem summum rerum adeo ignarum oportet fingere, etiam ipsius status Romani, solum ut authentia & veritas historiæ hujus à Tridentinis Patribus definita obtineat.

ET NON EST INVIDIA NEQVE ZELUS INTER EOS) Nempe quæ in malum publicum erumperunt: & intellige id de illis temporibus, nam seditiones ante & post ea tempora enatæ. Simultates autem, si quæ erant, proderant magis quam nocebant publico. Vide notabilem historiam de Gracchо Gracchorum Patre, & P. Scipione Africano apud Livium XXXVIII.

Vers. 17. ET ELEGIT IVDAS EUPOLEMUM FILIUM JOHANNIS FILII JACOB) In Græco: ὁ υἱὸς Ἰωάννου τοῦ Ἀκκὼς, Ὑπη. Dicitur autem Judas fecisse ea quæ populo perfuasit, ut ostendunt sequentia, & reipublicæ illorum temporum forma exigit.

Vers. 18. ET UT AUFERRENT AB EIS JUGUM GRÆCORUM, QVIA VIDERUNT QVOD IN SERVITUTEM PREMERENT REGNUM ISRAEL) In Græco: *Ut tollerent* (Romani) *jugum ab eis*: (Judæis) *quia viderent* (Romani) *regnum Græcorum* (id est, Macedonum reges) *Israelem subjicere servituti*.

Vers. 22. ET HOC RESCRIPTUM EST) Sensus fœderis relatus hic locutionibus Hebraicis.

IN TABULIS ÆREIS) Ut mos erat scribi fœdera, & figi in Capitolio, quod hic addit Josephus. Polybius libro tertio de fœdere primo inter Romanos & Carthaginenses: Τεθείσθω τῶν συνθηκῶν ἐτι τῶν ἐν χαλκώμασι πρὸ τοῦ Διὸς τοῦ Καπετωλίου ἐν τῷ τῶν ἀγορανόμων ταμείῳ.

Vers. 23. BENE SIT ROMANIS ET GENTI JVDÆORVM) *Quod bonum faustum felixque sit Populo Romano & genti Iudæorum*. Ita relationem incipiebant Consules. Livius XLII. Suetonius Caligula 15.

Vers. 24. IN OMNI DOMINATIONE EORVM) ἐν πάσῃ κυρίᾳ αὐτῶν, *qua Romanum Imperium est*.

Vers. 25. PROVT TEMPVS DICTAVERIT) ὡς ἂν ὁ καιρὸς ὑπογραφῇ αὐτοῖς: Josephus, κατὰ τὸ δυνατόν: *quantum res eorum ferunt*.

CORDE PLENO) *Fide quæ optima*.

Vers. 26. ET PRÆLIANTIBVS NON DABVNT, NEQVE ADMINISTRABVNT TRITICVM, ARMA, PECVNIAM, NAVES SICVT PLACVIT ROMANIS) *Quos Populus Romanus hostes judicavit, eos ne*

*gens Iudæorum commeatu, armis, pecunia, nauibus, uelle ulla ope alia iubato.*

ET CVSTODIENT MANDATA EORVM) *Imperium majestatemque Populi Romani gens Iudæorum comiter conseruato.*

NIHIL AB EIS ACCIPIENTES) *Suis impensis.*

Vers. 28.

ET ADJUVANTIBUS NON DABITUR TRITICUM, ARMA, PECUNIA, NAVES SICUT PLACUIT ROMANIS) Hic in Græco voces duæ excidere, legi enim debet: Καὶ τοῖς συλλήμπτορσι καὶ τοῖς συμμαχοῦσιν ἢ δοθήσεται σῖτος, ὅπλα, ἀργύριον, πλοῖα, καὶ ἐδόξε Ῥωμ. *Hoſtes Iudæorum factosque eius commeatu, armis, pecunia, nauibus non iubare placuit Populo Romano.*

Gorionides ita refert: Ista sunt verba fœderis, quod pepigerunt Romani cum Juda. Firmiter statuerunt, ut essent amici, utque alter alteri auxiliaretur terra marique in seculum. Quod si bellum fuerit ortum contra gentem Romanam, juvabunt eos (Judæi) pro viribus, nec dabunt hostibus Romani nominis arma bellica, neque frumentum, neque ullum commeatum.

ET CUSTODIENT MANDATA EORUM ABSQVE DOLO) *Hæc uti palam recitata sunt, utique ea hic bodie rectissime intellecta sunt, sine dolo malo observantor.* φυλάγωσιν hic in Græco sunt leges fœderis משמרות.

Vers. 27. SIMILITER AUTEM ET SI GENTI JUDÆORUM. &c.

Gorionides: *Si exsiliterit bellum contra gentes Judææ, adjuvabunt eos similter Romani pro viribi, neque dabunt hostibus eorum arma bellica, frumentum aut ullum commeatum. Nec etiam accipient ullum commeatum à Judæis, cum ferent ipsis auxilium tempore adverso.*

QVOD SI POST HÆC VERBA HI AUT ILLI ADDERE AUT DEMERE AD HÆC ALIQVID VOLUERINT, FACIANT EX PROPOSITO SUO, ET QVÆCUNQVE ADDIDERINT VEL DEMSERINT RATA ERUNT) Si quid posthac addi mutarive de communi sententia placeat, id salvo fœdere licebit. In Græco refert ἕτοι πρὸ ἕτοι, non ἕτοι ἢ ἕτοι, ut legisse videtur Interpres. Josephus sensum bene reddidit: ὧν δέ τι πρὸς τούτοις τὸν συμμαχίαν θελόντα τὸν Ἰουδαίων ἔθνος ἢ προσθεῖναι ἢ ἀφελεῖν, τοῦτο κοινῇ γνώσθαι γράμμῃ τῷ ὅμοιῳ τῶν Ῥωμαίων. Ὃ δὲ ἂν προσθῶσι τοῦτο ἔσται κύριον.

*An licitum fuerit hoc fœdus cum Ethnicis?*

De fœdere hoc Judæ cum Romanis inito dubium non leve est, *an fuerit id licitum nec ne.* Non enim licitum fuisse, hæc persuadere videntur. 1. quia ratione *causæ impulsivæ*, Romanorum potentia & successu pellectus fuit, unde ambitiose & præter morem Scripturæ S. hic prædicantur Romanorum bella, quæ magnam partem mera fuere latrocinia. Videtur ergo hic subesse quædam divini auxilii, quod vero miraculose etiam sensit Judas, *diffidentia*, cum fiducia in brachium carnale lata, fortetiam aliquid *superbiæ* intervenit è victoriis illustribus ortæ, quod Magnorum Regum more Romanis amicitiam offerre voluit. (2) *qua objectum*, quia cum gentibus à vero Deo alienis fœdus initum: qualia vero passivitus in Scripturis prohibita sunt. Ex. XXIII. 32. c. XXXIV. 12. Deut. VII. 2. Es. IX. 12. c. XXX. 2. c. XXXI. 1. Oſ. II. 5. Am. VI. 1. Mich. IV. 9. &c. uti reprehensa Asæ cum Benhadad. 2. Reg. XVI. & Josaphati cum Achabo 2. *Par. XIX.* confœderatio, & cum Ochozia c. XX. 37. Unde *Rupertus quamvis*, inquit, super hac re eos (Judam ac fratres) non culpet Scriptura, res gestas continens ipsorum: nihilominus tamen animadvertere promptum est, non fuisse tutum coram Deo, neque lege concessum Judæis, ut experirent amicitias Gentium. Non autem ad *solos Judæos* pertinere hæc interdicta, sed *moralia* esse, probat B. Tarnov. tr. de Fœder. (3.) qua *formam*: quia fœdus fuit *amicitiæ mutuæ*, & συμμαχίας ac conjunctionis adversus quemcunque hostem, testibus tabulis confœderationis, qualis contesseratio & amicitia odio adversus impium Ps. XXVI. 5. & hostes Dei Ps. CXXXIX. 21. 22. infideles, qui Deum non noverunt, super quos effundendam esse iram Dei precamur, Ps. XXXIX. 6. non convenit, & prohibita videtur 1. Cor. VI. 14. Adde quod Judas cupiat Judæos γραφῆναι συμμάχους καὶ φιλας. v. 20. eosque obnoxios reddat ad mandata Romanorum infidelium excipienda, v. 26. quemadmodum & *Jonatha c. XII.* cum *Spartanis* fœdus contrahens *fraternitatem* cum gente Deo exosa init, eamque certam esse jussit, Judæos omni tempore memoriam eorum conservare in precibus & sacrificiis, qui vero tum sine Deo, sine ipe fuere. (4) qua *finem*. Etsi enim non offensivum sed *defensivum* fœdus fuerit *mutui auxilii* contra hostem invadentem, non vero assistentiæ ad aliquem *offendendum* & impugnandum, nec in *fraudem veræ religionis*, sed potius in patrocinium ejusdem ex parte Judæ initum fuerit: tamen cum adversus hostes quosvis Romanorum à Juda promissum fuerit auxilium, & bella ipsorum pleraque injusta fuerint, ac mera latrocinia, annon ex confœderatione & συμμαχία illa facile labes contrahi & conscientia lædi potuit Sirach. XIII. 1. (4) Quibus accedit *infelix* confœderationis Judæ ut & fratrum cum infidelibus *exitus*: de quo Rupertus: *Judas*, inquit, *primus miserat Romam constituere cum illis amicitiam & societatem, & interea Demetrius Rex post casum Nicanoris & exercitus ejus appositi Bacchidem & Alcimum rursus mittere in Judæam, & in illo prælio cecidit potens, qui salvum faciebat Israel. Deinde Jonathas Romam miserat statuere & renovare cum eis amicitiam, & postmodum à Tryphone dolis circumventus atque occisus est. Similiter Simon miserat cum illis renovare amicitiam, nec multo post à genero suo Ptolemæo interfectus est. Tales eventus singulorum fines obscurare videntur, quod in eo videlicet sibi cæleste diminuerint auxilium, dum quærunt ab hominibus sæculi quasi pacis & securitatis firmamentum.* Sic & *Petrus* Blesensis Epist. CXLVI. ad Cœlestin. Papam scripta nomine Reginæ Angliæ: *Pugnas Judæ, Jonathæ, Simonis, Maccabæorum fratrum cælestis dispensatio felicibus prosperabat auxiliis. Missa vero legatione sibi firmantes amicitiam Romanorum, Dei perdiderunt auxilium, nec eis semel, sed sæpius venalis eorum familiaritas versa est in singultum.*

Hanc ergo sententiam, quod *illicita* fuerint fœdera Judæ & fratrum cum Romanis & Spartanis inita, tuentur *Rupertus* l. X. de Victoria Verbi c. ult. *Petrus Blesensis* l. c. Emanuel Sa, & Andreas Hojus Professi. Duacen. orat. pecul. è Pontificiis: *Petrus Martyr.* Class. IV. LCC. c. 16. n. 33. Alber. Gentil. l. III. cap. 19. De Jure Belli, & Frid. Spanh. l. II. Disp. Theol. p. 234. seqq. è Reformatis: Quibus etiam è nostris accedit *B. Joh. Tarnov*, tract. De fœder. Obadiæ subjuncto p. 26. notans Maccabæorum solo Deo nixorum felicem in bellis successum, & contra infelicem eventum quando se cum gentibus conjunxerunt fœdere. 1. Macc. I. 12. c. 8, 1. c. X. c. XII. 1. 2. laudans B. Hutter. tr. de Fœder. quod *fœdera religiosa multa habeant incommoda*, quod obscuretur gloria Dei & laus victoriæ soli Deo debita in hostes veritatis transferatur. 2. confirmentur impii in errore, 3. offendantur ex nostris infirmiores: 4. Involvant se Orthodoxi alieno reatu & pœnis illis, quæ veritatis hostibus à Deo sunt decretæ. 5. Committant se præsenti periculo, quod ex infidelium fraudulentis imminet consiliis. Allegat etiam *B. Polycarp. Lyserum* Jun. Disp. de Fœder. Lipsi. An. 1620. habita, & inprimis *B. Lutherum, qui suo potissimum effecit Judicio, ne Zingiani ullo modo in fœdus reciperentur Smalcaldicum*, cum ejus confœderationis *finis* esset, *ut Evangelii doctrina ejus præsidio defenderetur*, si qua vis à Pontificiis inferretur.

In

In Consilio de Fœdere Smalcald. quod habetur part. III. Consil. Theol. Witeberg. p. 96. *B. Lutherus, B. Bugenhagius. D. Georg. Major, D. Cruciger & Phil. Melanchth.* ita loquuntur: (Tom. VI. Luth. Germ. Jen. f. 2.) Es bedarff aber auch Weisse heit, wie man Bündnüß mache und brauche, nemlich, daß die Hertzen GOttes Ehre zuforderst suchen. Item, daß man fürnemlich auff GOtt vertraue. Also hat GOtt den Stamm Juda gestrafft, daß er sich an Egypten hänget, und so bald Judas Maccabäus den Bund mit den Römern machte, war sein Glück auß. Jt. GOTT straffte den Josaphat, daß er sich mit Achab verbunden hat. Derhalben wol zu bedencken ist, welche Leut anzunehmen seyn oder nicht. Adde & B. D. Matthiam Hoe in respons. Serniss. Elect. Johan. Georgio I. reddito, cui oppositum scriptum sub nomine Oraculi Dodonei: Die Hochlöblichsten und Hochlöblichen Evangelischen Lutherischen Stände des Schmalkaldischen Bunds haben eben daher die Zwinglischen Sacramentirischen Schweitzer in ihren Bund durchauß nicht annehmen wollen, weiln es nicht allein unrecht mit solchen Leuten zu Beschützung des Heil. Christlichen Glaubens sich zu verbinden, sondern auch damit sie nicht eine so abscheuliche falsche verdammliche Lehre neben der wahren Göttlichen Lehre beschützen dörfften.

Contrarium de Judæ fœdere sustinet è Pontificiis *Fullonius* Jesuita in h. l. pro sua sententia adducens Estium, Serarium, Torniellum, hodieque passim omnes alios secum sentire asserens in Commentario pag. 292. *quod nemo damnandus sit nisi ob graves causas, nedum Sanctus Pontifex & Dux, & quod caput est, tam sanctus Heros!* Sed non damnatur ideo actutum Judas, aut Jonathas & Simon, etsi factum hoc eorundem improbetur. *Si quid*, inquit Rupertus, *pulveris* aut pulvereæ vanitatis taliter admiserunt, omnino deletum est cita subsequente morte singulorum. Deletum est sine dubio per Pœnitentiam. Dicit Fullonius, *ex rei natura* malum non est fœdus inire cum infidelibus, nec lege ulla positiva prohibitum, nisi ex accidenti, ob adjunctum aliunde malum aliquod. Vetari solum, ubi est periculum subversionis, uti Deut. C. VII. Item reprehendi si debito fine aut modo careat. De hypothesi jam dictum. Quod ad thesin, distinguit B. Tarnov. inter fœdera Ecclesiastica, solam religionem concernentia, mere politica, pacem publicam externam respicientia, quo etiam refert pactiones de non offendendo, & *mixta*, quæ partim religionem, partim res politicas simul respiciunt, earumque assertionem & libertatem concernunt, laudatque sententiam *Zepperi* Tract. de leg. Forens. Mos. l. IV. c. 6. quod *fœdera* quæ communes habent expeditiones & auxilia mutua cum Idololatris & impiis illicita sint, siquidem ibi semper aliquid mali afficietur populo Dei, & qui fidem Deo non servant, quomodo servabunt nobis? Fœdera autem de finibus, commerciis, &c. licita sint: laudat item *Paræi* sententiam comment. in Gen. c. XIV. illicita esse fœdera, quæ sunt de societate religionis; licita quæ de rebus civilibus cum infidelibus contracta, sunt id tamen in eo improbans, quod ait, necessitatem posse accidere, ut etiam priora contrahi possint cum infidelibus, quia, quod per se illicitum aut malum est, nullo pacto aut respectu licitum aut bonum esse vel fieri potest. Fœdera autem *mere Ecclesiastica*, aut *mixta* non esse licita cum infidelibus defensionis religionis & Ecclesiæ causa probat B. Tarnovius p. 19. & seqq. & observat *alios quosdam Orthodoxos, qui videntur in hac quæstione esse contrarii*, cavendum tamen esse monere tum *ne in fœdere mixto conditionis fœderales religionem ipsam, ejusque defensionem comprehendant*, tum *ne ulla in fœdere collocetur fiducia*, cujus sententiam laudat etiam B. Gerhardus de Magistr. §. 157. etsi neget talia fœdera *simpliciter & absolute esse prohibita*, quod omnino affirmat & probat *Tarnovius*. Andreas Rivetus, qui etiam contrariæ parti favere videtur, Comm. in Hos. p. 198. excipit fœdera, *in quibus offensio tertii promittitur & exigitur, etsi justitia in bello requisita adhibeatur: si præsertim annexa sit copula*, erga omnes & contra omnes. *Tunc enim accidere posse, ut fidelis se adstringat ad suppetias infideli ferendas ad fideles supprimendos.* Disputat autem contra Becanum part. II. Theol. Scholast. T. II c. 25. & *Domin Bann.* quæst. 4. art. 1. qui contendunt, *in bello justo licitum esse in auxilium vocare infideles contra fideles.* Etsi vero admittat Rivetus *fœdera cum infidelibus adversus infideles, quæ defensionis causa suscipiuntur*, monet tamen serio perpendendum esse, non tantum quid liceat, sed etiam quid expediat 1. Cor. VI. 12. C. X. 23. & cavendum tum *periculum & subversionis*, ne ex tali fœdere sequatur defectio cultus Dei aut Idololatria, *& perfidia* à parte infidelium, qui sæpe non servant fidem, exemplo *Regis Moab.* 2. Reg. III. 5. cum rege Israel. *Demetrii* cum Maccabæis, 1. Maccab. XI. 53. Tryphonis 2. Macc. XVI. 26. tum *scandali* duplicis, utpote ne videantur fideles auxilium petere ab infidelibus, ita ut fiduciant suam in illis ponere potius quam in Deo ostendant, neve putentur esse socii & fautores in impietate eorum, quorum in bello societatem quærunt. Cum vero hic *confinia boni & mali difficulter servari possint, præstare* censet *Spanhemius, si a fœderibus etiam de mutua defensione cum infidelibus abstineatur, cum videamus Deum ordinarie male dixisse id genus pactis & prædixisse se iis maledicturum:* addimus si *defensionem Religionis* ex parte fidelium spectent, Deo eam committendam potius, *unico Ecclesiæ* defensori, *& pacto*, quod in verbo suo nobiscum fecit Deus, confidendum, quam *pactum* cum *infidelibus* in subsidium adsciscendum.

*Grotius* distinguit tempora: *ante legem, sub lege, sub Evangelio*, libr. 2. de Jure B. & P. c. XV. n. IX. X. XI. *Ante legem bellicam societatem non illicitam fuisse cum prophanis gentibus exemplo Abrahami apparere* putat, *impios Sodomitas bello adjuvantis. Nec lege Mosis quicquam generaliter mutatum legi. Atque ita sensisse Asmonæos legis & peritos, & reverentes admodum: qui cum Lacedæmoniis & Romanis fœdus pepigere, approbantibus sacerdotibus & populo. Quæ vero contra proferuntur, causas habere peculiares.* Addit autem *Hebræos sub statu legis veteris dispensationis habuisse promissiones victoriæ, si legem observarent, quo minus recurrendum habuerint ad humana auxilia. Legem autem Evangelii nihil hac in parte mutasse, imo magis etiam favere fœderibus, quibus bii, qui a religione alieni sunt, in causa justa foederantur, quia beneficentiam in quosvis homines data occasione, non liberam modo reliquit, & laudabilem, sed & sub præcepto posuit.* At nulla est hæc temporum distinctio in moralibus, quæ semper eodem modo sese habent. *Abraham* non fœdus iniisse legitur, aut belli societatem cum prophanis Sodomitis, sed liberandi Lothi causa è manibus Kedarlaomor hunc insequutus fuisse ac captivos ei eripuisse. De *Asmonæis* jam actum, quorum *exemplum* non parit *regulam*, & κρικομενον est. Quas *Ebræi* habuere *victoria* adversus hostes *promissio-*

*missiones* si legem observarint, nos etiam habemus. Id solum ipsis peculiare fuit, quod sub θεοκρατίᾳ & in occupatione inprimis terræ promisſæ ad nutum & oraculum divinum pugnare debuerint, ac Prophetarum tempore quandoque responsa immediata divina acceperint, quibus nos destituimur: destituti etiam fuere *Asmonæi*. *Sententias autem de vitandis consortiis impiorum, quas non paucas apud Salomonem exstare* (Prov. I. 15. c. XIII. 20. C. XXII. 24. C. XXIV. 1.) fatetur Grotius *monita solum esse, non legis præcepta, & illa ipsa monita, ut moralia pleraque plurimas habere exceptiones*, falso asseritur; vide, quæ contra ipsum *ad Prov. XX. 21.* à nobis dicta. *Legem Evangelii* si proprie loquendum sit, ut hic, cum *legem Mosis* vocavit, loquutus Grotius est, σιδηρόξυλον est: quia *lex & Evangelium* opposita sunt. Evangelium non leges continet, sed promissio gratiæ est. Nec in N. T. magis favet S. S. fœderibus aut consortio cum infidelibus, quam in V. T. Vide *Matth. VII. 15. C. XIIX. v. 17. Act. XIX. 9. 1. Cor. V. 6. 7. 11. 2. Cor. VI. 14. & seqq. Eph. V. 6. 7. 11. 2. Thess. III. 6. 14. 1. Tim. VI. 3. 5. 2. Tim. II. 16. 17. C. III. 13. C. IV. 15. Tit. III. 10. 2. Petr. III. 17 1. Joh. V. 21. 2. Joh. v. 9. 10. 11. Jac. IV. 4. Apoc. XIIX. 4.* Beneficentia in *quosvis homines* non minus sub Vet. quam N. T. *sub præcepto posita* fuit, ut Christus è *Levit. XIX. 18.* convincit Luc. X. 37. & Paulus è *Prov. XV. 21. Rom. XII. 20.* Neque recte Grotius illud Apostolicum 2. Cor. VI. 14. ad cos restringit, qui *in idolis convivabantur*, quum generalem præbeat regulam.

Quod denique concludit Grotius, nullam hic (in fœdere cum infidelibus sociali ac defensivo) *intrinsecam aut universalem esse pravitatem*, sed *ex circumstantiis æstimandam*, id negat Tarnovius, negant alii antea adducti, & contrarium sustinent. Agnoscimus tamen cum *B. Gerhardo* non *simpliciter & absolute illicita* esse fœdera cum infidelibus, *religionis defendendæ causa* inita, modo absit *diffidentia* de divino, *confidentia* in humano auxilio, absit *purioris religionis & contagii cum infidelibus & Syncretismi periculum*, absit & *collusionis* cum hostibus veritatis, nec non in συμμαχίᾳ mutua *propugnationis falsæ religionis* & cooperationis ad malum, sive expresse sive interpretativæ peccatum, absit *seductionis simpliciorum & scandali* infidelium offendiculum: adsit vero *summa & inevitabilis necessitas, & periculum salutis reipubl. & Ecclesiæ*, quia necessitas *ingens telum, nulli subjectum legi, ipsa legem faciens. C. remissionem v. 1. sed notandum cauſ. 1. q. 1. C. sicut. c. quando de consecr. dist. 1. & licitum* facit. *quod alias erat illicitum, arg. C. si nulla Cauſ. 23. 48.* Argumenta hæc præcipue urgentur, *tum* quod defensio Juris sit *naturalis l. 3. ff. de Justit. & Jure*, quodque *propriæ salutis defensor in nullo peccare videatur, textus in leg. 3. Cod. ad L. Cornel. de Sicar.* Ideoque inire fœdus cum Infidelibus defensionis causa pro peccato haberi non debeat, cum Jus naturale non repugnet divino & ad defensionem pertineat, ut iis Instrumentis utamur, quæ sunt ad manus, & eorum opera, qui possunt juvare: *tum* quod *Evangelium non abolerat Politias*, adeoque nec firmamenta & munimenta Politiarum, videlicet fœdera. *Vid. B. Luth.* regula illa utens pro *sui defensione*, T. VII. Jen. Germ. f. 389. *tum* quod *Josaphat* se in bello conjunxerit cum infidelibus rege Israel Joramo & rege Edom adversus Moabitas, *2. Reg. III. 7.* quæ conjunctio improbata non fuit ab Eliæo, imo divinitus concessa victoria approbata videtur v. 18. seqq. Unde colligere licet, posse *fidelem contra infidelem arma jungere cum infideli*, quod asseritur etiam *C. Imperatores cauſa II. q. 3.* adeoque etiam auxilium infidelis contra alium infidelem implorari posse, & fœdus cum eo iniri à fideli. Quo pacto Orthodoxi Principes non dubitarunt fœdus inire cum Calvinianis Principibus adversus cœtus Ligisticos Romano-Catholicos defensionis religionis & regionis causa in bello proximo Germanico. Quod salva conscientia fieri potuisse ac factum esse inprimis necessitate & salute reipubl. & Ecclesiæ id postulante, nemo Orthodoxorum ambigit. In *casu* necessitatis laudat Grotius illud Thucydidis: ἀνυπόφθονον δὲ ὅσοι ὥσπερ ἡμεῖς ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων, ἐπιβουλευόμεθα. μὴ ἕλληνας μόνον, ἀλλὰ καὶ βαρβάρους προσλαβόντας διαπαθῆναι: *His qui insidiis impetuntur, ut nos ab Athenientibus, invidia fieri non debet, si salutem quærunt non Græcorum modo, sed & barbarorum auxiliis.*

Quæ in contrarium objiciuntur, diluit *B. Gerhardus & Andr. Rivet.* l. c. neque hujus sunt loci. De cætero *extra necessitatis casum*, vox *Fulconis* Archi Episcopi quondam Rhemensis ceu libera & pia censeri potest, Carolum Simplicem sic admonentis: *Quis non expaveſcat, vos inimicorum Dei amicitiam velle, ac in cladem & ruinam nominis Christiani pagana arma & fœdera susscipere detestanda? Nihil enim distat, utrum quis se paganis societ, an abnegato Deo idola colat.*

Vers. 31. SED ET DE MALIS QVÆ DEMETRIVS REX FECIT IN EOS,) Hæc sunt verba non fœderis, sed Senatus Consulti facti eodem tempore.

QVARE GRAVASTI JVGVM TVVM SVPER AMICOS NOSTROS ET SOCIOS JVDÆOS? SI ERGO ITERVM ADIERINT NOS ADVERSVM TE FACIEMVS ILLIS JVDICIVM ET PVGNABIMVS TECVM TERRA MARIQVE.) Hæc quoque Hebraicis locutionibus expressit hujus historiæ scriptor. Romana hunc ferme in modum fuerint: *Senatus populusque Romanus regi Demetrio: Gentem Judæorum amicam esse sociamque Populi Romani scito. Quæ cum ad nos querelas detuleris, sibi abs te per injuriam ferri autorem imponi, ea querela si ad nos rediverit, faciemus, quod fœderatos decet, & ab eis omnem injuriam bellum terra marique gerendo propulsabimus.*

## CAPUT IX.

## PARS CAPITIS PRIOR AD HISTORIAM JUDÆ ADHUC PERTINENS.

*Bacchides & Alcimus missi cum exercitu à rege Demetrio in Judæam horribiliter in Israelitas grassantur. Judas dilapsis fuga sociis cum octingentis viris hostes aggressus, vincit quidem, sed dum victos fugientesque insequitur, a tergo conclusus fortiter pugnans occumbit, & à fratribus sepelitur ac lugetur à populo.*

Vers. 1.

QVIA CECIDIT NICANOR ET EXERCITVS EJVS IN PRÆLIO) In Græco: ὅτι ἔπεσεν Νικάνωρ καὶ δυνάμεις αὐτοῦ πολέμου: Ubi ὅτι est *quomodo. Audivit quomodo Nicanor & ejus exercitus bellassent*, id est, quam infelice exitu.

APPOSVIT BACCHIDEM ET ALCIMVM RVRSVS MITTERE IN JVDÆAM) Est πλεονασμὸς, quales multi apud Hebræos: nam satisfuerat dicere aut προσέθετο ἀποστεῖλαι, aut δεύτερον ἀπέστειλε.

ET DEXTRVM CORNV CVM ILLIS) Id est, potiorem partem sui exercitus, quæ in cornu dextro, in quo rex ipse erat, præliari solebat.

Vers. 2.

QVÆ DVCIT IN GALGALA) Vide Josue IV. 19.

ET CASTRA POSVERVNT IN MASALOTH, QVÆ EST IN ARBELLIS) Sic & in Græco hic, & in Josephi libris legimus ἐν Ἀρβήλοις, mendose hauddubie, pro ἐν Ἀρβάλοις, בערבאה, supra V. 32. Josephus hoc ponit, quasi nomen urbis Galilææ: sed sæpe evenit, ut urbes

urbes regionis occupent nomen. Sunt qui putant pro Μοναδὰ, ductu vicino scribendum χασαλὰδ, ut Josue XIX. 18.

Alii nullam hic admittunt corruptelam. *Arbela* enim à *Iosepho* locatur in Galilæa superiore, & ab Adrichomio assignatur tribui *Naphthalim*. Non ergo *Gilgala* intelligitur prope Jordanem, ubi Josua circumcidi curavit Israelitas, sed ubi Gilgal Ios. XII. ab *Euseb. Hieron.* & *Adrichomio* collocatur non longe ab *Antipatride*, ibi enim erant itinera ducentis exercitibus faciliora, aptaque ad accipiendos à mari commeatus.

Vers. 3.

AD JERUSALEM) Ivit versus Hierosolyma, ut Judam quæreret, ὅθεν ἐπῆλθεν ἐπὶ τὰ Ἱεροσόλυμα, ait Josephus.

Vers. 4.

ET ABIERUNT IN BEREAN) In Græco: οἱ Βερέαν. At Josephus: ἐν τῇ κωμῇ Βορζηθὼ τότε. Sed scribendum in Josepho, Βορζηθὼ, quomodo & supra appellavit eum vicum, cujus mentio VII. 19.

Vers. 5.

IN LAISA) In Græco: ἐν Ἐλεάζᾳ. Forte ἐν Λαΐσᾳ, ut supra 40. Apud Iosephum quoque initio belli Judaici, ubi hanc quoque tangit historiam, Λαΐσων legendum videtur, ubi scriptum est Ἀκελδαμᾶ.

*Bereæm* Bonfrer. in Onomast. eam esse conjicit, quæ Ios. XIIX. *Beroth* dicitur, estque de tribu Benjamin. Oportet eam non procul abfuisse ab Hierusalem: & Laisam proxime Beream.

Vers. 7.

ET CONFRACTUS EST CORDE) συνετρίβη τῇ καρδίᾳ, hic est indoluit. לֵב vertitur *contrivit*, שָׁמַם autem *obtusa*.

ET DISSOLUTUS EST) In Græco καὶ ἐξελύθη, quod verti potest retrocessit: ut 2. Macc. XII. 18. XIII. 16. Retrocessit ut in tuto loco residuos hortaretur & ordinaret. Nam animo non defectum fuisse Judam, quanquam in rebus valde arctis, satis sequentia ostendunt.

Quidni *dissolutus* dici possit, quod animus ejus concideret, etsi in tantis angustiis ex necessitate ipsa animum vicisim receperit? ut cæteri Interpp. exponunt. Non enim recessisse Judam, sed aggredi voluisse adversarios, seqq. docent. Surgamus, inquit, & eamus ad (profligandum) adversarios.

Vers. 9. SED LIBEREMUS ANIMAS NOSTRAS MODO.) Nunc vitæ consulamus: Gloriæ vero ubi plures erimus.

Salutare erat hoc consilium, si Iudas modo bene monentibus obtemperasset. Quia DEVS non est tentandus: & ad *tempus retrocedere* laudabilius est, quam *omnia temere in discrimen adducere*, ut hic recte Osiander.

Vers. 10. ET SI APEROPIAVIT TEMPUS NOSTRUM, MORIAMUR IN VIRTUTE) In Græco, locutione Hebræa: καὶ ἤγγικεν ὁ καιρὸς ἡμῶν καὶ ἀποθάνωμεν ἀνδρῶς. *Et si forte adsenti tempus nostrum* (moriendi scilicet) *at moriamur viriliter*. Sic ἤγγικεν ἡ ὥρα Matth. XXVI. 45.

*Multum humani*, censente iterum hic Osiand. *passus est in hac re Iudas Machabæus, vir alias pietate & virtute excellens: & plurimum erravit. Non enim FUGA fuisset, si in tutiorem locum se cum suis recepisset. Et quamvis cuique certum tempus vivendi & moriendi à Deo sit constitutum: tamen quia nos eum terminum ignoramus, tamdiu à morte declinandum est, quamdiu id salva conscientia possumus. Neque interitus Iudæ & Sociorum ejus Reipublicæ Israelitarum quicquam profuturus, sed potius eam graviter labefactarus erat. Et majorem salutis exercitus sui, quam gloriolæ suæ rationem habere debuisset. Sed viri magni & excellentibus Dei donis ornati, interdum graviter hallucinantur: ut intelligant, se esse homines: & ne alii ettam ipsos Deos faciant.*

Quod autem Pontificii Interpp. hæc de *gloria* Dei explicare conantur, vel nomine gloriæ Deum ipsum intelligunt, non satis convenit, quum sensus obvius ille sit: Quod gloriæ reportandæ vel non obscurandæ causa (quam scilicet è tot victoriis obtinuerat) fugere noluerit, sed magnum illud periculum subire maluerit, quem *obvium* esse *sensum* non diffitetur *Fullonius*, etsi cum *Saliano* dicat, *Iudam altiori consideratione ac fine pro se contentum ad socios animandos inferius proferea motivum captui ipsorum accommodatum in tempore adhibuisse*: Sed hæc non de sociis tantum, verum etiam *de se* loquutum esse, ac *pro se intendisse* verba ipsa testantur, NE INFERAMVS CRIMEN GLORIÆ NOSTRÆ. Ipse enim hactenus præ omnibus gloriam obtinuerat. Vanitatis ergo illius appetitus nimii & intempestivi nævus non satis à *Fullviano* amoveri à Juda potuit.

Vers. 11.

ET DIVISI SUNT EQVITES) Nempe Bacchidæ.

IN DUAS PARTES) Ad utrumque cornu peditatus, ut hic ait Josephus.

ET FINDIBULARII ET SAGITTARII PRÆIBANT EXERCITUM) Scribe *fundibulari*, ut supra, Josephus: τοὺς δὲ ψιλοὺς καὶ δεξιὰς περιστήσατο ἀπάσης φάλαγγος.

ET PRIMI CERTAMINIS OMNES POTENTES) In Græco: οἱ πρωτοστάται πάντες καὶ δυνατοί: *Deinde* (post illos velites & sagittarios) *in prima acie erant fortissimus quisque.*

BACCHIDES AUTEM ERAT IN DEXTRO CORNU) Ut solebant reges, & in regum absentia summi duces.

ET PROXIMAVIT LEGIO) *Phalanx*, ut est in Græco.

EX DUABUS PARTIBUS) Ab utroque cornu in Judæos incurrit.

ET CLAMANT TUBIS) *Et cecinerunt tubis*, nempe Macedones.

Vers. 13.

USQVE AD VESPERUM) Ad solis occasum. Josephus.

Vers. 14. ET VIDIT JUDAS QVÆ FIRMIOR EST PARS EXERCITUS IN DEXTRIS) *Vidit Bacchiden & quod erat exercitui robur in dextera esse parte.*

Vers. 15.

ET CONTRITA EST DEXTERA PARS AB EIS) Disiecta ab iis qui sinistra in parte erant. διέκοψε αὐτοὺς τὴν φάλαγγα, ait Josephus.

Vers. 16.

USQVE AD MONTEM AZOTI) Josephus, μέχρι Ἀζώτου ὄρους. עזות aut in plurali עזים. Non enim de Philistæa urbe hic agitur.

*Rectius fecisset Iudas*, ait Osiander, *si citius se ad suos recepisset, & alterum etiam cornu profligasset: Sic enim hostibus felicius conjunctis viribus restitissent. Ut enim errant, qui vincere norunt, victoria vero uti non norunt: ita etiam errant, qui affulgenti & blandienti fortunæ nimium fidentes, longius quam tutum est vincendo provehuntur: Sic enim multi egregii viri præcipitati sunt in insidias, & victores perierunt. Itaque quidam sapienter dixit: vincere quidem bonum esse: SUPERVINCERE autem periculosum. Idem accidit Iudæ.*

ET SECUTI SUNT POST JUDAM ET EOS QVI CUM IPSO ERANT A TERGO) Circumiverunt eos, ut narrat Josephus. Simile habuimus supra VII. 40. Solet id præcipiis qui numero præpollent.

Vers. 19.

TULERUNT JUDAM FRATREM SUUM) Concedentibus hostibus τοῦ κρατῆσαι. Id Josephus hic innuit.

IN SEPULCHRO PATRUM SUORUM IN CIVITATE MODIN) Vide supra 2, 70.

Vers. 20.

LUGEBANT DIES MULTOS) Longius solito, ut publicum parentem. Sic & infra XIII. 26.

Vers. 22.

ET CÆTERA VERBA BELLORUM JUDÆ) In Græco tantum est: τὰ περισσὰ τῶν λόγων Ἰούδα, ubi λόγων significat rerum, more Hebræo, דִּבְרֵי יְהוּדָה.

*PARS II. LIBR. I. MACC.*

# COMPLECTENS RES GESTAS FRATRUM JUDÆ.

## SECT. I. DE REBUS GESTIS SUB DUCATU IONATHÆ.

*PARS ALTERA CAPITIS IX.*

*Iudæi paulo post obitum Iudæ fame coacti certis conditionibus Bacchidi se dedunt. Ionathas fratri Iudæ succedit. Iohannes frater à filiis Iambri capitur & occiditur, sed ea cædes mox à Ionatha vindicatur. Quin & Alcimus divinitus punitur. Bacchides in Syriam recurrit. Et revocatur ab apostatis in Iudæam, tentata infeliciter belli alea conversa in apostatas illos ira, pacem cum Iudæis facit, & discedit.*

Vers. 23.

EMERSERVNT INIQVI IN OMNIBVS FINIBVS ISRAEL) Qui meru ejus laniaverant.

Vers. 24.

ET TRADIDI SE BACCHIDI OMNIS REGIO EORVM CVM IPSIS) Non tota regio, sed magna ejus pars, explicante Josepho.

Vers. 25.

ET CONSTITVIT EOS DOMINOS REGIONIS) Id est, præfectos, eodem Josepho explicante.

Vers. 26.

ET VINDICABAT IN ILLOS, ET ILLVDEBAT) Tortos & irrisos interficiebat. Ira Josephus.

Vers. 27.

ET DIE QVO NON EST VISVS PROPHETA IN ISRAEL) Idem valet, quod apud Josephum est, μετὰ τὸν ἐκ Βαβυλῶνος ἐπάνοδον. Nam in illo reditu fuere Aggæus, Zacharias, Malachias, post quos cessavit Prophetia, ut diximus supra IV. 46. infra XIV. 21.

FACta dicitur magna tribulatio in Israele, qualis non fuit ab eo tempore, quo *Prophetæ* esse desierunt; non quasi *erudelior* fuerit illa, quam *Epiphanes* intulit, sed quia *periculosior*. *Epiphanes* enim *aperte* periit. Bacchides *occultius*. Epiphanes passim in Iudæos grassabatur. Bacchides petebat capita populi, ut illis destitutus facilius sub jugum reduceretur populus. Innuitur autem hic palam jam pridem desisse Prophetias, & Prophetas.

Vers. 29.

VIR SIMILIS EI NON EST QVI EXEAT CONTRA INIMICOS NOSTROS) In Græco: καὶ ἀνὴρ ὅμοιος αὐτῷ οὐκ ἔστι ἐξελθεῖν πρὸς τοὺς ἐχθροὺς: Id est, ex eo nemiaem ducem habuimus, quali nobis opus.

Vers. 30.

IN PRINCIPEM) Reipublicæ.

ET DVCEM AD BELLANDVM BELLVM NOSTRVM) Militiæ imperatorem.

Vers. 31. ET SVRREXIT) קוּם solet id dici de iis qui supra populum eminent.

Vers. 33.

IN DESERTVM THECVÆ) Non longe ab urbe, ait Josephus. Apparet id Jerem VI. 1.

AD AQVAM LACVS ASPHAR) Non lacus fuit, sed fossa, λάκκος, quomodo hic Græcum & Josephus, & in illo tractu prope Hierosolyma, ut dubitandum non sit quin errent qui de Asphaltite hic cogitant. אשפר Syris pulchrum, interdum candidum.

Merito corrigitur *vulgata*. At si prope Hierosolyma confedit Ionatha, qui Bacchides eum quærens ad ripam Iordanis abit? Salianus censet, primum ibi consedisse, ut copias aliquas è piorum reliquiis colligeret: quum vero Bacchidem ad se cum victore exercitu venire adiret, tum denique movisse, ut mutatione loci eluderet insequentes, & ipse mora vires firmaret.

Vers. 35.

ET IONATHAS MISIT FRATREM SVVM) Bene addidit nomen Jonathæ, quod impleudo sensui in Græco deest. Congruit Josephus. Frater autem qui hic designatur fuit Johannes qui & Gaddi, teste eodem Josepho.

NABATHÆOS AMICOS SVOS) Supra V. 25.

VT COMMODARENT ILLIS APPARATVM SVVM QVI ERAT COPIOSVS) Scripsit interpres, *commendarent illis*, id est, apud eos deponerent. Ulpianus L. Commendare, D. de verb. signif. *Commendare nihil aliud est quam deponere*. Apparatum, in Græco ἀποσκευὴν, id est, supellectilem omnem, vasa omnia. Vide supra V. 13. 45. sic & Gen. XXXIV. 28. & alibi.

In mendo ergo hic cubat, *vulgatus* textus: Neque vero dubium est in fuga etsi præcipiti ac tumultuaria etiam nonnulla abduci potuisse, quæ securiorem locum desiderent, in quo deponi possent.

Vers. 36.

FILII IAMBRI) In Græco: υἱοὶ Ἀμβρί, Josepho, οἱ Ἀμωρίου παῖδες. Fuerit illorum parenti nomen אמרי quale regi cuidam Israelis nominato 1. Reg. XVI. 22.

EX MADABA) Urbs Moabitica Num. XXI. 30. Jos. XIII. 9. Isaiæ XV. 2. ubi diximus esse hanc Μήδαβα Ptolemæo. Non sic in Græco, sed ἀπὸ Μαδαβᾶ. Vera lectio, ni fallor, apud Josephum, ἀπὸ Γαβαθᾶ πόλεως, גבעת. Ducebatur hæc Sponsa Medabam, ubi habitabant Amriadæ, ut nos docet Josephus, aliunde ergo.

Mendosa igitur iterum *vulgata*, fatente Grotio, cui remedium quidem parat Fullonius, sed è meris conjecturis, & contra *Græcum textum*, autoritate itidem Papali firmatum. *Jambritæ* autem illi *transfugæ fuerint Iudæi, an Arabes alienigenæ*, non constat: etsi hoc posterius *Iosephus* velit.

FILIAM VNIVS DE MAGNIS PRINCIPIBVS CHANAAN) Arabum dicit Josephus: idque magis exigit historia. Sed Hebræ improprie כנעני vocabant omnes a Dei cultu alienos.

CVM AMBITIONE MAGNA) μετὰ παραπομπῆς μεγάλης, magno cum comitatu. Sic & Josephus.

Vers. 38.

SVB TEGVMENTO MONTIS) Id est, à monte sic defensi, ne spectarentur.

Vers. 39.

ET AMICI EJVS) Sodales. Vide quæ dicta ad Joh. III. 29.

CVM TIMPANIS ET MVSICIS) Ex more. Jerem. VII. 34. XVI. 8. XXV. 10. XXXIII. 11.

Vers. 41.

ET CONVERSÆ SVNT NVPTIÆ IN LVCTVM, ET VOX MVSICORVM IPSORVM IN LAMENTVM) Meleager de casu simili:

Ἀρτι γαρ ἐστήμει νύμφιος ἐπὶ δικλίδι πύλαις
Λυτοῖ· καὶ θαλάμοιο ἐπελαμπέτο θάλαμος·
Ἤδει δ' ἀλλαλογοῖο λέπαργος· ἡ δ' ὑποπτος
Σιγᾶσ' ἐς γαμβρὸν φάτνιν μετεμάσσατο.

Philippus vero.

Ἄρτι μὲν ἐ θαλάμοις Νικοπτόλεος κόλπ ἐπέκλιν
Λυτος, καὶ γαμικῆς ὑμὴν ἔγειρε κρέσεις·
Ὀρθρῳ δ' ἐς θρῆνον ἐπάμετο· καὶ δι τάλαινε,
Οὕτω πάντα γωσι, καὶ τέκος ἐβλίτετο.

Vers. 42.

ET REVERSI SVNT AD RIPAM JORDANIS) Vbi exercitum reliquerant.

Vers. 44.

NON EST ENIM HODIE SICVT HERI ET NVDIVS TERTIVS) ὅτι ἐ δὶς καὶ τρὶς τοῦτο ἡμέραι, id est, *ut antehac*. Locutio Hebræa, ut Gen. XXXI. 2. & alibi sæpe. Sensus est, non posse his in locis recedendo vitari prælium, ut cum in desertis Thecuæ bellaretur: sed plane pugnandum aut pereundum: περὶ τῶν ψυχῶν αὐτοῖς ὁποτὲ τὸν κίνδυνον: ac propterea non obligari se sabbati lege, secundum decretum nuper factum II. 41.

Vers. 45. ECCE ENIM BELLVM EX ADVERSO) Hostile agmen.

AQVA VERO JORDANIS HINC ET INDE) Id est, terga undique ambiens. Est enim ambitiosus amnis, ut Plinius loquitur, V. 15.

ET PALVDES ET SALTVS) Loca impedita.

Vers. 47.

ET EXTENDIT IONATHAS MANVM SVAM PERCVTERE BACCHIDEN) Qui feliciter eum parte suorum Jordanem transierat.

ET DIVERTIT ABEO RETRO) Bacchides retro ad suos trans Jordanem se recepit, & sic evasit periculum. Ita rem explicat Josephus.

Vers. 48. ET DISSILIIT IONATHAS ET QVI CVM EO ERANT IN JORDANEM) Ad eos, id est, ad hostes, quos ultra trans omnem persequebatur.

ET TRANSNATAVERVNT AD EOS JORDANEM) Excidit negativa vocula, quæ est in Græco:

καὶ ὁ διάβροω ἐπ' αὐτὴν τὸν Ἰορδάνην. Non *ultra* (Bacchides cum suis) *adversus illos* (Judæos) *Iordanem transiere*. Josephus: Τῶν πολεμίων δὲ ἐπὶ τὸ πέραν μὴ ἐπιβαινόντων.

Notatur iterum, & merito, *error vulgatæ. Ambiguitas*, inquit Fullonius, *tollitur textu Græco, in quo est particula negans, quæ videtur excidisse ex vulgata.* Egregia vulgatæ αὐθεντία!

Vers. 49.

ET REVERSI SUNT IN JERUSALEM) In arcem, Bacchides scilicet cum suo milite, ut explicat Josephus.

Vers. 50.

ET ÆDIFICAVERUNT CIVITATES MUNITAS IN JUDÆA) Iidem illi, qui cum Bacchide, fecere ædificando ut oppida munita essent.

MUNITIONEM QVÆ ERAT IN JERICHO) *Munitionem illam quæ est in Ierichunte.*

ET IN AMMAUM) Non est in Græco, sed est in Josepho: καὶ Ἐμμαοῦν. Vide supra IV. 3.

ET IN BETHORON) In Græco: Βαιθήλ, & in Josepho Βεθώμαν. Legendum forte Βαθήρ, & in Josepho Βηθήρ. Nam בתר erat non longe ab Hierosolymis. Vide tabulam Judaicam.

Corrigenda igitur denuo vulgata. Nam cum Græco textu itidem approbato simul consistere non potest.

ET THAMNATA) Scribitur in Græco, Θαμνατα, & in Josepho, Θαμνασᾶ, idem est nomen. nam ת Iudæorum multi ut s pronuntiant. Est תמנתה Ios. XIX. 42. ubi in Græco Θαμνασᾶ: in Plinio *Thamica*: Sed scriptum forte fuerit *Thamnita*. Ptolemæo est Thamna.

*Thamnatam* in tribu *Danitica* propè à mari mediterraneo intelligit *Adrichomicus*. *Fullonius* alteram in *Ephraitica* tribu, suadente situ, & commoditate loci.

ET PHARA) In Græco, Φαραθωνι: In Josepho: καὶ Φαρεθών. Est פרעתון, Φαραθών. Iud. XII. 15.

ET THOPO) τὴν Τεφώ, in Græco: in Josepho Τεχώαν, Sed legendum Τοφέαν. Est enim תפוח, Ios. XV. 33. ubi in Græco Ταπὼ: sed scribendum Ταφώ. Hinc Plinio Tephene regio.

Vers. 51.

ET POSUIT CUSTODIAM IN EIS) Præsidium, φρουράν. Iosephus: δύναμιν εἰς αὐτὰς κατέπεμψεν.

UT INIMICITIAS EXERCERENT IN ISRAEL) Ut nocerent Israelitis: τῇ ὀχλήσει τῷ Ἰσραήλ. Iosephus: ὅπως κακῶν ἐκείνοις ὁρμωμένοι τοὺς Ἰουδαίους ἔχωσι. *Vt inde factis excursibus malum inferrent Iudæis.*

Vers. 52. ET MUNIVIT CIVITATEM BETHURAM) Amplius munivit. Vide supra IV. 61. VI. 50.

ET GAZARAM) Γαζαρὰ hic scribitur, ut supra VII. 45. Γάζηρα: Iosepho Γάζαρα.

AT ARCEM) ἄκρων illam Hierosolymis non operibus tantum auxit, sed & omnibus rebus instruxit ad bellum necessariis.

ET POSUIT EOS IN ARCE IN IERUSALEM IN CUSTODIAM) *Obsides*, ut hic explicat Iosephus. ut eo pignore parentes propinquosque eorum attinerent, ait in facto simili Tacitus Annalium III.

Vers. 54.

DESTRVI MVROS DOMVS SANCTÆ INTERIORIS) Iosephus et in Græco: τὰ τοῦ ἁγίου τῶν ἁγίων τοῦ ἐσωτέρου. Tacitus, ut nos cum emendandum credimus: *Illic immensæ opulentiæ templum, & primis munimentis urbi adjuge, intimis clausum.* Iosephus: διὰ τοῦτο (per subdiale gentium, quod templum primum vocat,) περιέκειντο ἐπὶ τὸ δύντερον ἱερὸν ὀχυρώματος περιβόλοις διὰ τριακοσίων μὲν ὀλίγῳ πηχῶν ὑψηλοτάτοις διαστήμασιν. ἐν ἑκατὸν δ' ἑκάστοιτοῦτον ὑπερέχοντες τῶν τοῦ ἁγίου προπυλαίων τὸν μὲν Ἑλληνικὸν, οὐ δὲ Ῥωμαϊκὸς γράμμασιν, μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παρεῖναι. τὸ γὰρ δύντερον ἱερὸν ἅγιον ἐκαλεῖτο. Voluit ergo Alcimus Iudæus Iudaismi desertor omne discrimen in Templo inter Iudæos & Græcos tollere, in Græcorum, quibus turpiter serviebat, gratiam.

Vers. 55. ET OCCLVSVM EST OS EIVS, ET DISSOLVTVS EST PARALTSI) Solec paralysis, five fideratio, si eorum invasit corpus, etiam oris functionem ad loquendum impedire.

ET MANDARE DE DOMO SVA) Præcepta date ultima ut tolent moriturî. 2. Reg. XX. 1. Sir. 33, 24.

Non simplex fuit *paralysis*, sed gravis alius morbus accessit, cum dicatur mortuus in tempore illo cum TORMENTO MAGNO. Tormentum enim illud à paralysi esse non potuit, quæ nihil aliud est, quam dissolutio esse non potuit, quæ nihil aliud est, quam dissolutio nervorum & ἀναισθησίαν potius infert.

Vers. 57. SILUIT TERRA DUOBUS ANNIS) *Quievit*: ut supra VII. 50. Iosephus: ἐπ' ἔτη δύο τῶν Ἰουδαίων πράγματα πραγμάτια.

Vers. 58. CONFIDENTER) πεποιθότες, id est securi.

Vers. 62. IN BETHBESSEN QUÆ EST IN DESERTO) In Græco: εἰς Βαιθβασὶ τὸ ὂν τῇ ἐρήμῳ. At Josephus: εἰς Βεθμαγδὼ αἰσχυρὸν κώμην ὄσαν τῆς ἐν ἐρήμῳ. Intelligit haud dubie eum locum, qui in tabula Judaica, בית הערבה. Nam ע per ת sæpe vertitur Græce: & solent in nominibus talibus sæpe transponi literæ. Vide infra XIII. 23. Videtur בית בסין fuisse in proximo, ut parum referret hic locus, an ille nominaretur. Nomen hoc à frequentia latronum illis in locis,

ET EXTRUXIT DIRUTA EJUS) Muros disjectos restituit. Itaque Josephus quem prius vicum nominarat, mox urbem nominat: ut & hic scriptor.

Vers. 63. ET HIS QVI DE JUDÆA ERANT DENUNTIAVIT) Desertoribus legis.

Vers. 64. ET CASTRA POSUIT DESUPER BETHBESSEN) Id est, locum noviter munitum obsedit, ut refert Josephus. In Græco: παρεπίβαλλει ἐπὶ Βαιθβασὶ: Iosephus: ἐπολιόρκει.

ET OPPUGNAVIT EAM DIES MULTOS) Imperu primum facto: ut vero id non successit, machinis, ut sequitur.

Vers. 65. ET EXIIT IN REGIONEM) In terras circumsitas.

Vers. 66. ET PERCUSSIT ODAREN) In Græco: ὀδομηρά. הדר אמר, pulchrum loquens. Hæc hitoriola in Josepho non est.

ET FILIOS PHASERON) φασιρών, פצירון.

ET COEPIT CÆDERE ET CRESCERE IN VIRTUTIBUS) καὶ ἐξῆρξατο τύπτειν καὶ αὐξάνειν ἐν ταῖς δυνάμεσι. *Cœpit cædere* (obvios hostium) *& penetrare in exercitum hostilem*, Iosephus: ἐπικέπτειν τῇ βακχίδου τεταγμένῃ.

Vers. 67. EXIERUNT DE CIVITATE) Eodem tempore fecere eruptionem.

ET SUCCENDERUNT MACHINAS) Vide simile beli Judaici VI. 2.

Vers. 68. ET AFFLIXERUNT EUM VALDE, QVONIAM CONSILIUM EJUS ET CONGRESSUS ERAT INANIS) Est quidem in Græco: ἔθλιβον αὐτὸν σφόδρα, ὅτι ἦν ἡ βουλὴ αὐτῷ καὶ ἡ ἔφοδος αὐτῷ νενε. sed legendum videtur ἐβλίβη. *Doluit illi consilium suum, ac conatum in irritum recidisse.* Idem loquendi genus 1. Sam. XXX. 6. 2. Sam. XIII. 2. Josephus in hoc loco de hoc Bacchide: ὡς ἀδυσίας αὐτὸν καὶ παντοίας τῆς διανοίας ἐνίστης.

Dum ad subitam irruptionem, & cladem tumultuantur hostes, *Simon*, forte quia ita convenerat, erumpit ex urbe cum suis, & in ipsa quoque Bacchidis castra impressionem facit. *Bacchides* ab eis contritus desperat de expugnanda *Bethbessen*, quod inane esset, id est, evantuisset consilium & ἔφοδος, h. e. iter suum hoc postremum in Judæam, ut *Josepho* & *Gorionidi* accipiunt.

Vers. 69. ET IRATUS CONTRA VIROS INIQVOS) Contra illos legis desertores. Legit hic interpres ἀνδρῶν, melius fane quam ἀργυρῶνων. Sequitur enim αὐτῶν. Iosephus de eodem Bacchide: τὸν μὲν τοιγε ὑπὸ τοῦτου θυμὸν, οὓς τοὺς φυγάδας, οἱ μετετίθεντο παρὰ τῷ βασιλεῖ αὐτοῦ, ἐπίσκηψεν, ὡς ἐξεπατικότας.

Vers. 70. ET REDDERE EI CAPTIVITATEM) Id est, captivos, locutione Hebræa. Sic שבי Ps. LXVIII. 19. αἰχμαλωσίαν reddidere LXX. & Paulus Ephes. IV. 8. id est, captivorum multitudinem. Nec aliter Num. XXXI. 12. Jud. V. 12. & alibi sæpe. Nota captivos non reddi, nisi id pace conveneit. Et vide nostra III. de jure Belli & Pacis IX. 4.

Vers. 71. ET JURAVIT SE NIHIL FACTURUM EI MALI) Plus est in Græco: μὴ ἐξεργάσασθαι αὐτῷ κακόν. *Nihil se quæsturum ipsi mali.*

Vers. 72. CAPTIVITATEM QVAM PRIUS ERAT PRÆDATUS) ἣν ἠχμαλώτευσε, *quam captivam fecerat.* Captivi utrinque redditi ex pacto. Ita Josephus.

Vers. 73. ET CESSAVIT GLADIUS EX ISRAEL) Vis Macedonica ab Israelitis se abstinuit.

ET HABITAVIT JONATHAS IN MACHMAS) Josephus: ἐν Μαχμὰς πόλει. Est מכמש, 1. Sam. 13, 2. & mutata litera parisconi מכמס Esdræ II. 26. Græci utroque loco, Μαχμάς.

*Machmas.* *Machmas* urbs est in extremis finibus tribus Ephraim ad fines Benjamiticæ sita, in ipso Hierosolymorum itinere Samariam, quatuor aut quinque horis itineris à Jerusalem.

ET COEPIT JONATHAS IBI JUDICARE POPULUM) In pace regere.

ET EXTERMINAVIT IMPIOS EX ISRAEL) In Græco: ἐξῶσεν τοὺς ἀσεβεῖς ἐξ Ἰσραήλ, id est, morte affecit ex lege, Deuteron. XVII. 5.

## CAPUT X.

*Jonathæ amicitiam duo Reges Demetrius, & Alexander, ambiunt. Alexander tamen ea potitur, & Jonathan summum Pontificem declarat. Demetrium vincit, & occidit, postea Regis Ægypti filiam uxorem ducit. In nuptiis Regis Jonathas in honore habitus accusatur apud Alexandrum, sed ille Jonathan multo majoribus honoribus afficit. Jonathan & Simeon exercitum Apollonii profligant, & aliquot urbes capiunt. Alexander Jonathæ urbem Accaron, & villas ejus donat.*

Vers. 1. ALEXANDER ANTIOCHI FILIUS) Id est, qui se filium Antiochi illustris dicebat. Justinus: *Suborant, propalam quendam, sortis extremæ juvenem, qui Syriæ regnum, velut paternum armis repeteret, & ne quid contumeliæ deesset, nomen & Alexandri indiuter, genitusque ab Antiocho rege dicitur.* Is dicitur in Epitome Livianæ libri LII. *Alexander homo ignotus, & incertæ stirpis.* Appianus: ἐπιστεύσαντό δὲ αὐτῷ τινες Ἀλέξανδρον ὑποβολιμαῖον εἶναι Σελευκείας γόνον: dictus ab adversariis Balles: id est: בַּלָּע, *homo nihili.* Apud Strabonem libro XVI. τὸν βάλαν Ἀλέξανδρον legendum, non Ἀλεξάνδρου, monuit recte Casaubonus.

*De Alexandri ortu. An filius Antiochi?* SUlpitius ejusdem est sententiæ de *Alexandri ortu:* Quod nempe falso se *Antiochi* dictitarit filium annuente *Generardo*, & *Saliano*. Alii tamen malunt vere ejus filium fuisse, cum *Josepho* l. XIII. c. 3. etsi ex *concubina* natum, ut *Gordonius, Salianus, Bonfrerius, Fallonius* ad Josephum l. XIII. c. 3. provocantes. Non autem de *Eupatore* hoc accipiendum, ut *Lyranus* putavit, quia ille undecim annos natus mortuus est, sed de *Epiphane.*

QVI COGNOMINATVS EST NOBILIS) Quod supra dixit *Illustris*, hic dixit *Nobilis*, reddens vocem Græcam Ἐπιφανὴς. Atque Ἐπιφανὴς hic legendum in Græco, non Ἐπιφανὲς, tum alia nos docent, tum Josephus: Ἀλέξανδρον τὸν Ἀντιόχου τοῦ Ἐπιφανοῦς υἱόν.

Nihil obstat, quo minus filius idem nomen assumserit, quod pater consecutus est, ut opus non sit sphalma in *Græco* textu potius, quam in *Josepho* ponere.

ET OCCVPAVIT PTOLEMAIDAM) Vibem Phœnices, cujus & Ptolemæus meminit.

ET RECEPERVNT EVM) Milites qui in præsidio erant, ut ex Josepho discimus: odio scilicet Demetrii, ob superbiam, ut discimus etiam ex Justino XXXV. & XXXIX. Crudelitatem addit Epitome Livii LII. Josephus & superbiam accusat, neminis colloquium admittentis, & addit ignaviam.

Vers. 3. VERBIS PACIFICIS, VT MAGNIFICARENT EVM) Id est, verbis talibus, quibus persuadere volebat Jonathæ, à se ipsum plurimi fieri. Prudenter autem admodum Jonathas hæc regum dissidia in usus suorum popularium vertit.

Vers. 6. ET OBSIDES QVI ERANT IN ARCE) De quibus supra IX. 53.

Vers. 7. ET EORVM QVI IN ARCE ERANT) Tum Macedonum, tum Judæorum qui à lege defecerant. Ita Josephus.

Vers. 10. ET HABITAVIT JONATHAS IN JERVSALEM) In urbe, non in arce.

Vers. 11. ET MONTEM SION IN CIRCVITV, LAPIDIBVS QVADRATIS AD MVNITIONEM) Montem Sion hic vocat totam urbem, excepta arce & Templo. Josephus: ἐκέλευσε γὰρ οἰκοδομῆσαι τὰ τοῖχα τῆς πόλεως ἐκ λίθων τετραγώνων, ὡς οὐκ ἂν ἔτι πρὸς τὰς πολιορκίας ἀσφαλέστερα.

Vers. 14. TANTVM IN BETHSVRA REMANSERVNT ALIQVI) Vide supra IX. 52.

*Bethsuram* non relinquunt apostatæ ceu tutum refugium, hostibus ipsis magis obstinati, utpote qui partim præsidia reliquere. Per *muros* mœnia *civitatis* Josephus, cum quo hic Grotius facit, *Salianus munitiones templi* intelligit: quem rem in medio relinquimus.

Vers. 15. ALEXANDER REX) Ita enim à plurimis in Syria appellabatur. Justinus dicto libro XXXIX. In Syria regnabat, ait Livii Epitome.

Vers. 18. FRATRI JONATHÆ) Sic Ædui fratres Romanorum, Tacito teste, Arverni Lucano, Batavi in inscriptione antiqua.

Vers. 20. CONSTITVIMVS TE HODIE SVMMVM SACERDOTEM GENTIS TVÆ) Sicut olim fecerant reges Hebræi, ita tamen ut Aaronis stirpem non egrederentur.

ET MISIT EI PURPURAM ET CORONAM AUREAM) Qualia viri principes a regibus accipere solebant. Ester. VIII. 15. Ez. XXII. 22. In Græco: Secuti magnorum regnum exemplum Romani.

ET QUÆ NOSTRA SUNT SENTIAS NOBISCUM) In Græco: καὶ φρονῶν τὰ ἡμῶν, ubi duplex est ἐπαναφορὰ. Sensus enim plenus esset: *& scripsit ei, ergo te nostras tueri partes.* Sic τὰ Ῥωμαίων φρονεῖν, & similia in historiis frequenter occurrunt.

Vers. 21. STOLA SANCTA) τὸν ἁγίαν στολὴν, non illam missam ab Alexandro, sed ἀρχιερατικὴν, ut Josephus exponit.

Non enim nunc demum Pontificatum susçepit, sed quia in potestate sua Templum hucusque non habuit, stolam Pontificiam, quam gerere ideo non potuit, jam induit: aut saltim bona venia Regis jam induisse eandem censendus erit.

V. 22. ET AUDIVIT DEMETRIVS VERBA ISTA &c.

Perculere Demetrium nova de occupata per Alexandrum æmulum suum amicitia Judæorum: ideo scribendum ad eos duxit verba deprecatoria, vel potius consolatoria παραλήσεων, aut *adhortatoria*; simulat tamen in literis se nescire illam cum Alexandro societatem: & promittebat illis multa, quæ tam subita & insignis hominis mutatio suspecta merito ipsis fuit, ut inimico reconciliato minime credendum conserent.

Vers. 24. ET DIGNITATES ET DONA) *Nec si manueribus certos concedat Iolæ.*

Vers. 26. QVONIAM SERVASTIS AD NOS FIDEM) Prudenter maluit videri innocentes invenisse, quam fecisse. Fides habita ipsam obligat fidem.

Vers. 28. ET REMITTEMVS VOBIS PRÆSTATIONES MVLTAS) In Græco: καὶ ἀφίεμεν ὑμῖν ἀφέματα πολλά, id est, *multas remissiones vobis facientes.*

Vers. 29. ET NVNC ABSOLVO VOS ET OMNES JUDÆOS A TRIBVTIS) *Condono ac remitto tributa Judæis omnibus.* Tributa sunt quæ in caput aut solum dantur. Hic intellige, ὧν ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τελοῦσι, collato Antiochi Magni edicto apud Josephum XII. 9.

ET PRETIA SALIS INDVLGEO) καὶ τῆς τιμῆς τοῦ ἁλός. Sic & in Josepho legendum: τιμὴν ὑμῖν χαρίζομαι τῶν ἁλῶν. Sunt Salinæ in Judæa, ut apparet Pf. LX. 2. & infra XI. 35. Reges permiserunt inde Judæo cuique certum modum salis capere, sed dato regibus pretio. Id nunc Demetrius gratis vult licere.

ET CORONAS REMITTO) Coronas aureas Judæi soliti erant regibus offerre quotannis. Id dicitur autum coronarium in l. penult. C. de Judæis, quod Patriarchis solitum offerri imperatores ad se traxere. Dicitur autem aurum coronarium tum ibi, tum in titulis Codicis. Theodosiani, & Justinianei De auro coronario, eo modo quo res coronarium id quod in coronas impendebatur. Στεφανίτην φόρον vocat in edicto de quo cœpi agere Antiochus Magnus, qui ab eo liberavit seniores, Sacerdotes, scribas Templi & cantores.

ET TERTIAS SEMINIS) καὶ ἀντὶ τῆς τρίτης τῆς σπορᾶς est hic in Græco, quod Josephus dixit, ἀντὶ τῶν τρίτων τῶν τῆς καρπῆς. Unde intelligimus σπορᾶς hic esse non semen, sed fruges quæ seri solent: de quibus reges olim sumsere tertiam partem; posita pretium ejus, quod hic remittitur. Vide Nehem. IX. 37.

Vers. 30. ET DIMIDIAM PARTEM FRUCTUS LIGNI, QVOD EST PORTIONIS MEÆ) καὶ ἀντὶ τοῦ ἡμίσους τοῦ καρποῦ τοῦ ξύλου τοῦ ἐπιβαλλοντός μοι λαβεῖν, id est, pecuniam quam solebam accipere pro dimidio

midio nemorum. Eum sensum satis aperte exprimit Josephus: neque vero aut Josephus, aut hic Scriptor ipsa Demetrii verba posuere. Sed sensum ab hoc scriptore Hebraizante desumtum puriore Græcitate expressit Josephus.

ET A TRIBVS CIVITATIBVS QVÆ ADDITÆ SVNT ILLI EX SAMARIA ET GALILÆA) *Ex tribus præfecturis.* In Græco est: τριῶν νόμων, voce ultima in denotandis Ægypti partibus, ut nos docet Strabo, & uterque Plinius, quorum major Latine interpretatur, ut nos jam fecimus, præfecturas. Sic & infra 38. Josephus τοπαρχίας dicit. Sed in Josepho mendum est. Legitur enim: καὶ τῶν τριῶν τοπαρχιῶν τῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ προσκειμένων Σαμαρείτικῆς καὶ Γαλιλαίας καὶ Περαίας: Cum scribi debeat: τῶν τῇ Ἰουδαίᾳ προσκειμένων ἐκ Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας καὶ περαίας, quod ostendit hujus libri Græcum, & hoc loco & infra 38. atque idem hic scriptor infra XI. 34. & Josephus c. 8. ubi & ipse Toparchiæ nominantur, Apherima, Lydda, Ramatha, additurque eas Judææ additas, ὡς τῆς Σαμαρείτιδος, ubi per Synecdochen sola Samaritis nominatur, omissa Galilæa & Peræa, ficut hic in Græco noſtro nominantur Samaria & Galilæa, omissa & Peræa. Ἀφαιρεμὰ recte scriptum apud Josephum; non enim Græca vox est Ἀφαίρεμα, quomodo librarii scripsere in hoc libro infra XI. 34. Sed Syriaca, אפרימה a פרכמא quod est lacerare. Videtur autem jam olim id nomen accepisse ager circa Bethelem, quod Abiæ bello abruptus esset à decem tribuum regno, ut videre est 2. Paralip. XIII. 19. addito 2. Reg. XXIII. 4. Plinio etiam inter Toparchias Judææ nominatur Bethole, qui & Lyddam ponit inter easdem Toparchias: quam esse in Peræa ex Ptolemæo discimus. Restat ergo de Galilæa Ramatha, cujus nominis cum plures urbes fuerint, par hic est eam intelligi quæ Isachari olim obvenit, Jos. XIX. 21. XXI. 27.

Vers. 31. ET IERUSALEM SIT SANCTA ET LIBERA CUM FINIBUS SUIS, ET DECIMÆ ET TRIBUTA IPSIUS SINT) In Græco: καὶ Ἱερουσαλὴμ ἔστω ἁγία καὶ ἀφειμένη καὶ τὰ ὅρια αὐτῆς καὶ δεκάται καὶ τὰ τέλη: supple, ἔστω ἀφειμένη. Quod hic dicitur ἁγία καὶ ἀφειμένη, in Josepho, ἱερὰ καὶ αὐτόνομος ἅπασα: id significat nullo præsidio externo oneretur, ad exemplum Delphorum in Græcia. Finis vero Hierosolymorum intelligere territorium circumjectum urbi. Vide quæ de eo diximus ad Matth. XXIV. 15. Quod hic jubetur urbs & ager libera esse a Decima, id intelligere quod ad reges attinet. Datur eidem urbi agroque etiam immunitas à vectigalibus, quæ Judæis cæteris non datur. Aliud enim φόρος, tributum, aliud, τέλος, vectigal, quæ & Apostolus Paulus distinguit Rom. XIII. 7. Nam ut ait Favorinus, φόρος κυρίως τὸ ὑπὲρ ἰδίας οὐσίας ἐκτιθέμενον γῆς· τέλος δὲ ὑπὲρ τῆς ἐμπορίας συντίθεται. Hoc modo distincta ista reperies apud Strabonem tum libro II. ubi de Britannia, tum libro IV. apud Dionem Cassium libro XLV. Sic & ἐπιφορὰς & τέλη distinguit Josephus Bello Judaici II. tributa & vectigalia Tacitus Annalium XIII.

Vers. 32. REMITTO ETIAM POTESTATEM ARCIS QVÆ EST IN IERUSALEM) τῆς ἀκρας, quam tunc etiam tenebant Macedones: ut apparet supra 9.

ET DO EAM SUMMO SACERDOTI) Jonathæ scilicet: Est enim personalis concessio, interprete Josepho.

Vers. 33. ET OMNEM ANIMAM JUDÆORUM) Omnem Judæum.

QUÆ CAPTIVA EST A TERRA JUDA IN OMNI REGIONE MEA) Intelligit captos bello Antiochi illustris & Eupatoris. Bello enim capti regis fiebant. Vide quæ diximus tertio de Jure Belli & Pacis VI. 10.

RELINQVO LIBERAM GRATIS) Ut Pyrrhus:

*Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis.*

UT OMNES A TRIBUTIS SOLVANTUR ETIAM PECORUM SVORUM) *Ut liberi sint* Judæi etiam *a tributis* id est, oneribus *jumentorum.* Φόρος improprie vocat angarias, ut explicat Josephus. Id onus à Persis regibus introductum retinuerant Macedones. Vide quæ diximus ad Matth. V. 41. Puto autem tributum dici, quia plerumque pecunia redimi tale onus solebat.

Vers. 34. ET OMNES DIES SOLEMNES) Ut Paschatis, Pentecostes Scenopegiæ.

ET DIES DECRETI) οἱ ἡμέραι ἀποδεδεγμέναι. Sic vocat dies festos populi instituto, quales dies Sortium, Encæniorum, & dies interfectii Nicanoris.

ET TRES DIES ANTE DIEM SOLENNEM, ET TRES DIES POST DIEM SOLENNEM) Nempe ut tutus esset Hierosolyma & itus & reditus.

SINT OMNES IMMUNITATIS ET REMISSIONIS OMNIBUS JUDÆIS) ἀτελείας καὶ ἀφέσεως. Quod sic exponi, ἀτελείας, ut eo tempore de rebus quas secum ferrent nullum penderent vectigal, ἄφεσις, ne ob debita capi possent.



OMNIBUS JUDÆIS QVI SUNT IN REGNO MEO) Nam & ex Syria Judæi multi diebus festis ibant Hierosolyma.

Vers. 35.

ET NEMO HABEBIT POTESTATEM AGERE ALIQUID, ET MOVERE NEGOTIA ADVERSUS ALIQVEM ILLORUM IN OMNI CAUSA) In illis scilicet temporibus, ut jam explicavimus.

Vers. 36.

ET ADSCRIBANTUR EX JUDÆIS IN EXERCITU REGIS AD XXX. MILLIA VIRORUM) Id est, si velint: quod addit Josephus. Jam Alexandro Magno militasse Judæos ex Chœrilo & Hecatæo docemur.

ET DABUNTUR ILLIS COPIÆ UT OPORTET OMNIBUS EXERCITIBUS REGIS) Copias hic intelligit annonam militarem, τὰ ζώνης ἐφόδια, quæ Græce hic vocantur ξένια. Hoc sensu inopes copiarum dixit Tacitus Annalium XV. *Omnibus exercitibus regis*, in Græco est πᾶσι τοῖς δυνάμεσι, id est militibus omnibus.

ET EX EIS ORDINABUNTUR QVI SINT IN MUNITIONIBUS REGIS MAGNI) Id est, quidam Judæorum in præsidiis collocabuntur, ita Josephus.

Vers. 37. ET EX HIS CONSTITUENTUR SUPRA NEGOTIA REGNI, QVÆ AGVNTUR EX FIDE, ET PRINCIPES SINT EX EIS) In Græco: *Etiam ex his constituantur ad usus regni ad fidem pertinentium* (in quibus maxima fides exigitur, ut est custodia regii corporis: Sic enim Josephus exponit) *& qui eis præerunt*, (id est, centuriones) *præfectique ex ipsis sunto.* Magnus hic honos habere centuriones & præfectos de suis. Notat id utrarum in Thracibus Tacitus: *aut si mitterent auxilia, suos ductores præficere.* Et in Batavis: *transmissis illuc cohortibus quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant.* Historiarum IV.

ET AMBVLENT IN LEGIBVS SVIS SICVT PRÆCEPIT REX IN TERRA JVDÆ) Liceat illi suis uti ritibus non minus quam iis qui in Judæa sunt. Josephus XI. circa finem de Alexandro Magno: παρεκελεύσατο δὲ αὐτοῖς ἵνα καὶ τὰς ἐν Βαβυλῶνι καὶ Μαβίῳ Ἰουδαίοις τῶν ἰδίων ἐπιτηδευμάτων νόμους χρήσωσι, καὶ μηδένα ἐνόχλησε πωποτε ἀξίωσιν. Εἰ πάντῃ δὲ αὐτοὶ τὰ πάτρια ἤθη ἐμιμοῦντο καὶ κατὰ ταῦτα ζῶντες, ἐτοίμως ἴσχυε ἐπαγγέλλων, πολλοὶ δὲν αὐτῷ στρατιῶται ἐγένοντο.

Vers. 38. ET TRES CIVITATES) Præfecturæ, ut diximus supra 30.

QVÆ ADDITÆ SVNT JVDÆÆ EX REGIONE SAMARIÆ) Συναφεῖσαι: subauditur enim: *& ex Galilæa & Peræa.*

CVM IVDÆA REPVTENTVR VT SINT SVB VNO) τῇ γενέσθαι ὑφ' ἓν, sed legendum ἑφ' ἓν, id est, unum corpus reipublicæ cum ipsa constituant.

ET NON OBEDIANT ALII POTESTATI NISI SVMMI SACERDOTIS) Qui simul Princeps erat gentis, de his enim temporibus intelligenda illa Iustini: *Hic mos apud Iudæos ut eosdem reges & Sacerdotes haberent: quorum fuffitia religione permixta, incredibile quantum coaluere.* Et Tacitus: *Honor Sacerdotii firmamentum potentiæ assumebatur.* Emendandus hoc loco Josephus: Legitur enim: καὶ τοῖς τεῦξι τοῖς προκειμένοις ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ νόμοις ὑποτεθεῖσθαι βούλομαι. Legendum vero, προκειμένοις τῇ Ἰουδαίᾳ ἐπιτάσσουσιν, imperare illis Judæos volo.

Vers. 39. PTOLEMAIDA) Si quando recuperaretur, occupata tunc ab Alexandro Balle.

ET CONFINES EIVS) καὶ τοῖς περιοικοῦσιν αὐτήν, id est, territorium ejus.

QVAS DEDI DONVM SANCTIS QVI SVNT IN IERVSALEM) *Quæ* hic supersit. *Dedi donum Templo quod est in Ierusalem.* Mos enim est Templum vocare ἅγια, ut Levit. X. 4. XXI. 12. XXII. 23. Hebr. IX. 12. XIII. 11.

Vers. 40. DE RATIONIBVS REGIS QVÆ MECONTINGVNT) De Tributibus fundorum regiorum, pura ex balsamo.

Vers. 41. ET OMNE QVOD RELIQVVM FVERIT, QVOD NON REDDIDERANT QVI SVPER NEGOTIA ERANT ANNIS PRIORIBVS, EX HOC DABVNT IN OPERA DOMVS) Id est, reliquatores fiscales reliqua sua dabunt, ut in sacra tecta Templi impendantur.

Vers. 42.

ET SVPRA HÆC QVINQVE MILLIA SICLORVM ARGENTI QVÆ ACCIPIEBANT DE SANCTORVM RATIONE PER SINGVLOS ANNOS, ET HÆC AD SACERDOTES PERTINEANT, QVI MINISTERIO FVNGVNTVR) Verte ex Græco & collatione Josephi: *Præterea quinque millia siclorum argenteorum, quæ percipiebant annis prioribus quotannis ex ea*

*quæ Templo debentur*, (lego enim χρεῶν, non χρείων) *hæc quoque remittuntur, quia pertinent jure ad sacerdotes eos qui munus sanum fungiuntur.* Sacerdotes qui erant in ἐφημερίαις suis habebant primitias unde viverent: de iis reges summam ali quam decerpserant, quod in posterum fieri vetat.

Vers. 43. ET QVICVNQVE CONFVGERINT IN TEMPLVM QVOD EST HIEROSOLYMIS, ET IN OMNIBVS FINIBVS EIVS) ὅσα ἐὰν τὰ τοῦ αὐτοῦ χρηματίζοντα, ait Josephus. More Græcorum jus asyli dat Templo & definito alicui spatio circa Templum, puta duobus millibus passuum, quod jus habuit delubrum Hierocæsariense, teste Tacito annalium III.

OBNOXII REGI IN OMNI NEGOTIO) In Græco: ἐνόχους βασιλικὰ ἐγκλήμασι πράγματι i.e. *qui tenentur ex debitis fiscalibus, aut ex re ulla alia* civili aut criminali. Josephus: ἢ βασιλικὰ ὀφείλοντες χρήματα ἢ δί ἄλλην αἰτίαν.

DIMITTANTVR) Perfugium habeant inviolabile, ut Tacitus loquitur.

ET VNIVERSA QVÆ SVNT IN REGNO MEO LIBERA HABEANT) καὶ πάντα ὅσα ἐστὶν αὐτοῖς ἐν τῇ βασιλείᾳ μου. Josepho: καὶ τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῖς σῶα ἔστω. Multum hoc est, etiam rebus confugarum parcere. Nimirum indultum id ut sacerdotibus mediis res ex æquo & bono transferretur. Neque enim futurum putabatur ut apertæ malitiæ faverent Sacerdotes.

Vers. 44.

ET AD ÆDIFICANDA VEL RESTAVRANDA OPERA SANCTORVM SVMPTVS DABVNTVR EX RATIONE REGIS) Id est, sive novi aliquid adjiciendum Templo, sive vetera reparanda, impensas de meo fieri volo.

Vers. 45.

ET AD EXSTRVENDOS MVROS IERVSALEM, ET COMMVNIENDOS IN CIRCVITV) Turribus scilicet, ut recte Josephus explicat. Vide Historiam belli Judaici ubi multa earum turrium mentio. Valerius Flaccus de Tito Vespasiano:

*--- Solymo nigrantem pulvere fratrem*
*Spargentemque faces, & in omni turre furentem.*

ET AD CONSTRVENDOS MVROS IN IVDÆA) Id est, ad munienda etiam loca alia, si opus sit. Ita explicat Josephus.

Vers. 47.

ET COMPLACVIT EIS IN ALEXANDRVM) ἐυδόκησεν ἐν Ἀλεξάνδρῳ, nempe αὐτοῖς, quod bene hic supplet Latinus interpres. Alexandri amicitiam prætulere, putantes non ad se pertinere de regum controversiis judicium, sed quomodo maxime res suas in tuto ponerent.

QVIA IPSE FVERAT EIS PRINCEPS SERMONVM PACIS) Prior fœdus obtulerat.

*Princeps pacis* dicitur non ordine *temporis*, sed *dignitatis*. Nam prior erat *Demetrius* in occupanda Societate; sed Alexander *dignior* merito censebatur. Literæ enim illius priores tantum postulatem tribuebant Jonathæ cogendi militem, & reciipiendi obsides, Alexandri autem amicitiam postulabant, missis amici insignibus, & Jonathani indulgebant Sacerdotium. Quo pacto autem Jonathas favere poterat *Alexandro*, qui *tyrannice Regnum invaserat, præ legitimo Rege Demetrio, cujus subditus fuisse videtur?* Resp. Etsi regnum Syriæ tyrannice invaserit ille ejusque legitimus Rex fuerit Demetrius, hic tamen Judæam ad Israelitas à plurimis seculis pertinentem injuste possidebat, neque proinde ejus subditus omnino erat Jonathas: cui etiam societatem armorum haud condixerat; etsi literis ejusdem benevolis usus fuerit ad obsides injuste detentos liberandos.

Vers. 48.

ET CONGREGAVIT REX ALEXANDER EXERCITVM MAGNVM) Adjuvante eum Ptolemæo Philometo e Ægypti rege. Vide Appianum fine Syriacorum, & Livii Epitomen LII. Justinus addit & Asiæ regem Attalum, & Cappadociæ Ariarathen.

Vers. 49.

ET COMMISERVNT PRÆLIVM DVO REGES) Cujus initium prosperum fuit Demetrio, ut & Josephus & Justinus narrant.

Vers. 49. ET FVGIT EXERCITVS DEMETRII, ET INSECVTVS EST EVM ALEXANDER.

Contrarium habetur in Græco textu Regio: *Fugere Castra Alexandri, & insecutus est eum Demetrius.* Sed hic sine dubio mendosus est ille textus.

Vers. 50.

ET CECIDIT DEMETRIVS IN DIE ILLA) Postquam prælii fortuna se converterat, equo lapso in vorraginem, multis ipse hostium telis interfectus, narrante Josepho.

Vers. 51.

AD PTOLEMÆVM REGEM ÆGYTI) Philometora, ut jam diximus. Epistolæ istæ non sunt authenticæ, sed expressus est sensus locutionibus Hebraismum redolentibus, ut de Actis similibus jam diximus.

Vers. 54.

ET DA MIHI FILIAM TVAM VXOREM) Cleopatram nomine, ut nos docet Josephus, & jam sequetur.

Vers. 56.

PTOLEMAIDAM) Urbem Phœnices, quæ olim Aco, Strabo XVI. Plin. V. 19. Ptolemæus Phœnice.

Vers. 58.

ET DEDIT EI CLEOPATRAM FILIAM SVAM) Magna cum dote: quod addit Josephus.

Vers. 60. ET OCCVRRIT IBI DVOBVS REGIBVS) Salutavit & Alexandrum & Ptolemæum.

Vers. 61. VIRI PESTILENTES) λοιμοὶ. Sic verti solet Hebræum מְרֵעִים, Psl. I. Prov. XIX. 25. XXI. 24. XXII. 10. XXIV. 9. Osc. VII. 5.

Vers. 62.

ET INDVÏT EVM PVRPVRA) Nempe velut regni sui Satrapam. Vide supra 19.

ET COLLOCAVIT EVM REX SEDERE SECVM) ἐπὶ τῷ ὄχματι, id est, in loco edito unde reges adsidentibus consiliariis jus dicebant. Pro tribunali dicerent Romani. Vide Act. XXV. 23.

Vers. 63. VT NEMO ADVERSVS EVM INTERPELLET DE VLLO NEGOTIO) Ne quis ei obloquatur, nempe ob religionem à Græca diversam.

NEC QVISQVAM EI MOLESTVS SIT DE VLLA RATIONE) Nemo etiam factis ei molestus sit, περὶ παντὸς λόγου, id est de re ulla, more Hebræo.

Vers. 64.

VT VIDERVNT QVI INTERPELLABANT GLORIAM EJVS) Utilli accusatores viderunt honorem ipsi habitum: ita enim construenda verba. ὑπτυγχάνειν est quidvis ad regem perferre: hic vero de accusatione accipitur, ut supra VIII, 32. & supra 61. & infra XI. 25.

Vers. 65.

ET SCRIPSIT EVM INTER PRIMOS AMICOS) Primum amicorum, ait Josephus.

ET POSVIT EVM DVCEM) Ducem copiarum in Judæa.

ET PARTEM PRINCIPATVS) In Græco: μεριδάρχην. Est honos palatinus, significat autem mensæ regiæ præpositum. Nam μερίδες sunt fercula, apud Athenæum, Plutarchum & alios. Vocem μεριδάρχης etiam Josephus alibi hoc sensu usurpat.

*Alii sic explicant: Non fecit ergo ipsum Regni consortem*, sed regionum ad Judæam pertinentium. Sed facile annuimus hic Grotio.

Vers. 67.

VENIT DEMETRIVS FILIVS DEMETRII A CRETA IN TERRAM PATRVM SVORVM) In Ciliciam, partem regni paterni. Ita Josephus. De hoc Demetrio vide Justinum libro XXXV. Livii Epitomen LII. Appianum fine Syriacorum, qui ei factum dicit cognomen Νικάτωρ, pro quo apud Josephum male scribitur Νικάνωρ.

Vers. 68. ET CONTRISTATVS EST VALDE) Habebat enim Demetrius pro se favorem paterni nominis, & Cretensium egregia auxilia.

Vers. 69. APOLLONIVM DVCEM) Dum gente,

Ita vocat *Josephus* l. XIII. c. 8. dicitque *fuisse eum ex Alexandri Ducibus*: à quo videtur præfectus fuisse Cœlo-Syriæ, sed ad *Demetrium* defecisse, cum Cœlo-Syria universa, factum exercitus ejus Ducem.

Vers. 70. EGO AVTEM SVM IN IRRISVM ET IN OPPROBRIVM) *Propter te*, addit textus Græcus. Irrideor quod cum populo tantillo tamdiu bellum gero.

QVIA TV POTESTATEM ADVERSVS NOS EXERCES IN MONTIBVS) Pro valido te geris, situs montanis locis, qualis Judæa, Exod. XV. 17. Deut. XI. 11. Ezech. VI. 1.

Vers. 71.

Vers. 71. COMPAREMVS ILLIC INVICEM) Certemus in æquis locis.

QVIA MECVM EST VIRTVS BELLORVM) Legit, ὅτι μετ' ἐμοῦ ἐστὶ δύναμις τῶν πολέμων, non ut nos habemus, πόλεων. Sed lectionem hanc Græcam firmat Josephus, hunc scriptorem plurimum sequens: λέγει μὲν τοι γε τὰς ἀρίστας τῶν πόλεως ἡμῖν συμπεπολεμῆσθαι.

Vers. 72. QVIA NON POTEST STARE RES VESTRA ANTE FACIEM NOSTRAM) οὐκ ἔστι τὰ ὑμῶν ἐνώπιος ποδὸς κατὰ πρόσωπον ἡμῶν. Locutio Hebræa significans, *non poterit contra nos stare.*

QVIA BIS IN FVGAM CONVERSI SVNT PATRES TVI IN TERRA SUA) Sæpius ait Josephus. Vide supra V. 80. IX. 6. 18.

Vers. 73. VBI NON EST LAPIS NEQVE SAXVM) Vbi armis, non saxis pugnandum erit, ut refert Josephus. Solebant Judæi ex montanis locis hostem saxis petere 2. Macc. I. 16.

NEQVE LOCVS FVGIENDI) In specus aut pone montes supra I. 56 II. 31. 36. IX. 38. 2. Macc. X. 6.

Vers. 75. ET EXCLVSIT EVM A CIVITATE, QVIA CVSTODIA APOLLONII IOPPE ERAT) καὶ ἀπέκλεισαν αὐτὸν ἐκ τῆς πόλεως, ὅτι φρουρὰ Ἀπολλωνίου ἐν Ἰόππῃ· & eft tranſeũo vocum ſimul & ſyllabæ. Flatus enim ſenſus fic fuerit: *Et ii qui in urbe Joppe habebant præſidium (erant enim Apollonii milites) excluſere eum ab urbe.*

ET OPPVGNAVIT EAM) Legit ἐπολιόρκησεν αὐτὴν, ubi nos habemus ἐπολίσησαν. parum id refert. admovit Jonathan machinas.

Vers. 76. ET OBTINVIT JONATHAS JOPPEN) Strabo libro XVI. hanc tangit hiſtoriam de Joppe locutus: καὶ ὃν ἐγὼ ἐπυνθανόμην τὸν κύριον τοῦτον κατασβέντος μικρὸν ὕστερον τοῦ οἰκοδομήσαντος τὴν Ἰόππην.

Vers. 79. ET RELIQVIT APOLLONIVS IN CASTRIS MILLE EQVITES POST EOS OGGVLTE) Supereſt illud *in caſtris*, non enim in caſtris, ſed in inſidiis eos locarit ab hoſtium tergo. Ita Joſephus.

Vers. 80. ET CIRCVIERTNT CASTRA EJVS) Legit, ut nos habemus, ἐκύκλωσαν αὐτὸν τὸν στρατόπεδον: ſed legendum, ἐκύκλωσαν αὐτὸ τὸν παρεμβολήν: Fecit quadratum agmen: τάξας δὲ τὴν στρατιὰν εἰς τετράγωνον, ait Joſephus. Id κυκλῶ dixit ſcriptor noſter, quia aptum erat ad pugnandum ex omni parte, non ex antica tantum. Id faciendum ubi & a fronte & a tergo eſt hoſtis.

ET JECERVNT JACVLA IN POPVLVM A MANE VSQVE AD VESPERAM) Macedones ſcilicet in Judæos, ut ex Joſepho apparet.

Vers. 81. POPVLVS AVTEM STABAT SICVT PRÆCEPERAT JONATHAS) Nempe conſertis ſupra capita ſcutis, quod συνασπισμὸν Græci vocant. Deſcribitur a Floro V. 10. Plutarchum Antonio, Appianum Parthicis, Ita factum ut tela in Judæos innoxia caderent, notante & Joſepho.

ET LABORAVERVNT EQVI EORVM) *Fatigati ſunt equi eorum.* Macedonum ſcilicet, totum diem ſtando, nec quicquam proficiendo telis.

Vers. 82.

ET EJECIT CONTRA EXERCITVM SVVM) *Traxit Simon militem ſuum*: id eſt, eum abduxit ab exercitu tratris.

ET COMMISIT CONTRA LEGIONEM) συνέῤῥηξε πρὸς τὴν φάλαγγα. aggreſſus eſt phalangem Macedonicam, id eſt, pediratum.

EQVITES ENIM FATIGATI ERANT) ἡ γὰρ ἵππος ἐξέλυσε. Hoc ideo reperit, ut intelligatur cur eques phalangi opem non tulerit.

ET CONTRITI SVNT AB EO, ET FVGERVNT) Pedites: οἱ φαλαγγῖται.

Vers. 83.

ET QVI DISPERSI SVNT PER CAMPVM) Scripſit interpres: *& equi diſperſi ſunt per campum*: id eſt, equitatus. In Græco: ἡ ἵππος ἐκκρεμὴς ἐν τῷ πεδίῳ. Joſephus: διασκίδνησι δὲ τοὺς πεζοὺς φεύγοντας οἱ ἱππεῖς ὃ δ' αὐτοὶ μένων.

FVGERVNT IN AZOTVM) Hic & ex Græco addendum. Et fugerunt in Azotum tum pedites tum equites Macedonum.

ET INTRAVERVNT IN BETHDAGON IDOLVM SVVM) Scripſit interpres *idolum*, ut *in idolio* 1. Cor. VIII. 10. Nam & in Græco hic eſt τὸ εἰδωλεῖον. Sic Judæi vocabant falſorum deorum templa. ἐν τῷ τοῦ Δαγὼν ναῷ, ait Joſephus. Dagon apud Philiſtinos erat ea fere forma, qua Triton apud Græcos. Diximus ad 1. Sam. V. 1. unde diſcas quam verus apud Azotum cultus iſte fuerit.

Vers. 84.

ET CIVITATES QVÆ ERANT IN CIRCUITU EJVS) Divit πόλεις, id eſt oppida, quas Joſephus κώμας, id eſt vicos. Erant κωμοπόλεις, ut loquitur Marcus I. 38.

Vers. 86.

ET EXIERVNT DE CIVITATE OBVIAM ILLI IN MAGNA GLORIA) Cum donis & honore multo. Joſephus.

Satis ex locorum ſpatiis & rerum ſerie intelligitur, varios dies totam adverſus *Apollonium* expeditionem habuiſſe. Quod autem illo factum ſit *in prælione ceciderit, an Azoti exuſtus ſit*, aut inclinata victoria vanus homo extra periculum leo, in periculo cervus, *Iamniam* evaſerit, conjici non poteſt.

Vers. 88. ADDIDIT AVTEM ADHVC GLORIFICARE JONATHAN) Hebræa locutio: id eſt, *amplius eum honorabit.*

Vers. 89.

MISIT EI FIBVLAM AVREAM, SICVT CONSVETVDO EST DARI COGNATIS REGVM) More veteri Phœnicum, Virgilius de Didone:

*Aurea purpureum ſubnectit fibula veſtem.*

Πόρπη eſt fibula quæ veſtem ad pectus ſtringit. Romanis magis vulgatus hic honor: nam & militi bene meritos aurea fibula donabant, ut ex Livii non uno loco diſcere eſt.

ET DEDIT EI ACCARON ET OMNES FINES EJVS) Territorium, ut ſupra aliquoties. Hic τοπαρχίαν αὐτῆς, Joſephus.

IN POSSESSIONEM) Perpetuam atque hæreditariam: εἰς κληρονομίαν. Joſephus: εἰς κληρουχίαν. Addi hoc poteſt multis exemplis urbium dono datarum, quæ congeſſimus 2. de jure Belli ac Pacis III. 8. & in Annotatis ad eum locum.

*Quo jure vero accepit eam urbem abinjuſto poſſeſſore Jonathas?* Reſp. *Fullonius: Poſſedit non quia ab Alexandro datam, ſed quia optimo jure ſibi debitam, jure utique divino*: quod licet quibusdam temporibus, uti per captivitatis annos, interruptum, reſtitutum tamen ſemper fuit in integrum, cum Iſraelitæ in priſtinas ſedes rediere. Adde, quamvis *jure divino* illam recuperare non licuiſſet, potuiſſe tamen capere *ex jure naturæ*, ad juſtam compenſationem damnorum injuſte per Aſiæ Reges Judæis illatorum: quorum certa æſtimatio longe ſuperatura erat Accaronis, multarumque aliarum urbium, pretium.

## CAPUT XI.

*Rex Ægypti genero Alexandro regnum, & filiam eripit. Alexander perfide occiditur, Ptolemæus moritur. Demetrius regnum Syriæ occupat, & Jonathæ iratus mox placatur, eum honorat ac Judæis onera remittit. Demetrio multis modis perichitanti, opem ferunt Judæi, ſed ille ingratus poſt Judæos affixit. Antiochus Rex Jonathan amicum pronunciat & honorat. Jonathas urbes aliquot Demetrio vripit, ejusque exercitum proſligat.*

Vers. 1. ET REX ÆGYPTI) Ptolemæus ille Philometor, ſocer Alexandri, qui Balles dictus, ſed in ſpeciem illius revera ſuum negotium gerens, ut hic quidem ſcriptor exiſtimat, Joſephus nihil tale.

Ptolemæum *Evergetem* ſeu *Phiſconem* fratrem Philometoris *Rabanus* hic intelligit, ſed aliene.

SICVT ARENAM QVÆ EST CIRCA ORAM MARIS) Satis poetice. Sed maximas fuiſſe regni Ægypti vires certum eſt.

ET QVÆREBAT OBTINERE REGNVM ALEXANDRI DOLO) Nunquam enim bona fide coalescere debebant duæ illæ fibiæ ſimulachri apud Danielem.

Eo magis regno Syriæ inhiaſſe videtur Ptolemæus, quod vix dimidia Ægypto potiretur, adjudicata per Romanos altera regni parte Phiſconi fratri natu minori.

Vers. 3. CVM AVTEM INTROIRET CIVITATEM PTOLEMÆVS) Recte legit hic interpres Πτολεμαΐδα, non ut nos in Græco ſcriptum habemus, Πτολεμαΐδα.

Vers. 4.

PONEBAT CVSTODIAS MILITVM IN SINGVLIS CIVITATIBVS) Specie auxilii.

ET EORVM QVI CÆSI ERANT IN BELLO TVMVLOS) Acervos mortuorum fecerant augendæ invidiæ. Putabant enim Ptolemæum æstu religionis commotum iri in Judæos. Atille ea in parte frigidus, longe alia agitabat.

Vers. 6.

ET OCCURRIT JONATHAS REGI IN JOPPEN CVM GLORIA) Honesto comitatu ut supra 58.

Vers. 7. VSQVE AD FLVVIVM QVI VOCABATVR ELEVTHERVS) Vide Strabonem libro XVI. Plinium V. 20. & IX. 10. Ptolemæum in Phœnices descriptione.

Flumen hoc prope limites *Principatus Jonathæ* ab Alexandro tributi fluxit. Habebat ergo *honestam causam* Regem quem ad fines usque suos prosequutus erat jam relinquendi, odoratus sine dubio consilia Regis, ex præsidiorum in urbibus mutatione.

Vers. 8. VSQVE SELEVCIAM MARITIMAM) Quæ Pieria dicitur ad Orontis ostia. Sic Ptolemæus Syria Cœle. Plinius Seleuciam ad Belum vocat.

Vers. 9.

AD DEMETRIVM) Dictum Nicatora.

Vers. 10. QVÆSIVIT ENIM ME OCCIDERE) Per Ammonium. Hoc verum esse credidit Josephus. Sed hujus libri scriptor plane Ballæ Alexandro favet.

Vers. 12.

ET ABSTVLIT FILIAM SVAM) Honesto aliquo obtentu ad se advocatam.

Vers. 13.

ET INTRAVIT PTOLEMÆVS ANTIOCHIAM) Syriæ Antiocheni infesti erant Alexandro, quem insperatæ opes, (ut narrat Justinus) & alienæ felicitatis ornamenta velut captum, inter scortorum greges, desidem in regia tenebant; sed metuebant Demetrium, ideo quod à Patre ejus defecissent: ut nos docet Josephus.

ET IMPOSVIT DVO DIADEMATA CAPITI SVO ÆGTPTI ET ASIÆ) Id est, Syriæ & multarum præter hanc Asiæ regionum. Fecit autem hoc Ptolemæus subtili ingenio ut auctoritatem nactus facilius Antiochenses novo genero suo Demetrio conciliaret. Quæ omnia patefacit Josephus.

Vers. 14.

ALEXANDER AVTEM REX ERAT IN CILICIA ILLIS TEMPORIBVS) Cilicia enim illius Alexandri partibus adhæsit, ut & Josephus narrat.

QVIA REBELLABANT QVI ERANT IN LOCIS ILLIS) *Quia defecerant qui erant in locis illis:* Syriæ scilicet. Ideo in Cilicia se tenebat, quia Syria ab eo defecerat.

ET FVGAVIT EVM) Ad amnem Oenoparam, Auctor Strabo libro XVI.

Vers. 16.

ET FVGIT ALEXANDER IN ARABIAM VT IBI PROTEGERETVR) Diffisus populis fuit.

REX AVTEM PTOLEMÆVS EXALTATVS EST) Egit ut victor.

Vers. 17.

ET ABSTVLIT ZABDIEL ARABS CAPVT ALEXANDRI, ET MISIT PTOLEMÆO) In Josepho est Ζάβδιηλος. sed omnino legendum Ζάβδιηλος, יבריאל. Dicitur hic Josepho Ἀράβιος δυνάστης, id est, unus duodecim φυλάρχων de quibus diximus ad Gen. XXV. 16. Hic Arabs paris fuit animi cum Ægyptiis illis Ptolemæi posterorumministris qui Pompeji capite abscisso Cæsaris amicitiam edimendam putavere.

Aliud tradidit *Diodorus Siculus* l. XXXII. nimirum *a duobus ducibus, qui cum Alexandro de prælio effugerant ipsum in gratiam Demetrii interemtum.*

Vers. 18. ET REX PTOLEMÆVS MORTVVS EST IN DIE TERTIA) Epitome Livii LII. *Ptolemæus in caput graviter vulneratus, inter curationem, duro ossa medici terebrare contendunt, exspiravit.* Sic & Strabo, & Josephus, nisi quod hic post diem quintum à terebratione discit mortuum: ita ut forte in Græco hic scriptum olim fuerit Γ'. nempe à vulnere accepto. Polybius hoc tantum ait in prælio vulneratum decessisse fragmento ultimo eorum quæ Valesius edidit.

ET QVI ERANT IN MVNITIONIBVS PERIERVNT AB HIS QVI ERANT INTRA CASTRA) In Græco : *οἱ ἐν τοῖς ὀχυρώμασιν αὐτὸ ἀπόλλυνται ὑπὸ τῶν ἐν τοῖς ὀχυρώμασι*, id est, suos Ptolemæus in Syriæ oppidis præsidio reliquerat, (aliquot scilicet loca pro impensis pignori retinaturus) ii se mutuo interficiebant, nimirum nonnullis per Demetrium pecunia corruptis, ut narrat Josephus.

Vers. 19.

ET REGNAVIT DEMETRIVS ANNO CLVII) Nempe ejectis Ptolemæi præfidiis.

Vers. 20.

VT EXPVGNARENT ARCEM) *τὴν ἄκραν*, quam hucusque tenebant Macedones; ut diximus X. 32. Concessio autem à Demetrio socero facta effectum non habuerat, Judæis qui cum Jonathane erant partes contrarias secutis.

Vers. 23.

JVSSIT OBSIDERE) Pergi in obsidione nullis pactis id impedientibus, neque enim cum hoc Demetrio Jonathan quicquam contraxerat.

Præcedente versu dicitur; Scripsit Demetrius, ne obsideret arcem. Hic ergo negativam excidisse Serarius putat: *jussit* non *obsidere*; quam & in quibusdam codd. haberi notat Lyranus. Postea autem conjectat Serarius forsan jussam à Jonatha arcius obsideri, ut caperetur, si fieri posset: cum autem iste conatus non successisset, Jonathan nihilominus suos in obsidione persistere voluisse confidentem se literis à *Demetrio Sotere* Nicanoris parente ea de re acceptis c. *X. 32.* efficacique munerum facundia Regi persuasurum, non è re solum Judaica, sed etiam regni Asiatici fore, si arx Hierosol. Judæis dederetur.

ET ELEGIT DE SENIORIBVS ISRAEL, ET DE SACERDOTIBVS) Eligi fecit legatos, quorum ipse princeps esset.

ET DEDIT SE PERICVLO) Commissurus se & amicos fidei Demetrii.

Vers. 25.

ET INTERPELLABANT ADVERSVS EVM) *ἐντυγχανον*. Vide supra X. 63.

Vers. 27.

ET STATVIT EI PRINCIPATVM SACERDOTII) Sua auctoritate confirmavit. Sic supra X. 19. infra 57, XIV. 38.

ET QVÆCVMQVE ALIA HABVIT PRIVS PRETIOSA) *τίμια*, id est, honorifica, puta purpuram coronam fibulam auream, & titulos tum *συγγενῶν*, tum *μεριδαρχῶν*. Josephus breviter : *τιμᾶσθαι τὸν πάντα*.

Vers. 28. ET POSTVLAVIT JONATHAS A REGE VT IMMVNEM FACERET IVDÆAM) Nempe à tributis : quod Demetrius hujus Demetrii pater obtulerat. In Græco : *ἀφορολόγητον*.

ET TRES TOPARCHIAS ET SAMARIAM) *τὰς τρεῖς τοπαρχίας καὶ τὴν Σαμαρῖτιν*, sed legendum *κατὰ τὴν Σαμαρῖτιν*, quæ sunt in Samaria, & prope eam. In Josepho hic : *ἐκ τῶν τριῶν τοπαρχιῶν Σαμαρείας καὶ Λιττοῦς καὶ Γαλιλαίας* : sed legendum ex capite V. *Σαμαρείας καὶ Περαίας καὶ Γαλιλαίας*. Vide ibi dicta.

ET PROMISIT EI TALENTA TRECENTA) Nempe ad redimendam eam immunitatem, ut Josephus notat.

Vers. 31.

LASTHENI PARENTI NOSTRO) Sic & Josephus. Ex quibus corrigendus textus Græcus, in quo male Ἀκεσθεῖ. Pro *parenti nostro*, est hic in Græco *τῷ συγγενεῖ ἡμῶν*. Posterior Latinitas cognatos parentes dixit. Hic Lasthenes is erat qui ex Creta auxilius Demetrium hunc juverat, utnos docet Josephus. *ὁ τῆς βασιλίδος πρεσβευτὴς* dicitur Diodoro Siculo in Fragmentis.

Vers. 32.

REX DEMETRIVS LASTHENI PARENTI SALVTEM) Hic in Græco est, *τῷ πατρὶ*, ut & in Josepho. Solebant reges viros summæ auctoritatis partes vocare, ut & Romani postea Imperatores. Instit, quibus mod, patria potestas solvit. §. Filius familias,

Vers. 34.

ET TRES CIVITATES LIDAN ET RAMATHAN) Et Græcum & ipse numerus hic expressus ostendunt omissum hic *ἀφῃσομεν*. ita enim legi debere, non *ἀφῄρεμεν* supra diximus X. 30. *Pro tres civitates* in Græco est *τρεῖς νόμους*. In Josepho similiter supra, *τοὺς τοπαρχίας* ut diximus,

QVÆ ADDITÆ SVNT IVDÆÆ) In Græco : *πρόσκτησιν Ἰουδαίας*, ubi more Hebræo *ai* subauditur; quod bene supplevit Latinus interpres.

EX SAMARIA) Synecdoche, *pro ex Samaria, Peræa, & Galilæa*, qualem notavimus supra X. 30. & 38. Simili Synecdoche Josephus hic utitur: *ἐκ τῆς Σαμαρείτιδος*.

ET OMNES CONFINES EARVM) In Græco : *καὶ*

πρὸ πάντα τὰ συγκυροῦντα αὐτοῖς, Josephus: πρὸ τὰ πρακτέα τὰ τότε; id est, omnia ad illas præfecturas pertinentia.

SEQUESTRARI OMNIBUS SACRIFICANTIBUS IN IEROSOLYMIS PRO HIS QUÆ DONIS ACCIPIEBAT REX PER SINGULOS ANNOS ET PRO FRUCTIBUS TERRÆ ET POMORUM) Sequestrari non est in Græco: sed reguntur hæc omnia ab eo quod sequitur, ἐπαφίεσθαι, pro quo Josephus posuit, ἀφίημι αὐτοῖς. Cum autem hic dicitur ἀντὶ τῶν ὁσιλικῶν, subaudiendum *pecunias*: Dixit enim remisisse se pecunias quas reges accipere solebant à sacrificantibus, id est ab offerentibus primitias & alia. Supra X. 42.

ET PRO FRUCTIBUS TERRÆ ET POMORUM) Iterum subaudiendum *pecunias*. Remittit enim illas etiam pecunias quæ dari solebant pro tertia parte frugum, & dimidia pomorum. Supra X. 29. 30.

Vers. 35.

ET ALIA QUÆ AD NOS PERTINEBANT DECIMARUM ET TRIBUTORUM EX HOC TEMPORE REMITTIMUS EIS) In Græco est: πρὸ τὰ ἄλλα τὰ ἀνήκοντα ἡμῖν ἀπὸ τῦ νῦν τῶν δεκατῶν καὶ τῶν τελῶν τῶν ἀπεκόντων ἡμῖν. Sed legendum ἐστὶ τὸ νῦν. Sensus est, remittere se etiam quæ ad eundem diem ipsi debebantur decimarum nomine & vectigalium ad jus regis pertinentium. Non enim in posterum decimas & vectigalia remittit. Decimas pecorum intellige. Multum enim in Judæa agri pascit.

ET AREAS SALINARVM) In Græco: *Lacus salis*, Ut & in Josepho. Sal multis in locis in lacubus gignitur. Plinius XXXI. 7. Intelligit autem remittere se pecunias quæ debantur ad sal inde extrahendum. Supra X. 29.

ET CORONAS QUÆ NOBIS DEFERENDÆ BANTUR) Ibidem X. 29.

OMNIA IPSIS CONCEDIMUS) Id est, remittimus ut hic loquitur Josephus. ἐπαφεῖναι est largiri, ut supra VIII. 26. Est autem largitionis genus, de suo remittere.

Vers. 36.

ET NIHIL HORUM IRRITUM ERIT) Id est, sit, Futurum pro imperativo.

Vers. 37.

ET PONATUR IN MONTE SANCTO) In Templo.

IN LOCO CELEBRI) *In loco apto & conspicuo.*

Vers. 38.

QUOD SILUIT TERRA IN CONSPECTU SUO) Omnia sibi parere. Sic supra I. 3.

EXCEPTO PEREGRINO EXERCITU QUEM CONTRAXIT AB INSULIS GENTIUM) E Creta maxime.

ET INIMICI ERANT EI OMNES EXERCITUS PATRUM EJUS) Et hic est pro *ob id*. *Ob id*, inquit, *in odio eum habuere omnes aviti milites*. Quia scilicet in pace nulla illis præbebat stipendia, quod Syriæ Reges facere erant soliti, teste Josepho. Ad culpam hanc avaritiæ satis per se gravem, addit crudelitatem Epitome Livij, segnitiem & inertiam Justinus.

Vers. 39.

TRYPHON AUTEM ERAT QUIDAM) Ita eum vocat κατὰ πρόληψιν. nam Tryphonis nomen sibi indidit in majore fortuna, ut Appianus notat: ante Diodotus vocabatur, ut est apud Justinum. Josephus utrumque nomen posuit: ut & Livij Epitome & Strabo, qui Secoanis castello Apameensium natum dicit libro XVI.

AD EMALCHUEL ARABEM) Puto recte scriptum hoc nomen in Latino, & inde emendandum Græcum, ut pro Ἐμαλκιὴλ, legatur Ἐλμαλκιὴλ: & Josephum, ut pro Μάλχῳ legamus Μαλχέλλῳ. nam articulus Arabicus in nominibus propriis modo ponitur, modo omitti solet. Significat hoc nomen, *Deus Rex ejus*.

ANTIOCHUM FILIUM ALEXANDRI) Balæ scilicet, ex Cleopatra Ptolemæi Philometoris filia. Antiochum hunc vocat & Justinus: At Appianus Alexandrum.

Vers. 40.

ET ASSIDERAT EI UT TRADERET EUM IPSI) *Id est, assiduus apud eum erat, rogans ut traderet eum ipsi.*

UT REGNARET LOCO PATRIS SUI) Antiochus ille.

Vers. 43. SI MISERIS IN AUXILIUM MIHI VIROS) Fidebat enim externis, ut de Neronе ait Tacitus.

ET CONVENERUNT QUI ERANT DE CIVITATE CENTUM MILLIA VIRORUM) Nempe quia Demetrius ob ea quæ diximus vitia & in odium & in contemptum venerat. Meminit præter cæteros hujus seditionis Diodorus Siculus in Fragmentis.

Vers. 46. ET FUGIT REX IN AULAM) In regiam, ubi à populo Antiochensi velut obsessus fuit.

ITINERA CIVITATIS) Exitus ex regia in urbem. Ita Josephus.

Vers. 47. ET DISPERSI SUNT OMNES PER CIVITATEM) Nempe Antiochenses à Judæis ex superna parte regiæ saxis & telis petiti.

Vers. 48. ET SUCCENDERUNT CIVITATEM) Ignem injecere tectis regiæ propinquis, qui deinde per totam urbem manavit, eo facilius, quod magna pars domorum esset lignea.

Vers. 49. ET INFIRMATI SUNT IN MENTE SUA) Pro uxoribus liberisque solliciti.

Vers. 50. DA NOBIS DEXTERAS) Id est, fidem incolumitatis.

Vers. 51. ET PROJECERUNT ARMA SUA) Quæ mos semet dedentium.

ET NOMINATI SUNT IN REGNO) Non est in Græco. Sensus satis expressus est verbis præcedentibus.

Vers. 52. ET SILUIT TERRA IN CONSPECTU EJUS) Iterum scilicet. Vide supra 38.

Vers. 53.

ET MENTITUS EST OMNIA QUÆCUNQUE DIXIT) In Græco: πρὸ ἐψεύσατο πάντα ἃ ἐλάλησεν. In Josepho: πρὸ τὰς ὑποσχέσεις διεψεύσατο, id est, fidem fefellit. Nam sic & ψευδῆναι πίστιν Græci elegantiores dicunt, & nostri scriptores, ut Levit. VI. 2. 10. XXIV. 27. Psalm. LXXXIX. 36. Esa. LVII. 11.

ET VEXABAT EUM VALDE) *Et* pro *sed*, more Hebræo.

Vers. 54. REVERSUS EST TRYPHON) Apameam & in loca vicina Strabo Libro XIII.

PUER ADOLESCENS) παιδίον in Græco: παιδάριον Appiano: μειράκιον Josepho, puer admodum Justino. Bimulum ait fuisse Epitome Livij.

Vers. 55.

OMNES EXERCITUS QUOS DISPERSERAT DEMETRIUS) *Omnes* milites quos Demetrius dissecerat: nempe negatis stipendiis supra 38. Deest hic quoque in Græco pronomen relativum more Hebræo, planè ut supra 34.

Vers. Eodem. ET FUGIT ET TERGA VERTIT.

Ad adventum pueruli Regis cum tutore quasi dato rebellionis signo congregati sunt exercitus, quos dispersérat *Demetrius*, & commisso prælio victus ipse ac fugatus. Quo fugerit non exprimitur. Epitoma LII. Livij ait *Seleuciam: Josephus in Ciliciam, tum in Mesopotamiam ac Babyloniam*, quo à Macedonibus vocabatur, pollicentibus dedítionem si veniret, & contra *Arsacem* Parthorum Regem auxilia.

Vers. 56.

ET ACCEPIT TRYPHON BESTIAS) θηρία, id est elephantos, ut explicat Josephus. Vide supra VI. 35.

ET OBTINUIT ANTIOCHIAM) Malente populo regem quem non offenderat.

Vers. 57.

ET SCRIPSIT ANTIOCHUS ADOLESCENS JONATHÆ) Id est, scripsit Tryphon sub ipsius nomine.

SUPER QUATUOR CIVITATES) Præfecturas tres modo dictas 34. & præterea Ptolemaida. Vide supra X. 39.

Vers. 58. ET MISIT ILLA VASA AUREA IN MINISTERIUM) Legit χρυσώματα εἰς διακονίαν, non male. Nam ministerium Latine eximio significatu est omne id quod ad mensam pertinet, & in Delphica ponì solebat. In Glossario vetere: *Abacus, Delphica, μυστήριον*, & alibi: *Delphica, μυστήρια*. Lampridius Severo: *Ducentarum librarum argenti pondus ministerium ejus nunquam transiit*. Pari sensu hanc vocem usurpant seriores ævi scriptores, Luitprandus, Walafredus, Anastasius. Delphicæ vocem sic explicat Procopius Vandalicorum I. ἐν Παλατίῳ τῷ ἐπὶ Τόμπε, ἔνθα συμβαίνῃ τοὺς βασιλέως εἶναι, τρίπους ἐκ παλαιᾶς σκευῆς ἱδρῦ ὃ δὴ τοὺς κίονας οἱ βασιλέως ἐκτίσαντο. Δελφικὰ δὲ τὸν τρίποδα καλέσαι Ῥωμαίους, ἐπεὶ περ τοι ἐν Δελφοῖς γίγνετο. πρὸ ἀπ' αὐτῦ ἰὼ τε Βυζαντίῳ καὶ ὅσῃ βασιλέως οἴκοι τιθέασι ξυμβαίνει, Δελφικὰ τοῦτο καλεῖσθαι τὸ εἴδημα. Græcus autem hujus libri scriptor *ministerium* verbum verbo reddens, διακονίαν transtulit, ut in Glossis *ministerium* διακονία. Intelligit autem hic ministerii nomine vasa

quæ Paulus Jurisconsultus in L. supellectili. D. de supellectile legata, ecsaria vocat, quæ & tota aurea nonnullis fuisse ibidem dixit. Ad usum edendi parata dixit Javolenus: σκεύη χρυσᾶ hoc loco Josephus. His in Syriæ regno solus Rex utebatur, aut cui Rex id honoris concesserat.

ET DEDIT ILLI POTESTATEM BIBENDI IN AURO) Josephus dicit permissa ei χρυσᾶ ἐκπώματα: vala potoria aurea, dicto Ulpiani loco.

ET ESSE IN PURPURA) Supra X. 18.

ET HABERE FIBULAM AUREAM) X. 89.

Vers. 59. ET SIMONEM FRATREM EJUS CONSTITUIT DUCEM) Copiarum regiarum, ut X. 65.

A TERMINIS TYRI USQUE AD FINES ÆGYPTI) Id est, omnis oræ maritimæ.

Vers. 60. ET PERAMBULABAT TRANS FLUMEN CIVITATES) Oppida trans Jordanem sita. In Græco: καὶ ἐν διὰ δυοῖν, legimus, καὶ διεπορεύετο πέραν τοῦ ποταμοῦ καὶ ἐν ταῖς πόλεσι.

ET OCCURRERUNT EI HONORIFICE DE CIVITATE) Quibus persuasit, ut relicto Demetrio Antiochi pueri partibus se adderent. Ita Josephus.

Vers. 61.

ET SUCCENDIT QUÆ ERANT IN CIRCUITU CIVITATIS) Vicos, villas, & sata.

Vers. 62.

ET ROGAVERUNT GAZENSES JONATHAM) Videntes nihil sibi a Demetrio exspectandum, quem jam deseruerant, Antiochum tamen nec dum secuti. Justinus XXXVI. de hoc Rege Antiocho: *Civitates quæ initio fraterni imperii defecerant, summa industria persequitur, dominatuque rursus regni terminis adjicit.*

ET DEDIT ILLIS DEXTERAM) Vide supra 50.

ET ACCEPIT FILIOS EORUM OBSIDES) Ne Antiochum desererent, quomodo Demetrium deseruerant.

Paucis verbis multa Jonathæ itinera recensentur, quæ etiam magna celeritate confecta fuisse credibile est, cum nemo restiterit præter *Gazenses*, qui amicitiam datis obsidibus rogaverunt, forte ob veteres cum Judæis simultates, Jonathæ parere detrectantes, ut quibusdam hic videtur.

Vers. 63.

ET AUDIVIT JONATHAS QUOD PRÆVARICATI SUNT PRINCIPES DEMETRII IN CADES QUÆ EST IN GALILÆA CUM EXERCITU MULTO, VOLENTES EUM REMOVERE A NEGOTIO REGNI) Græce παῤῥέσειν, venerunt in Cades, sive Κέδασα, quomodo hanc Galilææ urbem Josephus vocat, quæ est Jos. XIX. 37. קֶדֶשׁ, at Græce Κάδης. Sed interpres Latinus pro παῤῥέσειν videtur legisse παῤῥίστασαν, nam παραβαίνειν verti solet prævaricari: ut Levit. XXVI. 40. Psalm. CXIX. 119. Josue VII. 11. 15. I. Sam. XV. 24. Sic & Sirach. XL. 14. & II. Maccab. VII. 2.

Vers. 64.

FRATREM AUTEM SUUM SIMONEM RELIQUIT INTRA PROVINCIAM) In Judæa, quæ ἐγχώρα nude dici solet.

Vers. 65.

ET APPLICUIT SIMON AD BETHSURAM) Erat enim in ea præsidium à Demetrio, ut hic memorat Josephus. Vide supra X. 24.

ET EXPUGNABAT EAM DIEBUS MULTIS) *Oppugnabat*, ἐπολιόρκει αὐτὴν, admovebat aggeres & machinas, ut ait Josephus.

ET CONCLUSIT EOS) συνέκλεισεν αὐτὸν, *arctior urbem obsessam tenuit.*

Vers. 66.

ET EJECIT EOS INDE) ἐξέβαλεν αὐτοὺς ἐκεῖθεν, וַיְגָרְשֵׁם, id est, exire fecit, quod περιπόλιον verti solet.

ET POSUIT IN EA PRÆSIDIUM) Suorum hominum, quod addit Josephus.

Vers. 67.

ET JONATHAS ET CASTRA EJUS) *Exercitus ejus.* παρεμβολὴ.

AD AQUAM GENESAR) τῶν Γεννησάρων Josephus Id nomen recentius, vetus est מי מרום. Vide quæ dicta ad Matth. XIV. 24.

ET ANTE LUCEM VIGILAVERUNT IN CAMPO ASOR) ὄρθρισαν τῷ πρωὶ εἰς τὸ πεδίον Ἀσώρ. Ita enim legendum tum ex Latino, tum ex Josepho, non Νασώρ. *Et mane venerunt in Campum Asor.* Is est חצור Josue XIX. 36. ibi in Græco, ut hic, Ἀσώρ.

Vers. 68.

ET ECCE CASTRA ALIENIGENARUM OCCURREBANT IN CAMPO) Demetrii milites, ut Josephus exponit, insidiis alibi positis, alio in loco obviam ei processere.

ET TENDEBANT INSIDIAS IN MONTIBUS) De suo numero *posuerunt & insidias.* ἐξέβαλον ἔνεδρον εἰς αὐτόν. Josephus: ἐνέδρει αὐτῷ κρύ βας τοὺς λοχησαντας ἐν τῷ ὄρει καθεύδοντας.

Vers. 70.

OMNES) Exceptis quinquaginta, quorum præcipui hic nominantur.

MATATHIAS FILIUS ABSOLOMI) Sic & in Græco. Josepho est contractius Ματθίας. Sed idem est nomen.

ET JUDAS FILIUS CALPHI) ὁ τοῦ χαλφῆ in Græco. Josepho ὁ χωφῶν: sed scriptum forte fuerit χαλφῶν, חלפי.

PRINCEPS MILITIÆ EXERCITUS) In Græco de utroque dicitur, ἡγούμενοι τῆς στρατιᾶς τῶν δυνάμεων, id est, præcipui ducum sub Jonatha. Josephus: τῶν ἀπάντων δυνάμεως ἡγεμόνες ὄντες.

*Ambrosius* videtur l. I. Offic. c. 41. in exaggeratione hujus victoriæ Jonathæ statuere, *neminem cum ipso mansisse nisi hosce duos Matathiam & Judam:* sed manere hi *cum suis turmis* Josepho teste: & quomodo tres viri adiem Demetrianorum non solum sustinuissent, sed etiam in fugam profligassent.

Vers. 71.

ET SCIDIT JONATHA VESTIMENTA SUA) Quod facerdoti etiam summo licebat. Vide quæ diximus Matth. XXVI. 65.

ET POSUIT TERRAM IN CAPITE SUO) Ut solebant Deum humiliter deprecaturi, quasi sic testantes, nihil se esse nisi pulverem.

Vers. 73.

ET VIDERUNT QUI FUGIEBANT PARTIS ILLIUS, ET REVERSI SUNT CUM EO, ET INSEQUEBANTUR CUM EO OMNES USQUE CADES AD CASTRA SUA) ἕως τῆς παρεμβολῆς αὐτῶν, *usque ad castra illorum*, nempe Macedonum. Josephus: ὡρμησαν αὐτοῖς διώκειν, κρύ τῶν ἐπαίροντας μέχρι Κάδεσῶν ὅ τὸ στρατόπεδον ἦν τῶν πολεμίων. Verum hic fuit dictum vetus:

Λύκῃ ὀφεύγοντι πάλιν μαχίσασθαι.

Vers. 74.

TRIA MILLIA VIRORUM) Forte & apud Josephum pro διχιλίους scriptum olim fuerat τριχιλίους: multum enim, ut diximus, hunc autorem sequitur.

## CAPUT XII.

*Jonathas cum Romanis & Spartanis fœdus renovat. Demetrij copias iterum fugat. Arabes cædit. Simon urbem Joppen rebellare parantem novis præsidiis munit, ut & alia Judææ oppida. Tandem Jonathas dolo & insidiis Tryphonis, Asiæ imperio inhiantis capitur, & custodiæ mandatur.*

Vers. 1.

VIDIT JONATHAS QUIA TEMPUS EUM JUVAT) Id est, res suas bene procedere.

STATUERE ET RENOVARE) Id est, novare fœdus cum Juda factum, & quædam ex temporum ratione addere.

Vers. 2.

ET AD SPARTIATAS) Imperatum enim Legatis à Roma revertentibus Spartam adire, ut docet Josephus.

Vers. 4.

ET DE DERUNT ILLIS) Romani legatis Judæis.

EPISTOLAS) Ad Reges Asiæ & Europæ amicos populi Romani, & ad provinciarum præsides, ut iter tutum legatis procurarent. Ita Josephus.

Vers. 6.

ET SENIORES GENTIS) Græce: ἡ γερουσία τῶ ἔθνους. Sic & Josepho: Est autem ἡ γερουσία Senatus ille magni Synedrij, quo non judicia tantum, sed & reipublicæ præsidebat.

ET

ET SACERDOTES) Tanquam præcipua pars populi.

ET GENS IUDÆORVM) In Græco hic: ὁ λοιπὸς δῆμος: Iosepho, τὸ κοινὸν τῶν Ἰουδαίων. Erat ſtatus temperatus ἐξ ἀριστοκρατίας καὶ δημοκρατίας ſimul cum principatu, & propterea tam cum Romano quam cum Laconico bene conveniens, Vide Polybii locum περὶ πολιτειῶν.

SPARTIATIS FRATRIBVS) Vide ſupra X. 18. Epiſtolam hanc quoad ſenſum, cum Hebraiſmis expreſſit hic interpres: Ioſephus inde in elegantiorem ſermonem Græcum liberius tranſtulit, cum hac inſcriptione: Διοκλῆς Ἐφόρους καὶ Γερουσία καὶ Δήμῳ.

Verſ. 7.

MISSÆ ERANT EPISTOLÆ AD ONIAM SVMMVM SACERDOTEM AB ARIO QVI REGNABAT APVD VOS) Ἀρείου τοῦ βασιλεύοντος ἐν ὑμῖν legi debet in Græco, non Δωρίῳ. Sic & Ioſephus: παρὰ Ἀρείου τοῦ βασιλεύσαντος ὑμῶν: & hic infra legendum 20. ἐν ἀπίστοις Ὀνίᾳ. Ἀρεῖος βασιλεὺς &c. Areum hunc etiam Livius bis nominat libro XXXIX. & Pauſanias. Onias qui hic nominatur eſt Simonis Iuſti filius, qui vixit regnantibus in Ægypto primum Evergete, deinde Philopatore & Epiphane Ptolemæis, in Syria autem Antiocho Magno ac Seleuco. Vide Ioſephum non hic tantum, ſed & XII. 3. 4. 5.

*Ioſephus* & cum eo *Euſebius* hunc *Oniam tertium* facit de quo l. 2. *Macc. c. III.* ſed quia jam pridem hic dicuntur miſſæ literæ & *Areus* Rex Spartanorum longe ante *Onia tertij* tempore vixit, *Scaliger* ut & *Bonferrius*, *Oniam primum* aſſumunt *Iaddi filium*; Salianus *ſecundo* ſavet *Simonis Iuſti filio*, quod magis Chronologiæ convenit, primus enim obiit *ante Regni Arij* initium.

QVONIAM ESTIS FRATRES NOSTRI) Vox fratrum hic non ſimpliciter ſocios & amicos, ſed cognatos ſignificat. Aperte id oſtendit hic Ioſephus, & ipſa verba ſubſequentis epiſtolæ Lacedæmoniorum, qui ſe ab Abrahamo orius prædicant. Nempe Dores, quorum pars Spartiatæ ex Pelasgis. Pelasgorum autem lingua Græca non fuerat, ut Herodotus Clio nos docet: ἔθνεα δὲ Πελασγικὰ βάρβαρον γλῶσσαν ἵεντες. Pelasgi סלגי, id eſt, diſperſi. Venere ergo illi Pelasgi, ſive exules ex Arabiæ & Syriæ confiniis in quibus Abrahami & Cethuræ poſteri ſedes fixerant. Non multum à vero abit Plutarchus in libro contra Herodotum: οἱ Δωριῆς ἡγεμόνες φαίνονται ὧν Αἰγύπτιοι ἐπαγγελίας ἔσονται. Ægyptij enim Arabibus vicini. Hi vicinitate Græcorum ſermonem externum didicere, non ita tamen, ut non ortivi ſermonis quaſdam retinerent reliquias, quales ſunt, Se nota ſecundæ perſonæ ſingularis, Σὺ pluralis, in verbis: at vero pluralis in nominibus. Sic & ἄστρα alloquentis, שמים σεμείων, ארקן δρακοντ, ברו κριοῦ, שמטא παγίδεων, סמיון πακάλων, פלגש παλλακὰς, שרף τεφὸς, לשן λέγω, סנבלא σαμβύκη, כתרס πέτασος, שפש κάμαξ, קלן κέρας, מרבל σαμβύκη, שקו ὕσσωπ, אזב ὑσσώπ, ארז ἀέρας, שרש εὑρίσκ, אזב ἀέρας, קטר καπνὸς, זהר λεπτὸς, ערבן λίβανος, לבנה λευκὸς, שמן ἐλαία, שש ὗς, לבנה λευκὸς, אזוב ὑσσώπ, פתן σκυβ, אור πῦρ, אור λύχ, גבוא ταῦρ, לפיר λαμπὰς, קנה καλὸν, ברזל βρόντιον, נבל ἡδύπνοις, ערד ὀδόντ, ששבת παράδεισ, פרדס παράδεισ, מורה μύρ, אתמה ἴσπ, כר κάδ, ערן κάδ, מנה μνᾶ, multaque alia.

Alij malunt ex *Hagar* ancilla Saræ eos deducere, quod ab *Iſmaële* deſcenderint, quibus ſubſcribit *Mattheus Dreſſerus* Epiſtol. ad Amicum contr. Reinecc. ſive autem *fratres* vere fuerint Lacedæmonij, ſeu non, quia jactarant Iudæorum fraternitatem prudenter, κατ' ἄνθρωπον, uti loqui ſolemus, ea uti poterat hypotheſi Ionathas, eoque titulo illos ornare. Reperta tamen apud *Lacedæmonios* varia inſtituta Iudaicis analoga, notante *Clem. Alex.* l. 1. Strom. *Laconicæ Lunæ* etiam proverbio celebres *Neomeniarum* inſtar: *Ablutiones quotidianæ*, & *unctiones*, de quibus *Strabo* l. III. *duritia & conſtantia* in patriæ inſtitutis ſervandis &c. vid. *Serar. h. l.*

Verſ. 9.

NOS CUM NULLO HORUM INDIGEREMUS) Nempe teſtimonio ad re cognoſcendam cognationem. Ita enim interpretatur Ioſephus.

HABENTES SOLATIO SANCTOS LIBROS) *Documentum habentes ſanctos libros*: in quibus ſcilicet de Cethuræ ſcriptum eſt poſteris. παράκλησις ſæpe admonitionem ſignificat; & hic Ioſephus ἀπόδειξιν interpretatur. Sic ſupra IX. 35.

Verſ. 10.

MALLIIMVS MITTERE AD VOS) *Operam dedimus ut ad vos mitteremus*, ἐσπουδάσαμεν ἀποστεῖλαι, oſtendunt difficultatem itineris.

RENOVARE FRATERNITATEM ET AMICITIAM) Id eſt, amicitiam fraternam.

Simplicior eſt aliorum interpretatio ex verbis ipſis redundans: *Nos etſi Dei gratia nunc non indigeamus aliorum auxiliis, conſolatione ſcripturarum S. contenti, ne tamen veterem amicitiam poſth abere videamur* &c. Qui vero cum *infidelibus*, nulla cogente neceſſitate, *ſœdus ſociale* inierunt, aut renovare geſtierunt? Vid. quæ de hic *ad c. IIX.*

MVTLA ENIM TEMPORA TRANSIERVNT EX QVO MISISTIS AD NOS) Anni forte ſexaginta.

Verſ. 11.

IN DIEBVS SOLENNIBVS) Tribus magnis feſtis diebus, quibus maximus erat populi conventus.

ET CÆTERIS QVIBVS OPORTET) Sabbatis & interlunijs.

MEMORES SVMVS VESTRI IN SACRIFICIIS) Neque enim nefas habebant orare pro aliorum ſacrorum hominibus. Vide ſupra Baruch. I. 11.

Pro *converſione* quidem *infidelium* orare conveniebat, ſed ſacrificia non fiebant pro *infidelibus ordinarie*, & *ſolemniter*, quaſi ad expiationem eorum, nec *memoria* eorum fieri conſuevit in *ſacrificiis*.

Verſ. 12.

LÆTAMVR ITAQVE DE GLORIA VESTRA) Florebat enim hoc tempore Lacedæmon amicitia Romanorum.

Verſ. 13. NOS AVTEM CIRCVMDEDERVNT MVLTÆ TRIBVLATIONES) Ex illio ſcilicet tempore ex quo ſcripta epiſtola à Lacedæmoniis fuerat.

ET IMPVGNAVERVNT NOS REGES) Antiochus illuſtris, Antiochus Eupator, Demetrius Soter, Demetrius Nicator.

Verſ. 16.

NVMENIVM ANTIOCHI FILIVM) Nomina ſunt ex Hebræo in Græcum, commutatione quadam detorta, ne barbarus ſonus Græcos offenderet. Huic nomen Hebraeum fuiſſe arbitror יעמן בן כרטיור.

ET ANTIPATREM IASONIS FILIVM) חרם בן יוחנתן.

RENOVARE CVM EIS AMICITIAM ET SOCIETATEM PRISTINAM) Eſt hic in Græco: ἐν διαθήκαις manifeſtum: περὶ τῆς ἀνανεώσεως πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν, *de innovanda fraternitate.*

Verſ. 18.

BENE FACIETIS RESPONDENTES AD HÆC) *Si reſcribatis nobis*: ut hic habet Ioſephus,

Verſ. 19.

ET HOC RESCRIPTVM EST EPISTOLARVM) *Exemplum literarum*, ἀντίγραφον τῶν ἐπιστολῶν. Sane Græci epiſtolas pluraliter de una dicunt, ſicut Latini literas. Sic Ioſephus de hac ipſa Lacedæmoniorum epiſtola XII. 4. in fine. ἐστιν δὲ ἡ ἐπιστολὴ αὕτη τὸ ἀντίγραφον τῆς ἐπιστολῆς.

Verſ. 20.

ARIVS REX SPARTIATARVM ONIÆ) Quomodo Græcum hujus loci ſit emendandum diximus ſupra 7.

Perperam *Lyranus* has literas eſſe *reſponſum Spartanorum* ad præmiſſas Ionathæ literas putavit: quod in vulgatis veteribus extaret Rex Spartanorum *Onias Ionatha ſalutem*. Hoc enim palam erroneum eſt.

Verſ. 22. DE PACE VESTRA) De incolumitate veſtra.

*Ebraiſmus* eſt: nam Græci voce pacis non utuntur pro felicitate, & abundantia bonorum, ſed Ebræi.

Verſ. 23. PECORA NOSTRA ET POSSESSIONES NOSTRÆ VESTRÆ SVNT) *Iumenta noſtra*: id eſt, equi, reſque noſtræ veſtris uſibus ſunt expoſitæ, ac ſi quis rebus veſtris noceat, nos injuriam velut nobis illatam vindicabimus. Ioſephus: τὰ δὲ ὑμέτερα ἴδια τετιμῆσθαι, καὶ τῶν αὐτῶν κοινὰ πρὸς ὑμᾶς ἔξεσθαι.

Verſ. 24. QVONIAM REGRESSI SVNT PRINCIPES DEMETRII) Duces. ἡγεμονεῖ Ioſepho.

Verſ. 25.

Vers. 25. IN AMATHITE REGIONE) εἰς τὴν Ἀμαθίτιν, Græcum hic, & Iosephus. חמת Num. XIII. 22. Græce Ἀμαθ, ut & II. Regum XVIII. 34. & alibi.

NON ENIM DEDERAT EIS SPATIUM) Id est, *tempus*, ἀναχὴν in Græco: χρόνον Iosepho.

REGIONEM EJUS) Id est, Judæam, ut hic Josephus.

Vers. 26. NUNTIAVERUNT QUOD CONSTITUUNT SUPERVENIRE ILLIS NOCTE) Demetrini Judæis. Hoc autem exploratores cognoverant ex captivis quos in reditu ceperant, ut ex Iosepho discimus.

Vers 27. ET POSUIT CUSTODES PER CIRCUITUM CASTRORUM) περιφύλακας: ita enim legendum in Græco, quomodo est & in Iosepho. Latine vero *procubitores*. Ita enim Festus ait dictos, qui noctu custodiæ causa ante castra excubabant.

Vers. 28. ET TIMUERUNT ET FORMIDAVERUNT IN CORDE SUO) Ita ut abirent a castris: ita Iosephus.

ET ACCENDERUNT FOCOS IN CASTRIS SUIS) Ad dissimulandam fugam, ut idem Iosephus. Frequens id in historiis.

Vers. 29. VIDEBANT AUTEM LUMINARIA ARDENTIA) τὰ φῶτα καιόμενα, id est, ignes lucentes, vicina ignis & lux, אור notrumque Hebræis: ideoque permiscentur vocabula, ut Marci XIV. 54. Luc. XII. 56.

Vers. 30. ET SECUTUS EST EOS IONATHAS) Ad videndum ecquis esset in castris.

ET NON COMPREHENDIT EOS) Quanquam insecutus, ubi castra cognovit vacua.

TRANSIERUNT ENIM FLUMEN ELEUTHERUM) *Transierant*. Ita hic exponendus Aoristus ex fide Iosephi. ἤδη γὰρ τὸν Ἐλεύθερον διαβεβήκεσαν ποταμὸν, ὅταν ὁ διώκειν. De Eleuthero flumine supra XI. 7.

Vers. 31. AD ARABAS QVI VOCANTUR ZABADÆI) Sic & in Græco Ζαβδαίους: sed Ναβαταίους habet Iosephus, atque ita hic scribendum putem. Nam Nabatæi, quanquam olim amici Iudæ, manserant in parte Demetrij Nicatoris, nec Alexandrum erant secuti.

*Zabadæi.* Alij *Zabadeos* istos in *Arabiæ desertæ finibus* quærere malunt, non longe *à Damascena & Amanite*. Iidem forsan fuere inquit *Fullonius*, qui *Trachonitæ* dicti finitimique horum Iturææ latrociniis assueti, & postmodum ab Aristobulo Iudæorum Rege domiti, & ad circumcisionem ac cæteros Iudaicos ritus adacti, teste Iosepho.

Vers. 32.

ET IUNXIT ET VENIT DAMASCUM) καὶ συνεζεύξας ἦλθεν εἰς Δαμασκὸν: *& motis castris venit Damascum* Sic & supra hæc vox usurpata XI. 22. Est alioqui vox generalis, & cuivis itineri significando idonea. Exodi XIV. 15. XI. 33. 37. Iudith. VII. 1. 6. XVI. 19. II. Macc. V. 11 XII. 29. XIII. 26. XIV. 16.

ET PERAMBULABAT OMNEM REGIONEM ILLAM) Hostes persequens.

Vers. 33.

USQUE AD ASCALONEM) Quæ urbs erat ipsi & Alexandro amica: supra X. 86.

ET AD PROXIMA PRÆSIDIA) Proxima loca munita: ὀχυρώματα hic in Græco: quibus omnibus præsidium imposuit, auxitque munimenta, ut docet Iosephus.

ET OCCUPAVIT EAM) Latine admodum vertit quod in Græco est προκατελάβετο; occupare enim est præverire.

Vers. 34. AUDIVIT ENIM QUOD VELLENT PRÆSIDIUM TRADERE PARTIBUS DEMETRII) Præsidium, id est, ipsum urbem: τὴν πόλιν Iosephus: aut forte arcem, nam ὀχύρωμα est hic in Græco. Erat hactenus Ioppe in parte Alexandri, supra XI. 6.

ET POSUIT IBI CVSTODES VT CVSTODIRENT EAM) Præsidiarios milites multos, ut ex Iosepho cognoscimus.

Vers. 35. ET CONVOCAVIT SENIORES POPVLI) Synedrium magnum, advocato & populo Hierosolymitano, quod hic addit Iosephus.

ET COGITAVIT CVM EIS) Consilium cum eis cepit, καὶ ἐβουλεύσατο μετ' αὐτῶν, Iosephus: συνεβουλεύσατο.

Tria in hac consultatione statuta. I. *Hierosolyma munitio*. II. *Præsidiorum excitatio*. III. *Arcis interclusio*, ut præsidiarij Syri neque emant, neque vendant, adeoque omni commeatu prohibiti cogantur inopia ad deditionem.

ÆDIFICARE PRÆSIDIA IN IUDÆA) Loca quædam opportuna melius munire: puta Bethsuram & Gazam, de quibus supra XI. 61. 65. & loca a Bacchide relicta X. 13.

Vers. 36.

ET ÆDIFICARE MUROS IN IERVSALEM) Tum urbem exterius munire, tum Templum, ut hic Josephus. Munimenta enim Templi disjecerat Antiochus Eupator supra VI. 62. partim & Alcimus IX. 54.

ET EXALTARE ALTITUDINEM MAGNAM INTER MEDIUM ARCIS ET CIVITATIS, UT SEPARARET EAM A CIVITATE, UT ESSET IPSE SINGULARITER, ET NEQUE EMANT, NEQUE VENDANT) Id est, arcem muro excelso interposito ita intersepire ab urbe, ut nemo ex urbe eo commeatus asserre, aut etiam prædas ab ipsis actas emere posset: ita paulatim iis qui ἐν τῇ ἄκρᾳ erant res facturus arctas.

Vers. 37.

ET CECIDIT MURUS QUI ERAT SUPER TORRENTEM AB ORTU SOLIS) In Græco est: *Et accessit* (opus scilicet novum Jonathanis) *ad murum torrentis qui est ad Subsolanum*. Id est, ad murum veterem refidum, ea in parte ubi erat torrens Cedron: nam is ab ortu urbem alluebat.

ET REPARAVIT EUM QVI VOCATUR CAPHETETA) In Græco: *id quod vocatur Caphenatha*. Forte ita dictus locus a palmis ibi nascentibus; nam כפנרא est dactylus palmæ. Palmas autem non in cæteris tantum Judææ partibus, sed & apud Hierosolyma natas constat ex Johan. XII. 14.

Vers. 38.

ET SIMON) Digressus in partes Judææ alias, ut Josephus indicat.

ÆDIFICAVIT) Muniit.

ADIADA) In Græco, Ἀλιὰδ חדיר Esdræ II. 33. Nehem. VII. 37. Ἀδιὰ in Græco, quod cum Syriaco additamento fit Ἀδιάβ.

IN SEPHELA) ἐν τῇ Σεφήλα. Est hoc nomen שפלה multis locis commune, significatque locum in plano situm tam Hebræis quam Chaldæis & Arabibus, soletque verti πεδίον, ut Deuteron. I. 7. Jos. XI. 2. XII. 8. aut πεδινὸν, nempe τόπον, ut Jos. IX. 1. X. 40. XI. 16. Iudi. I. 9. I. Reg. X. 2. I. Paralip. XVII. 28. II. Paralip. I. 15. XXVIII. 18. Ierem. XVII. 26. Zachar. VII. 7.

Non improbo: unde *Aquila* campestrem, *Symmachus* vallem interpretatur. *Hieronymus* tamen locum proprium facit, æve suo sic vocatam regionem omnem circumjectam Ereutheropoli.

ET MUNIVIT EAM, ET IMPOSUIT PORTAS ET SERAS) In Græco: *& firmas fecit portas & vectes*. Sic & infra XIII. 33. & Sir. XXVIII. 28. XLIV. 15.

Vers. 39.

ET EXTENDERE MANUM IN ANTIOCHUM REGEM) Quod postea effectum dedit, ut discimus. Hæc autem, ut ex Iosepho cognoscimus, evenere postquam Demetrius, pueri hujus æmulus, bellum in Parthos movens captus ab ipsis est. De quo vide Iosephum hoc loco, Appianum fine Syriacorum, Iustinum XXXIV. & XXXVI.

Vers. 40.

IN BETHSAN) Vide supra V. 52.

Vers. 45.

ET VENI MECUM FIOLEMAIDAM, ET TRADAM EAM TIBI) Ut quæ una esset ex quatuor præfecturis quas Rex puer Iudææ genti promiserat. supra XI. 56.

Peccavit Ionathas (alias Sanctus & Sapiens vir) quod tantum fidei habuit homini prophano, atque Ethnico, & perduelli adversus Demetrium, à quo defecerat, & in cujus locum Antiochum juniorem intruserat, *c. XI. 54.* ut suum præsidium militum ablegaret. Non enim tentandus est Dominus Deus noster. Neque illis hominibus nimium fidendum est, qui semel perduelles fecti, & à Satana cæcati veram religionem cane & angue pejus oderunt, & persequuntur, quacunque licet ratione, dolo & fraudulentia non minus, quam violentia. Monitum enim Christi observandum, *Estote simplices ut columbæ, & prudentes ut serpentes, ut* ic. *nec prudentia decipi, nec simplicitas decipere possit*, ut *Bernhard.* Ep. 3. 7. ad Innoc. Pap. explicat: quæ

quia *nec simplices circumvenire aliquos possunt, nec prudentes se circumveniri permittunt*, ut habet de hac sententia *Prosper* de vit. contempl. *Prudentiam* etiam Fullonius in Jonatha desiderat, eumque *nimia fiducia, ac credulitate* lapsum dicit.

Vers. 48.

PTOLEMENSES) οἱ πτολεμαῖς, Ptolemaidenses.

ET COMPREHENDERUNT EUM) Jussu nimirum Tryphonis, ut diserte explicat Josephus.

Vers. 49. ET IN CAMPUM MAGNUM) Hic vertit vocem עַרְבוֹת, quam alibi servavit ut propriam. V. 23. IX. 2.

Vers. 50. ET PERIIT) Hoc fama, ut solet, supra verum addiderat: ut mox discemus.

ET EXIERUNT PARATI IN PRÆLIUM) ἐξῆλθον παρεσκευασμένοι συναρμῆσαι ἑτέροις εἰς πόλεμον. *Profecti sunt conglobati, & parati prælio*, συναθροίσασι τοῖς ὅπλοις: ait Josephus.

Vers. 51. ET VIDENTES HI QUI INSECUTI FUERANT) Tryphonis milites.

QUIA PRO ANIMA RES EST ILLIS) *De vita sibi esse*, periculum scilicet.

REVERSI SUNT) Retro iere.

Vers. 52. ILLI AUTEM) Jonathanis milites.

ET PLANXERUNT JONATHAN) Ut ante Judam dam IX. 20.

Vers. 54. NON HABENT PRINCIPEM) Mortuo Juda, capto Jonathane.

ET ADJUVANTEM) Id est, *nec adjutorem*: infenso illis & Demetrio Nicatore, & Tryphone.

ET TOLLAMUS DE HOMINIBUS MEMORIAM EORUM) Loquendi genus Syris & Hebræis usitatum. Deuteron. XXXII. 26.

## SECTIO II.

## *DE REBUS GESTIS SUB DUCATU SIMONIS.*

## CAPUT XIII.

*Simon fratri Jonathæ in gubernatione subsistuitur. Tryphon à Simone pecuniam & obsides (pro liberatione Jonathæ) accipit; nihilominus autem Jonathan & obsides interficit. Describitur sepulchrum Jonathæ, & familiæ ejus. Tryphon Regem Antiochum occidit, sibique diadema imponit. Simon Judæam munit, cum Demetrio pacem facit, urbem Gazam capit, & arcem Hierosolymitanam recipit, atque filium suum Iohannem exercitibus præficit.*

Vers. 3. PRO LEGIBUS) ὑπὲρ τῶν πατρίων διαθέσεως, ait Josephus.

ET PRO SANCTIS) ἀγίων id est, pro Templo; quam significationem vocis ἅγιων etiam supra notavimus.

ET ANGUSTIAS QUALES VIDIMUS) Hebraïs vox videnti ad omnes sensus refertur.

Vers. 5. NON MIHI CONTINGAT PARCERE ANIMÆ MEÆ, Quod Græci solent dicere uno verbo φειδωνῶμαι.

Vers. 6. INIMICITIÆ GRATIA) Nullis à nobis acceptis injuriis.

Vers. 7. TU ES DUX NOSTER) *Esto dux noster*. Ita interpretatur Josephus: & solet ἔστω etiam imperative poni.

Vers. 9. ET OMNIA QVÆCVNQVE DIXERIS NOBIS FACIEMVS) Offendunt illum fore Josuæ loco: nam verba ad ipsum dicta Jos. 1, 16. repetunt.

Vers. 10. ACCELERAVIT CONSVMMARE OMNES MVROS IERVSALEM) Cœptos à Jonathane XII. 36.

Vers. 11. JONATHAN FILIVM ABSALOMI) Amicum illum, quod addit Josephus, fratrem Matathiæ dicti supra XI. 70.

ET EJECTIS HIS QVI ERANT IN EA) Id est, indigentis, quibus ob Tryphonem diffidebat. Ita fuit Judæorum præfectus, a Jonathane impositi XII. 34. in oppido manere.

V. 12. ET JONATHAS CVM EO IN CUSTODIA) Nempe militari: quam carcerem castrensem vocat Juvenalis, & sch. hanc ejus solebant cate a advitiri militi.

Vers. 13. IN ADDUS) In Græco: ἐν Ἀδιδοῖς. Josephus, εἰς Ἀδιδὰ πόλιν. Eadem est urbs quæ nominata supra XII. 39.

CONTRA FACIEM CAMPI) Id est, ex quo loco despectus erat in campestria. Josephus ita explicat: ὑφ' ᾧ ὑπέκειτο τὰ τῆς Ἰουδαίας πεδία.

Vers. 16. UT NON DIMISSUS FUGIAT A NOBIS) Id est, transfugiat in partes Demetrij: ne Judæam in defectionem trahat, ait Josephus.

SEnsus ergo est: *Dimittemus Jonathan liberum si centum talenta misris, & simul duos ejus filios, qui nobis obsidum loco sint:* ne forte ipse, cum dimissus fuerit, à nobis desciat. Simulavit enim Jonathan teneri non ut *hostem*, sed ut *debitorem erarij Regij* in ratione Regis, ideoque *centum talenta* solvi voluit homo vaferrimus.

Vers. 17. NE INIMICITIAM MAGNAM SUMERET AD POPULUM ISRAEL) Ne ad calumniam pateret: Γλῶσσα γὰρ ἀνέτοιμον φ. λοικέρωσ. Josephus: μὴ διαβολῆ πρὸς τὸ πλῆθος, tanquam de imperio nolens decedere: quia ubi de potentia agitur, fratrum quoque rara est gratia.

Sed *num metu odij popularis fraude Tryphonis cognita innocentes fratris filios hosti jugulandos objecere debuit Simon?* Dici potest, etsi Tryphonem dolis agere sentiret, certo tamen scire non potuisse, fore ut Jonathas, & filij ejus interficerentur, atque adeo licuit, imo bono publico expedivit periculum eorum famæ fuæ, & suspicioni de avaritia, & ambitione ac dominandi studio, è qua ejus odium & desertio adeoque *periculum ipsius Reip.* oriri potuit, postponere: quanquam *Josephus* etiam addat *communicato cum populo consilio* obsides illos datos. *Num recte Simon filios fratris Tryphoni tradiderit?*

Vers. 19. ET MENTITUS EST) Nempe Tryphon, id est, fidem fefellit: ut supra XI. 53. ἐκ ἑτέρου τὸν πόνον, Josephus hic.

Vers. 20. UT CONTERERET EUM) Vastaret.

PER VIAM QUÆ DUCIT ADOR) Legitur quidem in Græco, Ἄδωρα. Sed A hic est appositivum more Syriaco: nomen enim urbis est Δῶρα, quomodo & hic Josephus eam vocat. Est autem in Idumæa Alia ejus nominis est in Phœnice, cujus infra fiet mentio. Vox hæc Syriaco sermone hospitium significat. *Dora.*

Fallitur autem *Bonfrerius Doram* illam, de qua c. XV. 11. non longe *à Ptolemaide* sitam intelligens, Doita enim retro circumducendus fuisset per viam ne ipsius longe à Judæa distantis; ideoque rectius cum Josepho *Adora* hæc ponitur in *Idumæa*. Quod itineri Tryphonis probe convenit. Ptolemaide enim profectus itinere maritimo constitit ad Adida: deinde flexo per Idumæam itinere, cum Simon ubique occurreret, per desertum Judææ ad arcem penetrare conatus est; denique cum neque id successisset, transito Iordane in Galaaditim venit.

ET CASTRA EJUS AMBULABANT) Id est, exercitus ejus.

Vers. 21. QVI AUTEM IN ARCE ERANT) Id est, ἐν ἄκρᾳ illa Hierosolymitana. Ita enim accipere nos jubet Josephus & res ipsa: nam illis pridem arcti erant commeatus, ut videre est supra XII. 36.

Minus a. recte arcem in Dora intelligit Salianus. Cum Josepho Lyranus facit, Fullonius, aliique.

PER DESERTUM) Idumææ, ut explicat Josephus.

Vers. 22. ERAT AUTEM NIX VALDE MULTA) Incommoda itineri, maxime equestri.

ET NON VENIT IN GALAADITIM) Aliter in Græco: *Non venit* (Hierosolyma scilicet) *propter nivem. Itaque mutato itinere pervenit in Galaaditim.* Eundemque sensum Josephus habet.

Iterum ergo hic errat *vulgata* Papistis authentica. *Manifestum est*, inquit Fullonius Iosuita *hiatum hic aliquem esse, & errore librariorum extidisse aliquot verba, quæ diserte habentur in Græcis: sic legendum erat etiam in vulgata nostra: cum constet, Tryphonem nivibus impeditum ne ad arcem veniret, & dejectum spe commeatus arci inferendi, transisse in Galaaditim, ubi est Bascama urbs, ad quam occisus Jonathas.* Advertit ergo probe Fullonius hic Dei *providentiam* erga Judæos *mirabilem*, quod *nix multa* in regione fervida æstivo mense, & ipso forte Augusto ceciderit. *Providentia Dei citra nitis immissionem.*

Vers. 23.

Vers. 23.

ET CVM APPROPINQVASSET BASCAMAN) In Græco est, τῇ βασκαμά. Sed Josephus, Βαβκά. Eadem est urbs quæ vocatur בְּאֵקָה Josuæ XV. 32. Literæ transpositæ sunt, ob faciliorem pronunciationem.

Occidit ibi Jonathanem & filios ejus Trypho, cum enim videret se neque obsessis in arce opem ferre, neque Israelitis nocere posse, hoc saltim modo, quem in manu habebat, luctum populo Dei facere volebat. *Cur autem permisit Deus hanc eadem? Ruperus* id tribuit *Sortiet atti illicitæ* cum Romanis inita. *Salianus* factum illud adducit, quod Jonathan primum à Demetrio Sotere legitimo Syriæ Rege, post ab Alexandro Vele tyranno de amicitia sollicitatus ad hunc inclinarit, & imprimis quod *Antiocho* puero Alexandri filio contra *Demetrium Nicanora Soteris filium legitimum Regem* adhæserit. Quanquam vero huic objectioni suæ respondeat ipse Salianus, *Jonathan ac Judæos jure contra quemlibet Syriæ Regem arma sumere potuisse*, ut se in avitam libertatem injuste oppressam asserrent: non tamen ideo Societas cum Antiocho & Tryphone tyrannis præferenda erat, saltim eo nomine, quod ita se actua rectius defendi posse crederet. Cur vero non admittamus Heroes istos etsi *pios & religiosos* aliquid humani in istis fœderibus passos esse?

*Cur Deus eadem Jonathanæ permiserit?*

Vers. 25.

ET MISIT SIMVL) Aliquanto post tempore.

ET ACCEPIT OSSA JONATHÆ FRATRIS SVI) Reliquias. Loquuntur sic & Græci, quod ossa diutius durent.

Vers. 27. LAPIDE POSITO RETRO ET ANTE) In omnem partem.

Vers. 28. ET STATVIT SEPTEM PYRAMIDAS) More Ægyptiorum. Lucanus:

*Pyramidum tumulis obsessus Amasis.*

VNAM CONTRA VNAM) Recto ordine.

Vers. 29. ET HIS CIRCVMPOSVIT COLVMNAS MAGNAS) Id est, porticum ex columnis μονολίθοις. Ita Josephus, qui hæc omnia extitisse dicit ad sua tempora.

ET VPER COLVMNAS ARMA) Appensa columnis. Virorum fortium sepulchris addi solita arma vidimus Ezech. XXXII. 27. Virgilius in funere. Pallantis:

*Addit equos & tela quibus spoliaverat hostem.*

ET JVXTA ARMA NAVES SCVLPTAS) Quia etiam mari imperium habuerat. Vide supra XI. 59.

Sepulchrum ipsum ætate adhuc Hieronymi mansit, ut habetur libr. de locis Hebr. Descriptionem sepulchri vid. apud *Fullonium*.

Vers. 31.

DOLO OCCIDIT EVM) Appianus: τὸ παιδίον κτείνας αὐτὸς ἐπιτέλλεται τῇ ἀρχῇ. Justinus: Trypho occiso pupillo, regnum Syriæ invadit. Livij epitome LV. Alexandri filius Rex Syriæ, decem annos admodum habens, a Diodoto, qui Tryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est, corruptis quidem medicis, qui eum calculi dolore consumi ad populum mentiri, dum secant illum, occiderunt. Occurrunt passim in historiis exempla tutorum, qui potentiæ adipiscendæ pupillos sibi creditos aut vi aut dolo interfecere, ut Grimoaldus Sigibertum secundum regem Austrasiæ, Andronicus Comnenus Alexium Manuelis filium, Michael Palæologus Theodori Lascaris filium. Tentasse idem creduntur Philippus Macedo & Antiochus Magnus in Epiphanem, Stilico in Honorium.

Josephus l. XIII. c. 12. ait *rumorem sparsum* ὡς χειρίζοιεν ἐπιθυμίαν, quod interpres male vertit, quasi *inter exercendum esset extinctus*, cum vertere debuerit, quasi *inter chirurgorum manus* vel *cum manibus curaretur*, id est *opera chirurgorum obiisset*.

Vers. 32.

ET PORTIS ET SERIS) μηχαῖς, vectibus, ut supra XII. 28.

ET POSVIT ALIMENTA IN MVNITIONIBVS) Prudenter, contra obsidiones.

Vers. 34.

ET MISIT AD DEMETRIVM REGEM) *Misserat*: ita enim vertendus hic Aoristus. Nam capto demum à Parthis Demetrio, Tryphon impium consilium necandi pupilli suscepit, & effectum dedit. Ita diserte Josephus, & Appianus, μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν τούτου.

Non opus ista Aoristi versione: neque enim capto demum Demetrio Triphon pupillum occidit: quum hic referatur captivitas Demetrij ad annum 172. quæ vero de *occiso Antiocho*, deque legatione *Simonis ad Demetrium* referuntur, *biennio ante* gesta sint, teste hoc autore, cujus testimonium etsi non exceptione omni majus sit, autoritati tamen *Josephi* præferendum videtur.

UT FACERET REMISSIONEM REGIONI) Ut remitteret tributa ad id tempus debita. Nam immunitas illa à Demetrio Demetrij patre valde liberaliter concessa supra X. 29. effectum non habuerat, Judæis alias partes secutis.

QUIA ACTUS TRTPHONIS PER DIREPTIONEM FUERANT GESTI) *Actus Tryphonis meræ rapinæ fuerant.* Ita est in Græco. Ostendit servile ingenium: Vide Josephum XIII. 12.

Vers. 35.

RESPONDIT ET ET SCRIPSIT) *Responderat & scripserat*, prius quam scilicet à Parthis caperetur.

Vers. 36.

REX DEMETRIVS SIMONI SUMMO SACERDOTI) Hunc enim gens Judæa fecerat summum sacerdotem post Jonathanis mortem pro libera gerere se incipiens, occasione discordiarum inter reges.

ET SENIORIBVS ET GENTI JUDÆORUM) Vide quæ dicta XII. 6.

Vers. 37.

CORONAM AUREAM) Regibus mitti solitam à populis. Vide supra XI. 35.

ET BAHEM QUAM MISISTIS) τὸν Βαΐνη in Græco. Sed legendum, quomodo interpres Latinus legit, τὴν Βαΐν: Βαΐς est ramus palmæ, aureum intellige, ut & II. Macc. XIV. 4. ficus & viris aurea aliis dono data. Sic uvæ, folia, palmites ex auro solita fieri discimus ex titulo Thalmudico Middoth & Rabbinis ad eum locum.

Sic apud *Codinum Curopalatam* c. 10. *Festum Palmarum* vocatur ἑορτὴ βαΐων, eoque sensu vox usurpata infra *v. 51.* Missus autem *palmæ ramus* ominis causa, & ad felix augurium, cum palma *victoriæ & pacis* symbolum sit.

REMITTERE VOBIS QVÆ INDVLSIMVS) *Remissiones vobis remittere*: id est, effectas dare.

Vers. 38.

QVÆCVNQVE ENIM CONSTITVIMVS VOBIS CONSTANT) *Pretereaque quæ vobis concessimus manebunt.* Illa scilicet relata supra XI. 37.

MVNITIONES QVAS ÆDIFICASTIS VOBIS SINT) illæ de quibus *supra* XII. 36. XIII. 10.

Vers. 39.

REMITTIMVS QVOQVE IGNORANTIAS ET PECCATA VSQVE AD HODIERNVM DIEM) *Ignorantiæ, id est, peccata.* Hebræorum mos est שגגות dicere omnes culpæ genus, ut Judith V. 19. & alibi notavimus. Hoc autem dicit propterea, quod Judæi partas Alexandri Balæ partibus Demetrij patris prætulerant, Supra XI. 47.

ET CORONAM QVAM DEBEBATIS) Ne scilicet debeatur imposterum. Vide supra 37.

ET SI QVID ALIVD JAM ERIT TRIBVTARIVM IN JERVSALEM, JAM NON SIT TRIBVTARIVM) Ac sic quid aliud erat rectigali obnoxium in Jerusalem, id ne sit posthac rectigali obnoxium. Non de tributis agit, sed de rectigalibus rerum quæ invehebantur evehebanturque: neque ea remittit per omnem Judæam, sed Hierosolymis. Vide supra X. 34.

*Zach. XIV.*

Vers. 40.

ET SI QVI EX VOBIS APTI SVNT CONSCRIBI, INTER NOS CONSCRIBANTVR) Id est, dent militiæ nostræ nomen: ut supra X. 36.

Vers. 41.

ANNO CENTESIMO SEPTVAGESIMO) A quo Seleucus regnare cœperat, ut hic explicat Josephus, apud quem τῶν Σύρων βασιλέων scribendum pro Λακεδαιμονίων.

ABLATVM EST JVGVM GENTIVM AB ISRAEL) Id est, plane Judæi pro liberis agere cœpere. Josephus de hoc Simone: τῶν ὑπὸ Μακεδόνες βαλλόντων τὸν λαὸν ἔλυσεν, ὃς μηκέτι φόρους αὐτοῖς τελεῖν. Justinus, ubi de Antiocho Demetrij fratre agit, Judæorum ait vires tantas fuisse, ut post eum nullum Macedonum regem tulerint, dome-

domesticisque imperiis usi, Syriam magnis bellis infestaverint. Ubi quod de Syria dicitur, ad Hyrcani tempora pertinet.

Vers. 42. SCRIBERE IN TABULIS ET GESTIS PUBLICIS) In Græco: *in Syngraphis*, (id est, mutui tabulis) *& contractibus* aliis scilicet, ut venditionum, locationum. Josephus amplius: ὁ τοῖς πρὸς ἀλλήλους συμβολαίοις χρήσασθαι γράμμασι. Quod hic narratur, idem dicit alius Josephus in libro Peretz Ros Hassana, autorem referens Rabbinum Aham Barhunam.

SUMMO SACERDOTE MAGNO DUCE) In Græco: ἀρχιερεῖ μεγάλῳ καὶ στρατηγῷ, ubi μεγάλῳ cohæret cum voce ἀρχιερεῖ. Cœperat quidem scribi כהן גדול לאל עליון, μεγάλῳ τῷ ὑψίστῳ θεῷ sed sapientibus non placuit ita vulgari nomen Dei, ut is quem dixi Rabbinus refert. Vide infra XIV. 27.

Id de nomine Dei non vulgando probabile non est. Non enim nomen אל עליון aut עליון sed *nomen tetragrammatum* vulgari noluit superstitio Judaica.

ET PRINCIPE JUDÆORUM) ἡγουμένα Ἰουδαίων. Josephus, ἐθνάρχην, id est נשיא, qui & alterum addit titulum ἱερέως, id est, כהן: de quo vide Luc. XXII. 25.

Verisimilior est titulus, quem hic autor refert, quam inscriptio illa Josephi.

Vers. 43.

APPLICUIT SIMON AD GAZAM) Gazæorum portum intellige. Nam urbs ipsa ab Alexandro diruta fuerat, ut nos docet Strabo libro XVI. Inde vocatur Γάζα ἡ ἐρημος, Act. VIII. 26. Hinc emenda Josephum XIII. 11. ubi Γαζηνῶν legitur pro Γαζέων.

ET FECIT MACHINAS) *Fecit helepolim.* Ejus machinæ descriptionem habes apud Ammianum lib. XXIII. Meminit & Athenæus libro V. & Vitruvius X. 22. item Diodorus Siculus & Plutarchus in Demetrij Poliorcetæ rebus.

ET APPLICUIT AD CIVITAEM) Machinam illam urbi admovit

ET PERCUSSIT TURREM UNAM, ET COMPREHENDIT EAM) Unam urbis turrium cepit.

Vers. 44. ET ERUPERUNT QUI ERANT INTRA MACHINAM IN CIVITATEM) In Græco: *Et irruperunt in urbem ii qui in helepoli erant.* Erat enim ejus machinæ moles ingens & valida, quam rotis & funibus regebat numerosus intrinsecus miles, ut Ammianus dicto libro XXIII, & XXIV, nos docet, & Procopius Gothicorum IV.

Vers. 45. SCISSIS TUNICIS SUIS) Qui mos Phœnicum in gravi casu.

DEXTRAS SIBI DARI) Id est, pacem: ut supra XI. 50. 62. & infra 50.

Vers. 47. ET FLEXUS SIMON) Ad misericordiam. In Græco: συνεδόθη, pro quo male in quibusdam editionibus σύνελθεῖν.

NON DEBELLAVIT EOS) Id est, non interfecit belli lege.

EJECIT TAMEN EOS DE CIVITATE) Ad tutius possidendam urbem, ut supra II.

ET MUNDAVIT ÆDES IN QVIBUS FUERUNT SIMULACHRA) Ædes privatas, quia Gaza erat ex locis à Deo attributis populo Israelitico, Jud. I. 18. ac proinde valere ibi debebat lex Deuteron. VII. 25.

Vers. 48. ET EJECTA AB EA OMNI IMMUNDITIA) Omni cultu idololatrico.

COLLOCAVIT IN EA VIROS QUI LEGEM FACERENT) Bona fide Judæos.

Vers. 49.

ET ESURIERUNT VALDE) Vide supra XXI. & ibi dicta. Ira impletum vaticinium Zachariæ XIV. 13.

Fallitur in eo Grotius, quod hoc *vaticinium Zachariæ* præsentia tempora respicere putat. Vide quæ ad illum Zachar. locum diximus. *Zach. XIV. 13.*

Vers. 50.

ET MVNDAVIT ARCEM A CONTAMINATIONIBVS) ἀπὸ τῶν μιασμάτων, id est, ab idolis, ut Ezech. XXXIII. 31. Jerem. XXXIII. 34.

Vers. 51.

ET RAMIS PALMARVM) Ramos manibus ferentes, ut in ingenti lætitia, ut Joh. XII. 14.

ET CINTRIS) Supra IV. 54.

EQVIA CONTRITVS EST INIMICVS MAGNVS EX ISRAEL) Enallage numeri. Prædiarios enim illos arcis intelligit, qui Israelis primum nocuerant.

Vers. 52.

ET CONSTITVIT VT OMNIBVS ANNIS AGERENTVR HI DIES CUM LÆTITIA) Hi quoque dies festi, non minus quam decima Adar, memorata supra VII. 4. exolevere.

Vers. 53.

ET MUNIVIT MONTEM TEMPLI QUI ERAT SECUS ARCEM) Montem Templi vocat, ut sæpe, ipsum Templum, quod tutius reddidit Simon, dejecta arce & eaparte montis quæ erat Templo superior. Ita Josephus hoc loco.

Non immerito *Iosephum* suggillat cum *Saliano* Fullonius, quod *arcem solo æquatam* à Simone dicat, non quidem quod de eo hic nihil habeatur, Etsi enim id ab autore libri hujus non perhibeatur, num ideo id falsum? sed quod oppositum manifeste colligatur ex hoc loco, ubi dicitur *arx munda-ta ab contaminationibus*, & *c. XIV. 7.* ubi *Simon* dicitur *arci dominatus*. Adde *v. 36. & 37.* ibidem & *cap. XV. 28.*

ET HABITAVIT IBI IPSE ET QUI CUM EO ERANT) Intra Templi ambitum, ut in loco tutissimo.

DUCEM VIRTUTUM UNIVERSARUM) ὑγούμενον τῶν δυνάμεων πασῶν, *omnium militum ducem.*

Vers. 54.

ET HABITAVIT IN GAZARIS) In Græco: ἐν Γαζέροις. Hæc ipsa est & Gadaris urbs, quæ Gadara Strabonis, non longe à Gaza, Azoto, Ascalone. Ait de ea Strabo: ἣν νῦν ἱεροδούλιόν οἱ Ἰουδαῖοι, hæc tempore designans. Syri ד in ר mutant.

# CAPUT XIV.

*Rex Demetrius capitur, Simon gubernat laudabiliter & feliciter Rempubl. Israeliticam, renovat amicitiam cum Spartanis, & Romanis. Israelitæ Decretum faciunt, & in æs incidunt, quo Simonis virtutes & gesta laudantur, ipsique summum sacerdotium & principatus confirmantur.*

Vers. 1.

CONGREGAVIT REX DEMETRIUS EXERCITUM) Est hic ἱστόνοῦ ἀναχρονισμός. Res enim Judaicas connectere voluit. Nunc de Demetrio Nicatore ea narrat, quæ ante occisum à Tryphone pupillum venerant. Josephus hæc in sua tempora digessit.

DIximus de eo ad v. 34. cap. præcedentis. Non est cur *ordinem temporis* hic neglectum censeamus in Iosephi gratiam.

ABIIT IN MEDIAM) Ira vocat omnia ea quæ Parthis parebant, συνεκδρομὴς, ex parte totum.

AD CONTRAHENDA SIBI AUXILIA) Sperans devictis Parthis multas sibi gentes accessuras. Vide Josephum XIII. 9.

Vers. 2.

ET AUDIVIT ARSACES) Arsacem & hic scriptor & Josephus dixere communi nomine: nam proprium ei nomen fuit Phraates, ut Appianus nos docet. Strabo nos expedit libro XV. Ἀρσάκαι καλοῦνται πάντες, ἰδίᾳ δὲ ὁ μὲν Φράατης, ὁ δὲ Φραάτης, ὁ δὲ ἄλλος.

Vers. 3.

ET PERCUSSIT CASTRA DEMETRII, ET COMPREHENDIT EUM) Etiam Josephus captum dicit amisso exercitu. Justinus libro XXXVI. pacis simulatione fatione deceptum. Libro vero XXXVIII. insidiis circumventum ait.

Causam aliqui reddunt hanc, quod Demetrius ausus fuerit *inscio & non rogato Rege* militem in regno ejus conscribere. *Josephus* l. XIII. c. 9. per crebras legationes à Græcis superiorum Satrapiarum solicitatum fuisse Demetrium ut se in Mediam transferret, fore ut sese ipsi dederent & auxilio essent non tantum adversus *Arbacem*, sed etiam adversus *Tryphonem*. Quicquid sit, judicio Dei factum ut homo versutus & perfidus, qui Ionathæ promissa minime servavit, populumque Dei non parum afflixit, ad pœnam raperetur. *Ez. XXXIII. 4.*

Vers. 4.

SILUIT OMNIS TERRA IUDA) In alto fuit otio: ut supra VII. 50. IX. 57.

ET PLACUIT ILLIS POTESTAS EJUS, ET GLORIA EJUS) Et regimen & res ab eo gestæ.

Vers. 7.

ET CONGREGAVIT CAPTIVITATEM MULTAM) Multos hostium captivos fecit, ut Bethsuræ.

ET DOMINATUS EST GAZARÆ) Vide supra XIII. 53.

ET BETHSURÆ) Captæ à se XI. 36.

ET ARCI) Hierosolymitanæ.

Vers. 9. ET DE BONIS TERRÆ TRACTABANT) Laudabant præsentem statum.

IUVENES INDUEBANT SE GLORIAM) Vestibus magnifici,

ET STOLAS BELLI) Bello captis.

Vers. 10. ET CONSTITUEBAT EAS UT ESSENT VASA MUNITIONIS) Quicquid aliquem usum sui præbet, Hebræis כלי, Hellenistis σκευος dicitur.

QVOADUSQVE NOMINATUM EST NOMEN GLORIÆ EJUS) *Ita ut nominatum sit, ἑως ὀνομασθη* hic effectum significat, non tempus. Est hic ὡλογια Simonis, annectenda iis quæ sunt apud Sirachiden.

Vers. 12. ET SEDIT UNIUSQVISQVE SUB VITE SUA, ET SUB FICULNEA SVA) Locutio παροιμιωδης: ut 1. Regum IV. 55. Mich: IV. 4. Zach. III. 10.

Vers. 13. REGES CONTRITI SUNT IN DIEBUS ILLIS) Tum bellis inter se, tum Judæorum virtute.

Vers. 14. ET CONFIRMAVIT OMNES HUMILES POPVLI SVI) Præsidio erat invalidis.

ET LEGEM REQVISIVIT) In cura habuit.

Vers. 15. SANCTA GLORIFICAVIT) Templum reddidit augustius, dejecta arce qua Templum premebatur.

ET MVLTIPLICAVIT VASA SANCTORVM) Donaria adjecit ex præda de hostibus capta.

*Boni Principis idea in Simone.*

Notant hic Interpp. *boni Principis virtutes & ideam* in Simone. 1. *Amorem ergo populum, cujus bona quæsivit* v. 4. 2. *Religionis* studium v. 15. 3. curam *Iustitiæ* v. 14. 4. *Bonorum consiliorum* delectum v. 9. de bonis terræ ἑκουομολογῦντο *consultabant in commune.* 5. *Fortitudinem*, unde res præclare gestæ v. 5. 6. 7. 8. 11. 12. 13. 6. *Fugam nimiæ securitatis*, etiam in alta pace, v. 10. &c.

Vers. 18.

SCVLPSERVNT IN TABVLIS ÆREIS) Honoris causa.

Vers. 20. SPARTIATARVM PRINCIPES ET CIVITATES) ἀρχοντες καὶ πολις: *magistratus & populus.* Spartæ enim reges post Cleomenem esse defierant; Tyranni quoque in Nabide sublati.

SIMONI SACERDOTI MAGNO ET SENIORIBVS, ET SACERDOTIBVS, ET RELIQVO POPULO IVDÆORVM) Sic enim Judæi scribere eo tempore solebant. Supra XII. 6.

FRATRIBVS) Quomodo ipsi Judæi Spartiatas fratres suos dixerant: ibidem.

Vers. 21.

ET GAVISI SVMVS IN ITROITV EORVM) Pergratus nobis fuit eorum adventus.

Vers. 22.

ET SCRIPSIMVS QVÆ AB EIS ERANT DICTA IN CONCILIIS POPVLI SIC) Scripsit interpres *in consiliis*, ἐν ταῖς βουλαῖς τῦ δήμυ. id est, in publica acta retulimus. Nam βουλὴ vocat ipsa scita, μετωνυμικῶς. Non est enim hæc epistola qualis à Laconibus scripta est, sed quomodo sensum exprimendum putavit homo Judæus.

Vers. 23. GLORIOSE) Cum honore maximo.

ET PONERE EXEMPLVM SERMONVM EORVM) Verborum, quæ etiam scripto complexi fuerant.

IN SEGREGATIS POPVLI LIBRIS) ἐν τοῖς ἀποδεδεγμένοις τῦ δήμυ βιβλοις. In libris ad hoc à populo constitutis. Sic ἀποδεδεγμένοι habuimus & supra X. 34.

EXEMPLVM AVTEM HORVM SCRIPSIMVS SIMONI MAGNO SACERDOTI) Legit γεγράφαμεν, pro quo in Græco est ἐγραφθαν. Dicunt Spartiatæ se partem ex actis descriptam misisse ad Simonem, ut constaret bene acceptam fuisse legationem.

Vers. 24. CLTPEVM AVREVM MAGNVM) Clypei curei, inter honorum signa. Trebellius Pollio Claudio Augusto, & Hieronymus in Chronico Eusebiano ad eadem tempora.

Vers. 25.

CUM AUTEM AUDISSET POPULUS ROMANUS.

Hic manifeste in mendo cubat vulgata Papistis authentica. Illud enim ROMANUS abest *ab omnibus Græcis, imo & Latinis* excepta vulgata. Et responsio Romanorum habetur demum consequ. Agnoscit mendum *Vatablus, Salianus, Serarius, Fullonius.* Non conveniunt certe hæc Romano populo, sed *populo Iudæorum.*

Vers. 26.

RESTITUIT ENIM IPSE FRATRES SUOS, ET EXPUGNAVIT INIMICOS ISRAEL AB EIS, ET STATUERUNT EI LIBERTATEM) In Græco est: ἐσθεμενα γαὶ αὐτὸς καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτῦ καὶ ὁ οἰκος τῦ πατρὸς αὐτῦ, καὶ ἐπολεμησαν ἐχθρὸς Ισραηλ ὑπ' αὐτῶν, καὶ ἐστησαν αὐτῷ ἐλευθερίαν: quæ sanata trajectione Hebræis familiari, recte sic vertas: *Nam ipse & fratres ejus, domusque patris sui* (id est, cognati & ministri) *firmaverunt Israelem, hostes Israelu bello depulere, & Israeli paraverunt libertatem.*

ET DESCRIPSERUNT IN TABULIS ÆREIS) *Prout scripserunt ipsi Iudæi in tabulis æreis.* Ipsi Judæi, ajunt Romani, hæc merita publice agnoverunt.

ET POSUERUNT IN TITULIS IN MONTE SION) *Quas* (tabulas æreas) *appenderunt columnis in monte Sion:* id est in Templo; nam Sionis nomen interdum tam late fuminur, ut etiam Moriam comprehendat. In Templo autem figi solita acta publica apparet supra XI. 37. & infra 48. 49.

Vers. 27.

ET HOC EST EXEMPLUM SCRIPTURÆ) Decreti gentis Judæorum in honorem Simonis, quod decretum etiam Romani in sua acta referri voluerunt. Id decretum perducitur usque ad XV. 15.

Vers. eod.

MENSIS ELUL) Qui mensis Augusto mensi maxima parte respondet.

IN ASARAMEL) ἐν Σασαμεὶλ. Sed Latinus interpres rectius scripsisse videtur eruditis, qui censent Hebraum loci nomen fuisse, חצר מות, *Atrium Mortis.* In Mitlo conventus publicos haberi solitos notat David Kimchi ad 1. Reg. IX. 24.

*Asaramel* vocem corruptam putat Vatablus à *Ierusalem.* Sed nulla causa est hujus suspicionis. Præferenda Grotiana conjectura.

IN CONVENTU MAGNO) De tali conventu vide quæ diximus ad Matth. X. 17.

Nec dicimus *in Comitiis in Asaramel celebratis.*

Vers. 28.

ET PRINCIPUM GENTIS) ἀρχόντων ἐθνους, id est, φυλάρχων.

ET SENIORUM REGIONIS) Synedrii magni.

Vers. 29. ET FILIIS IARIB) Ἰωαρὶβ. Sed legendum Ἰωαρὶβ, ut supra II. 1.

UT STARENT SANCTA IPSORUM) Templum, quomodo sæpe antehac.

Vers. 32. VIROS VIRTUTIS) Id est, milites.

Vers. 33. ET MUNIVIT CIVITATES IUDÆÆ ET BETHSURAM) Quod præcipuum est positi ultimo loco. Vide quæ diximus ad Marc. XVI. 7. Rem quæ hic refertur habuimus & supra 7.

Vers. 34. ET GAZARAM) Vide XIII. 54. Itaque & apud Josephum Belli Judaici I. 2. pro Ζαρὰ legendum videtur Γάζαρα.

ET QUÆCUNQUE APTA ERANT AD CORREPTIONEM EORUM HABUIT IN EIS) Scripsit interpres *ad correctionem.* Sensus est: posuit in illis oppidis omnia per quæ meliora redderentur.

Vers. 35.

ET VIDIT POPULUS ACTUM SIMONIS) πίστιν fidem Simonis. Sed quia interpres scriptum reperit compendio ϖ, legis πράξιν, quomodo & quidam habent libri Græci.

ET GLORIAM QUAM COGITABAT FACERE GENTI SUÆ) *Et quantam gloriam consilius suis attulerat genti suæ.* Est hic ἐυδοκησεν dictum per μετωνυμίαν causæ pro effecto.

ET POSUERUNT EUM DUCEM SUUM, ET PRINCIPEM SACERDOTUM) Supra XIII. 42.

ET IUSTITIAM ET FIDEM) Repetendum hic διὰ, id est, propter, ex membro superiore.

Vers. 36.

ET IN DIEBUS EJUS PROSPERATUM EST IN MANIBUS EJUS UT TOLLERENTUR GENTES

TES DE REGIONE IPSORUM) ἐυοδώθη ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν *per eum feliciter evenit.*

ET QUI IN CIVITATE DAVID ERANT) In urbe à Davide adjecta. Vide supra I. 35. & XIII. 50.

ET INSEBEANT PLAGAM MAGNAM CASTITATI) Castitatem hic intellige Dei cultum. In legibus Ciceronis est: *Caste Deos adeunto.* Idem in haruspicum responsis de fano Pessinuntio: *Quod eum Dejotarus religione sua castissime tueretur.* Virgilius:

*Quisque Sacerdotes casti.*

Versf. 37. AD TUTAMENTUM REGIONIS ET CIVITATIS) In Græco: *Et munivit eam* (supple urbem) *ad tutamen regionis.*

Versf. 38. ET REX DEMETRIUS STATUIT ILLI SUMMUM SACERDOTIUM) ἐχρημάτισεν, confirmavit, ratum habuit. Supra XIII. 36. Hoc ideo additum, quia Demetrius Nicator amicus erat populi Romani. Additur hic in Græco κατὰ πάντα *secundum omnia:* nempe illa, quæ in decreto Judæorum continebantur.

Versf. 39.

FECIT EUM AMICUM SUUM) Habes & hoc dicto jam loco.

ET GLORIFICAVIT EUM GLORIA MAGNA) Remissione tributorum quæ debebantur, vectigaliumin urbe Hierosolymis, auri coronarij, concessione munitionum.

Versf. 40. AUDIVIT ENIM) *Audiverat enim.*

QUOD APELLATI SUNT JUDÆI A ROMANIS AMICI, ET SOCII ET FRATRES) Supra VIII. 20, XII. 3.

ET QUIA SUSCEPERUNT LEGATOS SIMONIS GLORIOSE) Supra 17.

Versf. 41. JUDÆI ET SACERDOTES EORUM) Ita supra XII. 6. Sacerdotes nominantur ut pars eximia populi.

CONSENSERUNT EUM ESSE DUCEM SUUM) Supra XIII. 7.

ET SUMMUM SACERDOTEM IN ÆTERNUM) Id est, ipsum, posterosque ejus, mares ex maribus. Opponitur enim לשעה dignitati mere personali.

DONEC SURGAT PROPHETA FIDELIS) Indubitatus fidem faciens sui prædictionibus & miraculis. Sic ἀνὴρ sumi diximus alibi. Si quis esset Propheta se ducem populi profitens, quales olim Judices, ei imperium haud dubio jure debebatur. Standum quoque erat ejus dictis, tum de rebus aliis, tum de sacerdotio. Prophetia autem post Malachiam cessante, Prophetiæ restitutio expectabatur paulo ante adventum Messiæ, ut diximus supra IV. 46. & IX. 27.

Per *Prophetam fidelem* directe *Christum* intelligunt alii, non *consequenter* tantum: quia non expectabant alium Prophetam, postquam cum *Malachiæ* desierant Prophetæ, nisi Messiam, Prophetam illum divinitus promissum *Deut. XIIX.*

Versf. 42.

ET UT CURA ESSET ILLI PRO SANCTIS, ET UT CONSTITUERET PRÆPOSITOS SUPRA OPERA EORUM) Bis repetitur templi cura Simoni mandata, sed ad effectus diversos. Ideo & hic sumendum pro *nempe.* Hic dicitur data ei summa inspectio in opera & sacerdotes ex ipsius præscripto administrarent.

ET SUPER REGIONEM) Præfectos Toparchiis.

ET SUPER ARMA) Exercitum ductores. Vide supra XIII. 54.

ET SUPER PRÆSIDIA) Præfectos præsidiis oppidorum, arcium, castellorum.

Versf. 43. ET UT CVRA SIT ILLI DE SANCTIS, ET UT AVDIATVR AB OMNIBVS) Ita ut omnes Sacerdotes ipsius præscriptum sequantur, ut jam diximus.

ET SCRIBANTVR IN NOMINE EJVS OMNES CONSCRIPTIONES IN REGIONE) *Omnes syngraphæ*, ut supra XIII. 41.

Id est, *ut Syngraphæ ac tabulæ consignentur annis Simonis.*

ET VT OPERIATVR PVRPVRA ET AVRO) Purpurea veste, & sibula aurea, ut supra X. 20. 89. XI. 58.

Judæi etsi *jugo Regio Asiæ liberi*, volunt Simonem ornatu à *Demetrio* concesso uti; non tamen illa ornatus à Rege acceptio quædam erat *subjectionis professio*, sicuti hodie à Galliæ Rege *torquem ordinis* aut ab Hispano *aureum vellus* missum in signum amicitiæ, non subjectionis Magni Principes, aut Reges aliis accipiunt.



Versf. 44.

IRRITUM FACERE ALIQUID HORUM) Facere contra huc decretum. Ita enim ἀθετεῖν sumi diximus ad Matth. VII. 9.

AUT CONVOCARE CONVENTUM IN REGIONE SINE IPSO) In liberis populis præcipuorum magistratuum etiam hoc jus est, ne quis sine eorum arbitratu comitia aut concionem convocare possit: quod Græci dicunt ἀκυροῦσθαι. Vide Num. I. 2.

ET VESTIRI PURPURA, ET UTI FIBULA AUREA) Nempe nemini licear præter ipsum, ex superioribus. Nullus enim honos in veste est, nisi à quo arcentur cæteri. Vide titulum codicis Justiniani de vestibus Holoberis.

Versf. 48. ET SCRIPTURAM ISTAM DIXERUNT PONERE) *Iusserunt poni.*

IN TABULIS ÆREIS) Quibus inscribi solebant decreta ejusmodi. Supra VIII. 22.

ET PONERE EAS IN PERIBOLO SANCTORUM) In porticibus Templi; id enim חצרות, αὐλαῖς, Ezech. XLI. 5. XLII. 20.

IN LOCO CELEBRI) *Conspicuo*, ut supra XI. 37. hoc est, unde de plano recte legi possint, ut Romani loquebantur.

Versf. 49. EXEMPLUM AUTEM EORUM PONERE IN ÆRARIO) ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ: in arcis Templi, ubi acta ad Templum pertinentia servabantur.

UT HABEAT SIMON ET FILII EJUS) Ut illius potentibus inde semper periculum detur publicis sigillis muniendum.

## CAPUT XV.

*Antiochus Rex amicitiam cum Simone initi, & magnas immunitates Iudæis concessas firmat. Tryphon ab Antiocho fugatur, & ipse obsidetur. Legati Simonis à Romanis magnas pollicitationes adferunt. Antiochus causam belli adversus Simonem quærit, mittit etiam exercitum hostilem sub Cendebæo in Iudæam.*

Versf. 1.

ET MISIT REX ANTIOCHUS) Sidetes dictus, qui se Tryphoni opposuit. Nomen id habuit à Side Pamphyliæ oppido, cujus meminere Plinius & Ptolemæus. Nam Pamphyliæ pars ultra Taurum est, eaque mansit penes Seleucidas, pace facta ab Antiocho Magno cum Romanis.

FILIUS DEMETRII) Soteris fcilicet ac proinde frater Demetrij Nicatoris, ut habes apud Appianum, Justinum, & in Chronico Eusebij.

NOn ergo *filius Demetrij Nicatoris*, ut *Lyranus* vult. *Rex* dicitur in vulg. non item in Græco textu, per πρόληψιν: vel quia à Cleopatra fratris uxore jam tum ad matrimonium, & spem regni vocatus erat, & constituit sibi Asiæ coronam armis vindicare.

AB INSULIS MARIS) Id est à Seleucia Pieria, quæ non longe est à mari. Inde enim belli initium fecisse Antiochum hunc Sideten docet nos Josephus XIII. 12. Hebræi & Syri omnia mari adsita insulas vocant.

ET PRINCIPI GENTIS JUDÆORUM) ἐθνάρχῃ est in Græco, ut & supra XIV. 47. qua voce Josephus sæpe utitur. Valet autem idem quod נשיא, ἄρχων, supra IX. 30. XIII. 42.

Versf. 2. ET GENTI JUDÆORUM) Ita mos erat scribi illo tempore. Vide supra VIII. 28. XI. 33. XII. 6. XIII. 36. XIV. 20.

Versf. 3. PESTILENTES) ἄνδρες λοιμοί, לצים, ut supra X. 61. Indicat Alexandrum Balen & filium ejus, maxime vero Tryphonem. Sunt hæ epistolæ, ut supra diximus, ex Græcis veris fictæ Hebraicæ, versione satis libera, iterum deinde Græcæ.

ET ELECTAM FECI MULTITUDINEM EXERCITUS) Josephus, τῶν ἰχθύων ἀντὶ κατὰ πάντων ἐμπαρασκευάσατο.

Versf. 4. VOLO AUTEM PROCEDERE PER REGIONEM) Regionatim, ex una regione in alteram.

Communicat Rex consilium suum de extorquendo regno à manibus Tryphonis cum *Simone*,

*ne*, ac postea confirmat ei libertatem & omnia à superioribus Regibus Judæis concessa, additque *jus cudendæ monetæ*.

Vers. 5.

NUNC EGO STATUO TIBI) Id est, firmo, rata facio.

OMNES OBLATIONES QUAS REMISERUNT TIBI ANTE ME OMNES REGES) πάντα τὰ ἀφιερώματα ἃ ἀφῆκαν σοὶ οἱ πρὸ ἐμοῦ βασιλεῖς. Ubi primum est locutio inversa: vult enim dicere tatam se facere condonationem τῶν ἀφιερωμάτων, factam ante regibus; maxime vero à patre fratreque suo. Deinde ἀφιερώματα sunt in usu frequenti primitiæ quæ Deo debebantur. Inde sumta translatione omnia ea quæ de agris regibus pendi erant solita, ut pars dimidia nemorum, tertia frugum: de quibus supra X. 29. 30. XI. 34. Reges illi valde erant liberales de iis quæ ultra non tenebant, ut hujus Demetrij pater supra capite X. Alexander Magnus olim legatis Darij: *Quæ post Euphratem sunt liberaliter donat. Vbi igitur me affaminit nempe obliti estis. Nam ultra Euphratem sum.* Justinus libro XXXVI. *Facile tunc Romanis de alieno largientibus.*

ET QUÆCUNQUE ALIA DONA REMISERUNT TIBI) In Græco: καὶ ἐὰν ἄλλα ἀφίωνται ἀφῶνται σοί. Id est, *Et quæcunque præterea remittuntur tibi fiunt.* Par loquendi genus habuimus supra X. 28. Intelige reliqua tributorum, salis redemptionem, vectigalia in Hierosolymus.

Vers. 4. ET PERMITTO TIBI FACERE PERCUSSURAM PROPRII NUMISMATIS IN REGIONE TUA) Id. est, tua imagine, qui magnus honos olim habitus. Procopius tertio Gothicorum de regibus Francis: ὁπότε βούλοιτο ὁ ἐκείνων βασιλεὺς χαράττειν ἰδίωσιν τῷ σταθμῷ τὴν αὑτοῦ εἰκόνα. Adde quæ dicta Matth. XXII. 20.

Ablata illa potestas cudendi monetam Judæis ex quo à Chaldæis vastata Hierosolyma deinde in Persarum, tum in Macedonum imperium cesserunt. Restituta nunc, ad id tempus usque durasse videtur, cum *Archelao Herodis Ascalonitæ filio* mortuo, *Judæa*, & caput ejus *Hierosolyma, provinciarum* more per *Præsides Romanos* gubernari cepit. Nam tunc *moneta Romana* videtur in usum inducta. Putant nonnulli sub Simone cusos nummos, qui Craterem una facie habent cum inscriptione שקל ישראל, altera facie vero ramum cum ירושלם הקדשה: sed illi Sicli non conspiciuntur sub *imagine Simonis*.

Vers. 7.

JERUSALEM AUTEM SANCTAM ESSE ET LIBERAM) Interpretare, ut supra X. 31.

ET OMNIA ARMA QUÆ FABRICATA SUNT) Quod ipsum haberi solet inter jura regia. Justiniani Nov. LXXXV. In feudis c, Quæ sint regalia.

ET PRÆSIDIA QUÆ CONSTRUXISTI, QUÆ TENES, MANEANT TIBI) Idem est sensus qui supra XIV. 33.

Vers. 8. ET OMNE DEBITUM REGIS) Quodcunque regi ulla ex causa nunc debetur. Solet post multa specialia addi clausula quædam generalis, ne quid effugiat.

Vers. 9. ET QUÆ FUTURA SUNT REGI) Quæ in posterum deberi possent quacunque ex causa: ex jure scilicet fiscali.

GLORIFICABIMUS TE ET GENTEM TUAM, ET TEMPLUM GLORIA MAGNA) Donaria scilicet mittendo in Templum, uti Syriæ & Ægypti Reges non raro antehac fecerant.

Vers. 10. EXIIT ANTIOCHUS IN TERRAM PATRUM SUORUM) In superiorem Syriam, ut Josephus explicat.

ET CONVENERVNT AD EUM OMNES EXERCITUS, ITA UT PAUCI RELICTI ESSENT CUM TRTPHONE) Exolescente favore recentis imperij, ut ait Justinus.

Vers. 11.

ET VENIT DORAM FUGIENS PER MARITIMAM) Nempe Tryphon, ut Josephus nos docet. Est hæc Dora in ora maritima Phœnices: quod & Ptolemæus significat.

In illa fuga forte contigit, quod *Frontinus* refert l. II. c. 13. *Trypho Rex Syriæ victus per totum iter fugiens, pecuniam sparsit, eaque arte sectatores Antiochi equites moratus effugit.*

Vers. 14.

ET VEXABANT CIVITATEM A TERRA ET MARI) Obsidebant, ut ait Josephus.

Vers. 15. HABENTES EPISTOLAS REGIBUS ET REGIONIBUS SCRIPTAS) Hæ sunt illæ epistolæ, quarum mentio aliqua facta supra XII. 4. Tenor autem totus huic loco reservatus, quia tunc usus earum apparuit.

Diversæ illæ literæ sunt. Nam quæ supra commemoratæ tantum erant *literæ salvi conductus*, ut vocantur.

Vers. 16.

LUCIUS CONSUL ROMANORUM) L. Furius Philus. Sic enim bis appellatur à Cicerone, nec aliter ab Obsequente, is qui in fastis per errorem Publius. Cæterum quilibet Romani sermonis formularumque gnarus facile intelliget hoc Senatus consultum (nam Senatus erat legatis respondere, ut notavit Polybius) non esse quale Romæ scriptum est, sed quomodo sensum ejus Hebræus Hellenistis Hebræis scribens exprimere voluit. Senatusconsulti autem hujus initium fuit: *Quod L. Furius Consul verba fecit.* Sicut alterius Senatusconsulti, cujus meminit Josephus XIII. 17. initium fuit: *Quod C. Fannius M. Filius Prætor verba fecit.*

Disputat prolixe de hoc *Lucio Consule* Fullonius, eumque non esse *L. Furium* è Chronologia docet, sed *L. Calphurnium Pisonem*, qui Consul fuit anno urbis 614. Græcorum 173. Quem *Lucium* vocat *Valerius Maximus* l. I. c. 4. de eo etiam *Salianus* hæc intelligit. Abfuit eo tempore Collega Calphurnij *M. Popilius Lænas* in Hispaniam profectus, unde solius Lucij consulis nomine scriptæ sunt literæ.

Vers. 21.

SI QUI ERGO PESTILENTES) Supra 3.

Vers. 22.

HÆC EADEM SCRIPTA SUNT DEMETRIO REGI) Regi Syriæ ei qui ante hunc Antiochum Rex fuerat. Mortuus igitur is dum Legati sunt in itinere: literæ autem ad fratrem ejus Antiochum pervenere. In Græco sequenda editio Sixtina, quæ habet Δημητρίῳ τῷ βασιλεῖ, non autem illæ quæ habent Δημητρίῳ.

AB ATTALO) Scripsit Latinus interpres: *ac Attalo*, ὁ Ἀτάλου, Regi nimirum Pergami, qui populum Romanum bonorum suorum reliquit hæredem.

ET ARIARATHI) Sic & in Sixtina Ἀριαράθῃ, cum in aliis male sit Ἀριάθῃ. Fuit circa hæc tempora Cappadociæ Rex Ariarathes, cujus simul cum Attalo Rege Asiæ, & Ægypti Proleinæo, meminit Justinus libro XXXV.

ET ARSACI) Qui Phraates proprio nomine, communi Arsaces, vel Arsacides, ut supra diximus XIV. 2.

Ad *Demetrium* scriptæ Romanorum literæ, quia nondum Romæ auditum erat, *Demetrium à Parthis captum*: ad *tres alios Reges*, quia Judæi ista ætate per illa regna sparsi erant: ideoque expediebat, ut Reges Judæorum cum Romanis amicitiam scirent, quo mitius cum subditis Judæis agerent: & ut mercatoribus Judæis in illis regnis negotiantibus securitas esset: quia per insulas maris sub *Simone* passim erant Judæis commercia & recipiebant quoque sese pestilentes & impij apostatæ in illa regna, qui facile à Simone repeti ad pœnam poterant: unde etiam ad illos Reges scribendum Romani duxerunt.

Vers. 23.

ET IN OMNES REGIONES) Amicas populi Romani gentes, aut civitates liberas & amicas, aut socias, aut quæ erant sub fœdis regibus: maritimas maxime, quia mari faciendum hoc iter Judæis legatis, qui sæpe ad proximam oram volebant appellere.

ET LAMPSACO) *Et* hic est pro *nempe?* Ex hoc Latino Græcum corrige, & pro Σαμψάκῃ repone Λαμψάκῳ. Est πόλις εὐλίμενος, teste Strabone.

ET SPARTIATIS) Civitati tunc liberæ, ut supra diximus.

ET IN DELUM) Cycladum clarissimam, & frequentem, tum ob templi sanctimoniam, tum ob commercia quæ post Corinthum excisam eo migrarunt.

ET IN MYNDUM) Urbem in Caria portu nobilem, ut Strabo nos docet.

ET IN SICYONEM) Achaïæ urbem vetustissimam, in qua portus & navale, ut idem nos docet Strabo,

ET

ET IN CARIAM) Quam liberam esse jusserant Romani, ut Livius testatur libro XLIV. Scripserant ergo Romani & ad commune Cariæ, & specialiter ad Myndum Civitatem, hanc immunitatem. Vide legendum ἴκαριον, quæ Insula Samo proxima.

ET IN SAMUM) Insulam liberam, ut ait Plinius, & prædivitem, ut Strabo, obtentam, Asiæ.

ET IN PAMPHYLIAM) Eam scilicet quæ cis Taurum, & adempta Antiocho Magno.

ET IN LYCIAM) Quam & ipsam ademtam cum Caria Rhodus Romani liberam esse jusserant, teste Livio dicto libro XLIV.

ET IN HALICARNASSUM) Hæc quoque urbs est Cariæ, & regia olim.

ET IN COO) Coorum insula & urbs appulsu jucunda, Cariæ præjacens. Nobilissimam insulam Plinius vocat.

ET IN SIDEN) Pamphyliæ urbem, ut ante diximus; nisi forte legendum Σιδῶνα. Nam ea propinqua Arado. In Græco Sixtino est: καὶ εἰς Ἀλικάρνασσον, καὶ εἰς Κῶδον, καὶ εἰς Φασηλίτας, καὶ εἰς Κῶ, καὶ εἰς Σίδον, καὶ εἰς Ἀράδιον, καὶ εἰς Γόρτυναν, &c.

ET IN ARADUM) De qua diximus ad Gen. X. 18.

ET IN RHODUM) Hoc nomen male deest in Græcis nonnullis. Ea insula tunc amica magis quam fœdi erat populi Romani, ut ex Livii Libro XLV. cognoscimus.

ET IN PHASELIDEM) Oppidum est maritimum in confinio Lyciæ & Pamphyliæ. Ptolemæus Lyciæ tribuit: Pamphyliæ alii; memnit & Lucanus.

ET IN GORTTNAM) Quæ Cretæ urbs prima dignitate Strabonis temporibus. Creta libera erat hoc tempore, & amica Romanis, & Demetrii domo.

ET CNTDUM) Insula est non longe à Rhodo, portus habens duos, ut Strabo nos docet.

ET CYPRUM) Quæ eo tempore sub Ægypti erat regibus fretis Romanorum auxilio. Testes Strabo & Justinus.

ET CYRENEN) Et hæc erat tunc sub Ægypti regibus. Divisis inter filios regnis Cyrene ad Romanos devenit. Docent id nos Strabo & Justinus.

Sine dubio ad *alias etiam regiones & urbes* scripsere Romani, hæ autem commemorantur, quia magis Iudæos attinebant, ve affinitate, ac societate, ut *Spartani*, vel ratione commerciì ut *insulæ maris mediterranei*, & *urbes maritimæ*: vel quod in eis habitarent frequentes Iudæi, uti *Cyrenis*, ubi Iudæorum Synagoga fuit Act. VI, *Sparta* & *Sicyon* in *Peloponneso* erant. Insulæ *maris Mediterranei* sunt *Delus, Samus, Cos, Rhodus, Cyprus, Arados* (proximæ continentem Syriæ ad ostium Eleutheri fluvij) *Gortyna* (Cretæ insulæ urbs) *Cnidus* (in extremo Cariæ promontorio sita) *Myndus* (oppidum Cariæ maritimum percelebre) quibus accedunt *Asiaticæ* urbes *Lampsacum*, *Alicarnassus*, *Sides*, *Phaselis*, ut & *finitimæ in Asia provinciæ Caria, Pamphylia, Licia*, nec non amplissima *Africæ* provincia, *Cyrene* quæ tum Ægyptij Regibus parebat, & sub Phiscone Ptolemæo erat. Cæterum hæ literæ Romanorum ad tot tamque potentes Reges & Resp. Romanorum quidem tum temporis potentiam arguunt, sed Iudæis exiguo solatio, nulli prorsus usui, nulli auxilio fuerunt, ut ex sequentibus patet. Quod fatetur hic *Tirinus*. Bilem potius Antiochio, Iudæis odium crearunt.

Vers. 24.

EXEMPLA AUTEM EORUM SCRIPSERUNT SIMONI) Literarum quas legatis dederant exempla Romani etiam ad Simonem misere, ut cognosceret quantæ curæ Romanis essent Iudæorum negotia.

Communicarunt Romani exemplum seu copiam literarum Iudæis, quas ipsorum causa ad alios dederant, *partim* ut eis constaret de societate & amicitia bona fide inita, *partim* ut scirent quæ de se ad Reges ac populos scribérentur, exigerentque ubi usus ferret, eorum observationem.

Vers. 25. ANTIOCHUS AUTEM REX APPLICUIT CASTRA IN DORAM SECUNDO) Ubi erat Tryphon, ut dictum supra II. Cæterum Græce: Ἀντίοχος ὁ βασιλεὺς παρενέβαλεν ἐπὶ Δῶρα τῷ δευτέρῳ, sic vertam: *Antiochus autem rex altero* (post adventum legatorum Iudæorum) *oppugnavit Doram*. Nam παρεμβάλλειν ita sumi interdum solet etiam in his libris.



*Salianus* etiam subintelligit *Diem*, sed hoc sensu, quod Antiochus ita urserit obsidionem, ut *altera die* penitus conclusus esset Tryphon. *Fullianus* notat subaudiri posse μερὶ, *parte*, ut intelligatur capta *priore parte civitatis* Antiochum promovisse ad *secundam partem*. Alij *secunda vice* cum vulg. intelligunt, non quod semel desierit oppugnatio, sed quod operum molitiones paulo intermissæ jam resumtæ fuerint, aut saltim acrius excitatæ. Cui sensui favere videntur quæ sequuntur.

ADMOVENS EI SEMPER MANUS) Crebros insultus faciens.

Vers. 27. ET NOLUIT EA ACCIPERE, SED RUPIT OMNIA QUÆ PACTUS EST) Legit ut nos nunc habemus in Græco: καὶ ἐκ ἠθέλησε. Sed Josephus vult nos legere καὶ ἐθλάσθη. Accepit Antiochus milliem & commeatum a Simone: sed postea nihil eorum quæ sitione promiserat præstitit. Notarunt hoc ante nos & alij.

Nimirum arctato *Tryphone* jam se facile Iudæam à regno avullam recuperare posse sperabat: ideoque fœdus cum Iudæis rumpebat.

Vers. 28. VOS TENETIS JOPPEN ET GAZARAM ET ARCEM QUÆ EST IN JERUSALEM) Sic & infra 35. de Gadaris vide XII. 54.

Vers. 30. ET TRIBUTA LOCORUM IN QUIBUS DOMINATI ESTIS EXTRA FINES JUDÆÆ) Significat tres Toparchias: nam Ptolemæi promissa fuerat, non tradita. Vide *supra* X. 30. XI. 34. 57. Addi possunt Joppe & Gaza, bello capta, ut infra sequetur.

ET EXTERMINII QUOD EXTERMINASTIS ET TRIBUTORUM CIVITATUM ALIA TALENTA QUINGENTA) ἢ τὴν καταφθορὰν ἣν κατεφθείρατε, καὶ τοὺς φόρους τῶν τόπων ἄλλα τάλαντα πεντακόσια. ubi ex præcedentibus repetendum est *dixi*. Sensus enim est: *Et pro vastitate quam fecistis & pro tributis* (nempe prætiritis) *locorum* (illorum scilicet trium) *date altera quingenta aurea*.

Vers. 31. SIN AUTEM) εἰ δὲ μή. *Si autem hæc non datis.*

Vers. 32. ET CLARITATEM.

Κυλικεῖον, id est *abacum exponendis calicibus, pateris, pasisque aliis aureis, & argenteis.*

ET APPARATUM COPIOSUM.

In Græc. παράθεσιν, quod etiam ad *famulitium*, & fortassis rectius, referri potest.

V. 33. HÆREDITATEM PATRUM NOSTRORUM) Olim à nobis possessa, cum duodecim tribus sub uno essent regno; nempe Bethel, Lyddam & Ramadam.

Vers. 35. ET GAZARA) Vide supra 27.

IPSI FACIEBANT IN POPULO PLAGAM MAGNAM, ET IN REGIONE NOSTRA) Non mirum si loca hostium jure belli cepimus.

HORUM DAMUS TALENTA CENTUM) Id est, parati sumus dare. Et est Græca constructio.

Etiamsi juste se possidere omnia doceat Simon, vel enim sua olim fuisse, adeoque *paternam hæreditatem* recte vindicatam, vel aliena quidem sed infesta, idcirco etiam juste capta *jure belli*, offert tamen *ad redimendam vexam*, ut loquuntur, talenta centum, quæ si Attica sint, centum quinquaginta millia florenorum, siu Ebræa duplum efficiunt.

Vers. 37.

TRTPHO AUTEM FUGIT NAVI IN ORTHOSIADA) Portum Phœnices apud Ptolemæum, Strabo Orthosiam vocat libro XVI. ut & Plinius II. 20. Hinc evero Trypho Apamenam se contulit, ut collatio Josephi indicat. Inde enim ortus erat, & ibi fidissimos habebat amicos, ut Strabo nos docet.

*Orthosiada* non longe à *Trinoli* distitam *Tortosam* vocari notat Adrichomius è Guil. Tyrio, & Ptolemæo. A pamea vi capta interfectum Tryphonem Josephus ait. *Strabo* l. XIV. Tryphonem ab Antiocho conclusum intra castellum quoddam sibi manus intulisse perhibet. *Orthosias*

Vers. 38.

ET CONSTITUIT REX CENDEBÆUM DUCEM MARITIMUM) Nempe ut Iudam prehenderet, & Iudæam popularetur, exponente Josepho. Fuit hic amicus regis, nomen habens à parte Phœnices quæ Cendevia Plinio XXXVI. 26. Est autem nomen pronuntia-

tione contracta, Syriacum in morem, קדרי pro קדרון ἐκπώμα τῦ ἀνδρός. Historiam vide II. Sam. V. 25. VIII. I. I. Paralip. XVIII. 1.

Vers. 39.

ET MANDAVIT EI ÆDIFICARE GEDOREM) Ex hoc Latino emendandus textus Græcus in quo perperam legitur τὸν Καδρὼν, pro τὸν Γεδρών. Est ea גדרות Josi. XV. 58. Vbi in Græco itidem male scriptum Γεδρὼν, pro Γεδρὼν. Et alio errore I. Paralipom. IV. 39. Γάδηρα: ubi scribendum Γεδηρα. Ptolemæo est Γεδηρα. Vibs tuit olim in Danitarum portione, confinis Philistinis & Idumæis. Alia est Gazara vel Gadara maritima, de qua supra & infra.

ET OBSTRVERE PORTAS CIVITATIS) *Civitatis* non est in Græco. Recte ergo monent viri eruditi πύλας hic, ut in Græcis historiis, intelligendas fauces montium, quæ τὰ φαραγγώδη τῶν ὀρῶν dixit hic Josephus.

Alij *portas Gedor à Cendebæo munitas* ajunt, ut inde ex propinquo sui per Iudæam volitare possent, & prædas eo recipere. Non longe distabat à *Iamnia, Modin, & Azoto*, vid. vers. 40.

ET DEBELLARE POPVLVM) *Populum* Judaicum *bello vexare*.

REX AVTEM PERSEQVEBATVR TRTPHONEM) Quia, ut diximus, ab Orthosia Apameam se contulerat.

Vers. 40.

ET PERVENIT CENDEBÆVS IAMNIAM) Sic & Strabo & Ptolemæus appellant. Est prope Azotum & Ascalonem. Diximus de ea & alibi.

ET COEPIT IRRITARE PLEBEM) τὸν λαὸν, id est populum Judaicum.

ET ÆDIFICARE GEDOREM) Hic idem error in Græco commissus, quem jam notavimus.

Vers. 41.

VT EGRESSI PERAMBVLARENT VIAM IVDÆÆ) In Græco: τὴν Ἰουδαίαν. Sensus est: ut ex Gedore per omnia Judææ itinera excurrerent.

SICVT CONSTITVIT EI REX) Constituerat. Est enim Aoristus qui pro omnibus temporibus, maxime præteritis, ponitur.

## CAPUT XVI. & ultimum.

*Simon, cognito adventu Cendebæi, exercitum suum, ducibus Iuda, & Iohanne filiis suis, adversus eum mittit, qui castra Cendebæi fuderunt, & fugarunt, cæsis bis mille viris. Ptolemæus filius Abobi, gener Simonis, Socerum suum, & Iudam & Mathatiam filios ejus, convivio exceptos in arce Doch proditorie occidit, imperium Iudææ sibi scelerate vindicare conatus, missis, qui tertium quoque Simonis filium, Iohannem similibus dolis è medio tollerent. Sed Iohannes insidias prævertit, & parenti suo in summo Pontificatu, & principatu succedit.*

Vers. 1.

ET ASCENDIT IOHANNES) Simonis ille filius, memoratus supra XIII. 5. 9.

DE GAZARIS) Id est, Gadaris, ut XII. 54. diximus.

NOn quod restricta adeo ejus potestas, ut pugnare sine Patris auctoritate non posset, sed ut rem tantam cum Patre communicaret, ejusque *consilium* requireret.

Vers. eod. EGO ET FRATRES MEI ET DOMVS PATRIS MEI) vide supra XIV. 26. in Græco.

Per *domum Patris* itidem *fratres* intelligunt nonnulli, uti solent Ebræi Synonyma conjungere; alij *fratres* proprie dictos voce *fratrum*, reliquis vero vocibus *cognationem totam paternam* rectius notari ajunt.

Vers. 2.

ET PROSPERATUM EST IN MANIBUS NOSTRIS LIBERARE ISRAEL ALIQUOTIES) Successit procuratio libertatis. Sic supra I. III. 6. XIV. 36. II. Macc. X. 7.

Vers. 3.

SED ESTOTE LOCO MEO ET FRATRIS MEI) In Græco est amplius: *Vos autem beneficio* (Dei) *estis per ætatem pares* (bellis,) *estis ergo* (populo Judaico) *pro me & pro fratre meo*: nempe Jonathane, cujus recentior memoria.

Vers. 4.

ET DORMIERUNT IN MODIN) Ibi interjunxerunt.

Vers. 6.

AD TRANSFRETANDUM TORRENTEM) Sic & supra locutus est hic interpres; id est, *ad transcundum torrentem*.

ET TRANSFRETAVIT PRIMUS)

--- --- *monstrat tolerare labores,*
*Non jubet.*

Ut apud Lucanum Cato.

*Salianus* torrentem *Cedron* esse credidit. Sed rectius torrens quidam inter Modin, & Gedorem interjectus, & campo Sephela intersecto sese ad Accaronem exonerans in mare Mediterraneum, intelligitur.

Vers. 7.

ET DIVISIT POPULUM ET EQUITES IN MEDIO PEDITUM) Secundum & est pro nempe. Ita distribuit populum, ut in pedium intervallis se tenerent equites.

Vers. 8.

ET EXCLAMAVERUNT SACRIS TUBIS) In Græco tantum est: *Et cecinit tubis.* Sed interpres sacras tubas dixit, quia Sacerdos militiæ attributus, (de quo Deuteron. XX. 2. Cæteris ut voce præibat, ita & tubæ cantu. Num. X. 8. 9.

IN MUNITIONEM FUGERUNT) Gedorem, ut ex sequentibus intelligitur.

DONEC VENIT CEDRONEM) Idem hic error in Græco & Latino qui supra XV. 3. in Græco, non in Latino. Legendum enim ἐις Γεδῶρα, *Gedorem.*

QUAM ÆDIFICAVIT) *Quam munierat*, ipse scilicet Cendebæus.

Vers. 10.

ET FUGERUNT) Alii scilicet qui in illo prælio fuerant, ut non soleat fuga de communi consilio fieri.

USQUE AD TURRES QUÆ ERANT IN AGRIS AZOTI) Ad prætenturas & stationes agrarias, ut loquitur Ammianus Marcellinus libro XIX. XXI. XXV. XXIX. XXXI. In Glossis, *Prætentura*, προβολὴ, ὑπωτείχισμα. In Basilicon Glossis, προτείχισμα, παφάλωσις. Sunt in agris receptus militum ac specula, quales & nunc in usu: sed nunc magis ex lapide: olim sæpe ex ligno, ut sequentia ostendunt. Has ex ligno turres Romani veteres falas dicebant, ut ex Ennio Nonius Marcellus nos docet. Utitur hac voce & Juvenalis. Festus, Servius, & post eos Isidorus falaricæ vocabulum inde deducunt.

ET REVERSUS EST AD IVDÆAM IN PACE) ἐν εἰρήνῃ τὸν λοιπὸν διέγαγεν βίον, ait Josephus.

Vers. 11.

ET PTOLEMÆUS) פתלמי nomen est Hebræum à sulco. Id autem sono proxime accedit ad Macedonicum nomen à bello deductum Πτολεμαῖος. Ideo Hebræi Græce scribentes hoc pro illo usurpant.

FILIUS ABOBI) אבובי à spica ductum nomen, ut solebant veterum nomina multum desumi à re rustica.

Vers. 12.

ERAT ENIM GENER SVMMI SACERDOTIS) Simonis. Hinc iterum in pejus labi cœpere res Judaicæ. *Fugas civium, urbium eversiones, fratrum, conjugum, parentum neces, aliaque solita regibus ausa*: ait Tacitus.

Vers. 13.

ET VOLEBAT OBTINERE REGIONEM) Imperium regionis.

Vers. 14.

SIMON AVTEM PERAMBVLANS CIVITATES) Vt videret si quid esset quod novæ opis egeret. Exemplum providi ducis.

Ἀναγκαίως τι τοῖς σοφοῖς στρατηγοῖς.

Vt jam apparebit.

ET

ET MATHATHIAS FILIUS EJUS) Ab avo dictus.

HIC EST MENSIS SABATH) ἔστι δὲ μὴν Σαβάθ, non שבת, id est, à Sabbato, sed שבט, à fuculo. Sic & Zach. 1, 7. Meminit & magna paraphrasis Esth. III. 7.

Vers. 15.

IN MUNITIUNCULAM) In Castellum.

QUOD VOCATUR DOCH) In Græco: Δωκ: רוכ specula Syris.

QUAM ÆDIFICAVIT) *Quam munierat.* Ut supra 9.

Vers. 16.

ET CUM INEBRIATUS ESSET SIMON) *Adbibisset.* Est enim Hebraïs שכר, & Hellenistis μεθύσθαι, vox non inhonesta.

*An ebrietatem Simon, etatem* tantum bibisse eos, non autem proprie *ad ebrietatem* putant; μεθύεσθαι non *temulentiam* designare, sed *hilaritatem* in convivio *Matth. XXIV. 49. Joh. II. 10.* Aut *sensus proprius ebrietatem* infert. *Act. II. 15. 1. Cor. XI. 21. 1. Thess. V. 7. Ap. XVII. v. 6. Et Hesychio* μέθη est κραταλη σκότωσις ὕπνου. Et dicuntur hic in convivio fecisse πότου μέγαν v. 23. Nec dubium, quin *Ptolemæus*, quum insidias socero per ebrietatem struxerit, id egerit, ut *vino somnoque sepelirentur* hospites, quo ita ἀνεμπαρτὶ sine pugna interirent. Non enim ignorabat *fortitudinem Simonis* insignem. Ideo *Fullianus* agnoscit *inebriatum omnino fuisse Simonem ac liberos prorsus, ut sui vix ac ne vix quidem compotes essent, ad ebrietatis absolutæ gradum*, in comment. in h. l. p. 511. Quod supposita veritate hujusce relationis autoris Nostri non videtur negandum. Quod autem idem Jesuita negat, *ideo graviter peccasse ipsos*, foliis siculneis accensendum: id vero vere ἀβεβλογον est, quod e *Joh. Majore* in IV. dist. 17. q. 8. idem disputat: *quitemulentiam incurrat scienter, pro aliqua rationabili causa, quæ evenire potest, non est peccatum, sed prolixe loquendo est actus sobrietatis: quia à dictamine subest aliqua ratio-nabilis causa peccatum sit i-*

*An temulentia spontanea cum prudentiali regulatus, & per consequens actus moralis, ter bonus.* Quod est è peccato virtutem, è malo bonum, è tenebris lucem facere. Ebrietas enim *operibus carnis, & tenebrarum* accensetur, etiamsi involuntaria & coacta quodammodo sit, quanto magis ergo *temulentia*, quam quis sciens prudens incurrat! *Gal. V. 21. Eph. V. 18. 1. Thess. V. 7. Rom. 13. 13.* Porro regnavit *Simon* annos omnino *septem* nempe ab anno Græc. CLXX. usque ad CLXXVII. *Olympum* inchoarat solum, unde *Josephus octo* numerat. Falso autem *Josippus 18. annos* ille assignat, & à *Ptolemæo* Ægypti Rege *peneno* necatum dicit, manifesta Dei vindicta, quod cum Spartianis, & Romanis fœdus pepigisset.

*Tempus regiminis Simonis.*

ET OCCIDERUNT EUM) Hoc habet & Josephus.

ET DUOS FILIOS EJUS) Captos primum, quod ex Josepho discimus.

Vers. 17.

FECIT DECEPTIONEM MAGNAM IN ISRAEL) In Græco tantum est: ἐνεδρεύσει μεγάλη, *magna insidiæ est perfidia.* Ita enim vocem ἐνέδρας sæpe usurpat Polybius. Jeremiæ XX. 8. חמס, id est, violentia, Græce vertitur ἐνέδρα. II. Dan. IX. 7. שעי, quod defectionem significat, itidem ἐνέδρα vertitur, & ἀσυνθεσία, I. Paralip. IX. I. Esdr. IX. 2. 4. X. 6. Historici boni, ubi factum aliquod narrarunt, solent judicium suum & proborum de tali facto addere.

Vers. 18.

ET SCRIPSIT HÆC PTOLEMÆUS, ET MISIT REGI) Antiocho Sidetæ: qui Josepho XIII. 16. antiquæ historiæ, Ἀντιόχῳ τῷ Εὐσεβεῖ.

ET TRADERET EI REGIONEM ET CIVITATES EORUM ET TRIBUTA) Id est, ut ipse Ptolemæus, accepto à rege exercitu, *traderet regi regionem Judææ, & urbes eorum* (nempe Judæorum, constructione, πρὸς τὸ συμπεφωνῆσθαι) *cum tributis.*

Non abs re dubitat *Ostander* an hic *Ptolemæus* fuerit *Israelita*, cum autor noster tantum Patris ejus mentionem faciat, non autem alicujus tribus Israeliticæ, ex qua originem duxerit: & collusserit Ptolemæus cum Rege Antiocho: adhæc è *Simonis* actionibus appareat, quod (bonus alioquin vir) multum carnalibus consiliis indulserit. Unde connubium illud pessime cecidit, in quod forte intuitu opum Ptolemæi, & dignitatis, quod præfectus regionis Hierichuntinæ fuerit, consensit.

Vers. 19.

ET MISIT ALIOS IN GAZARAM) Gadara, ut supra sæpe diximus.

TOLLERE IOHANNEM) Cui cognomen Hyrcano, ut ait hoc loco Josephus, הרקן *sollertior*, hostium scilicet. Sic solebant boni ominis nomina dari, belli temporibus.

ET TRIBUNIS MISIT EPISTOLAS) Iis qui sub Johanne præfidio Gadarorum præfuerant.

ET DARET EIS ARGENTUM ET AURUM ET DONA) Id est, ut magna à se acciperent.

Vers. 20.

ET ALIOS MISIT OCCUPARE IERUSALEM, ET MONTEM TEMPLI) Ipse quoque eo se contulit, sed à Johanne Hyrcano, ob suas patriasque, & patruorum virtutes favorabili, ipse ob scelera exosus, à plebe exclusus est.

Vers. 22.

COGNOVIT ENIM, QVIA QVÆRÉBANT EUM PERDERE) Hic aut morte, aut alia aliqua calamitate interegnus finem scribendi fecit hic, quisquis est illorum temporum Kriptor: ideoque in rebus popularium suorum fide dignissimus. Cætera aliquis amicus aut descriptor addit.

Cur vero *postremos duos versus* alii potius, descriptori nempe aut amico autoris, quam autori ipsi tribuamus? Nulla profecto ejus rei apparet ratio.

Vers. 23. ET CÆTERA SERMONUM IOHANNIS) *Cætera vero rerum Johannis.* דברי יוחנן

ET BELLORUM EIUS ET BONARUM VIRTUTUM QUIBUS FORTITER GESSIT) *Et bellorum ejus, & pulchrorum facinorum, quæ edidit:* nempe contra Syros, Moabitas, Idumæos, Samaritas, Antiochum Sideten, Demetrium à captivitate reversum, filium Demetrii Antiochum Grypum, & Antiochum Cyzicenum.

De *sermonibus propriæ* dictis, id est, *sententiis, & apophthegmatibus* à Johanne Hircano pronunciatis, eorum instar, quæ à Salomone dicta & in libros Proverbiorum relata sunt, nonnulli intelligunt. Sed quis non videt Ebraismo consueto vocem λόγων pro factis, & rebus gestis hic accipi? *Bella vero* à Johanne gesta hæc præcipue referuntur, 1. adversus *Ptolemæum* parricidam. 2. Cum *Antiocho Sidete*, qui ingenti exercitu Hierosolyma obsessa, cum scenopegiorum diebus induciæ à Johanne peterentur, eas non concessit modo, sed etiam victimas auratis cornibus, odores, aromata aliaque sacrificia submisit teste Josepho L. XIII. c. 16. & Plutarcho in apophthegm. Reg. 3. Adversus *gentem Hircanam*, Parthis subditam, unde nomen, teste *Eusebio*, Hircani obtinuit. Porro multas *Syriæ* urbes cepit, urbem *Samariam* fossa, & duplici muro per 80. stadia cinxit, & tandem copiis Antiochi Cyziceni per filios Antigonum & Aristobulum profligatis cepit, soloque inductis torrentibus æquavit, *Garizitanum* templum evertit, *Idumæos* domuit, & ad circumcisionem ac legem judaicam adduxit &c. Profequuntur gesta ejus *l. IV. Maccabæorum Flav. Josephus l. XIII.* Antiqu. cap 14. seqq. *Goriomides* l. IV. c. 2. & seqq. Tandem post 31. annos principatus, & sacerdotii sui fatis concessit, relicto successore filio suo *Aristobulo*, qui loco Ducis nomen Regis cum Diademate, primus Hasmonæorum assumsit.

ET ÆDIFICII MURORUM QUOS EXSTRUXIT) Hierosolymis: nam ad pacem ab Antiocho Sidete redimendam loricam eorum destruxerat, ut ex Josepho discimus.

Alii de urbibus diversis in Judæa adversus hostium incursiones munitis intelligunt: nonnulli ædificationem quidem murorum Hierusalem, sed à Jonatha destinatam & ceptam c. XII. 36. 37. à Johanne absolutam censent.

Vers. 24.

IN LIBRO DIERUM SACERDOTII EJUS) In commentariis quos sacerdotes summi aut faciebant, aut fieri curabant. Quomodo favere populi summum sacerdotium adeptus sit hic Johannes Hircanus, habes apud Josephum XIII. 15. antiquæ historiæ & belli Judaici l. 2. Ex illis commentariis quos diximus Josephus sua depromsit.

De libro *quarto Maccabaicorum* nonnulli hoc intelligunt. Fullonius existimat, illa in de *Hircano* historiam ab *aliquo è primariis sacerdotibus* ipso mortuo conscriptam, *eamque si modo supereſſet, inter libros Canonicos futuram aut saltim non longe ab eorum auctoritate*, quandoquidem *ab auctore libri Canonici citetur tam serio & cum commendatione aperta veritatis.* Sed auctorem nostrum *Canonicum* esse falsum est. Et quomodo liber à sacerdote *non-Propheta* conscriptus *Canonicis Vet. Test.* accenseri potest, quum Canonici libri V. T. non alios habeant autores, quam Prophetas? Atque hisce concludimus librum præsentem ob historiam rerum memorabilium utilissimum, in quo imprimis elucet *admiranda Dei in conservatione Ecclesiæ providentia*: Qui pariter hisce extremis, & conclamatis mundi temporibus Ecclesiam suam afflictissimam tueri ac defendere & conservare dignetur adversus hostes & persequutores quoscunque, *ut nomen ejus gloriosum undiquaque celebretur. Amen!*

*I. N. J.*

# ANNOTATA AD MACCABAICUM II.

## *PRÆLOQVIVM GROTII.*

Multi semper in Cyrenaica regione vixere Judæi, ut ex Josepho apparet XIV. 13. XVI. 10. antiquæ historiæ, belli vero Judaici VII. 38. Act. II. 10. Ibi qui habitabant aut habitaverant Judæi Κυρηναῖοι dicebantur, ut Matth. XXVII. 32. Marc. XV. 21. Luc. XXIII. 26. Horum fuit Jason, id est, יהושע, Jesus, qui libris quinque complexus est res illas quæ Judæis evenere sub Seleuco filio Antiochi Magni, & deinde eas quas jam in primo Maccabaico legimus, ad regnum usque Antiochi Eupatoris, ut videmus infra III. 20. & amplius dicemus infra XII. 2. Ex hoc Jasone vir sane disertus, cujus nomen ad nos non pervenit, fecit compendium quod incipiet capite mox III. 1. præfatio vero capite II. 20. Hunc compendio additit brevitator ea quæ contigere ad mortem usque Nicanoris. Verum hanc & narrationi & præfationi scriptor præponendas censuit epistolas duas quas Judæi Hierosolymis agentes ad Judæos in Ægypto agentes scripserant. Eas habuit aut ex archivis Alexandriæ Judæorum Synagogæ, aut ex Callinico Sutorio, qui Alexandrinas historias decem complexus libris, ut ait Suidas, in iis Judaica horum temporum late tractaverat, ut nos docet Hieronymus præfatione ad Danielem. Est autem hoc compendium scriptum ea libertate, ut modo verba Jasonis ferme subsequatur, modo saltuatim maxime ad rem visa pertinere decerpat.

## *OBSERVATIONES.*

*De autoritate hujus libri.*

QVæ de *Autore*, & *Origine* eorum, quæ tradidit, Grotius moner, facile convincunt Pontificiorum errorem, de *Canonica libri autoritate* vitilitigantes: utpote quem nec à *Propheta*, nec *lingua Prophetica* scriptum esse, & ab exoticis vel certe humanis scriptoribus sua habere, ultro agnoscit Grotius. Quod profitetur etiam Autor ipse, nimirum *sese in compendium redegisse libros Jasonis Cyrenæi c. 2. 24.* & protestatur de instituti difficultate vers. 27. quod *non facilem laborem*, imo *negotium vigiliarum & sudoris plenum* susceperit: & quod amplius est, *veniam petit, si minus digne omnia tradiderit.* c. XV. 39. Num vero Spiritus S. est humana scripta in compendium redigere? num ea, quæ inspirat suis annuentibus, hisce negotium vigiliarum, & sudoris plenum facessunt, cum literis consignanda sunt? Num opus habet ipse veniam petere, aut num convenit hoc Spiritui S. vel scriptori à S. S. agitato?

Adde jam ea, quæ in hoc libro occurrunt vel *veritati historicæ* minus consentanea, vel *sectum pugnantia*, vel *analogiæ fidei* adversa, quæ luculenter itidem docent, eundem pro Canonico habendum non esse. Nam illud de *igne sacro, & arca, & tabernaculo & altari* in monte quodam à Jeremia absconditis c. II. 4. cum Historia Regum & Prophetia Jeremiæ haud convenit: quia antequam urbs caperetur à Chaldæis, Jeremias in carcere fuit, *Jer. XXXVII. 18.* eadem autem capta Chaldæi vasa templi omnia diripuerunt *2. Reg. XXV. 3. De tempore vero mortis Judæ* pugnat *liber præsens*, cum *præcedenti* qui *1. Macc. IX. 3.* anno 152. regni Seleucidarum occisus dicitur: at hic c. I. 10. anno 188. illius regni literas adhuc scribit ad Aristobulum, 36. scilicet annis post mortem: & quæ alia hujus generis antea tacta sunt in *annotatis ad libr. 1.* ac *posteà* tangentur. Accedit quod secundus hic liber in Historiis multa admiscat, v. g. de *admirandis apparitionibus* in conflictibus, de quibus nec in primo libro, in iisdem Historiis quicquam occurrit, nec apud Josephum: quodque de *numeris interfectorum* cum liber primus modeste loquitur, secundus hic omnia in immensum exaggeret. *Analogiæ* autem *fidei* repugnant tum commendatio facti *Judæ*, quod *sacrificium pro mortuis* obtulerit, & quidem pro iis, qui idololatriæ, ac sacrilegii crimine se polluerant, *cap. XII. 43.* tum *approbatio* & deprædicatio αὐτοχειρίας *Raziæi, XIV. 42. 43. 46.* de quibus deinceps pluribus.

*Chronologia & summa libri.*

Cæterum continet liber hic secundus historiam *annorum* ferme XIV. nimirum *à fine Seleuci Philopatoris ad tempora usque Antiochi Eupatoris*, quibus Nicanor à Juda Maccabæo fusus est: & adducit maxime *exempla* memorabilia piorum, qui pro lege Dei & veritate sibi tradita constanter, & sancte hanc vitam contemserunt, ut gloriam Deo cederent, & omnibus pietatis exemplum in se ipsis statuerent. Sed *adeo confuse* procedit, ut vel ex eo Canonica autoritas ejusdem facile labefactetur. *Confuse.*

Nam ut *Tirinus* vult *Epistolæ duæ* quæ præmittuntur cap. I. & II. ad libri primi finem potius ordine temporum spectant, quam ea, quæ cap. III. & seqq. traduntur, antecedunt: ac cap. III. & initium IV. usque ad vers. 7. immediate subsequi debeat vers. 11. cap. I. libri 1. Maccab. Quæ vero à v. 7. usq; ad 21. sequuntur, referenda sint ad 1. Macc. I. 16. & quæ hoc libro c. IV. traduntur à v. 21. ad finem capitis, imo usque v. 11. c. V. subnecti debeant versui 20. libri I. c. I. ac quæ à v. 11. cap. V. nec non cap. VI. & VII. legantur versui ultimo

cap.

cap. I. libri 1. subjungenda sint. Ita vult Tirinus capitis IIX. hujus libri 7. versiculos subnectendos esse l. I. c. III. versui 1. reliqua capitis istius inferenda inter vers. 37. & 38. capit. prædicti III. Quæ v. libr. I. c. 61. breviter exposita sunt de morbo, & morte, c. IX. hujus libri fusius explicari. At cap. X. concurrere cum iis quæ narrantur l. 1. c. IV. Nonnulla etiam è cap. X. ut & XI. & XII. capita inferenda esse l. I. c. VI. post. v. 10. Porro c. XIII. concurrere cum c. VI. l. I. post v. 29. Denique caput XIV. & XV. concurrere cum l. I. c. VII. Quæ omnia probe expensa nil nisi insignem confusionem Spiritui S. minime dignam produnt. Hic enim non confusionis, sed ordinis Deus est. Distribui autem
Partio libri. potest liber præsens in *tres partes:* Prima *duas Epistolas* Judæorum Hierosolymitanorum ad Ægyptios continet *cap. I. & cap. II.* Secunda *Librorum Jasonis epitomen* & compendium exhibet à cap. III. ad XIII. inclusive: Tertia *Nicanoris expeditionem & interitum* recensetur *duobus extremis capitibus.*

---

## *PARS I. LIBRI. DUÆ EPISTOLÆ IUDÆORUM.*

## CAPUT I.

*Epistola Iudæorum Hierosolymitanorum ad Iudæos in Ægypto degentes, qua petitur, ut & ipsi memoriam repurgati templi conserverent. Alia Epistola, in qua multa sunt fabulosa de morte Antiochi, & de invento sacro igne.*

Vers. 1.

FRATRIBUS QUI SUNT PER ÆGYPTUM) Hinc ad comma sextum nihil aliud est quam salutatio in limine Epistolæ. Inde incipit Epistola.

FRatribus, qui vel vi eo abrepti à Ptolemæo Lagi vel suapte sponte eo concesserunt cum Omnia sub Ptolemæo Philometore, & ibidem in Heliopolitana regione nobilissimum templum exstruxerunt. Quod vero per ψευδεπιγραφειαν loci Prophetici *Es. XIV. v. 19.* factum.

V. 4. ADAPERIAT COR VESTRUM.

Gratia sua & lumine cœlesti, ut serio obediatis legi ejus: maxime vero utà prophano templo, & vetitis sacrificiis ad templum Domini, quod non nisi Hierosolymis est Lev. XVII. 3. Deut. XII. 6. postliminio redeatis, ut hic *Tirinus* & *Menochius.*

Vers. 7.

REGNANTE DEMETRIO) Nicatore cujus partes contra Tryphonem Judæi tunc sequebantur.

ANNO CENTESIMO SEXAGESIMO NONO) A Seleuci initio, ut mos erat putare tempora. Scripta hæc Epistola anno ante decretum factum in honorem Simonis cujus mentio 1. Macc. XIII. 41.

Hæc verba commodius in fine Epistolæ posita essent: Aut certe subaudiendum *an. 169. data est hæc Epistola. Menochius* contra apertam textus literam vult hanc Epistolam datam esse anno 188. & negat cum Saliano & Serario v. 10. inchoari aliam Epistolam. Sed è nova inscriptione, & salutatione latis liquet ibi novam incipere Epistolam anno 188. datam: hanc a. scripram esse anno 169. quod agnoscit etiam *Tirinus:* qui vero in eo fallitur, quod putat *ordine temporum utrumque hanc Epistolam subnectendam esse fini libri primi.* Nam anno 169. Simon adhuc regnabat. Liber autem primus desinit in imperio Johannis.

NOS JUDÆI SCRIPSIMUS VOBIS) Jam ante temporibus Antiochi illustris.

IN TRIBULATIONE ET IMPETU) In Græco: ἐν τῇ θλίψει καὶ τῇ ἀκμῇ. Est autem ἐν ὁδῷ ὄντι, pro ἐν τῇ ἀκμῇ τῆς ὁδοιπορίας, in summis calamitatibus,

EX QUO RECESSIT JASON) Recesserat,

A SANCTA TERRA) A fide quam patriæ debebat.

ET A REGNO) Ab amicitia regum Ægypti. Vide Josephum XII. 4. & 6.

Vers. 8.

PORTAM SUCCENDERUNT, ET EFFUDERUNT SANGUINEM INNOCENTEM) *Quomodo portas incenderint, & sanguinem innocentem effuderint:* Macedones.

ET ORAVIMUS AD DOMINUM, ET EXAUDITI SUMUS) *Et quomodo ad Deum preces fecerimus, exauditique fuerimus.*

ET OBTULIMUS SACRIFICIUM) *Quomodo* (repurgato Templo) *obtulerimus sacrificium*, holocaustum prosperitatis & laudis. 1. Macc. IV. 56.

ET SIMILAGINEM) Id est, סמלת. Vide Levit. II.

ET ACCENDIMUS LUCERNAS) ἅψαι τὰ φῶτα *id est ὠὰς λυχνίας.* Josephus XII. 11. unde dies hic dictus φώτων,

ET PROPOSUIMUS PANES) ἄρτους *id est τὴν πρόθεσιν ἐπιδόναι*, Josephus dicto loco.

Vers. 9.

ET NUNC) *Propterea nunc quoque.*

FREQUENTATE) ἄγετε, *celebrate.*

Id obiervavit quoque *Menochius*, etsi contra propriam sententiam ad v. 7. à nobis notatam, ita exponens: *Et nunc frequentate* &c. *In Græco:* Et nunc *(supple* scribimus*)* ut *agatis dies* &c.

DIES SCENOPEGLÆ MENSIS CASLEU) In Hebræo fuerit חג הסכות ירחי, quomodo vocari hi dies solebant. Sed Græcus interpres dixit σκηνοπηγίας, quia dies hi pari lætitia peragebantur, qua ὁ σκηνοπηγὸς, quod clare explicatur infra 18. & X. 6. Neque minus his diebus quam ullis rami manibus ferebantur: infra X. 7. Satis autem significavit σκηνοπηγίας à Mose institutum hic non intelligi. Ea enim in mensem Tisri incidebat, qui Septembri ferme respondet, hic in mensem Casleu, sive χασλεῦον, qui ferme Novembris.

Quomodo vero Judæi in templo Hierosolymitano cultum divinum peragentes Judæos in Ægypto contra legem divinam in templo *Heliopolitano* Deo inservientes, adeoque vere *apostatas* ad festorum sacrorum celebrationem invitare poterant?

Vers. 10.

ANNO CENTESIMO OCTOGESIMO ET OCTAVO) Hæc altera est Epistola nullius nomen Regis præferens, libera jam Republica.

Diversa ergo omnino hæc Epistola à præcedente, 19. annis posterà scripta.

ET JUDAS) Hic Judas aliquis est Johannis Hyrcani cognatus, ejusque vicem gerens. Johanne Hyrcano in Syros hostes bellante. Vide Josephum XIII. 16. 17.

Tirinus *Rupertum, Serarium, & Mariamam* adducit, quod *Judas Essenus* libri hujus autor hic designetur, sed unde hoc docebitur. De *Juda Maccabæo* potius hæc accipienda, quia conjungitur cum *populo*, & Senatu, ceu caput. Qui vero jam anno 152. interierat: h. e. annis 36. ante scriptam hanc Epistolam. Quæ proinde manifesta est *contradictio*, Conf. *1. Macc. IX. Bellarminus* ipse refutat illam de *Juda Esseo* conjecturam: *quia non est verisimile cum Senatu & populo in titulo literarum, alium nominari, quam principem:* anno autem 188. non *Judas* sed *Johannes* Hircanus Dux fuerit Judæorum.

ARISTOBULO) Hoc nomen non ex vicinitate soni, sed ex paritate significationis factum est de Hebræo Græcum. Hebræum nomen est יועל, quod exstat 1. Paralip. VIII. 10.

MAGISTRO) Nempe in studiis Philosophicis, quicus hunc Aristobulum excelluisse tradit Eusebius Præp. VIII. 3.

PTOLEMÆI REGIS) Physconis dicti, prioris hoc nomine, qui Eusebio etiam Evergetes, alterius Evergetæ successor, coævus Antiochis Grypo & Cyziceno. At Eusebius mira inconstantia Aristobulum modo Philadelphi, modo Philometoris magistrum vocat. Philadelphi hunc fuisse magistrum, cujus hoc loco fit mentio, putavit & Clemens Alexandrinus Strom. V.

QUI EST DE GENERE CHRISTORUM SACERDOTUM) id est summorum: ex Aarone & filiis ejus Dei jussu unctis Ex. XL. 13.

Com-

*Consueverant enim*, inquit Rupertus, *Ægyptii Reges jam inde à diebus Philadelphi (qui legem per 72 sibi fecit interpretari) magistros habere Judæos.*

Vers. 11.

DE MAGNIS PERICVLIS A DEO LIBERATI) Repetunt memoriam rei quanquam pridem gestæ, ne ulla tam ingentis à Deo beneficii obreperet oblivio.

ADVERSVS TALEM REGEM) Tam sævum atque impium, Antiochum illustrem.

Antiochum Magnum notari vult Canus: sed eam sententiam refellit Bellarm. & Sixt. Senensis. Neque fuit ille tantus Judæorum hostis. Antiochum Sederem intelligunt *Rupertus*, *Medina*, *Sigonius* l. 2. in Sulpit. *Serarius*, *Mariana*, *Tirinus*, *Menochius* quum videant historiam de *Antiochi illustris* interitu non consonare iis, quæ *libro primo* narrantur.

*Contradictio irreconciliabilis in lib. Macc. De Antiochi illustris interitu.*

Sed quam manifesta & irreconciliabilis est illa ἀντιλογία, tam certa, & luculenta est sententia Grotii, & aliorum, quod hic de *Antiocho illustri* sermo fit, non de Sedere. Nam de *illo* verum est, quod *ebullire fecerit* instar *ranarum Ex. IIX.* & *murium 1. Sam. V.* in magna copia milites: & ob *purificationem templi* ab ipso prophanati Judæi celebrarunt festivitatem, qualia de *Sedete* non leguntur: ac ne dubium sit, quemnam *Antiochum* intelligat autor, nominat eum expresse c. II. 20. ut & *Iudam Maccabeum*, quem dixerat *congregasse omnia quæ defuerant* v. 14. ne quis alium *Iudam*, aliumve *Antiochum* hic somniaret. *Bellarminus* ergo & *Senensis* Antiochum *illustrem* assumunt, sed negant eum *occisum* dici *in templo Nannææ*, solum significari *eum fugatum*, *cecidisse*; *cecidisse autem quia exercitus ejus fusus est*. At in Græco textu è quo Latinus translatus est, habetur *concise* sive occisi sunt κατεκόπησαν. Additurque, *lapidibus fulminatum Ducem Antiochum* æque *ac socios*, *& laceratis membris capita abscissa fuisse*, *& foras projecta*. Quæ si mortem Antiochi negantur describere, quid jam in loquendo perspicuum, aut etiam disertum esse potest? Vid. de his copiosius disputans *Chamier* in Panstrat. Cathol. l. 5. cap. IIX. de Canon. n. XV. seqq.

Vers. 12.

IPSE ENIM EBVLLIRE FECIT DE PERSIDE) Illud *de Persida* extra Græcum non male adjecit interpres. Sensus enim est; qui in nos è Persida tot immisit exercitus, ipse in Persida interiit, idololatra in Idoleo.

IN TEMPLO NANNÆÆ) Deæ matris, ut explicavimus ad 1. Macc. VI. 1. 2. 3. Persæ quidem veteres Templa non habuerant, ut & nos alibi diximus. Sed postquam Macedonibus paruere, imitati sunt hac in re Macedonum mores retentis Deorum suorum nominibus.

Vers. 14.

ETENIM CVM EA HABITATVRVS) συνοικήσων. Dicitur id de conjugibus. Sensus est: venisse Antiochum, quasi ducturus esset Nannæam.

DOTIS NOMINE) Sic Antonius cum ei Athenienses Minervam suam despondissent, dotis nomine eis imperavit mille talenta. Seneca Pater in suasoriarum prima.

Vers. 15.

SACERDOTES NANNÆÆ) In Græco: τῆ Ναναίᾳ, scribendum τῆ Ναναίᾳ, supple Templi.

Vers. 16. APERTOQVE OCCVLTO ADITV TEMPLI) *Occulta janua laqueariorum.*

PERCVSSERVNT DVCEM) Fulminarunt in Græco. Sed hæc aliter Josephus, & ipse Jason Cyrenæus.

Omnino aliter *Antiochi Epiphanis* mortem describit non *Iosephus* tantum & *Iason Cyrenæus*, sed etiam autor *libr. 1. Maccab.* ut & Epitomator Jasonis secundi Maccab. autor, quem utrumque Pontificii *Canonicum* faciunt, etsi hæc in æternum à contradictione liberare nequeant: Nimirum utcunque Tridentini Patres, Romani Vejovis autoritate accedente, contradictoria statuant, credenda tamen illa in Romano-Catholica Ecclesia erunt fide indubitata more cæcorum Judæorum, qui contradictoria Rabbinorum effata suscipiunt, & amplexantur. Sed de his ad *1. Macc. VI. 16.* actum.

Vers. 18.

FACTVRI IGITVR (QVINTA ET VIGESIMA DIE CASLEV PVRIFICATIONEM TEMPLI) μέλλοντες ἄγειν, id est, *celebraturi purificationem*, id est, memoriam Templi repurgati diebus solemnibus. Vide dictum locum 1. Macc. IV. 59. & Josephum XII. 11.

VT ET VOS QVOQVE AGATIS DIEM SCENOPEGIÆ) In Græco: ὡς σκηνοπηγίας, *velut Tabernaculorum*: quod optime convenit cum explicatione data supra 9. sic & infra X. 6. σκηνωμάτων τρόπον.

ET DIEM IGNIS QVI DATVS QVANDO NEHEMIAS ÆDIFICATO TEMPLO ET ALTARI OBTVLIT SACRIFICIA) Id est, *quasi diem ignis*. Nam ὡς repetitur ἀπὸ κοινῦ. Is dies sacrificiorum Nehemiæ congruebat cum σκηνοπηγίᾳ, ut videre est Nehem. VIII. Cogitandum vero etiam atque etiam annon quæ hic sequuntur ad usque II, 19. sint παρεμβεβλημένα. Confer, si libet, & Nehemiam, & Jeremiam.

Non tam παρεμβεβλῆσθαι illa sunt, quam vis ita etiam canonica autoritas libri hujus, qui totus nulla parte sui excepta in Canonem à Tridentinis relatus est, labefactetur) quam fabulosa & male consuta tota illa Epistola, totum librum plane suspectum reddens, ac Canone prorsus indignum, imo dubiæ etiam veritatis, in cæteris, quæ recenset. Nec fabulosa tantum illa usque adv. 19. sed universa hæc *de igne relatio*, quæ prolixe ad finem usque capitis texitur. Ubi enim vel apud Jeremiam, vel alias in *igne sacri* sacris *ignis sacer absconditus* legitur? ubi *Nehemias* de hoc miraculo vel verbulo meminit, à quo tamen illud patratum fingitur? Et quis Nehemiam *sacerdotem* constituit, qui femetipsum Regis Persiæ *archi-pincernam* dicit *Neh. I. I. c. II. 1.* neque è *sacerdotali* familia originem traxit? Quis *Ionathan* ille istius temporis *sacerdos summus?* Quomodo in *Persidem* abducti Patres, quum abductio in *Chaldæam* septuaginta annis antecontigerit quam Persis quicquam negotii esset in Babylonia? Quis *ignis* illi in puteo alto præbuit per tot annos *alimenta*, quum sine alimentis conservari nequeat? Adde quod Judæi jam per plures annos sacrificarint in templo post reditum è Babylone, antequam Nehemias ex Persia in Judæam veniret. Quos illegitimo & alieno igne usos esse, non est verisimile. Neque venit Nehemias ut *cultum Dei* in templo constitueret, sed potius ut *portas*, *& muros urbis* restauraret.

*Fabula de igne sacri.*

Vers. 19.

IN PERSIDEM) Sic Judæi, cum sub regibus Persis viverent, appellare didicerant omnia quæ sunt trans Euphratem.

Sed unde id constat, *Persidis* nomen tam longe lateque productum tum fuisse, *Bellarm.* provocat ad *1. 1. Macc. c. VI. v. 45.* ubi nuncius qui venit Babylonem ad Antiochum dicatur *venisse in Persidem.* Sed ibi diserte Babylonem à Persida distingui videmus. Verba ita habent: *& fugit inde & abiit cum tristitia magna & reversus est in Babylonem, & venit qui nunciaret ei in Persida.* Sensus est, Antiochum pulsum ab Elimaide, ingressum esse iterum, ut rediret Babylonem, sed antequam exiret è Persida hunc nuntium ad eum pervenisse.

IN VALLE VBI ERAT PVTEVS ALTVS ET SICCVS) In Græco: ὁ καθάπερ φρέατος τινὸς ἰσχυροῦ ἀνυδρου, pro quo eruditi recte monent scriptum olim fuisse ῥᾴστου ἰσχυροῦ ἀνυδρου, quod probo.

Vers. 23.

DVM CONSVMMARETVR SACRIFICIVM) διαπαυομένης τῆς θυσίας. Ita voce διαπαύεσθαι hic scriptor utitur, & infra 32. & II. 10. נכלה.

Vers. 25.

QVI FECISTI PATRES ELECTOS) Feciti eos gentem tibi propriam.

ET SANCTIFICASTI EOS) Egregiis institutis ac ritibus.

Vers. 27.

CONGREGA DISPERSIONEM NOSTRAM) Judæos extrapatriam dispersos, διασπορά, נדח, Deut. XXX. 4. Nehem. I. 9. Ps. CXLVII. 2.

Vers. 34.

Vers. 34.

FECIT EI TEMPLVM) *Rex locum obsepiens sacrum esse voluit.*

VT PROBARET QVOD FACTVM ERAT) *Postquam rem explorâverat.*

Vers. 35. ET CVM PROBASSET SACERDOTIBVS DONAVIT MVLTA BONA, ET ALIA ATQVE ALIA MVNERA, ET ACCIPIENS MANV SVA TRIBVEBAT EIS) νῦν οὖν ἐγκείσθω ὁ βασιλεὺς πολλὰ διάφορα ἐλάβαμεν νῦν παρεδίδου. Sed legendum ὡς ἐγχειρήσατο. *Et iis quorum opera* (ad explorandam rei veritatem) *rex erat usus, multas pecunias acceptas* (in manus suas) *elargitus est*, διάφορα sunt pecuniæ, ut & infra III. 6. Sirach. 7. 19. XXVII. 1.

Vers. 36.

APPELLAVIT AVTEM NEHEMIAS) In Græco: *Qui cum Nehemia erant.* Sed Græci ita & unum & plures denotare solent.

NEPHTHAR) Pro Νέφθαρ, lege Νέχθαρ. נכר

VOCATVR AVTEM) Nunc solicet.

A PLURIBVS) A plebe quæ vocabula solet corrumpere.

NEPHA) Νέφθαρ, *Nephthar*, corrupte, ut diximus.

## CAPUT II.

*Laudato Jeremia de igne occultato Jeremias dicitur arcam fœderis & altare thymiamatis abscondisse. Nehemias & Judas sacram Bibliothecam collegerunt. Rogantur Judæi Ægyptii, ut festum repurgati templi celebrent.*

SEquitur partis secundæ libri præfatio: in qua autor promittit se historias ab aliis prolixe & confuse recitatas breviter relaturum.

Vers. 1.

INVENITVR AVTEM) Continuatur sermo præcedens.

Ubinam hoc invenitur in libro *Jeremiæ?* Dicunt Papistæ librum illum *modo non extare.* Sed quando extitit? & unde docebunt, extitisse aliquando?

VT SIGNIFICATVM EST) Id est, ut supra diximus I. 19.

Vers. 2. ET DEDIT ILLIS LEGEM) Monita. Vide Jerem. II. & III.

Vers. 4.

ERAT AVTEM IN IPSA SCRIPTVRA) *In illa Scriptura* de qua cœpit dicere supra I. Nihil de tali scripto Judæis innotuit.

*Fabulæ de arca fœderis, tabernaculo & altari incensus.*

Nihil certe producere hactenus potuere vel ipsi Jesuitæ curiosissimi. Et meræ hæ sunt fabulæ de *arca fœderis, & tabernaculo & altari thymiamatis* à Jeremia in spelunca occultatis. Quando enim occultavit? Num *ante captam urbem?* At tum ipse in carcere fuit. Num post *eandem* captam? Atqui tum Chaldæi omnia vasa diripuerunt *2. Reg. XXV. 13.* Quod Bellarm. obvertit, *potuisse Jeremiam abscondere illa, etsi non tempore Sedeciæ, tamen Joakimo regnante*, quia tum liber fuit, eoque permittente, aut etiam post urbem captam, quia *Jer. LII. 18. recensentur omnia quæ Chaldæi è templo abstulere sed arcæ ac tabernaculi nulla fit mentio*; frivolum est: quia tempore Jojakim viguit cultus divinus in templo: neque *capta urbe* Chaldæi arcæ auro obductæ pepercissent: quum minora abstulerint: imo dicuntur *2. Par. XXXVI. 18. universa vasa domus Domini transtulisse in Babylonem:* & in libr. IV. Esdr. c. x. dicitur: *arca testamenti nostri direpta est.* Nec minus frivola est illa de Nebucadn. consensu divinatio. Nam ersi mandarit Nebucad. ne quis noceretur Jeremiæ non tamen is in conspectum Regis venit, ut ab eo aliquid postulare vel impetrare posset: nec Rex ipse venit Hierusalem. Sed in *Rablatha* mansit.

COMITARI SECVM) Solet ἀκολουθεῖν dici etiam de rebus inanimis ut 1. Cor. X. 4.

Ut observationem illam concedamus exemplum tamen non congruit: nam Petra comitans erat Christus, ut ibi diserte habetur. Num vero Christus res inanimis?

V. 6. AD MONTEM) De quo Deuteron. XXXII. 40.

Vers. 7. DONEC CONGREGET DEVS CONGREGATIONEM POPULI) Hebræa locutio, pro *congreget populum.*

V. 8. ET APPAREBIT MAJESTAS DOMINI, ET NVBES ERIT, SICVT ET MOSI MANIFESTABATUR) Exod. XXXIV. 5.

ET SICVT CVM SALOMON PETIIT VT LOCVS SANCTIFICARETVR MAGNO DEO MANIFESTABAT HÆC) 1. Reg. VIII. 11. legit μεγάλην, non μεγάλου.

Quænam vero illa *congregatio*, ubi majestatem suam Deus ita ostendit ut *Mosis & Salomonis* tempore? Nihil tale vel in *Esdræ*, vel *Nehemiæ* libro legitur. Neque in historia Jeremiæ, quæ in libro Chronicorum usque Prophetia occurrit, ullum ejus rei conspicitur vestigium. Et provocat tamen Autor hic ad *Nehemiæ* testimonium; haberi ea *in descriptionibus, & commentariis Nehemiæ* tametsi in libro Nehemiæ ne verbum quidem de illis legatur. Nec vero post captivitatem Babylonicam arcam illam, aut tabernaculum, aut altare invenerunt: Unde *Bellarm.* eo se recipit, *Jeremiam non loqui de illa congregatione quæ fuit tempore Cyri, sed vel de tempore novissimo, quod proxime diem judicii antecedet, vel de arca mystica Christo in carne apparituro.* At loquitur de arca *absconditâ à Jeremia.* Quod de *Christo* accipi nequit. Neque *tempore novissimo* arca usui erit: quia cæremoniæ V. T. jam pridem abrogatæ sunt. Recte Chamier l. c. *Quorsum vero aut cui usui tabernaculum, arca, altare in die judicii? an ut iterum sacrificent Judæi? Absurdum. Quod si Christi incarnationem intelligas, quorsum pollicetur Jeremias, locum illum in quo illa erant abscondita manifestandum, aut quando fuit, vel cui manifestatus? Nimirum fabulæ sunt meræ, ἀλλ' ἐχρῶν.*

Vers. 9. MAGNIFICE ETENIM SAPIENTIAM TRACTABAT) Ita expositit Græcum, διεσαφήνει δὲ apparuit quis vir esset.

OBTVLIT SACRIFICIVM DEDICATIONIS ET CONSVMMATIONIS TEMPLI) 1. Reg. VIII. 62. & sequentibus.

Vers. 10.

SICVT ET MOSES ORABAT AD DOMINVM ET DESCENDIT IGNIS DE COELO) Id est, *Mose orante Dominum de scendit ignis de cælo.* Lev. IX. 23. 24.

SIC ET SALOMON ORAVIT ET DESCENDIT IGNIS DE COELO ET CONSVMSIT HOLOCAVSTVM) Id est: *Sic & Salomo orante ignis de cælo descendit, qui consumeret holocaustum* 2. Paralip. VII. 1.

Vers. 11.

ET DIXIT MOSES EO QVOD NON SIT COMESTVM QVOD ERAT PRO PECCATIS, CONSVMPTVM EST) Tangitur historia quæ est Levit. X. 16. 17. 18. 19. 20.

CELEBRAVIT DEDICATIONEM) Hic *dedicationem* non male Latinus addidit sensui implendo.

Vers. 12. INFEREBANTVR AVTEM) ἐκτιθέντο narrabantur.

IN DESCRIPTIONIBVS) In annalibus.

ET COMMENTARIIS) In diurnis.

ET VT CONSTRVENS BIBLIOTHECAM) In ipso Templo.

CONGREGAVIT DE REGIONIBVS LIBROS) τὰ περὶ τῶν βασιλέων. Libros de Regibus, de Saule, Davide, Salomone, aliisque Judææ & Israelis regibus, unde Esdras fecit Paralipomena.

ET PROPHETARVM) Majorum & minorum voluminum.

ET DAVID) Psalmos.

ET EPISTOLA REGVM DE DONARIIS) Alterum & hic abundat, ut ex Græco apparet; Sensus est: repositas in eandem bibliothecam & regum epistolas cum donariis missas, unde apparebat quid quisque Templo donasset.

Observat *Menochius* per *congregationem hanc librorum*, quæ à *Nehemia* facta dicitur, non significari *libros sacros quasi deperditos, esse ab eo, vel Esdra restitutos*, sed tantum *Bibliothecam exstructam in qua essent libri de Regibus & Prophetis, res ipsius Davidis, Epistolæ Regum, & de anathematibus, sive donariis,*

Vers. 14.

Vers. 14.

SIMILITER ET IVDAS) Maccabæus.

QVÆ DECIDERANT CONGREGAVIT OMNIA) *Quæ per bellum disjecta erant recollegit.* Ita in Græco.

De *Juda Maccabæo* recte intelligit hæc Grotius: perperam Menochius de *Juda Essæno. Tirinus* consentit ad h. l. ita habens: *Simili studio etiam Judas Maccabæus, dissipata nuperis bellis sacra volumina rursum omnia congregavit.* Ex his vero videas falli Strabonem, cum primum Bibliothecarum autorem tradit fuisse Aristotelem in Græcia. Nam Aristotele antiquior Nehemias bibliothecam in Judæa collegit, ut hic dicitur. Et apud Chaldæos & Persas fuisse bibliothecam dicitur 1. Esdræ 6. vers. 1. & alias alibi, ut Plutarchus, Gellius, Isidorus & Goropius demonstrant.

Vers. 16.

ACTVRI ITAQVE PVRIFICATIONEM) Ut supra l. 18.

Vers. 17.

ET REDDIDIT HÆREDITATEM OMNIBVS) Bona cuique avita.

ET REGNVM) Ita appellat ἐθναρχίαν. Nam Hebræis, ut סגר, ita מלכות sæpe laxius sumitur.

ET SACERDOTIVM) In familia Asmonæorum.

ET SANCTIFICATIONEM) Sacra Templi.

Vers. 18.

SICVT PROMISIT IN LEGE) *Sicut promiserat*, pœnitentiam acturis Deut. XXX.

SPERAMVS QVOD CITO NOSTRI MISEREBITVR) Liberabit nos à Macedonibus aliisque hostibus, quorum mentio apud Josephum XIII. 16. 17. 18.

ET CONGREGABIT TE SVB COELO IN LOCVM SANCTVM) Eos nempe qui in Ægypto Cyrenaica, & longius erant.

Vers. 19.

ERIPIVIT NOS DE MAGNIS PERICVLIS) Quæ Maccabæico primo ad finem usque recitantur: ac maxime Hyrcanum, ex Ptolemæi, qui sororem ejus duxerat, insidiis.

ET LOCVM PVRGAVIT) Ejecit alienigenas è Templo, urbe & Judæa.

---

## *PARS II.*
# EPITOME JASONIS.
## *CAP. II. RELIQVA.*

*Sequitur à v. 20. cap. II. partis secundæ libri hujus præfatio, in qua autor promittit, se Historiam Jasonis de Antiocho, & Eupatore prolixe & confuse conscriptam ordine & succinctè exhibiturum.*

Vers. 21.

AD ANTIOCHVM NOBILEM) Sic vertere huic interpreti libuit vocem ἐπιφανῆ, ut & qui primum Maccabæicum vertit V. 10.

Vers. 22.

ET DE ILLVMINATIONIBVS QVÆ DE COELO FACTÆ SVNT AD EOS) Visis cœlestibus, ut infra III. 24. V. 2.

*Visiones* quæ in hoc secundo libro referuntur in iis historiis, quas recensuit etiam liber primus, valde *suspectæ* sunt, quod confictæ sint. Non enim verisimile est tanta portenta prætermissum fuisse Autorem libri primi, cum περιστατικῶς easdem refert historias, utpote memoratu maxime digna.

Vers. 24.

TENTAVIMVS VNO VOLVMINE BREVIARE) Ut Trogum Justinus.

Id vero non esse *scriptoris Canonici* antea novimus. Nullus certe Propheta *breviat* librum *profanum:* quia absurdum est Prophetam inspiratum à Deo scribenda discere ab homine profano: tum enim verbum id esset hominis, non Dei; præterea is liber unde ea desumitur materia esset non æqualis tantum sed etiam majoris autoritatis autographus apographo. Argumentum hoc contra Serarium & Gretserum vindicatum vide à *Chamiero* l. V. de Canone cap. III. n. 11. seqq.

Vers. 25.

CONSIDERANTES ENIM MVLTITVDINEM LIBRORVM) τὸ χῶμα τῶν ἀριθμῶν, *late dissitos numeros;* id est, partes illorum quinque librorum. χῶμα, רחב.

PROPTER MVLTITVDINEM RERVM) Quia multas res ad Judæos nihil pertinentes admiscuerat Jasón ille Cyrenæus.

Vers. 26.

CVRAVIMVS VOLENTIBVS QVIDEM LEGERE, VT ESSET ANIMI OBLECTATIO, STVDIOSIS VERO VT POSSINT MEMORIÆ COMMENDARE, OMNIBVS AVTEM LEGENTIBVS VTILITAS CONFERATVR) Nam:

*Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.*

Vers. 27. NON FACILEM LABOREM.)

*Pingue solum lassat, sed juvat ipse labor.*

Quum de *difficultate laboris* queratur autor, quomodo credemus eum *Canonicum*, à S.S. *immediate actum* esse? Nullus est ex omnibus sacris scriptoribus qui se similiter testetur laborasse in scribendo quod solet iis accidere, *qui aliquid propriis viribus ingenii componunt*; at *Prophetæ* docet Spiritus quid sit scribendum & mover in scribendo. Varias exceptiones *Bellarmini* & *Gretseri* ad hoc argumentum latis discussit l. c. *Chamier*, qui hic conferatur.

Vers. 28.

SICVT HI QVI PRÆPARANT CONVIVIVM ET QVÆRVNT ALIORVM VOLUNTATI PARERE) In Græco: *Sicut convivium paranti, ita & ei qui omnium spectat utilitatem non sine* (supple *negotium est*, Præcessit enim πρᾶγμα, quod hic ἀπὸ κοινοῦ repetendum.

PROPTER MVLTORVM GRATIAM LIBENTER LABOREM SVSTINEMVS) *Attamen ut de multis bene mereamur, libenter laborem tolerabimus.* ὑπομενέιν τῶν πολλῶν est per μετωνυμίαν *bene meritum de multis.* Sic vocem ὑπομονῆς etiam Paulus usurpat 2. Cor. IX. 11.

Vers. 29.

VERITATEM QVIDEM DE SINGVLIS AVCTORIBVS CONCEDENTES) *Minutim cuncta referre auctori concedentes*, Jasoni Cyrenæo honorem hunc relinquimus, quod cuncta penticulate executus fit, id enim est διακριβῶν. Aristoteles: τοσοῦτον περὶ αὐτῶν εἰρήσθω, διακριβώσεως γὰρ μείζων τὸ προκείμενον ἐστιν.

IPSI AVTEM SECVNDVM DATAM FORMAM BREVITATI STVDENTES) In Græco: τὰ δὲ ἐπιτρεπόμενα τοῖς ὑπογραμμοῖς τοῖς ἐντυγχάνουσιν: ubi legendum putem ἐντυγχάνοντες: *ipsi propositum habentes insistere lineis breviario convenientibus.* ὑπογραμμοὶ formam significant cuique rei convenientem.

Vers. 30.

DE VNIVERSI STRVCTVRA CVRANDVM EST) κατασκευὴ proprie de ædificiis dicitur Hebr. VI. 1. unde & ad mundum fit translatio, tanquam Dei ædificium Matth. XIII. 35. & alibi.

EI VERO QVI PINGERE CVRAT) *Ei vero qui encaustum aut picturam moliatur.* Encaustum fiebat picturam cauteriis sive cestris in cera vel ebore, Martiales:

*Encaustus Phaëton tabula tibi pictus in hac est.*
*Quid tibi vis pueros qui Phaëtonta facis?*

Seneca in Controversia de Parrhasio: κἂν πρὸ ἀδήμαντος, Προμηθεῦ τὰ σά σε δῶρα βασανίζει. &: ὁ πίναξ διαπύρου ζωγραφήσεται. Plinius & opus tale encaustum vocat, ut & Vitruvius.

QVÆ APTA SVNT AD ORNATVM) τὰ πρὸς ἡδονὴν πρὸς διακόσμησιν, *quæ pertinent ad peroratonem*, sui scilicet operis, non ædificii totius. Ille nihil aliud spectat, nisi imaginem qualem concepit animo. Sic & breviator.

Vers. 31.

ET TENIM INTELLECTVM COLLIGERE ET ORDINARE SERMONEM, ET CVRIOSIVS PARTES SINGVLAS QVASQVE DISQVIRERE HISTORIÆ CONGRVIT AVCTORI) In Græco: *Ita* (arbitror) *spatiari & sermonem ambulatum ducere, & in particulis quibusvis solliciram adhibere diligentiam, officium esse ejus qui historiam aliquam primus scribat.*

Vers. 32.

BREVITATEM VERO DICTIONIS SECTARI, ET EXECVTIONES RERVM VITARE BREVITATI CONCEDENDVM EST) *Et vero qui transcriptionem* (compendiosam) *facit, permittendum ut dictionis compendia sectetur, operosam vero negotii cujusque persecutionem omittat.*

Vers. 33. STVLTVM ENIM EST) Sit.

ANTE

ANTE HISTORIAM EFFLUERE) Abundare verbis.

IN IPSA AUTEM HISTORIA SUCCINGI) *Ipsam autem historiam contractam dare.*

## *SECTIO I. EPITOMES IASON.* DE ANTIOCHO EPIPHANE.

## CAPUT III.

*Simon quidam prodit Regi Seleuco sacros templi Hierosolymitani thesauros. Mittitur à Rege Heliodorus, ut thesauros auferat, is à Deo severissime castigatur. Intercessione tamen Oniæ Sacerdotis famitatem recipit, & Dei justitiam atque potentiam prædicat.*

Vers. 1.

IGITUR) Hæc vox deest in Græco.

CUM SANCTA CIVITAS HABITARETUR IN OMNI PACE) Maxime opera Josephi filii Tobiæ, Vide Josephi Annales XII. 4.

PROPTER ONIÆ PONTIFICIS PIETATEM) Oniam intellige Simonis filium illius, cujus laus est apud Sirachidem. Hic est is Onias ad quem scripsit Rex Lacedæmoniorum, Josepho teste XII. 5. forte idem cujus hoc monumentum est inter inscriptiones à Grutero editas. Αἰμιλίου υἱῷ γλυκυτάτῳ Σιμίας ἀρχιερεὺς καὶ προφήτης; ubi Αἰμιλίου est ΜΝΙΡΤ, quod nomen fuit Jonæ patri. Prophetæ autem vox sumenda hic, non in maxime recepto significatu (cessabat enim illis temporibus prophetia) sed ut legis doctorem significet, quomodo eam vocem interpretatur Chaldæus tum alibi, tum Jer. XXVI. 11.

Vers. 2.

UT ET IPSI REGES ET PRINCIPES LOCUM SUMMO HONORE DIGNUM DUCERENT) Urbem Hierosolyma. Vide Josephum dicto libro cap. 2. 3. 4. 5.

ET TEMPLUM MAXIMIS MUNERIBUS ILLUSTRARENT) Præsertim Ptolemæus Philadelphus, ut videre est dicto Josephi cap. 3.

Vers. 3.

ITA UT SELEUCUS ILLE REDITIBUS SUIS PRÆSTARET OMNES SUMPTUS AD MINISTERIUM SACRORUM PERTINENTES) Seleucus hic intelligendus Antiochi Magni filius, frater autem major illustris Antiochi, Imitatus ergo hac in re fuit hic Seleucus Antiochi Magni patrie sui liberalitatem, cujus epistola à Josepho recitata XII. 3. inter alia hæc continet: Πρῶτον δὲ αὐτοῖς ἐκθύσασι διὰ τὰν ὑστέρησιν παραχρῆμ τὰν ἐκ τᾶς θυσίας σύνταξιν κτενῶν τε ὑγιεινῶν πρὸς οἶνον, καὶ ἐλαίου καὶ λιβάνου, ἀφ' ὧν ἔτυχεν μερισθῆναι β, καὶ σεμιδάλεως ἀρτάβας ἱερὰς κατὰ τὸν ἐπιχώριον νόμον πυρὸν μεδίμνου· αὖος καὶ ἁλὸν μεδίμνου τοῦ. ubi legendum videtur, ἀρτάβας ἱερὰς τέ.

OStandro noster verisimile est, istos Reges, qui tantis sumtibus Religionis Israeliticæ exercitium adjuvere, agnovisse verum Deum, eumque coluisse, tametsi in suis regnis Religionem Ethnicam abolere non auderent, propter subditorum suorum pertinaciam. Nec abnuit Tirinus allegans exempla similia Cyri *Esdr. I. 1. Darii c. VI. Artaxerxis Neh. II. & Seleuci primi Asiæ Regis.*

Vers. 4. SIMON AUTEM DE TRIBU BENJAMIN) Unus Tobiæ filiorum, ut ex Josepho colligimus dicto c. 5.

PRÆPOSITUS TEMPLI CONSTITUTUS) προστάτης τῦ ἱεροῦ, non est ὁ ταμιεύων τοῦ ἱεροῦ, de quo Lucas XXII. 4. 52. Act. IV. 1. V. 24. sed est templi advocatus, qui templi jura apud Reges & regios magistratus defendebat, quales Christiani Græci ἐκδίκους, Latini defensores vocabant, ut videre est Synodo Carthag. Can. LXXV. Novella Justin. LVI. & alibi.

CONTENDEBAT, OBSISTENTE SIBI PRINCIPE SACERDOTUM, INIQUUM ALIQVID IN CIVITATE MOLIRI) Legit in Græco, quomodo est in Sixtina: ἀνείκητο τῷ ἀρχιερεῖ περὶ τῆς κατὰ τὴν πόλιν πανταυτίας. At mihi verior videtur aliorum librorum lectio: ἀγορανομίας. ἀγορανομίας more Græco vocat præfecturam urbicam. Erant autem duo ἀγορανόμοι, primus alter, alter ei additus, ut videre est Nehem. XI. 9. Hunc magistratum cum ambiret Simon Benjaminites (constabat enim civitatis magna pars ex Benjaminitis) repulsam tulit, obstante sibi autoritate principis sacerdotis.

Vers. 5. VENIT AD APOLLONIUM THARSEÆ FILIUM, QUI EO TEMPORE ERAT DUX COELESTRIÆ ET PHOENICES) Dux, id est, præfectus. In hac præfectura erat & Samaria. I. Macc III. 10. Jos. X. 30.

ÆRARIUM HIEROSOLYMIS) τὸ ἐν Ἱεροσολύμοις γαζοφυλάκιον, קרבן. Vide quæ ad Marcum XII. 41.

ET COMMUNES COPIAS IMMENSAS ESSE) ὡς τὸ πλῆθος τῶν διαφόρων ἀναρίθμητον εἶναι· ita ut ingens foret copia nummorum. Vox διαφόρων hic sumitur, ut supra I. 35.

QVÆ NON PERTINENT AD RATIONEM SACRIFICIORUM) Hoc addit, ne videatur suadere sacrilegium.

Vers. 7. HELIODORUM QVI ERAT SUPER NEGOTIA EJUS) *Super pecuniis ejus*: id est, qui erat γαζοφύλαξ. Vide quæ dicta ad Dan. XI. 20.

Vers. 10. DEPOSITA ESSE HÆC ET VICTUALIA VIDUARUM ET PUPILLORUM) *Et victualia* addidit interpres. Mos vetus omnium prope gentium in templis deponere quæ bene servata vellent. Hinc illa quæstio apud Rhetores, sitne sacrilegus qui pecuniam privatam ex templo furatus est, de qua Quinctilianus III. 8. Super controversia CCCXXIX. Martianus L. Divi. D. de Peculatu. Vbi depositarum rerum specialim fit mentio. Hinc initium Persarum Æschyli,

Τάδε μὲν Περσῶν τῶν ἀγχιφόνων,
Ἐπαὶ ἐς ἄκρα πιστὰ πελόντων.

Quod de Phrynichi Persis desumptum notant Græci Scholiastæ.

De more hoc vid. etiam *Josephus. l. 14. c. 8. Cicero l. 2. de legib. Suetonius de Iulii Testam. S. Ambr. l. 2. Officior. c. 19. & C. Gravis Extra. de deposito.*

QVÆDAM VERO ESSE HIRCANI TOBIÆ VIRI VALDE EMINENTIS, IN HIS QVÆ DETULERAT IMPIUS SIMON) Filius Josephi illius quem laudat historiæ scriptor Josephus XIV. 4. ubi & de hoc Hyrcano historia est memorabilis. Quare ad *Tobiæ* hic subintelligendum *nepoti*.

Mira interpretandi ratio cum de *Tobia* sermo est, Tobiæ *nepotem* intelligere.

V. 12. DECIPI VERO EOS) ἀδικεῖσθαι, injuria affici.

OMNINO IMPOSSIBILE ESSE) *Rem fore indignissimam.* Sic & Romani Jurisconsulti impossibilia vocant ea quæ honeste fieri non possunt.

Vers. 15. SACERDOTES AUTEM ANTE ALTARE CUM STOLIS SACERDOTALIBUS JACTAVERUNT SE) Similis est ἐκτένωσις in tertio Maccabæico, & in Philone de legatione & adversus Flaccum.

QVI DE DEPOSITIS LEGEM POSUIT) Exodi XXII. 7. & sequent.

Vers. 18. PRO EO QVOD IN CONTEMPTUM LOCUS ESSET VENTURUS) *Quia prope erat ut locus ille* (Templum) *contemtui exponeretur.* Sic πίπτειν sæpe sumunt Græci. Sic & supra I. 18. II. 16.

Vers. 19. VIRGINES QVÆ CONGLUSÆ ERANT) οἱ κατάκλειστοι. Expressit vim vocis Hebraæ עלמות. Apparet id ex tertio Maccabæico, ubi additur ὁ θαλαμος: Ubi thalami sic dicuntur quomodo apud Virgilium:

*Ferrique Eumenidum thalami.*

Virgines honestæ continebantur intra παρθωνῖτιν. Vide quæ diximus ad Matth. I. 23.

Recte hæc dicuntur. Atque ita etiam *Glossa ordinaria* in h. l. *Virgines, quæ conclusæ erant, de domibus parentum non exibant, ratione verecundiæ & pudicitiæ virginalis, tamen in illa turbatione præter morem solitum exibant.* Ita etiam *Thomas* in h. l. *Conclusæ erant, alias felicèt; quia tunc virgines arctius custodiebantur:* & Lyranus, *id est, domibus parentum non exibant ratione verecundiæ & pudicitiæ virginalis.* Nec aliter *Tirinus* in h. l. *Virgines hæ alias conclusæ erant, & domi parentum latere solebant, ut Gorionides & Lyranus exponunt: vel certe quæ intra templi claustra concludebantur, ut alibi dixi, Ex. XXXIIX. 8.* Perperam ergo hinc *Baronius* in Apparat. probat *votum B. Mariæ Virginis, ejusque in templo educationem*, quia hic mentio fiat *Virginum reclusarum in templo c. XI. n. 56.* Nulla hic *templi* mentio in textu: nec ob *votum* aliquod *virginitatis*, sed *pudicitiæ virginalis* causa reclusæ erant: uti jam confessi sunt Pontificii Interpp. neque *Tirinus Ex. XXXIIX. 8. Voto virginitatis abstrictas* intelligit, sed *quæ ad tabernaculum confluxere quotidie cultus divini causa, vel etiam ut*

*manuali opera nendo, texendo, aciu pingendo, lavando, verrendo juvarent opifices, & ministros tabernaculi.*

QVÆDAM VERO PER FENESTRAS ASPICIEBANT) διέκυπτον, voce admodum propria in hac re, ut patet Judic. V. 28. 2. Sam. VI. 16. 2. Reg. IX. 30.

Versf. 21.

ERAT ENIM MISERA COMMISTÆ MVLTITVDINIS, ET MAGNI SACERDOTIS IN AGONE CONSTITVTI MISERATIO) In Græco: *Erat miseratione digna vulgi passim prostrati & exspectatio de summo sacerdote, qui tunc maxime deterrabat.*

Versf. 24.

SED SPIRITVS OMNIPOTENTIS DEI MAGNAM FECIT SVÆ OSTENSIONIS EVIDENTIAM) In Græco: *sed spiritum* (id est, Angelorum, ut Hebr. I. 14. & alibi) *& omnis potestatis* (etiam regis) *dominator magnum fecit ostentum.* ἐπιφανείαν, non semper de ostento sumitur, sed sæpe pro quavis Dei efficacia. Sed hic recte usurpari potest vox ostenti, ob sequentia.

QVI AVSI FVERANT PARERE EI) *Convenire ea*, ad Heliodorum scilicet.

IN DISSOLVTIONEM ET FORMIDINEM) ἐν διὰ δυοῖν: id est, *corporis debilitatem ex formidine.*

Versf. 25.

TERRIBILEM HABENS SESSOREM) Angelum aliquem ex præcipuis.

OPTIMIS OPERIMENTIS ADORNATVS) καλλίστῃ σκέυῃ διακοσμηθείς. *Optimo sagmate instratus.* Est vox σάγης apud Josephum alibi & Suidam. Sed sagma-ustatius & Latinis & Græcis.

CUM IMPETU HELIODORO PRIORES CALCES ELISIT) Scripsit interpres *illisit*, ἐνέσεισε. Pro *calces* quoque in Græco est *ungulas*. Simile illud apud Euripidem Phœnissis:

--- --- --- πῶλοι δὲ νιν
χαλκᾶς τανύοντας ἐξεφόβισσον ποδῶν.

VIDEBANTVR ARMA HABERE AVREA) Signum masitatis,

Non abnuendum videtur B. Osiandro, si hæc historia vera sit, hunc equitem esse *Filium Dei perpetuum Ecclesiæ protectorem.* Nam angeli duo stipatores illius erant: uti Gen. XIIX. 2. Ubi Filium DEI duobus Angelis stipatum apparuisse constat.

Versf. 26. ALII AUTEM APPARUERUNT DUO JUVENES) Stipatores illius præcipui, ut Gen. 18. 2.

VIRTUTE DECORI) *Spectabiles robore* corporis,

OPTIMI GLORIA) Id est, decore vultus.

Versf. 27.

IN SELLA GESTATORIA POSITUM) ἐν φορείῳ. In Glossis *φορεῖον*, *Lectica, feretrum.* Vide Cant. III. 9.

Versf. 28. NULLO SIBI AUXILIUM FERENTE) *Extra omne ab armis* (fiorum) *auxilium* constitutum. quanquam illud ἐν ὅπλοις abesse commode potest, sicut abest à Græco Sixtino.

Versf. 31.

ET VITAM DONARET EI) Impetraret.

EI QVI IN SUPREMO SPIRITU ERAT CONSTITUTUS) Animam agenti.

Versf. 32. CONSIDERANS AUTEM SUMMUS SACERDOS) Metuens,

MALITIAM ALIQVAM) *Maleficium.* κακοεργίαν. Malefici proprie dicuntur, illicitæ magiæ se miscentes. C. de maleficis in rubrica & L. Nemo. & L. Etsi.

OBTULIT PRO SALUTE VIRI HOSTIAM SALUTAREM) Hoc *salutarem* ad sensum bene addidit interpres, ut intelligeretur fuisse ejus generis sacrificium, quod Hebræi שלמים vocant, Græci σωτήριον.

Versf. 33.

CUMQVE SUMMUS SACERDOS EXORARET) ποιουμένου τὴν ἀφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, *dum sacerdos summus Deum propitiat.* Vox ἱλασμὸς non de sacrificiis tantum pro peccato, sed & de aliis usurpatur.

NAM PROPTER EUM DOMINUS TIBI CONDONAVIT) Simile vide Job. XLII. 8.

Versf. 34. NON COMPARUERUNT) ἀφανεῖς ἐγένοντο. Sic ἄφαντος ἐγένετο, Luc. 24. 31.

Versf. 35.

HOSTIA DEO OBLATA) Laudis תודה.

Versf. 38. EO QVOD IN LOCO SIT VERE DEI QVÆDAM VIRTUS) Simile Exodi 8, 19.

Versf. 39.

VISITATOR) ἐπίσκοπος dicitur is qui curam alicujus gerit. פקיד.

Apparet autem ex hisce, *Heliodorum* ad Dei aguitionem perveniisse, à gentilitia superstitione ad Deum Israelis conversum. *S. Ambrosius* hujus Heliodori exemplo territ Imperat. *Theodosium* L. 2. Officior. c. 19. ne simile depositum viduæ cujusdam in Ecclesia Ticinensi abripere auderet.

## CAPUT IV.

*Simonis impii calumnias diluit Onias apud Regem. Jasonfrater Oniæ emit Pontificatum, & Ethnicam impietatem introducit in Ecclesiam Israeliticam. Antiochus à Jasone honorifice excipitur Hierosolymis. Menelaus nequitia summum sacerdotium consequitur, & Oniam per Andronicum interfici curat. Andronicus jussu Antiochi supplicio afficitur. Lysimachus pœnas dat sacrilegii. Menelaus pecunia vitam redimit, accusatores ejus justi injuste interficiuntur.*

Versf. 2.

PROVISOREMQVE CIVITATIS) ἐπιτρόπου, id est, virum optime de civitate meritum. Sic Simon dictus ἐπιτρόπος Ἰουδαίων, Josepho teste XIII. 12.

ET ÆMULATOREM LEGIS DEI) ζηλωτὴν τῶν νόμων, ardenter studiosum legum divinarum.

Versf. 4.

AD REGEM) Seleucum de quo supra.

Versf. 5.

NON UT CIVIUM ACCUSATOR) Non ut noceret cuiquam, sed ut prodesset publico, quod sine quorundam noxa abire non poterat.

Versf. 7.

QVI NOBILIS APPELLABATUR) Vide supra II. 21.

JASON) Hebræis יהושע, ut ante diximus.

FRATER ONIÆ) עניה, qui se inter Græcos Menelaum dixit.

Versf. 9. GYMNASIUM) Vide 1. Macc. I. 16. Ludos Gymnicos inter ea quæ Herodes in Judæam contra avitos mores induxit, ponit Josephus Ant. XIII.

ET EPHEBIAM) ἐφηβεῖον. Sed legendum videtur ἐφηβεῖον, quomodo Vitruvius vocat locum in quo exercebantur ephebi.

*O Stander* theatra, in quibus multa nefanda spectacula exhibita, intelligit, & scholas in quibus juventus in disciplinis Ethnicis instituta. *Moliebatur*, inquit, *impurus homo & perfidus Apostata defectionem à religione Israelitica: & secum una totum populum corrumpere studebat; Itaque non modo summum Pontificatum pecunia emebat, verum etiam talia exercitia instituebat, quibus plebs caperetur & ad Ethnicam impietatem pertraheretur. Qui autem à VERA Religione deficiunt, multo majora damna dant, & gravius Ecclesiam Dei affligunt, quam externi hostes.*

ET EOS QVI IN HIEROSOLTMIS ERANT ANTIOCHENOS SCRIBERE) Quosdam amicos suos donare civitate Antiochena, qui magnus habebatur honos eos tempore, cum Antiochia princeps esset urbium.

Versf. 10.

ET OBTINVISSET PRINCIPATVM) τῆς ἀρχῆς κρατήσας. Ubi ἀρχὴς est τῆς ἀρχιερωσύνης.

AD GENTILEM RITVM CONTRIBVLES SVOS TRANSFERRE COEPIT) ἐπὶ τὸ ἑλληνικὸν χαρακτῆρα τῆς ἐπιφανείας μετῆγε. *Ad insignia Græcæ religionis populares suos traducit.*

Versf. 11. ET AMOTIS HIS QVÆ HVMANITATIS CAVSA JVDÆIS A REGIBVS FVERANT CONSTITVTA) *Quæ benigne à regibus fuerant indulta Judæis:* puta ut suis moribus ritibusque viverent, ut sumptus ad sacrificia ferrent à regibus, ut alienigenæ Templi liminibus arcerentur, & similia.

PER JOHANNEM PATREM EVPOLEMI) Nominantur & pater & filius 1. Macc. 8, 17.

QVI APVD ROMANOS DE AMICITIA ET SOCIETATE FVNCTVS EST LEGATIONE.) Hic ponendum comma: nam quod sequitur *legitima* ad sequens comma pertinet. Patrem denotat ex filio, qui ob gestam postea legationem nostissimus erat omnibus. Hinc discimus scriptorem aliquo certe tempore post mortem Nicanoris vixisse.

Corri-

Corrigenda ergo hic vulgata de *legatione legitima*: cum legitima jura abrogasse, prava instituta sanciviſſe dicatur Jaſon.

PRAVA INSTITUTA SANCIEBAT) Legi divinæ repugnantia. παρανομα θεσμικ.

Verſ. 12. SUB IPSA ARCE GYMNASIUM CONSTITUERE) Prope locum ubi regia fuerat Davidis.

ET OPTIMOS QUOQVE EPHEBORUM IN LUPANARIBUS PONERE) In Græco: *τὰς καλλίστους τῶν ἐφήβων ὑποτιθέναι ὑπὸ πίναξι ἤγει. Et pulcherrimos ephebiorum ſubſtituere* (legibus ephebei) *ſub pictaſo ductabat. πίναξι τῶν ἐφήβων ἄθλημα* Polluci. Sic Caſtores pileati in imaginibus Arateis & aliis.

Ex hoc loco ſecundum *vulgatam* Latinam intellecto manavit ſententia de *Ephebeis lupanarium*, vid. *1. Macc. I. 15.* Veriſimilior tamen videtur *Oſiandrina* interpretatio ad v. 9. tradita: quam non improbat *Menochius ad 1. Macc.* ita annorans: *Aliqui putant fuiſſe ſcholas in quibus prophanæ ac ſuperſtitioſæ literæ docerentur: alii fuiſſe impuras libidinis officinas maſculæ veneri deſtinatas.*

V. 13. ERAT AUTEM HOC NON INITIUM, SED INCREMENTUM QVODDAM, ET PROFECTUS GENTILIS ET ALIENIGENÆ CONVERSATIONIS) In Græco: *Erat autem is ſigor Græcitatis, ac proceſſus ad peregrina inſtituta.* ἀκμὴ hic ſumitur ut ſupra I. 7. *Gymnaſia indulgent Græculis*: ait Plinius in Epiſt.

PROPTER IMPII ET NON SACERDOTIS JASONIS) Indigni qui ſacerdos diceretur, ſacrorum à Deo inſtitutorum contemtor ac violator.

Verſ. 14. PARTICIPES FIERI PALÆSTRÆ ET PRÆSTITIONIS EJUS INJUSTÆ) *τῆς ἐν παλαίστρᾳ παρανόμου χορηγίας. Impenſæ illegitimæ quæ in palæſtram fiebat.* Omnis impenſa in ludos aut exercitia dicitur Græce χορηγία. Hanc qui faciebant in gymnaſia dicebantur Γυμνασιάρχοι, honoris vocabulo. Ulpianus ad orationem Demoſthenis in Leptinen: *Γυμνασιάρχης ἐστὶν ὁ παρέχων τὰλαιον τοῖς γυμναζομένοις. Γυμνάσιον γὰρ τὸ παλαίστραν ἔχειν.* Philo in Flaccum: *εἰς τὰ ἀγῶνας ἐπιχορηγοῦντα φιλοτίμως, ἀναγκαῖόν γὰρ γυμνασιάρχειν.* Conſtitutione Pii Imperatoris medici immunitatem accepere à Gymnaſiarchiis. Sic Modeſtinus in Græco L. Si duas. D. de Excuſationibus.

ET IN EXERCITIIS DISCI) *μετὰ τὴν τῶ δίσκω πάλαιστιν. poſt certamen quod diſco ſiebat.* Ejus certaminis deſcriptionem habes apud Ovidium X. Metamorphoſeos, & Statium libro VI.

Aliqui reddunt poſt diſci provocationem: id eſt, poſt invitationem ad exercitia, quæ fiebat præmiis diſco impoſitis, & in diſco per medium ſtadium circumferri ſolitis ad plures agoniſtas provocandos in certamen, ut habet Petrus Faber l. III. Agon. c. 22.

ET PATRIOS QVIDEM HONORES NIHIL HABENTES) *Nihili docentes* etiam ipſum ſacerdotium.

GRÆCAS GLORIAS OPTIMAS ARBITRABANTUR) Titulos γυμνασιάρχη, ἀγωνοθέτου, & ſimiles.

Imo præmia ipſa agoniſtica Græcæ Gloriæ vocabantur, quia Græci, id eſt, gentiles his vanitatibus maxime gloriabantur, ut ex Iſthmicis Pythiis, & Olympicis conſtat.

Verſ. 16. QVARUM GRATIA PERICULOSA EOS CONTENTIO HABEBAT) *Quæ ex re etiam gratiis eos deprehendit calamitas.* Sæpe Polybius vocem περιστάσεως eo ſenſu uſurpat, ſed & alii.

ET EORUM INSTITUTA ÆMULABANTUR, AC PER OMNIA HIS CONSIMILES ESSE CUPIEBANT QVOS HOSTES ET PERÆMTORES HABUERANT) In Græco aliter: *Quorum enim mores imitabantur, & quibus ſtudebant per omnia eſſe ſimiles, eos hoſtes & puniteres experti ſunt.* Par ſenſus Ezech. XVI. 37.

V. 17. SED HOC SEQVENS TEMPUS DECLARABIT) Id eſt, narratio temporum hæc ſequentium.

Verſ. 18. CUM AUTEM QVINQVENNALIS AGON TYRI CELEBRARETUR) Apud Græcos notiſſimus agon olympicus, dictus quinquennalis, quod anno quinto fieret. Ad id exemplum inſtituti & alibi agones olympii. Sic erat Olympia Alexandriæ, teſte inſcriptione vetere, & Athenienſia, inſtituta ab Adriano, teſtibus Euſebio & Xiphilino:

ET REX PRÆSENS ESSET) Antiochus illuſtris.

Verſ. 19. AB HIEROSOLYMIS VIROS PECCATORES) *Theoros ab Hieroſolymis, quaſi Antiochenſes.* Id eſt, Hieroſolymitas jure civitatis Antiochenæ donatos, ut ſupra 9. θεωρεῖ Græce dicunturii, qui alicunde mittuntur ad ſacra externa: ab θέρος quod curam ſignificat. Uſurpant ſic Plato, Thucydides, Sophocles, Plutarchus & alii.

ARGENTI DIDRACHMAS TRECENTAS) Drachmas, in Græco. Sed puto *trecentas* corruptum pro *ter mille*.

Pro voce PECCATORES precatores ſubſtituit Tirinus (corrigens ita textum authenticum) vel ſacrorum procuratores, eos enim θεωρὸς vocari, quos Henric. Stephan. in Theſaur. explicat oraculorum ſciſcitatores. Menochius reddit ſpectatores, additque: Illi autem dicebantur θεωροὶ à Græcis qui ad feſta, oracula, rerumque divinarum curationem mittebantur. Vid. Sigon. de Rep. Athen. l. IV. c. 7. In altero tamen errato de numero Drachmarum alia ratione fatigavit ſeſe Jeſuita ingenium, in gratiam vulgatæ lectionis: Mirum videtur tam exiguam pecuniam miſſam fuiſſe aut poſtulatam in fabricam triremium. Rem non ſatis aſſequor, Niſi forte dicimus τὸ argenti, poſitum eſſe pro pecuniæ, & didrachmas fuiſſe aureas ut ſenſus ſit, tuliſſe pecuniæ didrachmas aureas trecentas. Sed hoc eſt ex argento aurum facere, ne corruptus dicatur Latinus textus.

Verſ. 20. IN SACRIFICIUM HERCULIS) Non vocabatur Tyriis Hercules, ſed *Melcarto*, כלר־ארץ, ut nos docet Philo Byblius. Sed Græci ob rerum ſimilitudinem Herculem dixere, ac ſic intelligendi Dius apud Joſephum, Herodotus Euterpe, Plinius XXXIV. 5. 10. Diodorus Siculus libro XX, Curtius, qui omnes vetuſtiſſimum Tyri fuiſſe Herculis Templum nos docent.

HI QVI ASPORTAVERANT) Judæi Jaſone aliquanto religioſiores.

QVIA NON OPORTERET, SED IN ALIOS SUMTUS EAS DEPUTARI) Hoc addidit interpres plenioris intelligentiæ cauſa, ut & quod ſequitur: *Sed hæ oblata quidem ſunt ab eo qui miſerat in ſacrificium Herculis: propter præſentes autem data ſunt in fabricam navium triremium.*

IN FABRICAM NAVIUM TRIREMIUM) Scripſit puto, interpres, *trierium*. Ita enim Latine retineri ſolet vox Græca, cum triremes ſint naviculæ quæ tribus remis aguntur, triores naves quæ tribus remorum ordinibus. τριηρόσημα ſumptus in trieres apud Athenienſ.

Verſ. 21. PROPTER PRIMATES PTOLEMÆI PHILOMETORIS REGIS) Puto interpretem ſcripſiſſe *primatus*. In Græco: διὰ τὰ πρωτολήεια, vel ἀρρωτολήεια, ſcribendum arbitror πρωτοκήεια, id eſt, ad convivium quod fecerat Rex Ptolemæus, cum primum comam longam deponeret. Vide 1. Sam. 13. 24. Capillos diis vovebant, ut Achillas Sperchio, Athenienſes Dianæ, Barinus Æſculapio. Eo voto liberabant ſe ſolenniter ſacris factis: ſacra ſequebatur convivium.

CUM COGNOVISSET ANTIOCHUS ALIENUM SE A REGNI NEGOTIIS FACTUM) In Græco: *Cum cognoſſet Antiochus à rebus ſuis alienum factum Ptolemæum.*

PROPRIIS UTILITATIBUS CONSULENS) *Securitati ſuæ*: id eſt, poſſeſſionis ſuæ. nam reges Ægypti Coelen Syriam & Judæam dicebant ad ſe pertinere. Vide Polybium libro, V.

*Tirinus* verſ. 21. ita interpretatur: PROPTER PRIMATES *Ægyptios, qui à Ptolemæo Philometore deſecerant ad fratrem ejus natu minorem Evergetem. Simulabat enim Antiochus avunculus iſtorum duorum fratrum, ſe velle lites eorum componere, ac proinde poſcebat tutelam puerorum ſibi commiſſi. Sed revera inhiabat ipſemet ſceptro Ægyptio ut prædixerat de eo Gabriel Dan. II. 22. ſeqq. Cum vero reſciſſet* ANTIOCHUS, ALIENUM SE A NEGOTIIS REGNI *Ægyptiaci* EFFECTUM, *& primates Ægyptios tutelam puerorum regum nolle ſibi deferre*, PROPRIIS CONSULTURUS UTILITATIBUS *in Syriam recurrit.*

V. 22. CUM FACIBUS) μετὰ δαδουχίας: id eſt, ἀπὸ τῶν τεγῶν λαμπάδες διαδεχομένης τῆς πόλεως: ut de honoribus Antonio, cum Athenis eſſet, exhibitis, loquitur Plutarchus, *Facibus per urbem è tectis fulgentibus.*

ET LAUDIBUS) βοαὶ, id eſt, factis acclamationibus.

V. 23. ET DE NEGOTIIS NECESSARIIS RESPONSA PERLATURUM) Senſus bonus eſt, ſed

verba in Græco habent: *de rebus necessariis monita factum.*

Vers. 24. AT ILLE COMMENDATUS REGI CUM MAGNIFICASSET FACIEM POTESTATIS EJUS) ὁ δὲ συναθεὶς τῷ βασιλεῖ τὴν δόξαν αὐτὸς (legam ἀνὸν) τῷ πρεσβύτῃ τὸς ἐξουσίας, quæ fic interpretor: *Ipse autem cum se commendâsset, ac spectabilem fecisset, præsentia potestatis acceptæ*: id est, legationis. συναθεὶς, Niphal pro Hithphael. Non Hebræi tantum נכבד, & Græci πρόσωπον, sed & Latini personam dicunt de eo quod extrinsecus apparet, & sæpe aliis rebus prætenditur. Addendum hoc exemplis legationum mala fide obiarum.

SUPERPONENS JASONI TALENTA ARGENTI TRECENTA) Superponere, quod superjacere apud Senecam, ὑπερβάλλειν Græce, est licitando aliquem vincere, accendere rei pretium.

Vers. 25. ACCEPTISQVE A REGE MANDATIS) Codicillis dignitatis.

NIHIL QVIDEM HABENS DIGNUM SACERDOTIO) Sacerdotem maxime decet lenitas, Hebr. V. 2. divinæ enim bonitatis præfert imaginem.

Vers. 26. ET JASON QVIDEM QVI PROPRIUM FRATREM CAPTIVAVERAT) ὑποσυλήσας. Varie accipitur ὑποσυλεῖν, sed ita ut semper malas artes significet. In Glossis ὑποσυλᾶν, *sollicito, seduco.* Prior significatio locum habet infra IV. 7. posterior hic. Circumscripserat certe fratrem Oniam Jasón cui promiserat se Sacerdotium servaturum filio Oniæ, qui & ipse. Onias dicebatur: atque interim se eo functurum tutorio nomine.

IPSE DECEPTUS) ὑποσυλησάμενος ὑφ' ἑτέρου, deceptus, ab altero scilicet fratre. Quod fecit fratri, passus est a fratre altero, vicissim circumscriptus.

PROFUGIUS IN AMMANITEM EXPULSUS EST REGIONEM) Scripsit, puto, interpres *Ammonitidem*, εἰς τὴν Αμμανίτιν χώραν. Pulsus autem est, prævalente per regiam vim Menelai factione.

Vers. 27. DE PECUNIIS VERO REGI PROMISSIS NIHIL AGEBAT) *Nihil bene constituebat*, οὐδὲν ἰυθύνετο.

CUM EXACTIONEM FACERET SOSTRATUS, QVI ARCI ERAT PRÆPOSITVS) *Quanquam flagitante Sostrato.* De arce vide supra 12.

Vers. 28. NAM AD HVNC COACTIO VECTIGALIVM PERTINEBAT) ἡ τῶν διαφόρων πρᾶξις. *Pecuniarum exactio*, fiscalium scilicet.

Vers. 29. ET MENELAVS AMOTVS EST A SACERDOTIO, SVCCEDENTE LYSIMACHO FRATRE EJVS) Græce: τοῦ μὲν Μενέλαου ἀπόντος διάδοχον Λυσίμαχον τὸν ἰαυτῦ ἀδελφόν. Sciendum est in hoc scriptore διάδοχος, aut διαδεχόμενος dici qui vices obit alterius, ut videre est infra 32. IX. 23. XIV. 16. Vertendum igitur: *Et Menelaus quidem vicarium reliquit* (per absentiam suam) *fratrem suum Lysimachum.* Vide infra 39.

Non incommode hæc reddentur. Corrigenda itaque iterum vulgata de *Menelao à Pontificatu depositio. Lysimacho ipsi suffecto.* Atq; ita emendandus etiam è Græco textu *Latinus* sequenti commate.

SOSTRATVS AVTEM PRÆLATVS EST CYPRIS) Legit: Σώστρατος δὲ ἐκράτησε τῆς Κυπρίων. Sed nos habemus in libris Græcis omnibus: Σώστρατος δὲ Κράτητα τὸν τῆς τῶν Κυπρίων. *Sostratus autem* (vicarium scilicet habuit) *Cratetæ qui Cypriis præfuerat.*

Vers. 30. THARSENSES) In Cilicia ad Cydnum.

ET MALLOTAS) Mallus itidem in Cilicia prope amnem Pyramum. Meminere Strabo, Plinius.

EO QVOD ANTIOCHIDI REGIS CONCVBINÆ DONO ESSENT DATI) Solebant reges isti tota oppida, id est, oppidorum reditus, largiri iis quos magni faciebant. Sic Themistocli data Magnesia, Lampsacus, Myus, Pereota, Palæcepsis. Pudebat autem nobiles Ciliciæ civitates peculium fieri regiæ pellicis.

V. 31. RELICTO SVFFECTO VNO) Vicario. Nam in Græco est vox διαδεχόμενος, de qua jam diximus.

Vers. 32. ET ALIA VENDIDERAT TRI ET PER VICINAS CIVITATES) Nempe ut inde pecuniam, ex pecunia potentes amicos sibi compararet.

Vers. 33. QVOD CVM CERTISSIME COGNOVISSET ONIAS) Hæc plane cum Josepho non conveniunt: nam is aperte Oniam summum sacerdotem dicit mortuum, priusquam Jasón summum Sacerdotium adipisceretur. Joseph. Ant. XII. 6.

Vtri autem credemus, num huic autori, an vero *Josepho?* Si Josepho, cui favere videtur Grotius, tota subsequens narratio de interfecto *Onia* fabulosa est. De quo viderint Pontificii.

IN LOCO TVTO SE CONTINENS ANTIOCHIÆ SECVS DAPHNEM) In Græco: ἀποκεχωρηκὸς εἰς ἄσυλον τόπον, ἐπὶ Δάφνης τῆς πρὸς Ἀντιόχειαν κειμένης. *Cum secessisset in Asylum ad Daphnen, quæ adjacet Antiochiæ.* Antiochiæ multæ sunt. Una earum urbs princeps Syriæ eo tempore. Prope hanc Templum Apollinis Daphnæ dictum, ut ex Ptolemæo, Chrysostomo & Historicis cognoscimus: & ἄσυλον τέμενος, quod addidit Strabo libro XVI. Inde hæc Antiochia, ἡ ἐπὶ Δάφνῃ etiam Straboni, Plinio *Antiochia libera, Epidaphne cognominata.*

SVASISSET DE ASTLO PROCEDERE) De templo Apollinis, quod asylı jus habebat.

Vers. 37. CONTRISTATVS ITAQVE ANIMO) ψυχικῶς id est, serio: ut infra XIV. 24.

SOBRIETATEM) σωφροσύνη, id est, sanctitatem in omni vita.

Vers. 38. JUBET CIRCUMDUCI) Quod Latini elegantiores *traduci* dicunt. Vide ad Matth. I. 19.

Vers. 40. INIQVIS MANIBUS UTI COEPIT) κατέχρατο χερῶν ἀδίκοις, id est, prior vim intentavit. Loquendi est genus historicis frequens.

DUCE QVODAM TYRANNO) πρωτοστατοῦντι τινὸς Τυράννου, quomodo est in Sixtino: nam in aliis αὐρέσεως Est Tyrannus nomen proprium, ut Act. XIX. 9. Fuit & Sophista eo nomine memoratus Suidæ.

ÆTATE PARITER ET DEMENTIA) In Græco: προβεβηκότος τῇ ἡλικίᾳ ὡδὲ δὲ ὄντος καὶ τῷ διανοίᾳ: ubi est μανιώδης. vult enim dicere hunc animo non minus quam annis fuisse decrepitum, atque invalidum.

Vers. 41. QVIDAM AUTEM CINEREM IN LYSIMACHUM JECERUNT) In Græco: *Quidam & de adjacente cinere manum complentes passim in Lysimachum ejus-que comites id ejectabant.*

Vers. 42. ET MULTI QVIDEM VULNERATI ET PROSTRATI, OMNES VERO IN FUGAM CONVERSI SUNT) In Græco: *Quomodo* (refer hoc ad lapides & fustes) *multos fecere saucios, prostravere nonnullos, omnes vero in fugam egerunt.*

Vers. Eod. IPSUM ETIAM SACRILEGUM INTERFECERUNT.

Græcum quidem vocabulum non proprie *interficere, sed manibus comprehendere* significat, videtur tamen, Osiandro judice, interfectus, quia Menelaus postea sacerdotium retinuit. Sed ad v. 29. observatum Lysimachum *vicarium* tantum Menelai fuisse. Et dubius hic fuit Osiander, quum addat: *Habemus iterum exemplum puniti sacrilegii, sive Lysimachus occisus, sive captus fuerit.*

V. 43. DE HIS ERGO) Nempe sacrilegiis ante dictis.

Vers. 44. AD IPSUM NEGOTIUM DETULERUNT) ἐπ' αὐτὸ τὸ δικαιολογῆσαι ἐκοίνωνουν. *Contra eum* (Menelaum) *accusationem instituerunt:* nempe ut auctorem scelerum quæ Lysimachus patraverat.

MISSI TRES VIRI A SENIORIBUS) A Senatu Judæorum: ὑπὸ τῆς γερουσίας.

Vers. 45. ET CUM SUPERARETUR MENELAUS) ὧδε δὲ λαλουμένου ὁ Μενέλαος. Sed rectius legitur λαλουμένῳ. *Conviciis vero jam Menelaus.* Id enim est λοιδορεῖσθαι in re forensi. Sic Demosthenes: τὰ δυνάμενα γράφειν λοιδορεῖσθαι.

PROMISIT PTOLEMÆO MULTAS PECUNIAS DARE) Ptolemæo Dorymenis, magnæ gratiæ atque auctoritatis viro: de quo 1. Macc. III. 38.

AD SVADENDUM REGI) πρὸς τὸ πεῖσαι τὸν βασιλέα, id est, ad sedandum regis animum. Vide quæ diximus ad Matth. 28, 14.

Vers. 46. IN QVODAM ATRIO POSITUM QVASI REFRIGERANDI GRATIA) Plinius minor in villæ descriptione: *Subest cryptoporticus subterraneæ similis: æstate incluso frigore riget.* περίστυλον, aut περιστύλιον est locus, qui columnis, id est, porticibus ambitur, ut apparet Ezech. XL. 18-19. LXII. I. 3. 5. Latine quoque dicitur peristylium Vitruvio V. 11. Peristylum Ciceroni pro domo, & Varroni III. 5. de re rustica.

Vers. 47. QVI ETIAMSI AFVD SCYTHAS CAUSAM DIXISSENT INNOCENTES PRÆDICARENTUR, HOS MORTE DAMNAVIT) Scytharum immanitas in proverbium abiit. Simile illud apud Senecam Thyeste:

*Tale quis vidit nefas?*
*Qui inhospitalis Caucasi rupem asperam*
*Heniochus habitans?*

Et Troadibus:

*Quis Colchus hoc, quis sedis incertæ Scytha*
*Commisit?*

Hic

Hic illud proverbium verum fuit: *Æmilius fecit, plectitur Rutilius. Et, peccabit coquus, fabulas tibicen.*

Vers. 49.

QVAMOBREM TYRII QVOQVE INDIGNATI.

Apud quos hæc gerebantur v. 44. Detestati sunt illi immane scelus, quod legati innocentissimi morte injustissima affecti, & honorifica eos prosequuti sint sepultura.

Vers. 50.

PERMANEBAT IN POTESTATE) ἔμενεν ἐπὶ τῆς ἀρχῆς; id est, in summo sacerdotio; ut supra 10.

Nunquam tamen *legitimus* Pontifex fuit, quum non esset de tribu *Levi*, sed *Benjamin v. 23. & c. II. 4.* A morte ergo *Oniæ*, quæ juxta hunc scriptorem contigit anno Græcorum 141. *usque ad Mathathiam*, qui exsurrexit anno 145. Pontificatus in manu spuria fuit per *quadriennium*. Licet enim jure devolvi debuisset à morte *Oniæ tertii* ad filium ejus *Oniam*, de facto tamen nunquam ei obtigit, utpote jam *profugo in Ægyptum, 1. Macc. II. 1.* Sed neque *Jasoni* fratri Oniæ jus ullum erat jam ad ritus gentilitios de lapso, & in Ammonitide exulanti supra v. 7. & 26. ut hic Tirinus.

## CAPUT V.

*Prodigia in Cœlo apparent: Jason in Hierosolymitanos horribiliter sævit, postea in exilio misere perit. Antiochus ipse sua in Ægypto frustratus Hierosolymis iram omnem in Judæos effundit, templum spoliat, & per suos præfectos ubique Judæos graviter affligit.*

Vers. 1.

SECUNDAM PROFECTIONEM PARAVIT IN ÆGTPTUM) Vide quæ diximus ad Dan. XI. 29.

Vers. 2.

EQVITES DISCURRENTES) Lucanus primo Pharsalici:

*Tum fragor armorum magnaque per abia voces*
*Audita nemorum.*

Deinde:

*Insonuere tubæ, & quanto clamore cohortes*
*Miscentur, tantum nox atra silentibus auris*
*Edidit.*

Virgilius:

*Armorum sonitum toto Germania cœlo*
*Audiit.*

Pie de talibus portentis *Osiander: Etsi ex istis in cœlo visis prodigiis colligi potuit, gravia bello in Judæa exarsura, & Dominum per Angelos suos defensurum Ecclesiam: tamen nulla est certior de futuris eventibus prædictio, quam ea, quæ ex sacris literis sumitur, Levit. 26. Deut. 28. cap. & ex promissionibus divinis, quod Ecclesia, (licet cruci subjecta) non sit peritura, Matth. 16.*

Vers. 6.

JASON VERO NON PARCEBAT IN CÆDE CIVIBUS SUIS) Nimirum de illo dici potest, quod de Sulla:

*Excessit medicina modum, nimiumque secuta est*
*Quæ morbi duxere manus.*

Neuter satis memores fuere illius moniti quod apud Claudianum est:

*Cautius ingentes morbos & proxima cordi*
*Viscera Pæoniæ tractat sollertia curæ,*
*Parcendoque secat, ferro ne longius actio*
*Irrevocandum eat sectis vitalibus error.*

NEC COGITABAT PROSPERITATEM ADVERSUM COGNATOS MALUM ESSE MAXIMUM) Ideo Cæsar civilium bellorum stragem non prodidit, ut nos docet Plinius VII. 25. Lucanus vero:

*Bella geri placuit nullos habitura triumphos.*

Tacitus quæstus referens populi Romani bellantibus Othone & Vitellio: *Vtraque impias preces, utraque detestanda vota, inter duos, quorum bello solum id scires, deteriorem fore qui vicisset.*

ARBITRANS HOSTIUM ET NON CIVIUM SE TROPHÆA CAPTURUM) Ita agens quasi ipsi cum hostibus non cum civibus res esset. Jocasta apud Euripidem Polynici:

Φίλ', ἦ λόγος γὰρ τόνδ', ὁ μὴ τύχοι ποτε,
Πρὸς Θηβ', ἑρέσσων πᾶς ἀνασπᾶσαι δορός;
Πῶς δ' ἂν κατάσχῃ θυμάτων ὀλὼν πάτραν;
Καὶ σώλιν πρόψυξις πῶς ἐπ' Ἰσθμὸν ἥσεις;
Φίβας πυρώσας τὰς ὁ πελοψείους θεοὺς
Ἀσπίδας ἔδηκε; μητρὶ, ὦ τέκνον, κλέος
Τοιόνδε καὶ γένοιθ' ὑφ' Ἑλλάνων λαβεῖν.

Vers. 7.

PROFUGUS ITERUM ABIIT IN AMMONITEN) *Ammonitin* scripsit interpres, sicut in Græco est Ἀμμανῖτιν.

Vers. 8.

AD ULTIMUM IN EXITIUM SUI CONCLUSUS EST AB ARETA ARABUM TTRANNO) Πέμας ἐν κακῷ ἀπηγχόθη τύχῃ, ἐγκλεισθεὶς πρὸς Ἀρέτᾳ τὸν τῶν Ἀράβων τύραννον. Ubi probo eorum conjecturam, qui ἐγκλεισθεὶς legendum putant, ut sensus sit: *Vicem ergo malæ vitæ suæ reperit, accusatus apud Aretam Arabum tyrannum.* Ubi Arabas intellige ipsos Ammonitas. nam eousque id nomen illis temporibus porrigebatur. Itaque Polybius libro quinto Rabath Amana, id est, רבת־עמן, vocat urbem Arabiæ quæ & Ῥαββὰ Ptolemæo in Arabia felice. Aretas nomen frequens Arabiæ regibus est, & apud Strabonem libro XVI. & apud Josephum Antiquæ Historiæ XVIII. 6. Id vocabulum Arabes accepere à Persis, quorum multa nomina ab hac voce incipiunt, ut diximus ad initium Esther.

FUGIENS DE CIVITATE IN CIVITATEM) In Ammonitide, ob eam quæ jam dicta est causam, non ausus consistere.

OMNIBUS ODIOSUS UT REFUGA LEGUM) ὡς τῶν νόμων ἀποστάτης, *ut legum*, patriarum scilicet, *desertor*, quod etiam apud illas gentes infame erat, quæ de lege Hebræorum nihil majus quam de suis legibus sentiebant.

IN ÆGTPTUM EXTRUSUS EST) ἐξηρράσθη, *ejectus est.*

Significatur *Jasonem* nequicquam Principatum affectasse, finem vero *insidiarum confusionem* accepisse, ideoque profugum in *Ammonitarum regionem*, inde ad *Arabas* se recepisse, ibique suspectum alicujus molitionis, aut criminis in vincula conjectum evasisse quidem, at nuspiam locum tutum invenisse, *in Ægyptum* extrusum esse.

Vers. 9.

ET QVI MULTOS DE PATRIA SUA EXPULERAT PEREGRE PERIIT) Bene legit in Græco: ὁ συχνοὺς τῆς πατρίδος ἀποξενώσας, quomodo est in Sixtino, non ὡς ἐχρῆν, quomodo est in aliis editionibus. Ostendit scriptor pœnas ejus delictis respondisse.

LACEDÆMONAS PROFECTUS) In Græco: *ad Lacedæmonas perfugit.* Puto autem intelligi Lacedæmonios qui in Ægypto militabant. Nam Lacedæmon eo tempore erat in corpore Achæorum, cum quo societas erat Ægypti regibus, ut videre est apud Polybium excerptis de legationibus 37. & 57.

QVASI PRO COGNATIONE IBI REFUGIUM HABITURUS) *Vt propter cognationem tutelam* (ab illis) *impetraturus.* Cognationem intelligit illam, de qua 1. Macc. XII. 21.

Cur vero non dicendus Jason ad *Lacedæmonios* ex *Ægypto* delatus, ibi tutelam quæsiturus; atque illic (forte ex insidiis) extinctus?

Vers. 10.

ILLAMENTATUS ET INSEPULTUS ABJICITUR, SEPULTURA NEQVE PEREGRINA USUS, NEQVE PATRIO SEPULCHRO PARTICIPANS) In Græco: *luctu caruit, neque exsequias ullas, nedum majorum sepulchra obtinuit.* Fuit ἀκλαυτος, ἄταφος, ut Euripides in Phœnissis loquitur: quod Sophocles in Antigone sic exprimit:

---- ---- ---- τάφῳ
Μήτε κατείξαι, μήτε κωκύσαι τινα.

Etsi autem *sepultura ad animæ salutem* nihil facit, tamen in impiis *species maledictionis divinæ* est sepultura carere, & à bestiis laniari. *2. Reg. IX. 35. 36. Jer. XXII. 19.*

Vers. 11. SUSPICATUS EST REX SOCIETATEM DESERTUROS JUDÆOS) *Defecturos ab Imperio Judæos*, nempe à Syriaco imperio ad Ægyptiacum, irritato populo per sacrilegia Menelai & Lysimachi.

CIVITATEM QVIDEM ARMIS CEPIT) Id est, quasi armis captam tractavit. Vide 1. Macc. I. 21. 22. 23. Ios. XXII. 7.

Est hæc qualiscunque conciliatio locorum pugnantium. Nam aliud profecto est *armis capere civitatem*: aliud *civitatem tractare quasi armis captam*.

Vers. 12.

IVSSIT AVTEM MILITIBVS INTERFICERE) 1. Macc. I. 25.

ET PER DOMOS ASCENDENTES TRVCIDARE) Etiam eos qui à plateis in domos suas refugiebant.

Vers. 13.

ET MVLIERVM) *Nuptarum*, quod ostendit sequens oppositio *virginum*.

EXTERMINIA) ἀφανισμός, שממה, quod internecionem significat.

Vers. 14.

OCTOGINTA MILLIA INTERFECTI) κατεφθάρησαν, id est, *desiderati sunt*. Est enim vox hoc loco communiter, & ad interfectos & ad venditos pertinens: quod ostendunt sequentes particulæ μὲν & δὲ, quæ distributioni inserviunt.

QVADRAGINTA MILLIA VINCTI) ἐν χειροπωμαῖς, id est, *manibus discerpti*. Divisi in partes.

NON MINVS AVTEM VENVNDATI) *Non pauciores interfectis venum sunt dati*. Ita quadraginta millia interfecta, totidem vendita, faciunt summam illam octoginta.

Non ergo recte *vulgata* Latina *octoginta millia* interfectorum assignat.

Vers. 15.

AVSVS EST ETIAM INTRARE TEMPLVM) 1. Macc. I. 23.

VNIVERSA TERRA SANCTIVS) *Toto orbe sanctissimum*.

SANCTA VASA) 1. Macc. I. 23. 24.

Vers. 17.

ITA ALIENATVS MENTE ANTIOCHVS NON CONSIDERABAT) τῷ μετεωρίζεσθαι τὸν διάνοιαν ὁ Ἀντίοχος ὑ συνορᾶν. *Et ita elatus mente erat Antiochus, ut non consideraret &c.* μετεωρίζεσθαι varias habet significationes, hic vero superbiæ, ut Pf. 131. ut & infra 21.

QVOD PROPTER PECCATA HABITANTIVM CIVITATEM MODICVM DEVS FVERAT IRATVS) Similem sensum habes Jud. V. 19. 20. & sequent.

*Ad breve tempus Deum esse populo suo iratum, eumque sic duriter castigare, non autem penitus abjicere*: Nam in Ecclesia Dei multa etiam & magna peccata committuntur; & filii Dei quandoque in securitatem carnalem incidentes pœnas graves sibi attrahunt. *Cum judicamur autem, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur* teste Apostolo *1. Cor. XI. 32.*

Vers. 18. SICVT HELIODORVS) supra 13, 25. 26.

Vers. 19. NON PROPTER LOCVM GENTEM, SED PROPTER GENTEM LOCVM DEVS ELEGIT) 1. Reg. 8. 27. 28.

Vers. 20. POSTEA AVTEM FIET SOCIVS BONORVM) *Factus est particeps*, ἐκοινώνησε. Nam cum hæc scriberentur jam repurgatum erat Templum.

CVM SVMMA GLORIA EXALTABITVR) Etiam hic est verbum præteriti temporis in Græco, ἐπεκυδοξάσθη, *restitutum est*.

Vers. 21. MILLE ET OCTINGENTIS ABLATIS DE TEMPLO TALENTIS) Partim in vasis & ornamentis Templi, partim in pecuniis. Vide Josephum XII. 7.

TERRAM AD NAVIGANDVM, PELAGVS VERO AD ITER AGENDVM DEDVCTVRVM) Vt Xerxes, qui,

*Europamque Asiæ, Sestumque admovit Abydo,*
*Incæstique freti rapidi, super Hellesponti,*
*Non Eurum, Zephyrumque sinens: cum vela, ratesque*
*In medium deferret Athon.*

Velut naturæ Dominus, ait Juvenalis. Rerum naturam statione mutavit sua, Triarius in declamatione apud Senecam.

Vers. 22. RELIQVIT AVTEM ET PRÆPOSITOS AD AFFLIGENDAM GENTEM) Quos ἐπισκόπους vocat Josephus VII. 12. & scriptor primi Macrab. I. 53.

PHILIPPVM GENERE PHRYGEM) Non temere nomen gentis addidit, nam Phryges maxime putantur Barbari, unde Menelao Peleus apud Euripidem:

Βαρβάροισι χρεὼν ἂν εἰ βαρβάροῦ.

Vers. 23. IN GARIZIM AVTEM) Vbi Samaritæ Templum & sacra habebant infra VI. 2. Strach. I. 25. Josephus XI. 8. XII. 7.

IMMINEBANT CIVIBVS) *Imminebat* in Græco: de Menelao enim hoc dicitur.

Vers. 24. CVMQVE APPOSITVS ESSET CONTRA IVDÆOS) *Animum in populares* (suos) Judæos *habens hostilem*. Ita in Græco, continuato sermone de Menelao.

ODIOSVM PRINCIPEM APOLLONIVM) Hic est tributorum ille collector, 1. Macc. I. 30. Idem is de quo 1. Macc. III. 10. Josephi XII. 10. Legit autem hic interpres μισάρχων, cum Græci codices nunc omnes habeant μισάρχην, quod verti video *sceleris principem*. Ego magis patem significari eum fuisse antea præfectum Mysiæ tam sic & Κωμιάρχης infra sumitur XII. 2.

PRÆCIPIENS) Et OMNES PERFECTÆ ÆTATIS INTERFICERE) τὸν ἐν ἡλικίᾳ, id est, puberes.

MVLIERES AC IVVENES VENDERE) Vide dicto loco 1. Macc. I. 33. 34.

PACEM SIMVLANS) Ibidem 31.

Vers. 26. OMNESQVE QVI AD SPECTACVLVM PROCESSERANT) τὸν ἐξελθόντας πάντας ἐπὶ τὸν θεωρίαν. *Qui ad sacra processerant.* Nam id Θεωρία in primitivo significatu, ut diximus supra IV. 18.

*Apollonius* quiete Judæorum fraudulenter usus die *Sabbati* omnes qui ad sacrificia aliaque festo propria (vulg. incommode SPECTACVLVM reddidit) in publicum processerunt, ex improviso trucidavit, Judæis ex vana persuasione propter festi solemnitatem non ausis arma capere, hostique resistere: quale quid etiam postea illis contigit, qui ad deserta loca confugerant. Est autem Apollonius ille, qui paucis ante annis ab Antiocho in Ægyptum missus fuerat *c. IV. 21.* postmodum à Juda Maccabæo læsus *1. Macc. III. 11.*

Vers. 27. JUDAS AUTEM MACCABÆUS QVI DECIMVS FUERAT SECESSERAT IN DESERTVM LOCVM) δέκατος πως γεγηθὼς decimus factus, id est, novem comites habens. Tale ὀγδοηκοῦς 2. Petri. II. 5. & apud Martialem.

*Dic quotus & quanti cupias cænare.*
Quotus, id est, cum quot convivis.

*Decadarchum Tirinus* vocat: *Eman. Sa, & Mariana* vero malunt *decimum ordine à tempore Alex. M.* & à *Jaddo* Pontificem intelligere. Sed hic nondum fuerat Pontifex.

INTER FERAS) In Græco: *ferarum more*. 1. Macc. I. 55. Hebr. XI. 38. ἐν ἐρημίαις πλανώμενοι, ὄρεσι τε καὶ σπηλαίοις: quomodo Virgilius:

*In Sylvis inter deflea ferarum.*

EO FOENI CIBO VESCENTES) τὸν χορτοδῆ τροφὴν ἐνεδρεύοντες, gramineo victu pasti. Nam Hellenistis χόρτος est herba.

DE MORABANTVR) Perseverabant.

COINQVINATIONIS) μολυσμὸ, id est, idololatriæ. Vide 1. Macc. I. 39.

Ne polluerentur prophano convictu, usu vel consuetudine aut idololatria gentilium, malebant summa rerum inedia, herbarum & radicum esu se sustentare.

## CAPUT VI.

*Antiochus submisso novo tortore novis plagis afflige Judæos templum Hierosolymitanum Jovi Olympio, Garizitanum Jovi Hospitali jubet dicari: Judæos omnes ad Ethnica sacra cogit. Mulieres, qua filios suos circumciderant, misere interficiuntur. Eleazar mori, quam porcinis carnibus vesci maluit.*

Vers. 1. SENEM QVENDAM ANTIOCHENVM) Scriptum fuisse credo per compendium αντν pro Αντίοχεων. Librarii inde fecere αὐτν, id est, Αθηναίων. Fuerit aliquis ex senatu urbis Antiochenæ. Sicut autem Hebraïs senatores שרים, ita Hellenistis γέροντες. Memoratur quidem Diodoro Siculo Athenæus quidam dux Antiochi. Sed ibi de Antiocho Sidete agitur. Locus est in fragmentis à Valesio editis.

*Senex* dicitur, quod ex ordine *Senatorio* fuerit. *Athenæum* in Græco vocari alij putant seu quia inde oriundus seu quia nomen hoc ei proprium fuerit:

fuerit: quamvis *Mariana* suspiceturipsum *Bacchidem* fuisse, quem Matathias Hierosolymis occiderit I. Macc. II. 1. Osander etiam conjectat exemplar Græcum mendosum esse.

Vers. 2. ET COGNOMINARE IOVIS OLYMPII) Qui Syris בעל־שמין, aut simpliciter, בעל, & Chaldæis בל, is a Græcis vocabatur Ζεὺς Ὀλύμπιος, quod pariter ille cœli dominus crederetur, sicut Ζεὺς apud Græcos, Docuimus id alibi ex Philone Byblio, & Dio in historia Phœnicum. Diodorus Siculus narrans Antiochi Magni sacrilegium, altero loco Δία nominat, quem altero Βῆλον. Locus uterque est in fragmentis à Doctissimo Valesio editis.

Profanato templo Hierosolymitano nomen illi indidit *Iovis Olympii*, cum novo nomine nova dedicatione publice celebrata. Quod erat *abominandum desolationis idolum I. Macc. I. 57.*

ET IN GARIZIM) De quo supra V. 23.

Quod erat *Samaritanorum* templum, de quo *Iob. IV. 20*

PROVT ERANT HI QVI LOCVM INHABITABANT) Id est, quia loci ejus habitatores erant peregrini ex Mysiæ & Mesopotamiæ & longius sitis regionibus. II. Regum XVII. 24.

IOVIS HOSPITALIS) Διὸς ξενίου, בעל־גרים.

V. 4. NAM TEMPLVM LVXVRIA) ἀσωτίας, luxu.

ET COMESSATIONIBVS) κώμων. Quid sit κῶμος diximus Sap. XIV. 23.

SCORTANTIVM CVM MERETRICIBVS) ἑταιρουμένων μετὰ ἑταιρῶν, ut est in Sixtina, non ἑταίρας, ut est in editionibus aliis: id est, *in otio inter amicas viventium.* ἑταῖρος nomen erat aliquanto honestius, quam πόρνος.

SACRATISQVE ÆDIBVS MVLIERES VLTRA SE INGEREBANT) *Et in sacros porticibus miscentium se mulieribus.* περίβολοι sunt porticus Templi. Sic I. 2. I. Macc. XIV. 48. supra I. 15. Sacerdotibus Hebræis, dum essent in sua ἁγιωσύνῃ, ne uxores quidem suas attingere licebat. Tunc vero omnia confundebantur. Confer Jeremiæ nomine epistolam quæ Baruchi additur.

INTVS FERENTES EA QVÆ NON LICEBAT) *Et intro ferentium quæ fas non erat:* vasa nempe profana, ut Nehem. XIII. 8.

Vers. 5. ALTARE ETIAM PLENVM ERAT ILLICITIS, QVÆ LEGIBVS PROHIBEBANTVR) Puta victimis suillis, 1. Macc. I. 50. Josephus XII. 7.

NEQVE AVTEM SABBATA CVSTODIEBANTVR) I. Macc. I. 41. 48.

NEQVE DIE SOLEMNES PATRII SERVABANTVR) Dicto commate 48. ut prædictum à Daniele VII. 25.

NEC SIMPLICITER IVDÆVM SE ESSE QVISQVAM CONFITEBATVR) Judæus hic ponitur non pro gentis, sed pro religionis nomine, ut infra IX. 17. & Esther. VIII. 17. Sic Josephus XIII. 17. de Idumæis: οὐκ εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους.

Vers. 7. IN DIE NATALIS REGIS) εἰς τὴν κατὰ μῆνα τῆς βασιλίδος γενέθλιον ἡμέραν: *die regis per quemque mensem natali*, id est, eo die mensis quo Rex erat natus. Cæteri Reges satis habuerunt semel anno natalem suum celebrare. Vide quæ ad Matth. XIV. 6.

AD SACRIFICIA) ἐπὶ σπλαγχνισμούς. Habes hanc vocem & infra 21. & VII 42. σπλαγχνεύειν Aristophani, huic scriptori σπλαγχνίζειν infra 8. est, ut Aristophanis explicat interpres, σπλάγχνων μεταλαβεῖν. Post sacrum pars extorum reddebatur iis qui victimas obtulerant, de iis fiebant epulæ. Hoc est quod vicare ad exta, adducere ad exta, dicit Plautus.

COGEBANTVR HEDERA CORONATI LIBERO CIRCVIRE (*Pompam facere Libero*, πομπεύειν. Hedera Bacchi propria: quod & in tertio significatur Maccabaico. Seneca Oedipode:

*Effusam redimite comam nutante corymbo*
*Mollia Nysias armata brachia Thyrsis.*

Festus: *Hedera in tutela Liberi patris putabatur esse.* In veteri hymno Bacchus, κισσοστεφὴς.

*Bacchanalia* seu *Liberalia* Baccho seu Libero sacra; cui multa ebrietate, libidine, furore, atque inlania litare mos erat (Vid. *Plutarch.* in Alexandr. *Tertullian* de spectacul. *Pithœus* l. I. Adversc. 9. *Gyrald.* de diis Gent. Syntagm. 8.) maxime vero in Oriente, ubi ex Iovis semore Bacchus natus credebatur, teste *Dionysio* in Orbis Periegesi *Hedera* ob innatam frigiditatem putabatur ebrietati contraria, vid. *Plin.* l. XVI. c. 34. *Tertull.* de corom. mil. c. 7.

Vers. 8. IN PROXIMAS GENTIVM CIVITATES) In Phœnice, reliquaque Syria. Ἐπιχώριος in Græco. Sensum bene expressit interpres. Mos enim erat Judæis, ubi de religione agebatur, omnes qui Judæis non erant vocare Græcos: sic & τὰ ἐθνικὰ infra 9. instituta à Judaicis aliena.

SVGGERENTIBVS PTOLEMÆIS) In Græco, *suggerente Ptolemæo*: nempe Dorymenis filio, de quo supra IV. 45.

Hoc rectius quam quod habet *Mariana* de *Regibus Ægypti Philometore, & Evergete*, fratribus, qui tum vix adolescentes erant, nec infesti Judæis.

UT SACRIFICARENT) In Græco: πρὸς σπλαγχνίζεσθαι, id est, ad exta eos adducerent.

Vers. 10. DVÆ ENIM MVLIERES DELATÆ SVNT NATOS SVOS CIRCVMCIDISSE) Habes hoc & I. Macc. 64. & apud Josephum.

CVM PVBLICE PER CIVITATEM CIRCVMDVXISSENT) *Traduxissent*: ut supra IV. 38.

Vers. 11. AD PROXIMAS COEVNTES SPELVNCAS, ET LATENTER SABBATI DIEM CELEBRANTES) Eadem est historia quæ I. Macc. II. 31. & sequentibus, & apud Josephum XII. 8.

CVM INDICATI ESSENT PHILIPPO) Ei de quo supra V. 22.

Vers. 12. NE ABHORRESCANT PROPTER ADVERSOS CASVS) μὴ ἀνυπόστατον. *ne animum abjiciant*, quasi Judaici ritus à Deo non essent.

NON AD INTERITVM) Ob patres enim Deus Judæos, quamvis corruptos, noluit nunquam penitus interire. Esaiæ I. 9. Jerem. IV. 18. Hoc significatum Mosi per rubum, & Ezechieli per electrum.

Vers. 13. ETENIM MVLTO TEMPORE PECCATORIBVS EX SENTENTIA AGERE) In Græco: *Quod enim non diu transmittuntur qui impie agunt.*

STATIM VLTIONES ADHIBERE, MAGNI BENEFICII EST INDICIVM) *Sed flatim in pœnas incidunt, magnæ beneficentiæ indicium.* Nempe sic medicus amicum non diu patitur ægrotare sine remedio. Egregiam habes hujus loci explicationem in Philocalia ex Origene.

Vers. 14. CVM IVDICII DIES ADVENERIT) Mensura judicii, ut loquuntur Hebræi.

IN PLENITVDINE PECCATORVM PVNIAT) Exitio scilicet irreparabili, ut illos diluvii tempore, Sodomitas & vicinos aliquot populos Judæorum vicinos.

Vers. 15. IN FINEM DEVOLVTIS) Ad eum perducti gradum, ut ultra ascendere nequeant.

Vers. 16. POPVLVM SVVM NON DERELINQVIT) Nempe ut intereat stirpitus,

Deus suos nos affligit ut perdat, sed ut emendet. Melius est enim, ut flagellis divinis in viam revocemur, quam ut in sensum reprobum tradamur, & omnia pro nostra libidine patremus *1. Cor. XI 32.* ideoque non connivet Deus ad peccata nostra, ut ad Ethnicorum scelera, quos demum (quando mensuram plene impleverint) horribiliter judicat, punit, exterminat, atque in æternum damnat. Idem nunquam penitus amovet à nobis misericordiam suam, quin paternum retineat animum ut nos ad pœnitentiam revocet, emendet, & salvet. *Es. LIV. 7. 1. Cor. X. 13.*

Vers. 17.

IAM AVTEM VENIENDVM EST AD NARRATIONEM) Sic solent historiæ post factam διήγησιν velut redire in orbitam. Non dissimile Taciti illud Historiarum II. *Sed me æterum nonnumquæ morum deputatio longius tulit: nunc ad rerum ordinem venio.*

Vers. 18.

IGITVR ELEAZARVS VNVS DE PRIMORIBVS SCRIBARVM) Id est summe eruditus in lege. Scriptor sermonis Maccabaici, qui Josepho tribui solet, ait de hoc Eleazaro: τῶν ἐντιμοτάτων νομικῶν. Idem est νομικὸς & γραμματεύς, סופר. *Ambrosius* l. 2. de Iacob c. X. XI. & Nazianz. Orat. XXII. vocant hunc Eleazarum *Patrem*, id est, *Magistrum* & *Doctorem septem puerorum Maccabæorum* de quibus *cap. VII.* Fallitur autem *Gorionides* dum eum inter *LXXII. Interpp.* præcipuum fuisse dicit. Sic enim non 90. annorum fuisset, quod πρεσβ. habetur, sed plusquam *centum & viginti.*

APERTO ORE HIANS COMPELLEBATVR CARNEM PORCINAM MANDVCARE) Id est, cogebatur hiare, ut carnem porci comederet.

Vers. 19. VOLUNTARIE PRÆIBAT AD SUPPLICIUM ) ἑκὼν τὸ τύμπανον, Idem est quod ἑκὼν τὰ βασανιστήρια dixit Sermonis illius Maccabaici scriptor. Esse tormenti genus etiam Scholiastes nos docet ad Aristophanes illum, sed quale fuerit, non satis explicat. Credo fuisse fidiculas, quibus pellis humana ita tendebatur, quomodo bubula ki tympano. Qui sic cruciabantur ii dicebantur τυμπανιζόμενοι, qui vero ad mortem usque ii ἀποτυμπανίζεσθαι, ut explicat vocem Græcam Syrus ad Hebr. XI. 35. Et utitur ea voce sensu eodem Aristoteles Rhetoricorum II. 6. circa finem, & tertij Maccabaici scriptor.

Vulgata Ebr. XI. interpretatur distenti sunt; nec improbant Erasmus, Beza. De tympano ita *Tirinus* in h. l. *Erat* tympanum *tormenti genus, quo cruci vel palo adstricti rei, instar tympani distendebantur, ac tum vel baculis contundebantur, vel flagellis discindebantur, vel vivi excoriabantur, vel vulneribus punctim, casim conficiebantur, ut Suidas, Hesychius, Lipsius volunt: vel facibus aut laminis ignitis ustulabantur, tetris ad nares admotis odoribus, ut nostro Eleazaro factum vult Josephus; vel pice ferventi in os infuso cruciabantur, vel igne in cineres redigebantur, vel capite minuebantur, ut Varinus, Oecumenius, Theophylactus & alij docent.*

Cæterum idem *Tirinus* ex eo, quod *Calvinus, Beza* & *Aretius* fateantur *Ebr. XI.* alludi ad *Eleazarum & Maccabæos* Martyres, perperam & ἀπαιδεύτως concludit statuendum esse, eum agno visse hosce libros pro *Canonicis*. Num enim omnes Historici, ad quos alluditur in sacris literis ideo statim habendi pro Canonicis?

Vers. 20. INTUENS AUTEM QVEMADMODUM OPORTERET ACCEDERE, PATIENTER SUSTINENS, DESTINAVIT NON ADMITTERE ILLICITA PROPTER VITÆ AMOREM ) προσπτύσας (male Latinus legit προσπτύσας ) δὲ καθ' ὃν ἔδει τόπον (ita legendum non τρόπον) προσιέναι τὸν ὑπομένοντας ἀμυήτους, ὧν δ' ὑμενίσκωσθαι διὰ τὸν πρὸς τὸ ζῆν φιλοστοργίαν: verba sunt nonnihil trajecta, quæ sic explices, supplendo ὧν, quod subauditur ut & alibi: *In eo loco quo ire debebant qui ferebant supplicium, exspuit ea quæ vel vitæ amore gustare nefas erat.* Suillam in os ingeitam exspuit, ne ullo modo eum cibum admisisse crederentur.

Vers. 21. HI AUTEM QVI ADSTABANT INIQVA MISERATIONE COMMOTI ) Quidam ministrorum regiorum, ut est in illo sermone Maccabaico. In Græco est: οἱ δὲ πρὸς τῷ παρανόμῳ συλλογισμῷ τῦφλωμένοι, ubi συλλογισμὸς interpres putavit esse miserationem, sicut συλλογίζεσθαι Græcis sæpe est misereri: veram hoc loco συλλογισμὸς eundem sensum habet quem supra 7. & συλλογίζεσθαι supra 8. Sensus est: *Illi qui advocandis ad extra contra legem hominibus erant præpositi*

CARNES QVIBUS VESCI EI LICEBAT) Bubulas puta, aut ovillas. Additur in Græco κυρίως κεκαθαρμένας, præparatas, id est, coactas. ψυχικῶν κρεῶν ait sermo ille Maccabæi ms.

UT SIMULARETUR MANDUCASSE SICUT REX IMPERAVERAT DE SACRIFICII CARNIBUS) *Vetpræ se ferret edentem de immolatitiis carnibus, secundum justa regis.* Simulatio non omnis mala est, sed ea quæ exemplo alios est ad sperandam legem. In sermone illo Maccabaico: μὴ οὕτως κακῶς φρονήσωμεν οἱ λοιπὰ παῖδες, ὥστε μαλακοψυχήσαντας, ἀπατεῖς ἡμῶν ὄμμασι ὑποκριθῆναι.

Vers. 23. PRÆMITTI SE VELLE IN INFERNUM ) *Rogans ut cito ad orcum dimitteretur.* λέγων hic est orans, rogans. ᾅδης status mortuorum sive bonorum, sive malorum.

Vers. 24. AD VITAM ALIENIGENARUM) Græce egregie: εἰς ἀλλοφυλισμόν.

Cur vero interfici maluit Eleazar, quam videri tantum vesci carne suilla? Factum id tum propter conscientiam, quam hac simulatione violasset, tum propter scandalum, quod infirmis, ipsique hostibus dedisset: *Quia non hoc agebatur à fatellitibus Antiochi, ut tantum violaret legem de ciborum discrimine: sed ut ipso facto ostenderet, se à tota lege defeciſſe, & religionem Ethnicam amplexum esse*, ut recte annotatum in Confessione Illustriss. Ducum Saxon. Anno 1560. de Adiaphoristis. p. 66. ubi docetur, ex parvis æpe magnarum rerum momenta pendere. Conf. Schlüsselb. Catal. hæret. l. XIII. p. 572. Et recte hic Osiander: *Esti esus carnis suillæ inter ceremonialia referebatur, in quibus dispensari posse: tamen hoc quidem loco, & in eo rerum statu carnes suillas edere, nihil aliud erat, quam Israelitica religionem abnegare.* Addit: *Amici qui illicitis rationibus vitæ nostræ consulere volunt, minime sunt amici. Simulatio enim in religionis negotio locum habere non debet.*

Vers. 26. MANUM OMNIPOTENTIS NEC VIVUS NEC DEFUNCTUS EFFUGIAM) Vides his temporibus supplicia post hanc vitam, ut & præmia, constanter credita, & aperte prædicta, nempe ex Ezechiele & Daniele intellectis secundum sensum subliniorem. Vide quæ diximus ad Matth. XII. 32. ἀιώνιος ἄφεσιν & ἀκατάλυπτον habes in dicto sermone Maccabaico. Item: αἰώνιοι πῦρ ἠμῖν βασάνῳ. In Josepho vero Belli Judaici II. 12. μυκὸν γίνεται τιμωρίαν ἀδιαλείπτων.

Non illa tantum, sed *omni ætate* credita in Ecclesia *æterna supplicia*, nec ab *Ezechiele*, aut *Daniele* demum ea tradita, qui *posterior literali*, non *mystico*, quem vocant, tantum sensu c. XII. 2. expresse de æterno impiorum supplicio agit, quod etiam ex *Ezech. XIIX. 20.* colligitur. Notavimus errorem hunc jam aliquoties in Grotio de non creditis constanter, nec traditis in Ecclesia antiquiori æternis suppliciis & præmiis, quæ capita tamen Apostolus ad στοιχεῖον, & τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ refert, *Ebr. IV. 12. c. VI. 1. 2.*

Vers. 27. SENECTUTE QUIDEM DIGNUS APPAREBO.

Ambrosius Eleazarum sistit l. II. de Jac. c. 10. h. m. *Non sum ità senex, ut mihi non juvenescat animi fortitudo; Nequaquam contingat mihi, ut fiat senex incentivum juvenilis erroris, qui huc usque eram forma salutaris institutis. Senectus portus debet esse non vitæ superioris naufragium.* Hoc animo imprimant senes, & cogitent, cum ad abnegationem fidei vel alia scelera irritantur aut invitantur.

Vers. 28. AD SUPPLICIUM TRAHEBATUR ) ἑκὼν τὸ τύμπανον ὑθὺς ἤλθε, *statim ibat ad tympanum:* de quo supra 19.

Vers. 29. QUOS ILLI PER ARROGANTIAM PROLATOS ARBITRABANTUR) Bene vertit vocem ἀπόνοιαν, quanquam enim ea vox varios significatus habet, hic tamen significat hominum & famæ ipsius contemtum. Vide Theophrasti hoc de vitio χαρακτῆρα.

*Hostes verbi Dei* constantiam in vera religione pertinaciam & superbiam interpretantur.

Vers. 30. DOMINE QUI HABES SANCTAM SCIENTIAM, MANIFESTE TU SCIS ) In Græco est in tertia persona: *Domino sanctam habenti cognitionem apertum est*: & mox: *propter timorem ejus.* Sanctam scientiam, intellige perfectam.

Vers. 30. SECUNDUM ANIMAM VERO PROPTER TIMOREM TUUM LIBENTER HÆC PATIOR) *Animo libente.*

In talia igitur *constantiæ exempla* intuentes, vitam potius, quam veram religionem, amittamus. *Qui enim* (inquit Christus *Matth. X. 39.*) *vitam suam* (abnegatione veritatis cœlestis) *invenerit perdet eam. Qui vero vitam suam propter me amiserit, inveniet eam.* Patres nonnulli vocant Eleazarum primitias martyrum non ratione temporis, sed ratione dignitatis, vel fortitudinis.

## CAPUT VII.

*Septem unius matris filij, una cum matre pro vera religione crudelissimæ mortis supplicium constantissime tolerant.*

Vers. 1. SEPTEM FRATRES.

Josephus l. de Maccab. nomina eorum hæc recenset, *Machabæus, Aber, Machiri, Judas, Achas, Areth, Iacob.* Dicit è *Susando* ipsis proprio castello ad Antiochum Regem adductos non Hierosolymam, ut [b] *Cedrenus* voluit, sed *Antiochiam*, in quo consentientes habet *Gorionid. l. III. c. 5. 6. Ambros.*

*Ambros.* l. II. de Iacob c. 10. *Augustin.* serm. CIX. *Maccabæi.* vocantur secundum *Tuomam* à *matre*, juxta *Serarium* à *primo* fratrum, juxta *Scaligerum* l. V. de Tempor. emend. à *robore*, & *fortitudine animi*, qua Tyrannum superarunt. Passi videntur hi martyres paulo antequam Mathathias adversus Tyrannum arma capesseret *anno 8. regni Antiochi*, quod innuitur *p. 38.*

Vers. 1. ET TAUREIS) Scuticis ex taurino corio: ut apud Juvenalem explicat Scholiastes, Censuram bubulam vocat Plautus: qui & alibi: *Vbi ubios homines mortui incursant bobus.*

SARTAGINES ET OLLAS ÆNEAS ACCENDI) Etiam sermo ille Maccabaicus inter tortorum instrumenta, recensetur hoc loco λοβότας τέγανά τε lebetes & sartagines.

Vers. 4. AMPVTARI LINGVAM) Aliter sermo ille Maccabaicus.

SVMMAS QVOQVE MANVS ET PEDES EI PRÆSCINDI) Avelli cruciatibus, ait dictus jam sermo Maccabaicus: κατὰ πᾶν μέλος κόλασον, deinde: τέμνειν μέλη μέλη.

Vers. 6. ET CONSOLABITVR IN NOBIS, QVEMADMODVM IN PROTESTATIO NE CANTICI DECLARAVIT MOSES, ET IN SERVIS SVIS CONSOLABATVR) *Et satiabitur in eis* quæ evenere *nobis, quemadmodum in carmine coram attestante populum explicavit Moses: de servis suis satiabitur.* Vius est hic interpres versione Mosis, quam habemus per septuaginta, ubi pro יִתְנֶחָם est παρακληθήσεται. Solet autem id verbum de Deo dici, ubi pœnis satiatus se rursus propitium præbet: ut Ezech. V. 13. Jonæ XIII. 9.

Hæc meliora sunt barbara translatione vulgatæ: *Consolabitur in nobis*, quam emendant ipsimet qui eam omni exceptione superiorem credunt, Pontificij Interpp. utpote *Menochius*, *& alij*, *consolabitur nos.* Mutuæ piorum adhortationes & consolationes in calamitatibus, & persequutionibus communibus valde sunt efficaces. *Ebr. X. 24.*

Vers. 7. CVTE CAPITIS EJVS CVM CAPILLIS ABSTRACTA) Idem narrat sermo Maccabaicus: καὶ τὸν τῆς κεφαλῆς δορὰν σὺν ταῖς θριξὶν ἀπέσπασαν.

Vers. 9. REX MVNDI) מֶלֶךְ הָעוֹלָם, frequens Hebræis de Deo.

IN ÆTERNÆ VITÆ RESVRRECTIONE SVSCITABIT εἰς αἰώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς, לִתְחִיַּת. Vides hic spem vitæ alterius, ut & infra 14. 36. Sap. V. 16. magnam quidem, non tamen comparandam cum ea quam Christus attulit.

Cur vero cum ea non comparanda? num aliam spem habemus, quam Patres de altera vita? Si luculentiora dicerat testimonia N. T. non refragaremur. Sed spem MAGNAM quidem habuisse veteres non tamen cum ea, quam Christus attulit comparandam quomodo docebitur?

Vers. 10. ET MANVS CONSTANTER EXTENDIT) Sermo Maccabaicus: ἀθρόως ἐκτείνας τὰς χεῖρας αὐτοῦ καὶ τὰς πόδας ἐξέφηνε καὶ ὡς ἄφοβος ἀνακαλύψαντας ἐξεπίδυσε.

Vers. 11. QVONIAM AB IPSO ME EA RECEPTVRVM SPERO) Membra ista in statu meliore.

*Resurrectionem* enim ejusdem corporis cum *Iob. c. XIX. 25. 26. sed in gloria* & claritate *Dan. XII. 3.* credebat.

Vers. 14. POTIVS EST AB HOMINIBVS MORTI DATOS SPEM EXSPECTARE A DEO ITERVM AB IPSO RESVSCITANDOS) In Græco: *Satius est humanas spes cum eis quæ à Deo exspectantur commutare, nempe fore ut ab ipso resuscitemur.*

IBI ENIM RESVRRECTIO **AD** VITAM NON ERIT) Erit quidem resurrectio, **sed** non ad vitam, scilicet nempe, sed ad pœnam. ἀνάστασις ὀλέθρου, ut hic est in sermone Maccabaico.

Vers. 16. POTESTATEM INTER HOMINES HABENS, CVM SIT CORRVPTIBILIS, FACIS QVOD VIS) Quasi dicat: habes quidem potestatem, sed à Deo: (ut Luc. XIX. 11.) homines regis, sed homo es. Cogitare igitur debueras hominem te Deo rationem gestuum tuorum debere. In sermone Maccabaico: παρὰ τῷ θεῷ λαβὼν τὴν ἀγαθὴν ἀρχὴν τὴν βασίλειαν.

Vers. 17. TV AVTEM PATIENTER SVSTINE) σὺ δὲ μακροθύμει. *Tu vero exspecta.*

QVALITER TE ET SEMEN TVVM TORQVEBIT) Antiochum Eupatora: de quo I. Macc. X.

Vers. 18. PECCANTES IN DEVM NOSTRVM) ἁμαρτόντες εἰς τὸν ἑαυτῶν θεὸν, ut qui in Deum nostrum delinquimus. Loquitur ut unus de populo καθὼς κείνοις, qualis utuntur Neh. IX. 33. & Dan. IX. 5. & sequentibus.

ET DIGNA ADMIRATIONE FACTA SUNT IN NOBIS) In Sixtina: δι' ὧν ἄρτι θαυμασιῶν γέγονε. Legetur rectius: δι' ὧν: *per quem miranda nobis sunt præstita.* Exaggerat culpam, ob beneficia præcedentia.

Vers. 21. VOCE PATRIA) Id est, lingua Hebræa. Sic & infra 27.

ET FEMINEÆ COGITATIONI MASCULINUM ANIMVM INSERENS) *Et femineam cogitationem animo masculo excitans.*

Vers. 22. NESCIO QVALITER IN VTERO MEO APPARVISTI) Hanc vim διαπλαστικὴν fœtus merito & Galenus admiratur. Digeritur enim in matre massa in hominem, matre ipsa & partes & ordinem partium ignorante, adeo non disponente. Dei hoc opus, ut recte agnoscit Job. X. 10.

NEQVE ENIM EGO SPIRITVM ET ANIMVM DONAVI VOBIS ET VITAM) In Græco: *Spiritum & vitam*, id est, spiritum vitalem, ὃ διὰ ζωῆς: Sic ζωὴ πνεῦ ματος Act. XVII. 5. quod πνεῦμα ζωῆς Gen. II. 7. & 11.

ET SINGVLORVM MEMBRA NON EGO IPSA COMPEGI) κἀγὼ τὴν ἑκάστου τεκτήνασα ἢ ἐγὼ διεξήρθμησα *& compagem cujusque ego non formavi.* Non fuit mihi id aut artis, aut potentiæ.

Non autem ex hac oratione colligendum matrem nihil conferre ad vitam infantum, *animasque* eorum *infundi immediate à Deo creatas.* Quem errorem à *Calvinianis*, & *Calixtinis* hodie incrustatum ex professo profligavimus *Harmonia Calixtino-Hæretica sect. V. l. cap. III. subsect. III. p. 461.*

Vers. 23. ET SPIRITVM VOBIS ITERVM CVM MISERICORDIA REDDET) *Spiritum & vitam:* id est, spiritum vitæ, æternæ felicet.

Non hic *Hendyade* locum habet. Nam *spiritum*, id est, *animam* & *vitam* reddit Deus in resuscitatione omnibus: reddit autem in misericordia fidelibus, quia ad vitam æternam eos resuscitat.

Vers. 24. ET EXPROBRANTIS VOCE SVSPECTA) τὸν ὀνειδίζοντος ὑφορώμενος φωνὴν: *suspectum habens vocem exprobrantem:* id est, metuens ne sibi turpe esset femineæ verba plus quam sua valere.

Alij sic accipiunt, quod Rex putaret ταπεινὰ sibi in *lingua peregrina convitiari.*

Vers. 25. SVADEBAT EI VT ADOLESCENTI FIERET IN SALVTEM) In Græco: *Vt adolescenti consilium daret ad salutem.*

Vers. 27. NOVEM MENSIBVS) Nonus mensis & decimus ad partum frequentissimi. Vide Sap. VII. 2. l. Gal. lus. D. de Liberis & Posthumis. Plin. Lib. VII. epistola 5.

ET LAC TRIENNIO DEDI) Eo enim tempore solent pueri à lacte materno depelli.

ET ALIA) Cibis postea solidioribus, ut motis est. I. Corinth. III. 2. Heb. V. 13. 14.

V. 28. QVIA EX NIHILO FECIT ILLA DEVS) ἐξ οὐκ ὄντων. Alij libri ἐξ ὄντων. Sic μὴ ὄντα Rom. IV. 17.

ET HOMINVM GENVS) *Etiam hominum genus*, non ex semine humano, sed ex limo primum.

V. 29. VT IN ILLA MISERATIONE CVM FRATRIBVS TVIS TE RECIPIAM) *Vt per misericordiam* (nempe Dei) *cum fratribus tuis* te quoque *recipiam.*

V. 30. QVEM SVSTINETIS) *Quem exspectatis?* id est, quin de me finem facitis?

V. 32. NOS ENIM PRO PECCATIS NOSTRIS HÆC PATIMVR) Explica ut supra.

V. 33. MODICVM TEMPVS EST) Ad breve tempus. Vide supra VI. 16.

Vers. 34. NOLI FRVSTRA ATTOLLI VANIS SPEBVS) μὴ μάτην μετεωρίζου. Noli frustra tibi placere. Vide supra V. 17.

Vers. 35. QVONDUM ENIM OMNIPOTENTIS DEI ET OMNIA INSPICIENTIS IVDICIVM EFFVGISTI) *Omnia* bene addidit interpres explendo sensui.

Θεοῦ δὲ πάντων οὐχὶ ὑπερτέρου βροτός.
Et: Οὔτε θεὸν ὀφθαλμὸς εἰς τὰ πάντ' ἰδεῖν,
Ut est in Græcorum veteribus sententiis.

Vers. 36.

SUB TESTAMENTO ÆTERNÆ VITÆ EFFECTI SUNT) *Sortem suam habent sub dilvinio de vita aterna statute:* id est, vitam æternam ex Dei pacto exspectant.

Non

Non expectabant demum vitam æternam, sed statim post mortem consequenti erant, quæ divino fœdere promissa erat Gen. XVII. 7. Conf. *Matth. XXII. 23. Luc. XXIII. 43. 2. Cor. V. 6. 7. 8. Phil. I. 23. Ap. XIV. 13.* Ideo rectè Tirinus expositit: fruuntur jam vita æterna & immortali ex pacto, & fœdere divino fidelibus promissa.

Vers. 37. ANIMAM ET CORPVS TRADO PRO PATRIIS LEGIBVS) Id est, corpus lacerandum, vitam eripiendam. Quod si

*Dulce & decorum est pro patria mori,*

quanto magis pro divinis legibus patriæ datis.

INVOCANS DEVM) Id est, *orans.*

MATVRIVS GENTI NOSTRÆ PROPITIVM FIERI) *Victo genti nostræ propitius fiat.*

TEQVE CVM TORMENTIS ET VERBERIBVS CONFITERI QVOD IPSE EST DEVS SOLVS) *Et ut tu per tormenta & verbera adactus fateatis illum solum esse verum Deum.* Quod & contigit, ut videre est I. Macc. VI. 13. infra IX. 12. 13. & sequentibus, apud Josephum XII. 13. Potuit ergo dici huic puero:

Τὰς σὰς δ' ἀρὰς ἔοικεν ἐκπλῆσαι θεός.

Vers. 38. IN ME VERO ET IN FRATRIBVS MEIS DESINET OMNIPOTENTIS IRA) Erimus nihil ultra dolituræ gentis piamen.

Vers. 40. MVNDVS OBIIT) κοσμοῦ μεντἂν, id est, nulla idololatria pollutus.

Vers. 41. NOVISSIME AUTEM POST FILIOS ET MATER CONSUMTA EST.

*Martyrio.* Felicior autem fuit hæc mater, quæ septem filios suos martyrio coronatos vidit, quam si eosdem Reges potentissimos in his terris vidisset, coronis splendidissimis ornatos. *Reliquias* horum Martyrum Antiochia Romam translatas, & in *Ecclesia S. Petri ad vincula* reconditas jactitat *Romanum Martyrologium* I. Augusti. Sed *nomina* litem indicere *Colonienses*, qui *jam à 400. & pluribus annis horum VII. Fratrum & Matris corpora sibi vendicent, & hoc nomine gratulari illis non semel Erasinum & alios autores, observat è Serario Tirinus.* Illi ergo inter se de reliquiis transigant.

Vers. 42. IGITVR DE SACRIFICIIS) περὶ τῶν σπλαγχνισμῶν. Vide supra VI. 7. 8. 21.

## CAPUT IIX.

*Iudas Maccabæus graviter affligit gentes, Nicanor, & Gorgias militem conscribunt adversus eundem. Iudas autem postquam animasset suos Nicanoris exercitum profligat: Cum Timotheo etiam & Bacchide feliciter confligens & de impio Calisthene supplicium sumens. Nicanor turpi fuga hinc inde vagatur.*

Vers. 1.

INTROIBANT LATENTER IN CASTELLA) εἰς κώμας, in vicos. Sed quia quædam erant κωμοπόλεις, dixit interpres castella.

ET EOS QVI PERMANSERVNT IN IVDAISMO) In vita secundum legem. Oppositum hoc est ἀδιαφθοίστως.

EDVXERVNT AD SE SEX MILLIA VIRORVM) I. Macc. III. 1. Joseph. XII. 9.

*Antiochus* non erat *legitimus* Magistratus Iudæorum, sed per tyrannidem imperium super eos injustissime rapuerat. Itaque hæc Iudæ Maccabæi adversus illum suscepta expeditio non erat seditio, sed violentæ, & immanis crudelitatis repulsio. Deus enim interdum excitat Heroas, qui afflictum Dei populum defendendum suscipiunt, quod imprimis ex Historia judicum notissimum est.

Vers. 2. ET INVOCABANT DOMINVM) III. Macc. 4. 50. IV. 10.

Vers. 3. MISERETVR ETIAM EXTERMINIO CIVITATIS) *Miseraretur & urbem perditam.*

ET VOCEM SANGVINIS AD SE CLAMANTIS AVDIRET) *Et sanguinem ad se clamantem audiret.* In Græco est plurale αἱμάτων, quomodo & Hebræi sæpe dicunt דָּמִים. Locutio sumta de Gen. IV. 10. quo respicit & scriptor ad Hebræos XII. 24.

Vers. 5. IRA ENIM DOMINI IN MISERICORDIAM VERSA EST) *Ira Domini*, nempe adversus Hebræos, *versa in Misericordiam.*

Vers. 6. ET CIVITATIBVS IMPROVISIS) I. Macc. III. 8.

Vers. 7. MAXIME AUTEM NOCTIBVS AD HVIVSCEMODI EXCURSVS FEREBANTVR) Nam ἰσον φέρει νυξὶ, τοῖς δὲ πολεμίοις πλέον. Ut est apud Euripidem. Exemplum vide I. Macc. IV. 3. V. 29. Joseph. XII. 11. & 12.

*Stratagematis* & beneficio noctis imprimis utendum est, ubi exercitus non magnus est ad manum: idem fecit Abraham *Gen. XIV.* ut hic *Osiander* monuit.

Vers. 8.

VIDENS AUTEM PHILIPPUS) Dictus supra V. 22.

AD PTOLEMÆUM DUCEM COELES STRIÆ ET PHOENICES) Filium Dorymenis I. Macc. III. 38. & Joseph. XII. 11. qui alio nomine Macron, ut infra est X. 12. Hic autem Cœlen Syriam & Phœnicen regebat sub Apollonio, ut discere est supra IV. 4. & mox sub Lysia, ut videmus dicto loco X. 11.

Vers. 9. MISIT NICANOREM PATROCLI) Dicto loco I. Macc. III. 38.

DE PERMISTIS GENTIBVS) παμφύλων τέκνα, ubi παμφύλων non est proprium, sed commune, ut apud Symmachum Gen. XIV. 1.

ARMATIS NON MINVS VIGINTI MILLIBVS) Qui partem faciunt illorum XL. millium, quorum mentio I. Macc. III. 39. & Joseph. XII. 11.

ADJUNCTO EI ET GORGIA) Ut videre est I. Macc. III. 38. Joseph. XII. 11.

Vers. 10. TRIBVTVM QVOD ROMANIS ERAT DANDVM, DUO MILLIA TALENTORVM) Id est, pensiones duorum annorum quantæ debebantur Romanis per annos XII. qui ad finem ferme Antiochi illustris excurrunt, ex pace facta inter Romanos & Antiochum Magnum, cujus conditiones habes apud Polybium, excerpto legationum XXXV. & Livium libro XXXVIII. Non tamen hæc sola erat causa expilandi Iudææ, sed & Antiochi illustris ingenium pronum ad ingentes largitiones faciendas: de quibus vide quæ dicta I. Macc. III. 29.

DE CAPTIVITATE IVDÆORVM) De Iudæis quos erat capturus. Vide I. Macc. III. 41.

Vers. 11. NONAGINTA MANCIPIA TALENTO) Vili admodum, cum sanato Antiocho medicus Erasistratus centum talenta accepisset.

Sic rationes suas subduxit, ut constitueret Iudæos, quos in bello capturus esset vendere, & de ea pecunia conficere eam summam tributi, quam Rex Romanis pendere necesse habebat, ne Rex de suo ærario pecuniam deprompere cogeretur. *Hyrcanus* paulo ante, *Josepho* teste l. XII. c. 4. unicum adolescentulum uno talento coemit, jam 90. mancipia Iudaica uno talento recipiuntur divendenda. Quæres ita commovit Iudæos generosiores, ut omnibus bonis divenditis constituerent se totos mancipare militiæ.

Vers. 12. JUDAS AUTEM UBI COMPERIT, INDICAVIT IIS QVI SECUM ERANT JUDÆIS NICANORIS ADVENTUM) Sensus bene expressus est. Verba hæc sunt: *Iudæ autem* ad aures *accidit* (hic est sensus Græci προεῖπεν) *de adventu Nicanoris: & cum iis qui secum erant communicasset, exercitum hostilem prope esse.*

Vers. 13. NON CREDENTES DEI JUSTITIÆ) ἀπιστοῦντες τὴν τοῦ θεοῦ δίκην *non credentes Dei vindictam* venturam super Nicanorem.

IN FVGAM VERTEBANTVR) Additur in Græco, *& celsim mutabant:* quod plus est, quam fugere. Vide I. Macc. III. 56.

Vers. 14. ALII VERO SI QVID EIS SVPERERAT VENDEBANT) Hæc est recta lectio Latinii, in nonnullis libris corrupta. τὰ περιλελειμμένα, ea quæ tam avidi hostes reliqua ipsis fecerant.

QVI EOS PRIVSQVAM COMINVS VENIRET VENDIDERAT) Pellem ursi, ut est in apologo.

Vers. 15. ET SI NON PROPTER EOS, PROPTER TESTAMENTVM TAMEN QVOD ERAT AD PATRES EORVM) *Propter pacta cum majoribus eorum facta,* Vide Dan. IX. 18.

Vers. 16.

Vers. 16. SEPTEM MILLIBUS.

Corrigit hic Tirinus vulgatam: *pro SEPTEM millibus in Græco non habentur nisi sex millia. Et ita requirere videtur v. 1. & 22. hujus capitis.*

Vers. eod. SED FORTITER CONTENDERENT) Confer quæ Judas dicit I. Macc. IV. 8. & apud Josephum XII. 11.

Vers. 18. ILLI QUIDEM ARMIS CONFIDUNT, AIT, SIMUL ET AUDACIA, NOS AUTEM IN OMNIPOTENTE DOMINO) Summum ex Psalm. XX. 8.

ET UNIVERSUM MUNDUM UNO NUTU DELERE) I. Maccab. III. 18.

Vers. 19. ET QUOD SUB SENNACHERIB) Σεννακηρείμ scribunt Græci, de qualibus mutationibus diximus ad Matth. X. 25. Hanc historiam Judas suis in animum revocat etiam I. Macc. VII. 41.

Vers. 20.

ET DE PRÆLIO QUOD EIS ADVERSUS GALATAS FUIT IN BABYLONIA, UT OMNES, UBI AD REM VENTUM EST, MACEDONIBUS SOCIIS HÆSITANTIBUS, IPSI SEX MILLIA SOLI PEREMERUNT CXX. MILLIA) In Græco paulo aliter: *Et de prælio in Babylonia contra Galatas* (id est, Gallos) *commisso ubi cum omnes ad vem venissent octies mille cum Macedonibus quater mille, Macedonibus hæsitantibus, illi octies mille perdiderunt CXX. millia, per opem cælitus ipsis datam, multumque commodi inde ceperunt.* Ad hanc historiam pertinet quod Justinus habet libro XXV. in temporibus Antigoni Macedonum Regis: *Gallorum ea tempestate tanta fœcunditatis juventus fuit, ut Asiam omnem velut exundante aliquo implerent.* Ejusdem Gallorum in Asiam incursus meminit Justinus etiam libro XXXII: Strabo libro XII: Pausanias quoque & Eutropius, quorum ille ad tempora Seleuci Nicatoris in Syria, alter ad tempora Ptolemæi Epiphanis in Ægypto regnantis eum refert. Judæi sicut Alexandro militaverant, ita & ejus successoribus militarunt, ut alibi ostendimus. Macedones hic intellige illos qui sub Syriæ erant regibus, quorum imperium Babyloniam complectebatur.

Conjecturæ illæ Grotianæ valeant, quantum possunt. Agnoscunt ipsi Papistæ, *Menochius* imprimis Iesuita *hanc victoriam de Galatis partam nullibi extare, Græca à Latinis discrepare, nec liquere, quando talis victoria contigerit, & sub quo Principe Asiæ.* Et nescit Grotius ipse ad quemnam Regem illa referat: jam *Antigonum* cum *Justino* commemorans, jam ad tempora *Seleuci Nicatoris in Syria*, jam ad *tempora Ptolemæi Epiphanis in Ægypto*, quæ maxime sejuncta sunt, sese recipiens. *Tirinus* per conjecturam reducit victoriam illam ad *Antiochi primi*, qui *Soter* dictus est, tempora & imperium: siquidem *Appianus in Syriacis* scribat, *eum Galatas ex Europa in Asiam irruentes ejecisse.* Atque hoc nomine putat Judæos propter obtentam sc. istam victoriam ingentes illos honores, & privilegia accepisse, quæ tum ab *Antiocho Sotere*, tum ab ejus filio *Antiocho* Θεῷ eosdem confecutos esse, scribit *Josephus l. XII. c. 3. Plutarchus in Demetrio.*

Vers. 22.

DUCES UTRIQUE ORDINI) ἡγεμόνας τάξεων. Sed ἡγεμὼν hic impropriè dicitur de tribus. Hebræorum exercitus vetustissimo more erant agminum quatuor. Horum primus præerat ipse Judas: duobus in media acie Simeon & Josephus: postremo agmini Jonathan.

SIMONEM ET JOSEPHUM ET JONATHAN) Vide I. Macc. II. circa initium: V. 17. XII. 33. Joseph. XX. 12.

Vers. 23.

AD HOC ETIAM AB ESDRA LECTO ILLIS SANCTO LIBRO) Legit, ἔτι δὲ καὶ ἀπὸ Ἐσδρᾶ. At nos habemus: ἔτι δὲ καὶ Ἐλεαζάρου παρεμβαίνοντος τὸν ἱερὰν βίβλον. Interpretes illa *ac præterea Eleazarum* annectunt superioribus, voluntque ducis esse nomen. Ego legendum puto: ἔτι δὲ καὶ Ἐλεαζάρου παρεμβαίνοντος τὴν ἱερὰν βίβλον: *præterea cum prælegisset sacrum commentarium de Eleazaro*: qui scilicet ipsius dicta, facta, & mortem prolege, memorabat. Hunc autem prælegit, ut tam illustri exemplo constantiæ, atque etiam tantæ fevitiæ hostium exsecratione, accenderentur militum animi.

Iterum ergo *vulgatus Latinus* aperte corruptus, nec tamen à *Clemente*, aut *Sixto V. P. R. R.* emendatus, etsi authenticus pronunciatus, & haberi jussus. En vigilantiam & infallibilitatem R. R. P. P. Quis enim ignorat Judæ tempore jam pridem decessisse Esdram! Non esse autem Interpretum illorum qui *Eleazarum novum Ducem* faciunt, sententiam admittendam, numerus militum convincit, quia unicuique subjecti fuere milleni quingenti, unde quatuor tantum Duces pro *sex millibus* fuisse oporret. Ideo non repugnamus conjecturæ Grotianæ qua emendationem & explicationem Græci textus; etsi Interpp. alij *Biblia* per *sanctum librum* intelligant, & speciatim *librum Deuteronomij*, Osiander & Tirinus, quo Deus timentibus se pollicitus est victoriam.

ET DATO SIGNO ADJUTORII DEI) σύσσημον vertit signum, ut & Latini interdum, alias tesseram. Tale signum est in Nerone Suetonij, *Optima mater*: apud Senecam de Cajo, *Venus, Priapus*: in Fertinace Capitolini, *Militemus*: in Antonino Spartiani, *Æquanimitas, cuniculus* in prælio Pharsalico à parte Cæsaris Ἀφροδίτη νικηφόρος, à parte Pompeji, Ἡρακλῆς ἀήττητος, ut refert Appianus: in prælio Philippensi, à parte Bruti Ἐλευθερία, Dione narrante. Sic Judæ σύσσημον signum sive tessera fuit יהוה עזרנו. Sicut inter signa sui temporis Vegetius III. 5. ponit *Deus nobiscum*. Sic & infra XIII. 15. signum est *Dei victoria*.

Sic explicat etiam *Tirinus*, & *Menochius* de *tessera*. Quo facto non opus est quærere, quale signum futuræ victoriæ Judas militibus dederit.

Vers. 24.

INTERFECERUNT SUPER NOVEM MILLIA HOMINUM) Quorum tria millia in ipsa fuga interierunt I. Macc. IV. 15.

Alij distinguunt hæc *tria millia* à novem illis in conflictu occisis, ut omnino 12000. cæsa sint. Quod ex serie relationis h. l. verisimilius est. Nam post cæsa 9000. perhibetur majorem partem exercitus Nicanoris in fugam versam, h. e. *undecim millia* (habuit enim omnino 20000.) è quibus *undecim millibus tria millia* adhuc in fuga perierunt.

Vers. 25.

QUI AD EMPTIONEM IPSORUM VENERANT) Supra II. I. Macc. III. 14. ac Josephus XII. 11.

Vers. 26. NAM ERAT ANTE SABBATUM) ἡ πρὸ τῶν σαββάτων, dies, quæ aliter παρασκευὴ & προσάββατον, ut infra XV. 21. & Marc. XV. 42.

QUAM OB CAUSAM NON PERSEVERAVERUNT INSEQUENTES) Nempe quia appetebat vesperа Sabbatum inchoans. Cesserat jam quidem lex Sabbati summæ necessitati, sed ea cessante vim suam habebat: quod & in historia obsessæ urbis observat Josephus.

Vers. 27. ARMA AUTEM IPSORUM ET SPOLIA CONGREGANTES) ὁπλολογήσαντες δὲ κύκλῳ πρὸς τὰ σκῦλα ἐκδυόντες: *Cum autem legissent arma* (victi exercitus) *& spolia ea detraxissent.* Aptiùs enim hi per præteritum hoc loco exponendi sunt. Facta enim hæc sine Pareneve.

QUI LIBERAVIT EOS IN ISTO DIE MISERICORDIÆ INITIUM STILLANS IN ILLOS) Legit εὐλογῶν & αὐτοῖς, ut est in quibusdam libris. Sixtina habet εὐλογεῖ. Prius præfero, hoc sensu: *Domino qui in eum diem ipsis reservarat initium misericordiæ quæ in ipsos stillaret.* Non hactenus Deus absconderat miserationis suas, ut vidimus supra VII. 33. 37. 38. Misericordia Dei sic stillare dicitur, quomodo ira, II. Paralip. XII. 7. Jerem. XLII. 18. XLIV. 6.

Vers. 28. POST SABBATUM VERO) μιᾷ τῶν σαββάτων, ut loquuntur Evangelistæ: Matthus, ὀψὲ σαββάτων.

DEBILIBUS ET ORPHANIS ET VIDUIS DIVISERUNT SPOLIA) *Viduis & pupillo.* Imitatione legis, Deut. XIV. 29.

Intuitu morum hujus seculi super hac distributione inter *debiles*, & *viduas ac pupillos* exclama Tirinus, *O milites non milites; O æterna memoria dignissimum factum? Quod utinam imitentur Christiani!*

IPSI CVM SVIS HABVERE) *Cum pueris diuisse*, id est, inter milites. τὰ παιδία enim hic idem valet quod Gen. XIV. 24. עֲלָמִים, ubi in Græco, οἱ νεανίσκοι. Eodem sensu juvenes apud Ennium & Virgilium. Partitio hæc facta ex lege Davidis, 1. Sam. XXX. 24.

Vers. 29.

VT IN FINEM SERVIS SVIS RECONCILIARETVR) *Porro propitios esse.*

*Ad plenam usque à jugo servili liberationem.* Quo fine publicæ preces instituræ sunt, rogaruntque Judæi Dominum, ut si quid reliquum esset indignationis in populum suum, etiam illud deponeret, & Israëlitarum clementer misereri pergat. Magna enim est publicarum precum efficacia, *Ioel. II. 17.*

Vers. 30.

QVI CVM TIMOTHEO ET BACCHIDE ERANT) Timotheo ut duce, Bacchide ut adjutore. Ideo I. Macc. V. Timotheus nominatur solus.

CONTRA SE CONTENDENTES) συναγωνιστὰς, id est, *confligentes*. Ita enim hoc verbum Polybius usurpat.

SVPER VIGINTI MILLIA) Tria millia primo prælio, octo altero, multos præterea in Bosore, in Maspha, in Carnaimo, Ephrone, locisque aliis, ut videre est I. Macc. V. Josephi XII. 12.

Menochius invenire hoc certamen Judæ cum Timotheo, & Bacchi, quo viginti millia cæsa fuerint, non potuit; sed necessum non est, ut *uno prælio* tot interierint: quum potuerit id fieri diversis prælliis.

ET MVNITIONES EXCELSAS OBTINVERE) In Idumæa, Moabitide, Ammonitide, Galaatide. Vide dicto jam loco.

Vers. 32. ET PHILARCHEN) Idem nomen quod Philarchus: quomodo libri veteres historicum nominant horum temporum, quem alij Phylarchum.

Vers. 33. ET CVM EPINICIA AGERENT) Id est, diem lætum ob partam victoriam. Sic & Plutarchus hoc nomen in Romulo usurpat.

CALLISTHENEM) Est & hoc nomen Græcis frefrens, quale habuit is qui ab Aristotele malo suo fato Alexandro datus fuit comes.

INCENDERVNT, DIGNA EI MERCEDE PRO IMPIETATIBVS SVIS REDDITA) Mos enim est gentibus ferme omnibus igne interficere incendiarios. L. Qui ædes. D. de incendio. L. Capitalium. §. Incendiarij. D. de pœnis.

Vers. 34. QVI MILLE NEGOTIANTES AD IVDÆORVM VENDITIONEM ADDVXERAT) Supra 10.

Vers. 35. AB HIS QVOS NVLLOS EXISTIMAVERAT) *Ab his quos* omnium hominum *infimos existimaverat.*

DEPOSITA VESTE GLORIÆ) Quo minus in itinere agnoscerentur.

PER MEDITERRANEA) διὰ τῆς μεσογείου, id est, per illam regionem quæ inter Judæam & Antiochiam sita est; per viarum compendia.

FVGIENS) In Græco: *Fugitivi in morem solum se faciens*: id est, sine ullo comite.

SVMMAM INFELICITATEM DE INTERITV SVI EXERCITVS CONSECVTVS) Scripsit interpres *felicitatem*; nam in Græco est ἐυημερωκὼς. Sensus est: *Summe felix post amissum exercitum.* Satis felicem se existimans quod tantæ cladi superstes esset.

Vers. 36. ET QVI PROMISERAT) Id est in se receperat, ἀναδεξάμενος, nempe apud regem supra 10.

ROMANIS SE TRIBVTVM RESTITVERE) In Græco: *confecturum.* Id enim est κατεφόδιον. Et tributum intellige pensionem summæ quæ ex pace debebatur, ut diximus supra.

PRÆDICAT NVNC) *Prædicabit*, κατάγγελλει.

PROTECTOREM DEVM HABERE IVDÆOS) *Propugnatorem*, ὑπέρμαχον.

ET OB IPSVM) Εὐπρεπῶς, διὰ τὸν τρόπον τοῦτον.

INVVLNERABILES ESSE) Id est, ἀτρώτους.

Impij quandoque vi veritatis adacti Deo gloriam dant, ut *Julianus* Apostata, neque tamen converterunt. Cætera quæ à v. 33. hic habentur usque ad finem capitis, prætermissa sunt in Germanica versione B. Lutheri, sine dubio ideo, quod exemplar Græcum quo ipse usus est, non habuerit has historias, quas alioquin vertere non negloxisset.

## CAPUT IX.

*Antiochus, cum Judæis horrenda minitatus esset, in morbum incidit, & de curru suo præcipitatus est. Crescente morbo humilitatem præ se ferebat, & magna bona Judæis pollicebatur, si convaluisset. Sed & Epistolam blandam ad Judæos scripsit, situm suum eis commendans. Tandem misere sævus ille Tyrannus extra Patriam suam moritur.*

Vers. 1.

DE PERSIDE) Cujus partem jam ante hunc Antiochum invaserant Parthi, Georgius Monachus in Chronico de Seleuco Callinico, quem & Antiochum dictum dicit: ἐκ τῆς Περσικῆς καὶ Μακεδονικῆς χώρας ἀντέχων κατέσχεν. Mox: τὴν βασιλικὴν Περσῶν ἀρχαιρεσίαν. His conveniunt, quæ habet Strabo l. XI. Justinus l. XLI. Euseb. in Chron.

*Honestea*, vel *minus pulchre* (ἀκοσμότερος) reverius dicitur, nullam prorsus ex ea expeditione laudem consecutus: nam & sacrilegium committere voluerat, & turpiter fuerat repulsus.

Vers. 2.

QVÆ DICITVR PERSEPOLIS) vide quæ dicta ad 1. Macc. VI. 1. 2.

Vers. eod. IN FVGAM VERSI SVNT.

Deus enim confudit eos, qui *Idolorum templa* spoliarunt, non quod idolorum cultum approbaret; sed ut ostenderet, se detestari *sacrilegia.* Qui enim tunc templa spoliabant, putabant Ethnicorum Deos esse veros Deos.

Vers. 3.

ET CVM VENISSET CIRCA ECBATANAM) Caput Mediæ, ut ait Curtius I. V. & Plinius VI. 14. Vide Tobiam V. 8. in Latino.

Vers. 4. IVSSIT AGITARI CVRRVM SINE INTERMISSIONE AGENS ITER) In Græco est: *jussit aurigam suum incessanter agitantem currum iter absolvere*, nempe Babyloniam, versus, ut ex Josepho discimus.

ET CONGERIEM SEPVLCHRI IVDÆORVM EAM EACTVRVM) πελωρίδα, id est sepulchretum. Κοινὸν πολυανδρεῖον, locus communis ad sepulturam apud Ælianum.

Vers. 5. DOLOR DIRVS VISCERVM) Ex mœrore. I. Macc. VI. 8. 9. 13. Josephus XII. 13. qui addit ἐμπυήσιν τῶν σπλάγχνων.

Si in *templo Nannææ* lapidibus obrutus Antiochus & velut alter *Pentheus* discerptus cum comitibus, quod supra *c. I. 16.* relatum, aut si in Babylonia morbo ex mœrore animi contracto interiit, quod traditur *I. Macc. VI. 16.* quomodo è curru præcipitatus in itinere, & gravi viscerum dolore, vermibus è corpore scaturientibus in montanis correptus, & extinctus est, quod hic perhibetur?

Vers. 8.

ISQVE QVI SIBI VIDEBATVR ETIAM FLVCTIBVS MARIS IMPERARE) Ut Xerxes: *Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum.* Vide supra V. 21.

ET MONTIVM ALTITVDINES IN STATERA APPENDERE) Quod Deo tribuitur Esaiæ XL. 12. vult dicere, transferre montes machinis.

IN GESTATORIO PORTABATVR) In φορείῳ. Vide supra III. 27. Gestatorium hoc loco interpres dixit pro sella gestatoria: Suetonius & Plinius minor pro loco in quo sit gestatio.

Vers. 9.

ITA VT DE CORPORE IMPII VERMES SCATVRIRENT) Similis exitus hominis non dissimilis Act. XII. 23.

Vers. 10.

ET QVI PAVLO ANTE SIDERA COELI CONTINGERE SE ARBITRABATVR) Sublimi vertice sidera ferire, τὸ ὕψος φρονεῖν, ait Sophanes.

Kof

*Res gerere & captos ostendere civibus hostes*
*Attingi solum Iovis.*

Vers. 12. IVSTVM EST SVBDITVM ESSE DEO, ET MORTALEM NON PARIA DEO SENTIRE) Multi sunt versus Græci in eam sententiam, quorum aliquos recitare potuit Antiochus. Antiphanis:

Εἰ θνητός ἐσ βίβλιτιε, θνητὰ χρὴ φρόνει.

Charemonis:

Ὅλως τὸ μέγεθος ἴσα ἴσῃ φρονεῖν μέγα.

Demonactis:

Θνητοὶ γενόντες μὴ φρονεῖν ὑπὲρ θεούς.

Sophoclis:

Θνητὸν δὲ φύσει χρὴ θνητὰ φρονεῖν,
Τῶν κατειδότας, ὅς ἐσ ἴσ
Πλὴν Διὸς ἕδρας τῶν μακάντων
Τερμίες, ὅ τι χρὴ τετελεσμένα.

Vers. 13.

ORABAT AVTEM HIC SCELESTVS DOMINVM, A QVO NON ESSET MISERICORDIAM CONSECVTVRVS) Jam tempus misericordiæ præterierat: venerat tempus vindictæ divinæ. Sophocles, Ajace Locro:

Εἰ θεὸν ἴδοιτας, δυνατὸν κἀν παθεῖν τε δεῖ,
Δίκης γὰρ ἐξέπιμψε τὸν θεῖον φόβον.

Imo ideo misericordiam consequutus non est, quod *seriam* non egerit *pœnitentiam*: non quod Deus simpliciter ipsi denegarit gratiam; quæ nemini mortalium ἀπροτόμως denegatur, quum omnes omnino Deus cum promissione gratiæ invitet ad pœnitentiam. Quo de non *Sophocles*, aut alij gentiles Poetæ vel cujuscunque generis scriptores audiendi, sed *Prophetæ*, & *Apostoli*, testes & prænones ἀνυπεύθυνοι, divinæ reconciliationis διάκονοι. 2. Cor. V. 18. 19. 20. Ezech. XIIX. 32. c. XXXIII. 11. Matth. XI. 18. Luc. XV. 2. seqq. Act. XVII. 30. 1. Tim. II. 4. 2. Petr. III, 9.

Vers. 14.

NVNC OPTAT LIBERAM REDDERE) Erant enim & sub regibus civitates quædam suo modo liberæ, ut Seleucia quæ libera dicitur Plinio V. 21. & VI. 26. de cujus regimine vide Tacitum VI. Annalium.

Vers. 15. ÆQVALES NVNC ATHENIENSIBVS FACTVRVM POLLIGETVR) Est quidem in Græco: ἴσους Ἀθηναίοις, sed error commissus idem qui supra VI. 1. ex scriptionis compendio, & pro ἀθηναίους, legendem ἀντιόχους, id est Antiochenos. Jus civitatis Antiochenæ Hierosolymitis singulis venundabatur pretio, aut pro ingenti honore datus batur V. 9. Sic Romani totos interdum populos civitate donarunt Romana. Vide orationem ea de re Claudij Annal. XI. & Act. XXII. 28. Sic Judæi, qui in Ægypto, facti ἰσοπολῖται Macedonibus, qui Alexandriæ habitabant. Josephus XII. 1.

Promisit ita Antiochus Iudæis, se ipsos facturum αὐτονόμους καὶ αὐτονόμους ut habet Joseph. XIV. 16. id est, *ut proprijs legibus propriisque institutis vivere liceret*: quo nihil optatius Iudæis accidere posse probe sciebat.

Vers. 16. ET PERTINENTES AD SACRIFICIA SVMPTVS DE REDITIBVS SVIS PRÆSTITVRVM) Vt olim Darius. Esdræ VI. 9. Ptolemæus Philometor: Joseph. XII. 2. Postea Demetrius: I. Maccab. X. 39. 40.

Vers. 17.

ET IVDÆVM SE FVTVRVM) Hic quoque Judæus religionis est nomen, ut supra VI. 6.

Vers. 19. PLVRIMAM SALVTEM ET BENE VALERE, ET ESSE FELICES) χαίρειν πολὺ ὑγιαίνειν καὶ εὖ πράττειν: quæ tria modo junctim, modo seorsim usurpata in Græcorum salutationibus.

Vers. 20. SI BENE VALETIS ET FILII VESTRI, ET EX SENTENTIA VOBIS CVNCTA SVNT, MAXIMAS AGIMVS GRATIAS) Imperatores Romani ad Senatum populumque Romanum ita scribere solebant: *Si vos liberique vestri valetis, bene est*: Ut apparet epistolarum Ciceronis & ad Ciceronem X. 33. XV. 12. Xiphilinum Adriano. Imitati id Imperatores interdum & in literis ad populos amicos, ut C. Julius Cæsar ad Sidonios, apud Josephum XIV. 17. & M. Antonius ad Judæos eodem libro Josephi c. 22. Sequuntur autem hic in Græco quæ desunt in Latino: σὺ δὲ ποιοῦντ τὸν ὁμοίως ἔχειν ὑμῖν τὰ πρὸς τὸν βασιλέα καὶ τοὺς φίλους (rectius αὐτοκράτορα) φιλοτίμως. *Cum in cælo* (id est, in Deo cœli) *spem habeam propositam, amice recordor honorem & benevolentiam*, quam in me ostendistis olim, Deum scilicet pro me orando.

*Spes* hæc nulla est: quia & *pœnitentia hypocritica*, & *fides nulla* Antiochi. Non dolet, quod Deum offenderit, templum Domini prophanarit & spoliarit, populum Dei gravissime afflixerit, sed quod miserias, peccatorum pœnas ferre non possit. Neque cogitat de vitæ emendatione aut opum per sacrilegium ablatarum restitutione, sed hoc unum agebat, ut à doloribus & morbis liberaretur, nihilo melior futurus, si convaluisset.

Vers. 22.

NON DESPERANS MEMETIPSVM) οὐκ ἀπογινώσκων τὸ καθ' ἑαυτόν, *non desperans de rebus meis.*

Vers. 23. QVIBVS TEMPORIBVS IN LOCIS SVPERIORIBVS DVCEBAT EXERCITVM) Ad loca superiora, id est, ad Elymæos: Sic & Josephus: τὰν ἄνω χώραν ἀναχωρήσαντ: Ant. XII. 13. id est, loca trans Euphratem.

OSTENDIT QVI POST SE SVSCIPERET PRINCIPATVM) Solet quidem vocē διάδοχος significari successor, sed hic scriptor pro vicario sumit, ut apparuit supra IV. 29. 31. Sensus ergo est: *constituit vicarium*, ad regenda scilicet Syriæ loca. Id enim facere reges solent, ubi in loca longinqua abeunt. Vide infra 26. Antiochus Magnus abiens Syriam Seleuco Philopatori commisrat.

Vers. 24. SI QVID CONTRARIVM ACCIDERET) Si qua clades nunciaretur.

Vers. 25, FILIVM MEVM ANTIOCHVM) Eupatora.

REGEM) Solebant enim Reges etiam dum viverent regium nomen dare filiis, ut eo magis populos sibi commendatos in fide retinerent. Frequens id Persis regibus, nec alia res magis turbavit χρονολογίαν. Exemplum vide apud Plutarchum vita Artaxerxis.

ET SCRIPSI AD EVM QVÆ SVBJECTA SVNT) τὰ ὑπογεγραμμένα, id est, epistolam qua vos ei commendo, cujus epistolæ exemplum huic epistolæ subjeci.

Splendide autem mentiri Antiochum cum Osiandro censemus, quod suum filium Iudæis jam olim commendarit: siquidem *semper atrocissimus Iudæorum hostis fuerit.*

V. 26. MEMORES BENEFICIORVM &c.

*Quam splendide mentitur vetator?* ait iterum non immerito Osiander: *quasi vero quicquam in singulos vel omnes Iudæos omiserit, quod ad ipsorum interitum facere videretur, hanc Sataniçam tyrannidem sceleftus homo audet beneficentiam appellare.* Sed tyranni, si quem graviter læserunt, gratias insuper sibi agi postulant.

Vers. 27. CONFIDO ENIM EVM MODESTE ET HVMANE ACTVRVM, ET SEQVENTEM PROPOSITVM MEVM ET COMMVNEM VOBIS FORE) In Græco: *Confido* enim *eum consequenter proposito meo se accommodaturum vobis leviter atque humane.* Inter ossi ta Zeno probat συμπεριφέρεσθαι φίλοις accommodare se amicis, ut est apud Laertium, qui & in Socrate sic loquitur. Laudantur Sirachidæ vir & uxor, ἑαυτοῖς συμπεριφέρονται, qui se aptant alter alteri. Hinc qui comes sunt & sociabiles dicuntur ὁμοπερίφορα. Obsequium amicos parit, id est, ὁ συμπεριφορά.

*Spero*, inquit, eum *imitaturum benignos & clementes meos mores, & comem se vobis præbiturum.* Tanta est impudentia tyrannorum, ut insignem crudelitatem suam pro benignitate prædicari velint. Neque mirum. Satan enim ut est homicida, ita etiam est mendax & impudens Spiritus Joh. IIX. 44.

Vers. 28. IN MONTIBVS) Paratacenis circa Babyloniam. Vide Strabonem XI. & XV. Plinium VI. 26. 27. Polybius in fragmentis à Valesio editis, & ex Polybio Hieronymus mortuum dicit in Tabis oppido Persidis. Esse autem id oppidum in Paratecene Curtius nos docet libro V.

Si in *Tabis* oppido Persidis, aut in *montibus Paratacenis* extinctus Antiochus circa Babyloniam, qua veritate *I. Macc. VI. 16.* in ipsa civitate expirasse dicitur? Alterutrum falsum sit, oportet. *Gretserus* excipit *in montibus lethali morbo correptum in*

*urbe mortuum esse.* Sed hic apperte *peregre in montibus miserabili obitu vita functus dicitur.* Et quid opus translatione corporis, de qua v. 29. si in urbe ipsa mortuus est?

Vers. 29.

PHILIPPVS COLLACTANEVS BJVS) De quo I. Maccab. VI. 13. Josephus XII. 14.

QVI METVENS FILIVM ANTIOCHI) Id est, Lysiam, qui sub nomine Antiochi Eupatoris regnabat.

AD PTOLEMÆUM PHILOMETOREM IN ÆGYPTVM ABIIT) Copias sibi comparaturus contra Lysiam, & sic tutelam pueri sibi vindicaturus. Eodem animi proposito postea in Persidem se contulit. I. Macc. VI. 56. Joseph. XII. 14.

## SECTIO II.
## *DE GESTIS SUB ANTIOCHO EVPATORE.*

## CAPUT X.

*Iudas templum & urbem Ierusalem repurgat, festumque celebrari jubet. Ptolemæus quidam Iudæis favens, calumniis circumventus, vitam veneno sibi abrumpit. Gorgias Iudæos affligit; sed Iudæi eum, & Idumæos fortiter repellunt. Iudas proditores, qui propecunia hostes dimiserant, occidit. Timothei exercitus à Iuda profligatur: Timotheus profligatur primum, deinde cum Chærea, & Apollonio interficitur. Deo vindici laudes canuntur.*

Vers. 1.

TEMPLVM QVIDEM ET CIVITATEM RECEPIT) *Receperat.* ἐκομίσαντο. Est enim ἐπάνοδος, qualis frequens historicis. Voluit enim primum detexere res Antiochi illustris: nunc ad Maccabæos retro se fert.

Pontificii quidam *geminam* fingere malunt templi *repurgationem*: aliam *ante mortem Antiochi I. Macc. IV. 36.* aliam *post Antiochi mortem* hic descriptam. Sed post priorem repurgationem de novo contaminatum fuisse templum nusquam docetur. Quid ergo opus altera repurgatione? Unde Bellarm. ipse reprobavit illud *Sixti Senensis* commentum. Conf. quæ *ad I. Macc. IV. 54.*

Vers. 2. ARAS AVTEM QVAS ALIENIGENÆ PER PLATEAS CONSTRVXERANT) Mos enim erat gentium, non in Templis tantum, sed & in viis publicis aras ponere. Sic aræ ἀγυιᾶτιδες Διός passim videbantur in viis Athenarum: hinc Ζεὺς ἐφέσιος, Ἀπόλλων ἀγυιεύς, Ζεὺς καὶ Ἥρως ἀγοραῖοι, Ἑκάτη τριοδῖτις, multaque similia.

DELVERA) τεμένη. Sic Græcis dicitur non lucus tantum, sed & quodvis solum numini alicui sacratum.

Vers. 3. ALIVD ALTARE FECERVNT) I. Macc. IV. 47. Joseph. XII. 11.

ET DE IGNITIS LAPIDIBVS IGNE CONCEPTO) Quod is ignis nunquam profanis usibus servisset, reconditus intra lapidum viscera. Ignitis, mutuo nempe attritu.

Ita & *Mariana. Severius* vero miraculum fingit, sine teste (præter mendacissimum *Goriondem*) annuente *Tirino*; nempe *precibus ignem è cælo devocatum lapides ibi forte vicinos corripuisse, & inflammasse.*

SACRIFICIA OBTVLERVNT POST BIENNIVM) Est quidem in Græco, μετὰ δύο ἔτη χρόνου; sed error est scribæ: & reponendum τρίετη, ex Josepho XII. 11. Antiquæ historiæ. Totam rem ut intelligas vide quæ diximus ad Danielem VII. 25.

Error ergo hic iterum in aprico est *vulgatæ versionis*, imo & *textus Græci*, quem excusare non valuit Grotius, ideoque agnoscere, & fateri maluit. *Biennium* tamen adhuc tueri satagit *Bellarm. inde a prophanatione. Quia prophanatum est templum anno 145. & purgatum anno 148. post biennium exactum.* At fefellerunt Cardinalem calculi. Nam à decima quinta mensis Caslev anni 45. ad eandem diem ejusdem mensis anni 48. anni tres sunt exacti. Quod triennium exprimunt diserte *Eusebius* in Chronico, & *Josephus X. 11.* non vero ut falso allegat eos Bellarm. tertio dicunt anno à prophanatione, id est, post biennium jam exactum repurgationem factam. Iosephi verba sunt, ἔτυχε δὲ ταῦτα κατὰ τὴν ἡμέραν ἐκείνην γινομένης καθ' ἣν ὑπ' ἀλλοφύλων αὖτις ἡ ἁγία θρησκεία εἰς βέβηλον κατέστη συνηθείας μετὰ ἔτη τρία: h. e. *Rufino* interprete: *Hæc autem facta sunt post tres annos eodem die, quo mutata est eorum religio, ad prophanam idolorum consuetudinem. Chronicon Eusebij* sic habet: *Iudeorum Dux Iudas, qui & Maccabeus, filius Matathiæ, Antiochi Ducis de Iuda expellens & templum ab idolorum imaginibus emundans, patrias leges post triennium suis civibus reddit.* Adde jam locum *Dan. VII. 25.* & quæ ibi diximus: eventum enim oportet respondere vaticinio.

ET INCENSVM, ET LVCERNAS, ET PANES PROPOSITIONIS POSVERVNT) Vide Josephum dicto loco, & I. Macc. IV. 49. 50. 51. supra I. 9.

Vers. 4. ROGABANT DOMINVM PROSTRATI IN TERRAM) I. Maccab. IV. 40.

VT AB IPSO MITIVS CORRIPERENTVR) Fame aut pestilentia potius quam vi hostium, sacra omnia evertente, & multorum pervertente animos.

Vers. 5. QVA DIE AVTEM TEMPLVM AB ALIENIGENIS POLLVTVM EVERAT) Nempe per Idolum ibi collocatum, ut ad dictum Danielis locum diximus.

VIGESIMA QVINTA MENSIS QVI FVIT CASLEV) Plane idem, ut signum Divinæ Providentiæ, observant Scriptor primi Maccabaici IV. 52. & Josephus XI. 11. qui hunc mensem more Macedonico Ἀπελλαῖον vocat.

Vers. 6. IN MODVM TABERNACVLORVM) Ad id Exemplum: ut supra I. 18.

RECORDANTES QVOD ANTE MODICVM TEMPORIS DIEM SOLEMNEM TABERNACVLORVM IN MONTIBVS ET IN SPELVNCIS MORE BESTIARVM EGERANT)

*--- quæ pati durum fuit,*
*Meminisse suave est.*

*More bestiarum*, ut supra V. 27.

Vers. 7.

THTRSOS) Hastas foliis intextas, ut Virgilius interpretatur Ecloga V.

Qualibus olim post victoriam vestire solebant castrorum tabernacula. Vid. *Plutarchus* in Æmilio, & Mario. *Appianus* l. III. Belli Civilis.

ET RAMOS VIRIDES) ὡραίους, pulchros. Nam & in Scenopegia celebranda nullum erat definitum genus arboris, sed rami sumebantur de pulcherrimis, quales imprimis palmæ, quæ jam sequuntur.

ET PALMAS PRÆFEREBANT EI) In Græco plus est: *& hymnos canebant ei*, Psalmum forte LXXIX. aut aliquem extemporaneum. Vide quæ diximus Matth. XXVI. 30.

QVI PROSPERAVIT MVNDARI LOCVM SVVM) *Ei qui successum dederat purificantibus locum suum.*

Vers. 8. COMMVNI PRÆCEPTO ET DECRETO) Non in Senatu tantum, sed & in magno conventu, in quo erant Principes non tribuum tantum, sed & familiarum.

OMNIBVS ANNIS AGERE DIES ISTOS) Octo dies, τῶν σκήνων, aut ἐγκαινίων. I. Macc. IV. 59. Josephus XII. 11.

Vers. 9. ET ANTIOCHI QVIDEM QVI APPELLATVS EST NOBILIS) Ἐπιφανὴς, ut supra IV. 7.

VITÆ EXCESSUS ITA SE HABVIT) Nempe ut dictum est capite IX.

Vers. 10. BREVIANTES MALA QVÆ IN BELLIS GESTA SVNT) *Continua bellorum mala*, longam malorum seriem. συνέχοντα, quod alij Græci dicerent συνεχῆ.

Vers. 11. CONSTITVIT NEGOTIA REGNI SVPER LTSIAM QVENDAM) Hoc ideo dicit, quia edicta omnia Antiochi Eupatoris nomen præferebant. Cæterum revera is erat in Lysiæ potestate.

PHOENI-

PHOENICES ET STRIÆ MILITIÆ PRINCIPEM) Pars pro toto, Præfectus n. erat tractui & copiis ab Ægypto ad Hoplopatrem. I. Macc. III. 32. Joseph. XII. 11.

Lysias illa dicitur *nobilis de stirpe Regali I. Macc. III. 32.* quem Pro-Regem constituit novus Rex Eupator.

Vers. 12. NAM PTOLEMÆUS QUI DICEBATUR MACER) Imo Macron, à longa corporis statura, qui à patre Ptolemæus Dorymenis. Nihil enim video cur alius censeatur ab eo qui supra indicatus IV. 45. VIII. 8.

V. 13. EO QUOD CTPRUM SIBI CREDITAM A PHILOMETORE DESERUISSET) Cyprus erat quidem possessa à primo Ptolemæo, ejusque successoribus, ut discimus ex Polybio V. Justino XV. Strabone XIV. sed & sæpe rebellavit, ut idem Strabo indicat.

ET AD ANTIOCHUM NOBILEM TRANSLATUS) *Transisse* à Rege Ægyptio ad Syriacum. Cyprus Syriæ objacet, & cohæsisse olim Syriæ creditur.

ETIAM AB EO RECESSISSET) Non ita est in Græco: sed *neque potestate nobili functus esset nobiliter.* Nempe quia cum Judæis colluisse videbatur homo venalis.

VENENO VITAM FINIVIT) Contemtus impatiens, ut multi inter Græcos.

Nonnulli & inter hos *Tirinus* faciunt hunc Ptolemæum *Lysiæ antecessorem*, quia *Dux Cales Syriæ, & Phœnices* dicitur *c. IIX. 8. Grotius* vero hæc rexisse eum sub *Apollonio* è collatione *c. IV. 4.* Et mox sub Lysia ex hoc loco colligit. *Iunius* eum distinguit à *filio Dorymenis*, & ne cum eo confundatur nomine *Macron* designatum putat, quod nomen opprobrij causa ab auctoris impositum censet, q.d. *venditorem.* Is primum Gorgiam cum Nicanore adversus Iudæos miserat c. *IIX. 8.* jam autem melius de eorum innocentia instructus iisdem patrocinari cepit. Quod ei odium peperit, quasi cum Judæis colluderet, iisque magis quam Regi addictus esset: & quum apud alios etiam proditor audiret, quod deserto Philometore Ægyptiorum Rege ad Antiochum transiisset, neque jam præcipuam aliquam provinciam obtineret, ita reddenda videntur *Osiandro* Græca ιδη δ' ετυγχανε εξουσιαν εχων. B. Luther. und muß ein geringer Amt haben) ex animi abjectione sumto veneno, vitam finivit. Nam in Ægypto exosus, apud Regem vero suum in contemtu erat, & apud suos male audiebat; hanc infelicitatem cum ferre non posset venenum lethale hausit.

Vers. 14. GORGIAS AUTEM CUM ESSET DUX LOCORUM) Locorum circa Judæam: Idque sub Lysia I. Macc. III. 38. Joseph. XII. 11.

ASSUMPTIS ADVENIS) ξενοτροφοις, id est, *milites habebat mercede conductos.* Ita ξενοτροφεῖ sumunt Thucidides & Demosthenes. ξενοι, milites mercenarij. Hinc ξενικοι sunt οι των μισθοφορων ὀχλοντες, ut exponit ad II. Thucididis Scholiastes.

FREQUENTER JUDÆOS DEBELLABAT) In Græco: πολεμ τους Ιουδαιους επολεμητροφει. *Contra Judæos bellum ducebat.* Quod & Judæos voluisse facere jam dicet, sed non æque facile, quod non illis tantum suppeteret pecuniæ, militis, & commeatuum. Omnino apparet ita sumi πολεμητροφειν, ex eo quod infra est XIV. 6. Hoc Tacitus alibi dicit bellum ducere, alibi trahere, quod quando sit utile, discet qui volet ex Suetonij Paulini Sermone apud Tacitum Historiarum II. & Flavianorum inter se disputatione initio III. Idem eodem libro Historiarum III. opponit urgere bellum & trahere: & IV. in oratione Vocinæ, postquam Vtros & egregia castrorum munimenta, frumentum & commeatus commemoraverit. *Est Vallum*, ait, *murique & trahendi artes.*

Reddidit non absimiliter Osiander Græcum verbum; *in Iudæos de improviso impetum faciebat.* Sed idem voluisse Judæos facere hic non asseritur. Corrigendus enim textus Latinus v. 15. Judæi vero qui tenebant opportunas munitiones fugatos ab Jerosolymis suscipiebant, & bellare tentabant, hoc modo: *Et huic conjunctis etiam Idumæi opportunas munitiones obtinentes exercebant Iudæos, profugosque Hierosolymis excipientes bellum fovere* (ducere) *aggrediebantur*, ut Iunius transtulit. *Idumæos*, non *Iudæos* legi debere è v. 16. liquet.



Vers. 15.

QUI TENEBANT OPPORTUNAS MUNITIONES) In Græco hic additur, *Iudæos exercebant*, ad arma sollicet.

FUGATOS AB HIEROSOLYMIS) Quæ habitatio minus tuta erat, ob arcem impositam.

ET BELLUM TENTABANT) πολεμητροφειν επεχειρουν. *Bellum & ipsi ducere tentabant*, nisi munimentis.

De his judicium fieri potest ex iis, quæ ad vers. præcedentem diximus. Consentit nobiscum reliqua vulgata *Tirinus:* JUDÆI, *Græce*, Idumæi *(& sic legendum patet ex vers. sequ.) rejectitios & apostatas Iudæos excipiebant arcibus suis, & armis instruebant, & una secum in bellum adversus Iudam Maccabæorum educebant.*

Vers. 16. HI VERO QUI ERANT CUM MACCABÆO) Juda.

IN MUNITIONES IDUMÆORUM) In Acrabattenæ I. Macc. V. 3.

Vers. 18. QUIDAM AUTEM CUM CONFUGISSENT.

In Græco numerus exprimitur, quod nempe effugerint *novem millia.*

IN DUAS TURRES VALDE MUNITAS) Filiorum Bajani, I. Macc. V. 5. Joseph. XII. 11.

RELICTO SIMONE) Fratre.

Vers. 19. ET JOSEPHO ITEMQUE ZACCHÆO) και Ιωσηφῳ ετιτε του Ζακχαιου: sed legendum arbitror: και Ιωσηφῳτε τῳ τον τε Ζακχαιου, ex I. Macc. V. 55. & Josepho XII. 12.

Vers. 20. SUASI SUNT PECUNIA) *Inducti sunt pecunia*, επεισθησαν. Vide supra IV. 45.

Vers. 21. PRINCIPIBUS POPULI CONGREGATIS) Senatu septuaginta virum, qui judex erat rerum ad statum publicum pertinentium, qui αρχοντες τε λαε, Ἐβραϊκῶς. Ergo in Evangelio,

Hic vero non Synedrium convocatum, sed *duobus populi.* συναγωγὸς τῶν ἡγουμένων τῶ λαῶ. Er hatt Kriegsrecht über sie gehalten.

ACCUSAVIT QUOD PECUNIA FRATRES VENDIDISSENT) Quia Idumæi illi noxis cladibus affecturi erant miseros Judæos.

Vers. 23. PLUSQUAM VIGINTI MILLIA) Diversa ab illis viginti millibus dictis supra 17. quod locorum designatio ostendit.

Junius repetitionem esse ejus, quod v. 17. dictum fuerat, existimat, ut intelligamus priore illo imperu occubuisse *undecim milia*, hoc autem posteriore ea *novem milia*, quæ in turres confugerant supra 18. At ex illis jam multi demissi fuerant ope eorum, qui pectinia corrupti erant v. 20. Et narratio ipsa docet diversa esse hæc *viginti millia*: Neque dubium est præter illos *Idumæos* qui se huc receperant, & fuga salvarant, *prasitiarios milites* in hisce munitionibus constitutos fuisse. Ut eandem esse summam obtineret Junius particulam adversativam δε in *causalem* convertit ac si esse γαρ. *QUUM ENIM confugissent.*

Vers. 24.

TIMOTHEUS VERO QUI PRIMUS A JUDÆIS FUERAT SUPERATUS) Id est, postquam à Judæis præliis aliquot erat victus, in Ammonitide scilicet I. Macc. V. 6. 7. Joseph. XII. 12.

Vide & supra c. IIX. 30.

ET CONGREGATO EQUITATU ASIANO) Ex Asia illa peculiariter dicta, in qua Phrygia, Lydia, Mysia, Caria, terræ equis optimæ.

Vers. 25.

CAPUT TERRA ASPERGENTES, LIMBOSQUE CILICIIS PRÆCINCTI) *Sacco* in Græco. Sed hæc affinia. Solebant hæc sumi in gravi mœrore.

Vers. 26.

AD ALTARIS CREPIDINEM PROVOLUTI) *In solo quod est prope altare.* Id est, inter basilicam Templi & altare. Nam Joëlis II. 17. Ubi in Hebræo est, בין האולם והמזבח in Latino, *inter basilicam & altare:* Græce optime vertitur, αναμεσον της κρηπιδος τῶ θυσιαστηριου. Illo in loco Sacerdotes, qualis erat Judas, coram populo precari solebant.

ET ADVERSARIIS ADVERSARETUR, SICUT LEX DICIT) Exodi XXIII. 22. Levit. XXVI. 8.

Vers. 28.

UTRIQVE COMMISERUNT) Apud Dathema. Vide quæ diximus ad I. Macc. V. 29.

ILLI AUTEM DUCEM BELLI ANIMUM HABEBANT) τὸν θυμὸν Iram suam in Judæos.

Uti preces & fortitudo animi & corporis victoriæ obtinendæ certissima præsidia erant penes Judæos, ita penes hostes eorum calamitatum & exitij causa erat θυμὸς *ira*, & *furor* insanus.

Vers. 29.

VIRI QVINQUE IN EQVIS) Angeli ut supra XXV. 26. Tres velut pugnabant in hostem.

Uti Elisæo angelicæ turmæ aderunt 2. Reg. VI. 17. Constantino contra Licinium, & Theodosio contra Eugenium subsidia angelica missa sunt. Theodor. l. V. c. 24.

Vers. 30. DUCATUM JUDÆIS PRÆSTANTES) Hic in Græco additur οἱ δύο, id est, illorum duo, non in membro sequente.

EX QVIBUS DUO MACCABÆUM MEDIUM HABENTES) *Et Maccabæum medium habentes*: nempe pugnantem in primori acie.

ARMIS SUIS CIRCUMSEPTUM) *Circumsepientes arma ejus.*

IN ADVERSARIOS AUTEM TELA ET FULMINA JACIEBANT) Alij.

ET CÆCITATE CONFUSI) Quæ vis esse solet fulminis, ἀορασία respondet Hebræo עִוָּרוֹן, ut apparet Deuteron. XXVIII. 28. Habes eandem vocem Sap. XIX. 16.

Vers. 31. INTERFECTI AUTEM SUNT VIGINTI MILLE QVINGENTI, ET EQVITES SEXCENTI) Jason ille Cyrenæus nihil solitus est demere de interfectorum numero.

Vers. 33. IN GAZARAM) Vide I. Macc. VII. 45.

Ibi & *c. V. 8. Gazaram* dixit *Iazer Num. XXI. 32. c. XXXII. 1.* præeunte Iunio, non vero *Gazer* ab isto tractu longissime distitum *Ios. XVI. 3. 10. Iud. I. 29.* nedum *Gazam*, ut munimentum hoc, quo confugit Timotheus, *Gorionides* vocat.

CUI PRÆERAT CHÆREAS) Frater Timothei, Historicum eo nomine Polybius nominat. Habes id nomen & in historia Romana & in Comœdiis.

*Frater Timothei* vocatur infra *v. 37.*

Vers. 33. OBSEDERVNT PRÆSIDIVM) τὸ φρούριον, castellum illud Dathemam, quod modo ὀχυρώματα dixerat.

At ibi *Iazer* notabatur hoc nomine, (non *Dathema*) eoque confugerat Timotheus.

Vers. 34. MALEDICEBANT ET SERMONES NEFANDOS JACTABANT) Frequens in Antiochi militibus: ut videmus & I. Macc. II. 11. XI. 36.

Posterior Danielis locus non *Antiochum* aut milites Antiochi, sed *Anti-Christum* respicit.

Vers. 35. SED CUM DIES QUINTA ILLUCESCERET, VIGINTI JUVENES.

Sic habetur eriam in *Græco*, ut & versione *B. Lutheri*. *Iamus* a. transfuit, *Illucescente die vigesimo quinto quidam eorum &c.* Numero juvenum omisso, addidit *viginti dies* contra literam textus, uti etiam *vers. 33.* obsidionem facit non *quatuor*, quemadmodum in Græco & Latino textu habetur, sed *viginti quatuor dierum.*

Vers. eod. INCEDENTES ASCENDEBANT) τὸ ἐκκαιδέκατον ἑκάντο, quemvis obvium sibi (erumpentem ex Castello) feriebant.

Vers. 36. SED ET ALII SIMILITER ASCENDENTES TVRRES PORTASQVE SVCCENDERE AGGRESSI SVNT) In Græco: *Alij vero ascendentes ad eos qui intus erant, idque conversó agmine, turres urebant,* παρεμβολὴ est nomen castrense significans convestionem agminis, qualem describit, Æmanus capite XXV. Sensus est: ascendisse eos non ubi erant propugnatores, sed alia ex parte a tergo illis irruisse.

ATQVE IPSOS MALEDICOS VIVOS CONCREMARE) In Græco: *Et vogis accensis* (nempe circa turres) *Dei obtrectatores cremabant.* Sequitur hic in Græco quod in Latino abest: *Alij frangebant portas, & sic intromisso reliquo agmine, oppidum sua potestate fecere.* Sic apud Virgilium II. Æneid.

*--- portisque patentibus omnes*
*Accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt.*

Contra quod in Latino sequitur: *Per continuum autem biduum præsidio vastato*, abest in Græco.

Vers. 37.

IN QUODAM REPERTUM LOCO) Accedo credentibus ab interprete scriptum *lacu*. Nam λάκκος solet verti *lacus*, ut in additis ad Danielem 30. 31. 34. Est autem proprie λάκκος *fossa*. Ponitur in Glossis & pro cisterna: quæ apta latebris: ut apparet II. Sam. XVII. 18. ubi λάκκος in Græco, in Latino puteus.

Iterum ergo hic mendosus est textus Papistarum authenticus; ὃς τινι λάκκῳ habetur in Græco.

ET APOLLOPHANEM) Exstat hoc nomen in Epigrammatis Græcis.

Vers. 38. IN HTMNIS ET CONFESSIONIBUS) *Hymnis & gratiarum actione.* Vide I. Macc. IV. 33. XIII. 51. supra 7. in Græco.

## CAPUT XI.

*Iudas Maccabæus ab Angelo adjutus ingentem Lysiæ exercitum fundit. Quare Lysias pacem procurat inter Antiochum Eupatorem & Iudæos; subnectuntur literæ eorundem, uti & Romanorum ad Iudæos.*

Vers. 1.

LYSIAS PROCURATOR REGIS) ἐπίτροπος alibi quidem procuratorem, at hic tutorem significat. Erat enim in pupillari ætate Antiochus Eupator I. Macc. I. 17. Joseph. XII. 14. Justinus XXXIV. Proprie loqui si volumus, pro tutore erat Lysias, non tutor: nam tutorem testamento Antiochus pater Philippum fecerat.

ET PROFINQUUS) I. Macc. III. 32.

AC NEGOTIORUM PRÆPOSITUS) Negotiis summis etiam ab Antiocho Illustri præponi solitus I. Macc. dicto loco, Joseph. XII. 11.

Vers. 2.

CONGREGATIS OCTOGINTA MILLIBUS) Centum millibus, ait Josephus, & scriptor primi Maccabaici, numero rotundiore.

ET ÆQUITATU UNIVERSO) Ad viginti millia, ut ajunt nominari jam scriptores.

NImia hæc numeri rotundatio: additis *viginti millibus*. Recte ergo hic & in seqq. ἀντιλογίαν observarunt alij: *Quam multum*, inquit Iunius, *narratio hujus capitis differt ab auctore prioris Maccabæorum, & a Iosepho quoque res ipsa hoquitur.* Nec bene confert Grotius historiam præsentem cum illa, quæ *I. Macc. VI. 28. seqq.* describitur, cui potius gemina est, quæ *c. XIII. hujus libri* sequitur, ut recte observavit *Chamier*, hasce historias conferens, ut mendacia in libris Maccabæorum detegeret, *l. V. de canone c. IIX. n. XXIII.* cujus locum adducere juvat: *Quantum*, inquit, *mendacium. Maccabæorum libr. I. c. 6. Antiochus Eupator exercitu collecto peditum centies, equitum vicies mille castra metatur ad Bethsuram: Judas movet adversus eum; Commisso prælio cadunt de exercitu regis sexcenti: Iudæi hostium multitudinem non sustinentes, subducunt se & reverturtur Hierusalem. Rex capta Bethsura, insequitur, sed persuasus a Lysia certis conditionibus pacem facit: postque statim venit in potestatem Demetrij a quo occisus est. At 2. lib. c. 11. Lysias collectis octoginta millibus peditum, & equitatu universo, veniens adversus Iudæos castra posuit ad Bethsuram. Iudas contra movit, impetuque in hostes facto, occisis undecim millibus, totum exercitum in fugam vertit: ipse Lysias turpiter fuga elapsus tanto accepto incommodo prudentior factus, pacem fecit. Rursus c. 13. Antiochus proficiscitur in Iudæam cum peditum millibus centum & viginti, equitum quinque, Bethsuram atque obsidet. Iudas contra movet; nocturnum impetum facit, interficit virorum quatuordecim millia, tota castra terrore implet, abit re bene gesta, Rex Bethsuram*

*furam nihilominus urget, tandem multis acceptis incommodis, obsidionem solvit, commisit prælium cum Juda, superatus est. Inde accepta Philippi rebellione pacem facit cum Juda & Judæis. Hæc non tantum diversa sunt, sed etiam contraria. Diversa, quia numerus militum semper est alius, millium primo centum, secundo octoginta, tertio centum viginti. Equitum primo viginti, tertio quinque. Contraria, quia primo Bethsuram capit; at non deinceps. Rursusque primo amittit tantum sexcentos; at secundo undecies mille: tertio quaterdecies. Denique primo, paucis illis amissis, non tantum non superatur, sed potius sustineri non potest à Judæis, necessario recedentibus: at secundo & tertio magnifice vincitur. Est autem historia saltem quæ tertio loco narratur, eadem cum ea quæ prima.* Hæc *Chamier.*

GENTIBUS HABITACULUM FACTURUM) Bene vertit ὡκησαν. Eo enim nomine hic significantur omnes à Judæismo alieni.

Vers. 3.

TEMPLUM VERO IN FŒCUNIÆ QUÆSTUM) ἀφγυρολόγητον, regi vectigale.

ET PER SINGULOS ANNOS VENALE SACERDOTIUM) Ut fecere postea Romani.

Vers. 4.

ET IN OCTOGINTA ELEPHANTIS) Quos diversis in locis habebat. Secum autem adduxerat XXXII: ut ante dicti scriptores nos docent. Antiocho Magno Polybius tribuit elephantos centum.

Vers. 5.

ET APPROPIANS BETHSURÆ) I. Macc. VI. 31. Joseph. XII. 14.

QUÆ ERAT IN ANGUSTO LOCO) ἐν ἰσχυρῷ χωρίῳ, *situ firmo.*

ILLUD PRÆSIDIUM EXPUGNABAT) Voluit dicere *oppugnabat: ἐβάλετο.*

Male, ut dixi, confertur locus *I. Macc. VI. 31.* Non enim ad hanc narrationem facit, sed ad eam quæ *cap. XIII.* sequitur, ut collatio docet.

Vers. 6.

UT BONUM ANGELUM MITTERET AD SALUTEM ISRAEL) Gen. XXIV. 7. 40.

Vers. 8. EQUES IN VESTE CANDIDA) Vide supra X. 29.

ARMIS AUREIS HASTAM VIBRANS) In Græco: *Arma quassans aurea.*

Vers. 9. PARATI PENETRARE) τετρώσκειν, *perfodere.*

Vers. 11. LEONUM AUTEM MORE) Frequens apud Poetas viri fortis & Leonis comparatio.

Vers. 12. UNDECIM MILLIA PEDITUM, ET EQVITUM MILLE SEXCENTOS) Josephus mille cæsos habet, scriptor Maccabaici primi sexcentos.

Vide quæ *ad v. 2. & 5. Tirinus* ad v. 25. fœdus quod hic describitur longe aliud ab eo esse, quod *l. I. c. VI. & II. Macc. XIII. Lysias* & *Rex Antiochus* cum *Judæis* pepigerunt, statuit, quod è *Goriomide* probat, & ex collatione utriusque fœderis. Agnoscit ergo parallelam historiam esse non hanc, sed illam *c. XIII.* isti, quæ libro I. *c. VI.* relata est. Nam *iste. I. Macc. VI.* & *II. Macc. XIII.* inquit, *Rex præsens est, & Jerosolymam post fœdus ilico ingreditur; hic absens est & Lysiam literis alloquitur. Iste facto Philippi Regem ad fœdus vocat: hic Lysiæ strages, Deique operum prudens consideratio. Inde patet regem & Lysiam à priore hoc fœdere cito resilisse, ut solent, qui solo metu suasore fœdera sanciunt. Nisi malis dicere, non plene inter partes hoc tempore convenisse, & fœdus hoc prius non nisi ad breve tempus, ac per modum inducias um sanctum fuisse; ut colligi videtur ex literis ipsusmet regis ad Judæos hic datis vers. 30. ubi Judæis ultro citroque commeare volentibus, seu pacis conciliandæ, seu negotiorum aliorum tractandorum causa, non concedit Rex inducias & salvum conductum nisi ad quindecim dies.* Hæc Tirinus.

NUDI EVASERUNT) Sine armis.



Vers. 14.

INTELLIGENS INVICTOS ESSE HEBRÆOS) Et se ab his negotiis expedire cupiens ut tota vi cum Philippo certaret.

Vers. 17.

JOHANNES ET ABESALOM) Legati à Judæis qui in Templo obsidebantur missi. Ἀβεσαλὼμ hic, LXX. interpretibus Ἀβεσσαλὼμ, est אבשלום, quod Latinus interpres solet reddere Absalom.

TRADENTES SCRIPTA) *Cum videssent infra positum oraculum.* Sic solebant gentes Orientis appellare epistolas regias. Intelligit autem epistolam illam quæ jam sequetur; quæ poterat esse de Lysiæ pacificandi cum Judæis; cujus ostendendæ causa Lysias Legatos ad se mitti voluerat.

Vers. 18. QUÆCUMQVE IGITUR REGI POTUERUNT PERFERRI) *Differenda fuerunt.*

Vers. 21. MENSIS DIOSCORI) Legit Διοσκόρου, pro eo quod Græci codices habent Δίου Κορινθίου, mendose haud dubie. Scaliger nomen putat mensis embolimi. Ego scriptum puto fuisse Δίε, quod scribæ sumsere pro brevi ου, & explicarunt Διοσκόρε. Dius notissimus est mensis Macedonum.

Nomen διοσκορίθιος in *Græcorum* parapegmatibus, ubi plurima mensium nomina reperiuntur, nusquam invenies. *Masius, Salianus, Menechius,* & *Scaliger* mensem *Embolimæum* faciunt. *Serarius* & *Tirinus* volunt esse mensem *Dystrum*, quo nostro partim Februario, partim Martio respondet. Quod tempus est, ex quo solent in Asia Reges ad bella procedere. Quod colligit etiam *Tirinus* ex Chronismo literarum Antiochi Regis & legatorum Romanorum sub hoc idem tempus datarum, nempe mense *Xanthico*, *Dystrum* proxime subsequente. *Junius* mavult *Dioscuri* nomen, qui mensis fuit Macedonum septimus redintegrandæ arationi commodus, quemadmodum etiam postea nominatus Xanthicus, qui mensis fuit illorum quintus, uti habent ejus notæ ad h. l. Cæterum mensem *Xanthicum* primum esse, & mensi *Nisan* vel Martio respondere è *Josepho* colligit *Tirinus I. I. Antiq. c. 4. l. II. c. 5. l. III. c. 10. Dystrum* vero ultimum esse mensem respondentem Ebræo *Adar*, vel Februario, è *l. XII. Antiqu. c. 17. Dius* octavus est mensis *Bul* dictus & *Marcheſvan*. Præterlerim hic *Tirini* sententiam.

Vers. 22.

LYSIÆ FRATRI) Id est, cognato supra I. infra 35. Sed & omnes provinciarum rectores à Romanis Principibus vocati fratres. Occurrit sæpe in Theodosiano Codice & Novellis cum sequentibus, item in Justiniani Novellis, ut illa CXXI Sed & apud Cassiodorum.

Vers. 23.

PATRE NOSTRO INTER DEOS TRANSLATO) Et hoc ab Orientis regibus accepere Syromacenes. Mos enim erat Phœnicum & vicinorum, bene meritos reges in Deos referre, quod & Romani imitari cœpere.

ET REBUS SUIS ADHIBERE DILIGENTIAM) *Ut rebus suis vacare possint.*

Vers. 24.

CONCEDI SIBI LEGITIMA SUA) Vitam & sacra secundum suas leges, quæ ipsis Alexander Magnus & successores ejus concesserant.

Vers. 25.

TEMPLUM RESTITUI ILLIS) Liberum nempe, sine arce.

Antiochus decernit templum Judæis restitui: quum constiterit, Judæos jam pridem illud habere in sua potestate, & victores minime pendeant à victi hostis arbitrio. Sed solent *tyranni* dum nocere non possunt, fingere saltem se bene velle: & ne officiant famæ vel existimationi suæ, simulant se beneficia dare, pacemque ultro offerre iis, à quibus petere debuissent.

Vers. 26.

ET DEXTRAM DEDERIS, I. Macc. VI. 58.

ET UTILITATIBUS PROPRIIS DESERVIANT) *Et lato agant animo, ob res suas recuperatas.*

Vers. 27.

SENATUI JUDÆORUM, ET CÆTERIS JUDÆIS) Vide I. Macc. XII. 6. II. Macc. I. 10. IV. 44.

Vers. 28.

SI VALETIS, SIC ESTIS UT VOLUMVS) Scripsit ἐστε, ὡσ.

SED ET IPSI BENE VALEMVS) Est formula à Romanis desumpta: *Si valetis bene est, ego quidem valeo.* Vide supra IX. 20. & Ciceronis epistolas, & ad Ciceronem plurimas.

Vers. 29.

ADIIT NOS MENELAUS) Sacerdos summus ab Antiocho Illustri factus supra IV. 27. 50. Hunc pro Sacerdote summo Græci habebant, quanquam Judæi Judæ detulerant sacerdotium.

DICENS VOS VELLE DESCENDERE AD VESTROS QVI SUNT APUD NOS) Illud *qui sunt apud nos*, ut sensum faceret clariorem addidit interpres. Ex Templo voluerant venire ad colloquia cum Judæi illis qui sub potestate erant regis, neque tamen à lege defecerant, in quo numero erant Bethsurenses. I. Macc. VI. 49.

*Desiderium Iudæorum* rectius ita exponit Iunius: *vos desiderare, ut à militaribus incursionibus liberi non amplius cogamini intra muros Ierusalem & munitionum aliquot vos continere, sed ut per me vobis liceat habitationes vestras singulis repetere, & agros colere.* Sic enim accipiendum esse ostenditur *infra c. XIV. 1.*

Vers. 30.

DAMUS DEXTRAS SECURITATIS) δίδομεν δεξιὰς μετὰ τῆς ἀδείας. *Dextera* (id est fides) *quæ plenam securitatem adferat*, continget *vobis*.

Sensus est, inquit *Iunius*, quum postulaveritis, ut vobis liceat agros vestros colere, nondum tamen bene constituta pace, placuit nobis, legatis vestris, qui ad vos profecturi sunt, fidem dari, nihil intra dies quindecim injuriæ vobis factum iri; sed omnia vobis esse integra, donec intra illud tempus reversi à vobis cum mandatis vestris conventionis leges à me acceperint.

Vers. 31.

UT JUDÆI) Qui ad illud tempus inter nos versabantur.

UTANTUR CIBIS) Bene sensum expressit. In Græco est, διαπνάμασι, quod per μετωνυμίαν pro cibis sumitur, ut vidimus de dracone 9.

ET LEGIBUS SUIS) Non cogantur interim diis sacrificare.

ET NEMO EORUM ULLO MODO MOLESTIAM PATIATUR) Id est, *accusetur.*

DE HIS QUÆ PER IGNORANTIAM GESTA SUNT) περὶ τῶν ἐγνοημένων: id est, *de his quæ peccata sunt*, in regem scilicet. Ita ἀγνοεῖν & ἀγνόημα lato quodam significatu sumi ab Hellenistis Judæos notavimus, tum alibi, tum Judith V. 19. Sirachid. XXIII. 2. Ll. 26. I. Maccab. XIII. 39.

*Amnistiam* sive oblivionem videtur inducere eorum, quæ hactenus utrinque hostiliter gesta fuerant, quæ quasi per *ignoranciam* commissa excusata censenda.

Vers. 32.

MISIMUS AUTEM ET MENELAUM QUI VOS ALLOQUATUR) παρακαλέσοντα ὑμᾶς: id est, qui vobis det consilia ad pacem.

*Iunius* ὑπελάν τε aliusse hanc missionem suspicari videtur: nempe *ut Iudæorum animos sollicitaret ad scelus.* Quod hic non videtur verisimile.

Vers. 34.

MISERUNT AUTEM ETIAM ROMANI) Legati Romanorum, qui tunc erant in Asia, & Eupatori favebant. Vide Justinum XXXIV. Polybium excerpto CVII.

QUINTUS MEMMIUS, ET TITUS MANLIUS) Fuisse oportet hos legatos aliquanto ante quam in Asiam mitterentur Cn. Octavius, Sp. Lucretius & L. Aurelius, de quibus Polybius dicto Excerptorum loco. Cum autem T. Manlius Torquatus ante hoc tempus anno quarto Consul fuerit, ut ex fastis Capitoliis apparet, consentiente & inscriptione Hecyræ Terentianæ, sequitur ut is qui prior nominatur ante eum Consul fuerit, quare pro Κόιντ. Μάμμιος, reponendum censeam, Κόιντ. Μάνλιος, Scavola scilicet, qui ante Manlium Consul fuit anno nono, ut discimus ex Fastis iisdem Capitolinis, addite & Plinij loco II. 32.

ET NOS CONCESSIMUS) καὶ ἡμεῖς συνεδοκήσαμεν: *Nos id approbamus.*

Vers. 36.

CONFESTIM ALIQVEM MITTITE DILIGENTIUS INTER VOS CONFERENTES) Legit ἐπισκεψάμενοι, quomodo habet & Sixtina. Sed præpono lectionem quæ est in libris aliis, ἐπισκεψόμενον: id est, *acturum considerate.*

UT DECERNAMUS) In Græco: ἵνα ἐκθώμεθα: id est, *ut declaratio vestra exponamus regi.*

SICUT CONGRUIT NOBIS) Tanquam legatis populi Romani, cujus amici sunt Judæi. Promittunt apud regem se commendaturos Judæorum postulata.

NOS ENIM ANTIOCHIAM ACCEDIMUS) Nempe regis adeundi causa, qui tum erat in urbe principe regni sui.

Erant hi legati Romanorum in Asiam à Senatu populoque Romano missi *ad componendas res provinciarum illorum.*

Vers. 37.

IDEOQVE FESTINATE RESCRIBERE) In Græco: *Festinate, & mittite aliquos*, id est, quamprimum mittite etiam ad nos, ut vestræ voluntatis certi, nosmet ad eam, quantum fieri poterit, componamus.

Vers. 38. ANNO CENTESIMO QUADRAGESIMO OCTAVO.

*Græcorum anni* aliter à *Iudæis*, aliter à *Syris & Chaldæis* numerati. *Illi* inchoarunt eos à mense *Nisan*, qui respondet Martio. *Hi* autem à mense *Tisri*, qui respondet *Septembri*: unde notant Interpp. *auctorem libri primi Maccab. Iudaicam* supputationem sequi, auctorem vero *secundi Syriacam*: quam & hi legati Romani in Syria agentes sequuti sunt. Ideoque bellum quod *I. Macc. VI. 20. seqq.* anno 150. contigisse dicitur, ad annum 149. *libr. II. c. XIII.* refertur. Nam totis sex mensibus Iudæi numerabant annum 149. cum Syri adhuc 148. numerarent, & ita porro. Ex quo etiam colligit *Menochius* intra hosce menses æstivos, tam mortem Antiochi Epiphanis, quam initium regni Antiochi Eupatoris, & hæc prælia, & fœdus inter Eupatorem, & Maccabæum contigisse. *Trimum* autem si audias, cujus sententia huic Chronismo rectius congruit, differt autor *libri I. Maccab.* in annorum supputatione, quæ Alexandrina est, toto sesquianno à calculo Chaldaico, vel Syriaco, quo utitur auctor libri II. *Nam præsens hic annus, qui auctori libri 2. est 148. quo jam mortuo Antiocho Epiphane regnarat aliquamdiu filius ejus Antiochus Eupator; ab autore libri primi vocatur 149. & quidem ad finem vergens: nam mortem Antiochi Epiphanis annotat ipse* anno 149. (c. 6. v. 16.) *à cujus morte effluxerunt aliquot menses haud dubie usque ad præsentem copiarum Eupatoris cladem, quæ hic annotatur accidisse anno 148.* mense Dioscoro. *Anni Græc. cor. diversi. mode mutati,*

---

*PARS TERTIA LIBRI EX INCERTIS AVTORIBVS COMPILATA.*

## CAPUT XII.

*Antiochi capitanei Iudæos infestant: Ioppitæ ducentos submergunt, & similia tentant Iamnienses. Sed vindictam Iudas cito ab utrisque sumit. Arabes vincit: urbem Caspin expugnat, Timothei exercitum fundit, urbem Ephron capit, Scythis Iudæorum tum amicis parcit. Cum Gorgiæ primo non feliciter admodum pugnatur, cujus causa exponitur, & pecunia Hierosolymam mittitur, ut pro Iudæis in bello occisis orationes fiant.*

Vers. 1.

HIS FACTIS PACTIONIBUS) Id est inducias per legatos factis.

IUDÆI

JUDÆI AUTEM AGRICULTURÆ OPERAM DABANT) Ut in alta pace. Aristophanes Anaitibus, de pace loquens:

--- πᾶσιν πάνυ ὑμῖν ἔτη δ' ἴσως
ὄψεσθε μὲν ὑ ἀγρῷ τοῦτο τὸ γηδίφ.

Et Menander:

--- ἐμοὶν γεωργὸν καὶ πάτρως
Τρύφων καλοῦ. πόδημος δὲ καὶ πεδίω κακῷ.

NOn *inducia* tantum initæ, sed *pax sancita* fuit: quam vero violarunt capitanei vel Duces Antiochi, incursionibus atque direptionibus Judæos infestantes, dissimulante interim illud atque connivente Rege Antiocho. Tradit autem Gorionides l. III. c. 17. pacem Judæis tantum *octo mensibus* fuisse, interea Maccabæum in quosdam perduelles Judæos animadvertisse.

Versf. 2.

SED HI QVI RESIDERANT) *Sed ducum qui* ἐν (diversis) *erant locis*, extra Hierosolyma scilicet. Sciendum autem in iis quæ hucusque habuimus desiisse Jasonem Cyrenæum: quæ jam sequuntur ex Callico aut alio aliquo desumta sunt: & ordine temporis sequuntur ea quæ supra habuimus X. usque ad 32. Nam ex collatione 2. Maccab. V. manifestum est, eundem hunc esse Timotheum qui supra X. 37. interfectus dicitur. Non est autem hæc historia suo loco posita, quia hic liber excerpta continet non ex uno auctore.

Tanto ergo minus *Canonicus* haberi potest, si ex tam diversis sine justo ordine compilata est historia. Non cohæret autem præsens relatio cum *c. X. 32.* Nam ibi obsessus jam est Timotheus in Jazer, in qua in lacu quodam inventus interfectus est: qui ergo infestare hic Judæos adhuc potuit? Ideoque Pontificii Interpp. hunc *Timotheum diversum* ab illo faciunt. *Ibi* Judas occupatus fuit circa expeditionem *Jezaris*: quam non dimisit, donec urbem expugnaret: Non ergo inde se propiuit ad vindictam contra Joppenses exercendam, ut *Grotio* dicendum, si cum *p. 32. cap. X.* hæc connectenda historia.

TIMOTHEUS) De quo 1. Maccab. V. 6, 37. supra VIII. 30. 32.

Diversum faciunt *Tirinus* & *Menochius*: qui tamen posterior cum *Saliano* censet, expeditionem *quæ 1. Macc. V. 40.* adversus Ephron narratur eandem cum hac esse: ubi etiam de iisdem civitatibus *Caspin, & Carnaim* agi videtur, unde forte collegit Grotius eundem Timotheum utrobique commemorari. Sed quis omnia in hoc compilatore conciliabit? Agnoscit sane *Junius* pleraque quæ hic narrantur ad historiam *1. Maccab. c. V.* pertinere, sed ita ut narratione præsente illam fere totam labefactare oporteat.

ET APOLLONIUS GENÆI FILIUS) Diversus & minor illo Apollonio, cujus sæpe & in hoc & in Maccabaico primo fuit mentio. Γενναῖος nomen ex adjectivo, ut Εὐμενὴς, multaque alia.

SED ET HIERONYMUS) Nomen hoc fuit frequens in Sicilia, Rhodo, in Ægypto, & in Græcis Thraciæ urbibus, ut historiæ nos docent.

ET DEMOPHON SUPER HOS) Nomen est Articum.

ET NICANOR CYPRIARCHES) Nomen est ex *Ad. XIX. 31.* & quæ eo allata ab eruditis, Sacerdotes summos gentium solitos vocari Ἀσιάρχας, Συριάρχας, atque ita deinceps. Sed hic putem denotari præfectum hunc Cypri antea fuisse. Erat quidem Cyprius Ægyptiorum regum provincia: sed ortis ibi seditionibus, nonnulli ad Syriæ reges se transtulerant. Vide supra X. 13.

Versf. 3. FLAGITIUM) ἀνοσίωμα, factum impium.

Versf. 4. SECUNDUM COMMUNE ITAQVE CIVITATIS DECRETUM ET IPSIS ACQUIESCENTIBUS) Id est, cum illi hanc comitatem non recusasserent, freti publico Joppensium decreto, quo inter cives, quamquam diverse religionis, pax erat stabilita. Joppe & Jamnia Phœniciæ urbes eo tempore erant sectæ Antiochi Eupatoris.

Sic etiam *Gorionides* narrat: *Judæos & Macedonas* in pluribus Judææ urbibus maxime ad littus maris simul habitasse, & negotia exercuisse. Sed Jamnitas & Jannienses ea occasione perfide usos in exitium, & excidium Iudæorum.

Versf. 5. PRÆCEPIT VIRIS QVI ERANT CUM IPSO) Ut se scilicet bello pararent.

ET INVOCATO JUSTO JUDICE DEO) Qui scelera talia non solet relinquere impunita.

Versf. 6. VENIT ADVERSUS INTERFECTORES FRATRUM) Popularium ipsius Judæ.

PORTUM NOCTU INCENDIT) Id est, ex ligno opera quæ erant in portu, qualia sunt quæ pilas Vitruvius vocat.

Versf. 7. ET CUM HÆC ITA EGISSET) *Cum vero locus* (id est, ipsum oppidum) *bene clausus esset*, (ut intrare eo tempore non posset) *abiit*.

Versf. 8. QVI ERANT JAMNIÆ) Vide 1. Macc. 4, 15.

Versf. 9. JAMNITIS QVOQVE) Sic & Ptolemæus & Stephanus vocant eos qui Jamniæ habitabant.

PORTUM CUM NAVIBUS) Quæ in portu erant.

A STADIIS DUCENTIS QVADRAGINTA) *Cum interessent stadia* CCXL. Hoc argumento evincit magnam fuisse flammam.

Versf. 10. COMMISERUNT CUM EO ARABES) Latrociniis vichtare soliti abusque Jobi temporibus (1, 15.) ad hunc diem. Strabo libro decimo-sexto: οἱ Σκενῖται Ἀραβες λῃστρικοὶ τινες καὶ πολεμικοὶ.

Versf. 11. RESIDUI ARABES VICTI) In Græco: διαπεφευγότες οἱ Νομάδες Ἄραβες, quod recte vertas, *fidi Arabes illi Numidæ*. Nam & Strabo quosdam Scenitarum Arabum Νομάδας vocat: & Vitruvius Arabiam Numidarum dixit, & vox Latina Numidæ corrupta est ex Græca Νομάδες. Nominantur autem à Græcis hoc modo ii qui vagantur interris sedibus: ut vides apud Strabonem XI. qui & Arabas Numidas sic describit libro XVI. κρέας Νομάδων ἀπὸ καμήλων ἐχόντων τὸν βίον, καὶ γὰρ πολεμικοὶ ἀπ' αὐτῶν καὶ ἐθνικοὶ καὶ τρεφόντες τῷ τε γάλακτι χρώμενοι καὶ τοῖς σαγῆσι.

Versf. 12.

DEXTRIQVE ACCEPTIS DISCESSERE AD TABERNACULA SUA) Nempe Arabes illi, tentoria nunc hic, nunc illic ponere soliti.

Versf. 13.

CIVITATEM QVANDAM FIRMAM PONTIBUS MURISQVE CIRCUMSEPTAM) Legit: ἐπί τινα πόλιν γεφύραν, ἔχουσαν καὶ τείχεσι περιπεφραγμένην, non γεφυρᾶν. *In urbem quandam duorum pontium, bene firmam, muriisque circumseptam.*

CUI NOMEN CASPIN) Sic Græcus aliquis appellavit urbem Esebunta, quæ Casbon 1. Macc. V. 36. ubi diximus esse כשבון. Literam ן Græci in nominibus propriis modo omittunt, modo reddunt per χ, vel ν.

Versf. 14.

ET APPARATU ALIMONIARUM) *Cibis* ibi *repositis*.

REMISSIUS AGEBANT) Contumacius, Id enim valet ἀπαγωγότερον.

ET BLASPHEMANTES) Quod frequens Macedonibus eo tempore. Supra VIII. 4. IX. 28. X. 4. 34. 35. 36.

Versf. 15.

INVOCATO MAGNO MUNDI PRINCIPE) Θεῷ τῷ κράτορι, ut supra III. 24. infra 18. XV. 3. 23. 27.

SINE ARIETIBUS AUT MACHINIS) Supple aliis, nam & aries inachina, de qua videri possunt Vitruvius X. 19. Vegetius IV. 14. Josephus Belli Judaici III. 15. Ammianus XXII. Procopius Gothicorum IV.

PRÆCIPITAVIT JERICHO) Id est, muros Jerichuntis, Josephus VI. 20.

Versf. 16.

ADJACENS STAGNUM) Apud Esebunta.

Versf. 17.

IN CHARACA) Characmoba. Sic enim legendum apud Ptolemæum in Arabia Petræa. Diximus Genes. XIX. 37. factum loco nomen ex clade aliqua Moabitarum.

Oppidum illud *Arabiæ Petræ* Ptolemæum pro *Characa-Tobiana*, uti hic appellatur, vocare *Characmobam* censet *Junius*.

AD EOS QVI DICUNTUR TUBIANÆI JUDÆOS) Scribitur Τυβιανοὶ, sed satis est Τυβιανοὺς: Idem est nomen quod 1. Macc. V. 13. scribitur Ταβὶν. Vide ibi dicta.

*Judæos* autem hos dictos putant propter historiam, quæ est *Jud. XI.*

Versf. 18.

NULLOQVE NEGOTIO PERFECTO REGRESSUS EST) Nempe Timotheus: quod ostendit Græcum ἐκπλεύσας, & quod sequitur κατελαλήσατε.

RELICTO IN QVODAM LOCO FIRMISSIMO PRÆSIDIO) Illud *firmissimo* ad præsidium refertur, ut est Græco apparet.

Vers. 19.

DOSITHEUS AUTEM) Nomen est Græcum factum ex Chaldæo דשותאי, quod potatorem significat.

ET SOSPATER) Hoc significatu translatum ex Hebræo אחישע.

Vers. 20. HABENTEM SECUM CENTUM VIGINTI MILLIA PEDITUM) Novo dilectu facto. Hic est magnus ille exercitus memoratus 1. Macc. V. 37. 38.

Vers. 21.

IN PRÆSIDIUM QVOD CARNION DICITUR) Carnaim à scriptore primi Macc. V. 44.

Legendum *Karnayma*, ait Iunius, (quem hic in multis sequutus est Grotius) ex *1. Macc. V. 26. & 43. & 44. Sed hic* (autor) *tam bene locorum expressit nomina, quam veritatem rerum: Vid. in Gen. XIV. 5.*

ERAT ENIM INEXPUGNABILE) δυσπολιόρκητον, *difficile expugnatu.*

Vers. 22. EX PRÆSENTIA DEI QVI UNIVERSA CONSPICIT) ἐκ τῆς τοῦ πάντα ἐφορῶντος ἐπιφανείας. Vox ἐπιφανείας non semper ostentum, sed sæpe vim quandam divinam subitam significat.

Vers. 24. IN PARTES DOSITHEI ET SOSIPATRIS) *In agmen Dosithei & Sospatris.*

QVOS MORTE EJUS DECIPI EVENIRET) *Quorum nullam rationem iri habitum:* Non fore ut quisquam eis parceret, si ipse occideretur.

Vers. 25.

ET CUM FIDEM DEDISSET) πιστώσαντος δὲ αὐτῷ διὰ πρωίου τοὺς ὁμοιους. *Cum autem pactum multis verbis firmasset*, de incolumitate, ut sequitur, Judæorum qui in potestate erant Macedonum, ὁμοιος respondet Hebræo, כמוהו, quod obligationem significat, ut apparet Num. XXX. 4. 5. & sequentibus. In Daniele edictum regium significat. Vide quæ diximus Prolegomenis ad Evangelia.

Vers. 26.

JUDAS AUTEM EGRESSUS EST AD CARNION) Plus est in Græco: καὶ τὸ Ατεργατείον. Hoc est ad fanum illud memoratum 1. Macc. V. 43. Græci eandem deam vocabant Δεκετὼ ὁ Δίρκετο, Ατάργατιν, ut nos docet Strabo, libro XVI. Est hoc nomen Atergatis apud Theonem in Aratein, & apud Plinium V. 23. Dercetis apud Ovidium, pro quo Phacetis male scribitur in Scholiaste Germanici. Esse Venerem diximus ad dictum locum primi Maccabaici. Dicitur autem Ατεργατείον eadem forma qua Ασκαλῶν apud LXX. 1. Sam. XXII. 10. Ναυαίου supra I, 13. & ὀδωδαίου 1. Macc. I, 50. 8. 83. 1. Cor. VIII, 10. & in Canonibus sæpe.

Vers. 27.

AD EPHRON CIVITATEM MUNITAM) Eandem de qua 1. Macc. V. 46. ubi similiter ejus munimenta prædicantur. Ἔμφρων est Josepho XII. 12.

Vers. 29. AD CIVITATEM SCYTHARUM) Σκυθόπολιν una voce apellat dicto loco Josephus, & ostendit eandem esse quæ Hebræis Βεθσάν, sive Bethsan, ut 1. Macc. V. 52.

Vers. 30. CONTESTANTIBUS AUTEM HIS QVI APUD SCYTHOPOLITAS ERANT JUDÆIS, QVOD BENIGNE AB EIS HABERENTUR) *Benevolentiam quam Scythopolitæ in se ostendissent.*

QVOD MODESTE SECUM EGERINT) *Humanam tractationem.*

Vers. 31.

DIE SOLENNI SEPTIMANARUM INSTANTE) Idem est ἑβδομάδων ἑορτὴ, & quod jam sequitur πεντηκοστὴ, solenne incidens in finem septimæ septimanæ, sive quinquagesimum diem à Paschate. Vide Exodi XXII. 22. Levit. XXIII. 15. 16. Deuteron. XVI. 9. 10. Act. II. 1. XX. 16. 1. Cor. XVI. 8.

Vers. 32.

ABIERUNT CONTRA GORGIAM) Nempe Josephus Zachariæ, & Azarias.

PRÆPOSITVM IDVMÆÆ) Legitur quidem in Græco τὸν Ἰδουμάτης, sed per errorem: legendum enim τῆς Ἰαμνείας, ut nos docet 1. Macc. V. 57. & apertissime Josephus qui XII. 12. ait: Γοργίᾳ δὲ τῷ τῆς Ἰαμνείας στρατηγῷ.

Observandum iterum mendum in textu *Latino* quod quomodo *Pontificii* excusatum velint, ipsimet viderint.

Vers. 33.

EXIVIT AVTEM CVM PEDITIBVS MILLIBUS ET EQVITIBUS QVADRINGENTIS) Nempe Gorgias, & qui cum eo 1. Macc. V. 59.

Vers. 35.

DOSITHEUS VERO QVIDAM DE BACENORIS EQVES) τῶν τοῦ Βακήνορος, id est, *eorum qui sub Bacenore.* Hac ille nota, & voce *quidam*, & *eques*, distinguitur à majore Dositheo, cujus supra mentio 24. Bacenor est, בכנרת, habitans in regione Cinnereth. Vide quæ dicta ad Matth. XIV. 34.

EQVES QVIDAM DE THRACIBUS) Habes Thraces in Antiochi Magni exercitu apud Polybium.

IRRUIT IN EUM) Dositheum equitem.

ATQVE ITA GORGIAS EFFUGIT IN MARESA) Quam Μάρισαν dixit Josephus. Vide quæ diximus ad 1. Macc. V. 66.

Vers. 36.

AT ILLIS QVI CUM ESDRIN ERANT) περὶ τὸν Ἐσδρίν. Legendum videtur περὶ τὸν Ἔφρων. Nam à Josephi & Azariæ rebus adres Judæ redit, qui circa Ephron pugnavit. Vide 1. Macc. V. 65. & Joseph. XII. 52. circa finem.

Ex hac erudita & perpetua collatione præsentis relationis cum *1. Macc. V.* præeunte Junio, à *Grotio* instituta discant Pontificii easdem expeditiones Judæ deferibi, quod πρὸς ἕμμα illa ostendit: sed & agnoscant innumeras *antilogias* in *utraque relatione*, quas ipsi non nisi ad *Calendas Græcas* conciliabunt.

Vers. 38.

JUDAS AUTEM COLLECTO EXERCITU VENIT IN CIVITATEM ODOLLAM) Est hic locus unus ex illis quos complures in Idumæa cepisse Judam Josephus post Ephronem, captam commemorat. Hebraice scribitur עדלם, Gen. XXXVIII. 12. unde gentilitium Ὀδολλαμίτης ibidem in Græco.

ET CUM SEPTIMA DIES SUPERVENIRET) τῇ ἑβδόμῃ δὲ. Dixit ἑβδομάδα, quam Philo & Josephus ἑβδομὴν. Sic & infra XV. 6. nec aliter in Decalogo Josephus: πεμπτεύειν τὰς ἑβδομάδας: adversus Appionem II. τῇ ἑβδομάδι δὲ ἀργοῦμεν: & in oratione Agrippæ: τεσσάρων τῶν τῆς ἑβδομάδων ἐτῶν. Sic & Christiani scriptores interdum: nimirum quomodo τετρὰς dies quartus Hesiodo & aliis.

Vers. 39.

ET SEQVENTI DIE VENIT JUDAS CUM SUIS) Additur in Græco: καθ' ὃν χρόνον τὸ τῆς χρείας ἐγεγόνει: *quo empore, quæ opus est, fiebant.* Id est, exacto plane Sabbato. Confer Lucam XXIII. 56.

UT CORPORA PROSTRATORUM TOLLERET) Quod signum victoriæ.

Quosdam horum qui in pugna contra *Gorgiam* ceciderant, fuisse è *fortissimis Hasmonæis*, ait *Goriomides. Vix ullum tam solenne munus in bello, quam humandi suos*, inquit *Curtius l. V.*

Vers. 40.

DE DONARIIS IDOLORUM QVÆ APUD JAMNIAM FUERANT) Ἱερώματα τῶν ἀπὸ Ἰαμνείας εἰδώλων: id est, res dicatas idolis, donaria ex auxo, argento & rebus similibus. Sed in voce Ἰαμνείας error est commissus contrarius ei quem modo notavimus 32. Nam ut ibi ἰδουμάας scriptum pro Ἰαμνείας, ita hic pro Ἰαμνείας scribendum Ἰδουμάας, præcedens historia collato Josepho, & primo Maccabæico apertum facit.

A QVIBUS LEX PROHIBET JUDÆOS) Deut. VII. 25. 26.

OMNIBUS ERGO MANIFESTUM FACTUM EST OB HANC CAUSAM EOS CORRUISSE) Addita enim est præcepto jam dicto cominatio, *ne fias ἀνάθεμα*: id est, pœnæ divinæ sacer. Debuerant Judæi illi statim conflasse illud aurum & argentum, aut mari mersisse.

Vers. 41. OMNES ITAQVE BENEDIXERUNT JUSTUM JUDICIUM DOMINI) Approbarunt.

Vers. 42. ROGAVERUNT UT ID QVOD FACTUM ERAT DELICTUM OBLIVIONI TRADERETUR) Sperabant veniam posse obtineri iis qui legem semper secuti in hac re peccaverant, pœnitentiam forte actura, si vixissent diutius. Mos est Hebræis precandi: *Sit mors illius pro expiatione peccatorum.* Satis pœnarum luerit mortis violentæ, aut immaturæ, aut plenæ cruciatuum. Cœpere autem Judæi orare pro mortuis in exilio Babylonico: quod & formulæ sermonem illorum locorum ac temporum recolentes ostendunt. Nimirum ab Ezechiele & Daniele instituti, cernus aliquid quam ante de judicio post hanc vitam perceperant.

Appro-

*Error Papist. de orationibus pro mortuis.*

Approbat ita Grotius errorem Papisticum de oratione pro mortuis, quem tamen è *Judaismo* deducit, non è *scripturis*, formulas S. literis contrarias, imo *impias*, quod *mors* sit *pro expiatione peccatorum*, quum ex adverso sola Christi mors propitiatio sit, & expiatio peccatorum, laudans, & errorem erroribus, de *venia peccatorum* eorum, qui non egere pœnitentiam, *acturi forte si vixissent diutius*, deque ignorantia vel *incerta notitia judicii* post hanc vitam, *ante Ezechielis & Danielis tempora*, accumulans: uti porro ad v. 43. suam sententiam explicabit.

HORTABATVR POPVLVM CONSERVARE SE SINE PECCATO.

*Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

Vers. 43.

OFFERRI PRO PECCATIS MORTVORVM) Tale sacrificium lege imperatum non erat: neque judicia post hanc vitam in lege fuerant revelata; quibus cognitis Propheratum indicio, ex paritate quadam rationis crediderunt Judæi recte fieri posse pro mortuis, quæ pro vivis fieri solebant Lev. V. VI. XVI. Pari ferme ratiocinatione inductus Baptismus pro mortuis apud Christianos, & oblationes pro mortuis de quibus alias.

BENE ET REGLIGIOSE DE RESVRRECTIONE COGITANS) Id est, firma fide credens futuram resurrectionem, & in ea vitæ hic actæ repensationem.

Vers. 44.

NISI ENIM EOS QVI OCCIDERANT RESVRECTVROS SPERARET) *Exspectassct.* προσδόκα.

SVPERFLVVM VIDERETVR ET VANVM ORARE PRO MORTVIS) In Græco sic est: *περισσὸν καὶ κενὸν τὸν ὑπὲρ τεκνῶν ὑποχρεῶσθαι. Superfluum & vanum orationem factas pro mortuis orare.* Simile illud Euripidis:

*Τὸ δὲ θνῆσκειν εἰ καὶ δυσφιλὲς, σὺν κέρδει.*

Nempe si nihil aliud post mortem restat. Confer. 1. Cor. XV. 29. 30. 31. 32.

Vers. 45.

ET QVIA CONSIDERABAT QVOD HI QVI CVM PIETATE DORMITIONEM ACCEPERANT, OPTIMAM HABERENT REPOSITAM GRATIAM: SANCTA ERGO ET SALVBRIS EST COGITATIO PRO DEFVNCTIS EXORARE, VT A PECCATIS SOLVANTVR) In Græco sic est: *Ergo considerans ille qui cum pietate dormiunt, optimam repositam gratiam, (quæ sancta est & pia cogitatio) ob id pro mortuis expiationem fecit,* (sacrum piaculare) *ut à peccato* (id est, à peccati pœna) *liberarentur.* Cum pietate mortuos dicit, quia semper dederant operam servandæ legi, & pro lege vitam objecerant periculis: existimabat autem, pronus scilicet quod ambiguum erat in partem trahere meliorem, quod illi peccaverant ortum ex legis ignorantia: qualem fæpe accidere in tanta præceptorum multitudine erat credibile: nec minus credibile facile à Deo talium veniam impetrari.

*De baptismo pro mortuis.*

De *Baptismo pro mortuis* alias etiam, cum DEO, acturi sumus, nimirum ad *1. Cor. XV. 29.* ubi sententiam suam expofuit Grotius. In *baptismo* tamen *vicario* preces factas esse *pro Catechumenis*, qui sine baptismo decessere in Ecclesia primitiva, *quæ publice pro iis fieri non consueverint*, hypotheses mere precariæ sunt, quas Grotius nunquam ex antiquitate probabit, nedum scripturæ congruas docebit. Si autem pari ratiocinatione non tantum *Baptismus pro mortuis* sed, etiam *oblationes* pro iisdem apud Christianos inductæ, quæ Judæi pro mortuis sacrificia fieri posse, juxta Grotium, credidere, quia scilicet *pro vivis fiebant*, vanitas oblationum pro mortuis apud Papistas non minus effulget, quam sacrificiorum Judaicorum pro defunctis, quod scilicet neutris fundamentum solidum subsit. Non enim par ratio est vel sacrificiorum vel orationum *pro mortuis*, & *pro vivis*, sed longe diversissima & disparrima: quia vivis adhuc venia fieri potest, & peccata eorum expiari ac remissionem consequi possunt: ac post mortem nulla est expiatio, & peccatorum remissio. Sed *judicium* vel *justificationis*, *fidelium nempe* seu eorum, qui in fide decesserunt, *qui enim mortuus est, justificatus est à peccato, Rom. VI. 7.* vel *condemnationis*, utpote infidelium; super quos manet ira Dei: *qui enim non credit, jam judicatus est Joh. III. 18. 36.* præter quod duplex genus judicii *absolutorii*, & *condemnatorii*, & duplex genus hominum, *fidelium* & *infidelium* scriptura S. nullum aliud novit. Et dum agnoscit Grotius, *lege imperatum non fuisse sacrificium pro peccatis mortuorum*, annon ἀθεκθρησκεία adeoque legi divinæ contrarium fuit tale sacrificium? utpote quæ diserte prohibet, ne quid divinis præceptis vel demetur, vel addatur *Deut. IV. 2. c. XII. 32.* Quid quod scriptor hic Apocryphus, cujus judicio nititur Papistarum turba, non tantum gravissime impingat circa *jus juriuque cognitionem*, quod pro *legitimo* habeat quod minime legitimum est, sed etiam circa *factum*, ejusque dijudicationem. Quia Judam primum docet solum ob *anathematis à viventibus aversionem*, deinde vero docet, eundem *ob mortuorum salutem* illa obtulisse sacrificia. Quorum vero neutrum vel *præcepto*, vel *exemplo* probato vel *promisso* divino nititur, in literis S. Scripturæ Canonicis. Adde quod in *mortali peccato gravissimo* illi decesserint, nimirum in sacrilegio, pro qualibus ne in Papatu quidem oblationes fiunt; conf. *Deut. XIII. 13. 16. 17.* Unde argumentum indubitatum, librum præsentem non esse Canonicum, sed Apocryphum: aut saltim *Latinum textum*, in quo habetur diserte sacrificium pro peccatis mortuorum, (quum in Græco simpliciter solum *θυσία περὶ ἁμαρτίας*, quæ de sacrificio pro expiando vivent ium cœtu è v. 42 explicari potest, habeatur) non esse *authenticum*.

## CAPUT XIII.

*Antiochus ingentem exercitum ducit contra Judæos. Menelaum tamen patriæ suæ proditorem interficit. Judas noctu in exercitu Antiochi multos occidit. Antiochus Bethsuram frustra obsidet. Postea cum Juda pugnans vincitur. Antiochus cum Judæis pacem facit: quam Ptolemenses ægre tulerunt.*

Vers. 1.

ANNO CENTESIMO QVADRAGESIMO NONO COGNOVIT IVDAS ANTIOCHVM EVPATOREM VENIRE CVM MVLTITVDINE ADVERSVS IVDÆAM) Est eadem historia quæ supra XI. XII. sed ex alio scriptore, ut modo diximus, rebus quibusdam additis, demtisque.

HÆc omnia sunt argumenta solida contra Pontificios adversus Canonicam libri autoritatem. Nam si è diversis compilata autoribus, si quædam addita, quædam demta, si eadem Historia in eodem libro, ex alio solum scriptore, diversimodis circumstantiis relata, quomodo liber ille Canonicus censeri potest? Cæterum non apparet quo jure hanc c. XIII. Historiam eandem dixerit Grotius cum ea, quæ c. XI. & XII. descripta extat. At eandem esse cum illa, quæ *1. Macc. c. VI.* legitur, antea jam monuimus & agnoscit hic Tirinus Jesuita.

Vers. 2.

LYSIAM PROCVRATOREM) ἐπίτροπον, tutorem, ut diximus modo XI. 1.

ET PRÆPOSITVM NEGOTIORVM) ἐπὶ τῶν πραγμάτων *negotiis* summis *impositum*. Eadem verba supra XI. 1.

CENTVM DECEM MILIA) Octoginta millia habuimus supra ex Jasone Cyrenæo XI. 2. Medium inter utrumque numerum, id est, centum millia exprimunt scriptor 1. Macc. VI. 30. & Josephus, ut supra ad XI. 2. notavimus. Non mirum est discongruere in tradendo numero eorum qui sunt in exercitu scriptores bonos, cum lixas, calones & alios id genus militiæ ἐφόδους, alii annumerent, prætermittant alii. Tum vero intra medium tempo-

temporis spatium aut ex auxiliis crescunt, aut ex morbis decrescunt exercitus.

ET EQVITVM QVINQVE MILLIA) Viginti, adjunxit scriptor primi Maccabaici & Iosephus. Facile potuit K in E mutari.

ET ELEPHANTOS VIGINTI DVOS) Etiam hic videtur A a scribis in K mutatum. Nam elephantos triginta duos habet scriptor primi Maccabaici: nec aliter Iosephus XII. 14.

Calvæ hæ excusationes & corruptelarum suspiciones quantum valere possint, prudentes judicent, Canonicæ certe autoritati libri, à Papistis adfertæ maximopere ista nocent, unde nec à *Grotio*, advocato deinceps Romanæ Ecclesiæ facto illis patrocinium parari potuit, etsi Causidico excellentissimo, & versutissimo.

Vers. 3.

CVM MVLTA FALLACIA) Bene vertit Græcum μετὰ πολλῆς ὑφορείας. Est enim ὑφορεία sæpe ὑπόκρισις, ut Suidas, Ἡσύχιος ὑπόκρισις, ut Hesychius interpretatur.

SED SPERANS SE CONSTITVI IN PRINCIPATVM) Id est, sperans vi regia dejecto Iuda posse se restitui in summum sacerdotium, quod ἀρχιερατεία etiam supra vocatur V. 7.

V. 4. SVSCITAVIT ANIMOS ANTIOCHI) Eupatoris.

IN PECCATOREM) Vt solet malorum opera in malos uti.

HVNC ESSE CAVSAM OMNIVM MALORVM) Suaforem Antiocho Illustri, ad mutandos Iudæorum ritus, unde tot mala nata.

VT EIS EST CONVENTVDO) In Græco: *Vt in illis tota mortis est.* Id est, nullo judicio præcedente, contra quam apud Iudæos fieri solebat.

APPREHENSVM IN EODEM LOCO NEGARI) In Græco: *Necari abductum Beræam:* nempe ab Antiochia. Beræa est urbs Macedoniæ nominata in excerptis libri VII. Strabonis, Plinii IV. 10. unde nomen habuit altera urbs in Syria, cujus meminere Plinius V. 26. Ptolemæus in Syria: utriusque autem Stephanus.

Vers. 5.

AGGESTVM VNDIQVE HABENS CINERIS) *Pleno cinere* subtus. Bene Latinus interpres dixit aggestum cineris, quem cineris congeriem Valerius Maximus IX. 11. 6. in simili aptat Persæ commento regis Ochi. Non dissimilem morem dat Tauro-Scythis Euripides: nam interroganti Oresti:

Τάφῳ δὲ πηδᾷ· διξτοὺ μ᾽ ὄταν θάψω;

Respondet Iphigenia:

Πῦρ ἱερὸν ἔνδον, χάλκεμ᾽ ὑφαντὸν πέτρας.

HÆC PROSPECTVM HABEBAT IN PRÆCEPS) Aliter in Græco: *Hæc machinam habebat ab omni parte versatilem, & præcipitem in cinerem.*

Vers. 6. INDE IN CINEREM IVSSIT DEJICI SACRILEGVM, OMNIBVS EVM PROPELLENTIBVS AD INTERITVM) Aliter in Græco: *Illius sacrilegi rerum aut qui aliud quid eximii mali parraberit, omnes in exitium impellunt:* Id est, solent impellere. Morem hic describit: de Menelao sequitur.

Vers. 7. ET TALI LEGE) *Tali morte*, in Græco.

PRÆVARICATOREM LEGIS CONTIGIT MORI, NEC TERRÆ DARI MENELAVM) *Ita ut nec terra ei contigerit.* Sic de parricidis Justinianus Institutionibus de publicis Judiciis: *Vt terra mortuo auferatur*, Quintilianus autem declamatione CCXCVIII. itidem de parricida: *Vt quod Dis hominibusque videatur indignum, tumulo tellus videretur, cui leges terram negant.* Deinde: *Cui lucem vibo, stellantis mare, naufragia portium, morienti terram, defuncto sepulchrum negat*: lex scilicet.

*Æquum erat, ut in cineribus profanis misere moreretur, qui (affectatione Sacerdotii & perturbatione cultus divini) in sacros cineres altaris impius fuerat. (Dominus enim interdum etiam sævos tyrannos excitat, ut impios & injustos homines perdant. Et sæpe supplicia peccatis respondent: ut intelligamus, DEUM de justo suo judicio in homines tam perditos animadvertisse)* ut hic *Osander.*

Vers. 9.

SED REX MENTE EFFERATVS VENIEBAT) *Ceterum Rex adjuvantibat animo in barbarum corrupto.* Hoc signis ait Menelaum quidem à rege punitum: sed regem cum Menelaus concitaverat mansisse, ut ante, infesto in Iudæos animo.

NEQVIOREM SE PATRE SVO IVDÆIS OSTENSURUS) Pessima eorum quæ Pater fecerat in Judæos designaturus. tanquam κακὸς κάκῳ& κακὸς ὤν.

Vers. 10.

SICUT SEMPER) *Si unquam*, in Græco: quasi dicat, nunquam magis necessariam fuisse opem divinam.

Vers. 11.

PRIVARI VERERENTUR) *Perlicitarentur.* μέλλοντι.

QUI NUPER PAULULUM RESPIRASSET) Per victorias partas de Apollonio, Serone, Gorgia, Timotheo.

NE SINERET BLASPHEMIS RURSUS NATIONIBUS SUBDI) Ut supra X. 4.

Vers. 12. CUM ELETU ET JEJUNIIS PER TRIDVVM CONTINVVM PROSTRATIS) In Græco: *Et prostratione per triduum perpetua.* Πρόκλισιν hic ut supra III. 21.

Vers. 13. IPSE VERO CUM SENIORIBVS COGITAVIT) *Ipse autem seorsim cum senatoribus* (id est, cum Synedrio) *consilium capit.* Sic καθ᾽ ἑαυτὸν opponitur turbæ, ut κατὰμόνας. Matei IV. 10. Luc. IX. 18.

ET OBTINERET CIVITATEM) Hierosolyma.

DOMINI JVDICIO COMMITTERE EXITVM REI) De re decernere Deo adjuvante.

Vers. 14. DANS ITAQVE POTESTATEM OMNIVM DEO CREATORI) *Permittens igitur dissensationem* (belli) *Deo creatori.*

CIRCA MODIN EXERCITVM CONSTITVIT) Loco ad castra apto.

DEI VICTORIÆ) יהוה נצחי.

NOCTE AGGRESSVS AVLAM REGIAM IN CASTIS) *Nocte irruens castra, qua parte erat regis tentorium,* Nam αὐλὴ etiam hoc significat.

ET MAXIMVM ELEPHANTORVM CVM HIS QVI SVPERPOSITI FVERANT) In Græco: ᾗ τὸν πρωτεύοντα τῶν ἐλεφάντων σὺν τῷ κατ᾽ οἰκίαν (ita enim Sixtina) ἐχλῃ συνίδησε: quæ sic interpretor: *Et eum qui præerat elephantis cum omni turba ipsius domestica additis interfectis.* Quod uno verbo Macedones dicebant διαφανίσαντες, ut infra XIV. 12. id Græcus hic scriptor expressit pluribus, ut & Terentius:

*Elephantis quem Indicis præfecerat,*

Solebant autem tales magnam secum habere familiam ad pascendas regendasque belluas.

Vers. 18.

ACCEPTO GVSTV) Id est facto experimento. Proverbium est Græcum apud Athenæum: γεύσας τὸν οἶνον καλὸν. De qua re vide L. Hi qui in emptione. §. Alia causa est. D. De contrahenda emptione, L. Si quis vina. D. De periculo & commodo rei venditæ.

ARTE DIFFICVLTATEM LOCORVM TENTABAT) *Loca artibus tentabat:* nempe præsium devitans, volebat oppida capere de insidiis, aut fame aut machinis admotis.

Vers. 19. ET BETHSVRÆ QVÆ ERAT JVDÆORVM PRÆSIDIVM MVNITVM, CASTRA ADMOVEBAT) Eadem tangitur historia quæ supra XI. 5. & 1. Macc. 31. & apud Iosephum XII. 14.

SED FVGABATVR, IMPINGEBAT, MINORABATVR) Græcus unde hæc desctipta multum amavit ἀσύνδετα, ut jamjam 21. 22. 23. 26. XIV. 22. Sensus est: modo agebatur in fugam: modo collisus abibat cum damno.

Addo quæ hic habet Junius: *Historiæ hujus*, inquit, *pœnitatem qui volet cognoscere comparet cum 1. Macc. VI. 31. & sequentibus, & cum Historia Josephi. Nam qui hæc scripsit in eo tantum laboravit ut miracula & victorias, quo jure quave injuria prædicaret. Quodita que hic præter morem συντομίαν optimo jure facit, ut breviora sint mendacia.*

Vers. 21.

ENVNCIAVIT AVTEM MYSTERIA) Arcana castrorum.

RHODOCVS) Forte fuerit רודקי, יהודי.

ET CONCLVSVS) In carcerem datus.

Vers. 22.

DEXTRAM DEDIT) 1. Macc. VI. 49. Ios. XII. 14. Multa talia omiserat Jason.

Vers. 23. COMMISIT CVM IVDA: SVPERATVS EST) Invasus hic est paululum ordo historiæ. Hæc enim victoria Judæ anteccessit deditionem Bethsuræ Antiocho factam. Est enim ea quæ narratur 1. Macc. VI. 42. & apud Iosephum dicto loco.

Egregium vero *Historicum* & Canone dignum, qui ordinem historiæ invertit, mendacia veritati admiscet, fabulas historiæ ingerit, ut non raro in hoc autore deprehendimus.

COGNO-

COGNOVIT REBELLASSE PHILIPPVM ) ἀποστατεῖν φίλιππον, desperata consilia agitare: nempe palam se regi & Lysiæ opponendo.

ANTIOCHIÆ ) τὴ Ἀντιοχείᾳ: intellige Nisibin, quæ novo nomine Antiochia vocabatur Plin. VI. 13. & propinqua erat Mediæ, ubi exercitum collegerat Philippus, ut docemur 1. Macc. VI. 56.

QVI RELIGTVS ERAT SVPER NEGOTIA) Id est, cui negotia omnia mandata fuerant Antiochi illustris testamento: 1. Macc. VI. 14. & 55. Josph. XII. 14. Sed quod testamentum non curabat Lysias sanguinis jure sibi tutelam vindicans: quales disputationes etiam nostro seculo multas vidimus.

SVBDITVSQVE EIS ) ὑποτάγη, id est, accommodavit se Judæorum desiderio.

IVRAT DE OMNIBVS QVIBVS IVSTVM VISVM EI) Iurat in æquo omnia.

OBTVLIT SACRIFICIVM) Præbuit victimas Sacerdotibus, ut sæpe reges alii.

HONORAVIT TEMPLVM ET MVNERA POSVIT) In Græco: Et locum ( id est Hierosolyma ) humane tractavit: nempe antequam fidem falleret, quod hic scriptor infactum reliquit.

Quando vero humaniter tractavit & honoravit templum? quando sacrificia obtulit? Contrarium è 1. Macc. VI. 62. de ipso liquet.

Vers. 24.

ET FECIT EVM A PTOLEMAIDE VSQVE AD GERRENOS DVCEM ET PRINCIPEM ) κατέστησεν στρατηγὸν ἀπὸ πτολεμαΐδος ἕως τῶν Γερρηνῶν ἡγεμονίαν. Reliquit autem à Ptolemaide ad Gerrenos usque jure hæreditario. Id est, ipsum liberos que ejus fecit præfides oræ maritimæ, ubi Ptolemais, ad fines Ægypti, ubi Gerrum terminus Ægypti Ptolemæo. Similis potestas postea Jonathani data ab Antiocho Sidete 1. Macc. XI. 59.

Vers. 25. GRAVITER FEREBANT PTOLEMENSES) Ptolemæenses, vel Ptolemaidenses.

AMICITIÆ CONVENTIONEM ) Pacta cum Judæ inita.

INDIGNANTES, NE FORTE FOEDVS IRRVMPERENT ) Indignabantur enim, & ob id volebant irritum facere fœdus, ὑπὲρ ὧν hic positum, ut ὑπὲρ supra XII. 46. יען.

Vers. 26.

TVNC ADSCENDIT LYSIAS TRIBVNAL) Homines quamvis imperiosi in rebus turbidis faciunt se populares.

REGRESSVSQVE EST ANTIOCHIAM) Syriæ ad Orontem, sive apud Daphnen.

ET HOC MODO REGIS PROFECTIO) Antiochi Eupatoris bellum in Judæos hunc finem ipso revertente habuit.

## CAPUT XIV.

*Antiochus & Lysias occubuerunt. Alcimus apostata sufferatus clinodia è templo Hierosolymitano ea Regi Demetrio donat: Pontificatum ambit, & Iudam Maccabæum graviter accusat. Mittitur à Rege Nicanor contra Iudam, sed ille cum Iuda amicitiam jungit. Iudas uxorem ducit. Nicanor Iudæ insidias struens, & elusus minatur templi destructionem, nisi Iudas tradatur: sed nihil efficit. Commendatur Razias, qui sibi ipsi mortem conscivit.*

Vers. 1. SED POST TRIENNII TEMPVS) Hoc caput & sequens eandem complectitur historiam, quam habuimus 1. Maccab. VII. sed nonnullis additis, & contra omissis.

De hac varietate & dissonantia dignus est, qui hic audiatur, *Daniel Chamier* in panstrat. Cathol. l. V. de Canon. c. 8, n. 24. Quintum, inquit, medacium (libr. Maccab.) Libr. 1. c. VII. *Demetrius occiso Eupatore mittit Bacchidem in Judæam, qui multis crudeliter occisis, Alcimum constituit, ut Iudææ imperaret: ad cujus preces, secundo Nicanorem Demetrius mittit, qui doloſe Iudæ pollicetur, se non pugnaturum, sed venturum cum pauci ut videret Iudæos. Venit igitur ad Iudam data acceptaque salute, sed paratus tamen ad Iudam capiendum: quod cum Iudas* ἀντιλογίαι in libr. Maccab.

*comperisset, cavit ne ultra ad eum veniret. Inde ventum ad prælium, in quo Nicanor superatur: inde Hierosolymam venit postulatque sibi tradi Iudam. Egresso ex urbe occurrit exercitus Syriæ: superatur atque occiditur. Iam lib. 2. c. 14. & 15. Nicanor cum audiret omnia prospera de Iuda, consuleius duxit ne armis cum eo experiretur. Pacem fecit datis dexteris: constituta etiam die qua convenirent in unum locum. Sed Iudas è suis armatos dispositos erat locis opportunis, ne forte ab hostibus repente aliquid mali pateretur. Nicanor Hierosolymis commoratur, nihil inique agit, copias dimittit: Iudam amat ex animo, cui sit autor ducendæ uxoris. His auditis Demetrius iratus, scribit ut Maccabæum vinctum mitteret Antiochiam: quod Nicanor graviter tulit, dolens se nihil lesum cogi ad pacta conventa rescindenda, opportunitatem quærit nihilominus perficiendi mandati. Iudas cavet sibi: quod cum Nicanor videret, petiit eum sibi dari: denique committit prælium, superatur, occiditur. Contradictionis hæc sunt capita: Primum, quod in 2. Nicanor describitur agens bona fide: at primus liber testatur ab ipso initio doloſe egisse. Alterum in 2. Iudas sues in insidiis disponit: at in 1. ipsi hostes insidiantur. Tertium: Iudas in 2. abscondit se à Nicanore, postquam multis diebus moratus esset Hierosolymis: at in 1. id evenisse dicitur antequam Nicanor significretur venisse Hierosolyma. Denique post id colloquium, antequam Nicanor postularet à Sacerdotibus sibi Iudam tradi, liber primus prælium commissum testatur, indeque fuga se Hierosolyma recepisse. At in 2. Nicanor nullo prælio facto, imo pace potius constituta Hierosolyma venit.*

DEMETRIVM SELEVCI ) Qui Soter dictus.

PER PORTVM TRIPOLIS ) Eam quam in Phœnice ponit Ptolemæus. Nomen ea habet quod habitati ceperit ex urbibus tribus Tyro, Sydone, & Arado, ut nos docent Strabo XVI. & Plinius V. 20.

AD LOCA OPPORTVNA ) Hoc addidit interpres explicandæ rei causa.

Vers. 2. ADVERSVS ANTIOCHVM, ET DVCEM EJVS LYSIAM ) In Græco melius: *Occiso Antiocho* (Eupatore) *& tutore ejus Lysia.*

Vers. 3. QVI SVMMVS SACERDOS FVERAT) Qui jam ante summus Sacerdos factus fuerat, nempe ab Antiocho Eupatore, post mortem Menelai, sed non à populo receptus, ob facinora ejus contra legem.

SED VOLVNTARIE COINQVINATVS EST ) *Fuerat.* Et est Niphal pro Hithpahel: se enim inquinaverat sponte, id est, cogente nemine.

TEMPORIBVS COMMISTIONIS ) Legit ut in Sixtina est, ἐν ταῖς τῶν ἐπιμιξιῶν χρονοις, *temporibus confusionis*: cum Judæorum multi promiscue cum gentibus vixere. Male in aliis libris, καιρῶσιν.

NVLLO MODO SIBI ESSE SALVTEM) Nihil boni sibi sperandum à populatibus suis.

NEQVE ACCESSVM AD ALTARE ) Neque passitros eos ut sacerdotio fungeretur.

Vers. 4. CORONAM AVREAM) Solitum munus, 1. Macc. X. 29. 35. XIII. 29.

ET PALMAM ) Nempe ex auro itidem, ut 1. Macc. XIII. 37.

ET THALLOS QVI EX TEMPLO ESSE VIDEBANTVR ) πρὸς δὲ τούτοις τῶν ὁμιζομένων θαλλῶν τῶ ἱερῶ. *Præterea de terminibus Templo solemniter dictis.* In Templo erant multa donaria, inter ea & horti quidam ex auro varia arborum imitamenta complexi, in his & olea. Similia vide in his quæ diximus ad Luc. XXI. 5.

*Corona* Regiam dignitatem significabat, *palma* victoriam, *Oleagineus surculus* pacis petitionem. Hic clinodiis aureis è templo subtractis *Alcimus* Demetrium Regem sibi conciliare studuit.

V. 6. IPSI QVI DICVNTVR ASSIDÆI) Flagrantissimi in legis studio. Vide 1. Macc. II. 41. & quæ ibi dicta.

BELLA NVTRIRINT ) *Trahunt bellum*, ut supra X. 14. 15.

ET SEDITIONES MOVENT ) Odio Macedonum implent plebem.

NEC PATIVNTVR REGNVM ESSE QVIETVM) Quasi quietum futurum esset, si per omne regnum iidem ritus valerent.

Vers. 7. NAM ET EGO DEFRAVDATVS PARENTVM GLORIA (DICO AVTEM SVMMO SACERDO-

CERDOTIO ) HUC VENI) Erat ergo de stirpe Aaronis, contra quam putavit Eusebius.

Vers. 8. PRIMO UTILITATIBUS REGIS FIDEM SERVANS) *Primum quidem eis quæ ad regem pertinent studere studens.*

SECUNDO AUTEM CIVIBUS CONSULENS) δεύτερον δὲ τοῖς τῶν ἰδίων πολιτῶν προλαζόμενος. Deest τέταρτα more Græco. *Deinde vero etiam popularium meorum causa satagens.*

NAM ILLORUM PRAVITATE) *Per dissonos jam hominum inconsiderantiam* : quasi dicat pertinaciam in tuendis ritibus.

Vers. 9.

ET GENERI ) Additur in Græco, *in arctum redactis*: τῶν παρεστώτων γένει.

SECUNDUM HUMANITATEM TVAM PERVULGATAM OMNIBVS ) *Patentem omnibus*: id enim est φιλανθρωπον.

*Apostate enim plerique ( qui non ex infirmitate quadam humana labuntur, sed qui sponte professionem veræ Religionis abjiciunt ) non redeunt ad pœnitentiam : sed veram Ecclesiam calumniis & mendaciis premunt ; persecutiones excitare, & constantes veritatis confessores exterminare conantur : sunt enim à Satana ( qui est homicida ) obsessi. Interim tamen verbis simulant, se patriæ & Reipublicæ tranquillitatem & felicitatem quærere : Tales nebulones nostrum seculum multos vidit.* Ut hic questus suo tempore est *Osiander* : sed multo potiores hac tempestate querendi nos habemus causas.

Vers. 12. PRÆPOSITUM ELEPHANTORUM ) Vide supra XIII. 18.

Vers. 13.

UT IPSUM QVIDEM JUDAM CAPERET) *Tolleret* in Græco.

EOS VERO QVI CUM ILLO ERANT ) Quos Assidæos modo vocavit.

MAXIMI TEMPLI ) Maximi hic & infra 31. dicitur non discriminis causa ( unum enim duntaxat in Judæa Templum erat ) sed honoris. Immensæ opulentiæ Templum, ait Tacitus.

Vers. 14.

TUNC GENTES QVÆ DE JUDÆA FUGERANT JUDAM ) Qui Judæ metu se ad vicinas gentes receperant. 1. Macc. II. 44.

Vers. 15. QVI POPULUM SUUM CONSTITUIT) συνίστωρ, collegit ex Ægypto.

SUAM PORTIONEM ) Populum suum peculiarem, Sirachid. XVII. 13.

SIGNIS EVIDENTIBUS PROTEGIT ) μετ' ἐπιφανείας, quod non semper ostentum, sed sæpe opem præsentem significat, ut supra XII. 22. diximus.

Vers. 16. AD CASTELLUM DESSAU) דישו, quod ibi messium tritura fieret.

Vers. 17. COMMISERAT CUM NICANORE ) Id est, cum antesignanis ejus.

SED CONTERRITUS EST) βραχέως ἐκπλαγείς, id est, damnum accepit leve. πταίειν hoc sensu sumitur 1. Sam. IV. 6. 10. VII. 10. 2. Sam. II. 17. X. 15. XXIII. 7. 1. Reg. VIII. 33. 2. Reg. XIV. 12. Loquuntur sic & Græci elegantiores, ut Aristides. Interpres Latinus legit *territus*.

REPENTINO ADVENTU ADVERSARIORUM ) Legit interpres hic : βραχέως διὰ ( non δὲ ) τὴν αἰφνίδιον τῶν ἀντιτάξων ἐφοδίαν, non αἰφνίδιον. Causa accepti damni fuit subitus superventus totius exercitus qui sub Nicanore, In Glossis ἐφοδιασὶς, *impetor* : ἐφοδιάζω, *impetum facio, irruo.*

Vers. 18.

SANGUINE JUDICIUM FACERE METUEBAT) *Prælio decernere.* Similis locutio supra XIII. 13. & infra XV. 17.

Vers. 19. POSIDONIUM ET THEODOTIUM) Macedones. Posidonii nomine fuere & Philosophi & historici nobiles. Pro *Theodotium*, rectius in aliis Latinis, *Theodorum*. Est enim in Græco, Θεόδωρος. Et forte hic ipse est qui res quasdam Judæorum scriptis complexus est, cujus testimonio Josephus utitur priore contra Appionem ; & Eusebius Præparationis IX. 1. & 22.

ET MATTHIAM ) Hic fuit Judæus secutus partes Macedonicas,

UT DARENT DEXTRAS ATQVE ACCIPERENT) Ennius :

*Accipe daque fidem, fœdusque feri bene firmum.*

Vers. 20. ET IPSE DUX) Judæ.

AD MVLTITVDINEM RETVLISSET ) πάλιν συναγαγεῖν, convocato cum Senatu populi, & Urbano, & tribuum principibus, ut fieri solebat in rebus maximis. Vide quæ dicta à nobis ad Matth. X. 17.

Vers. 21.

ET SINGVLIS SELLÆ PROLATÆ SVNT ET POSITÆ ) In Sixina est, καὶ παρ' ἑκάστου διαφόρου ἐδρεύματος ἐδρεύειν. In aliis : παρ' ἑκάστου ἐδρεύειν ἕδραν διφρευτὴν. Sceo διφρευτὴν genus esse militis, sed apud Parthos teste Hesychio ; quare his nullus hic locus. Sed scribendum παρ' ἑκάστου διφραφόρου ἕδραν δίφρου. *Sellaris ab utraque parte sellæ posuere.* In Glossis διφραφόρος, *sellarius.* Sellæ istæ non vulgares fuere, sed sublimes & eburnæ. Idem honos à Consulibus Romanis solitus Dynastis haberi. Notatum id in fragmentis Dionis Coccejani.

Vers. 22.

PRÆCEPIT AVTEM JVDAS ARMATOS ESSE LOCIS OPPORTVNIS ) In proximo, ut auxilio essent ipsi si qua vis contra fidem pararetur. Sic in colloquio Corbulonis & Tiridatis vicini equites assumti, Tacito narrante Annalium XV.

Vers. 23. MORABATVR AVTEM NICANOR HIEROSOLYMIS) In arce. 1. Macc. VII. 33.

GREGESQVE TVRBARVM, QVÆ CONGREGATÆ FVERANT, DIMISIT) Id est magnam partem exercitus dimisit, mediocri præsidio retento. Vide infra 39. 40.

Vers. 24.

HABEBAT AVTEM JVDAM SEMPER CARVM EX ANIMO, ET ERAT VIRO INCLINATVS ) In Græco : *Habebat autem Judam perpetuo in conflictu, & ex animo eis fabebat*, ψυχικῶς, pro ex animo habuimus etiam supra IV. 37. ψυχικῶς.

Est hic iterum irreconciliabilis pugna cum *libro priori Macc. c. VII. Ibi enim Nicanor* dicitur fraude Hierosolymam adortus v. 27. Ut Judam in suam potestatem redigeret v. 29. hic v. nihil tale reperitur, imo affectus sincerus in Judam prædicatur. *Ibi* Nicanor locum sanctuarii contaminasse, & sacerdotibus illusisse dicitur v. 33. 34. At *hic* nihil mali patravit Hierosolymis v. 23. *Ibi* ut hostis capitalis Judæorum depingitur v. 26. *Hic* alia prorsus persona ei affingitur, ac si *nonnisi coactus à Demetrio* per *Alcimum* seducto Judæos invaserit v. 28. 29. *Pugna libri 2. Macc. cum libri, 1.*

Vers. 25.

NVPTIAS FECIT : QVIETE EGIT, COMMVNITERQVE VIVEBANT ) In Græco : *Duxit uxorem : tranquille vixit, & familiari consuetudine utebatur*, nempe Nicanoris. Hic iterum vides ἀσύνδετα ei scriptori, unde hæc desumta sunt, usitata. Hæc autem eo pertinent, ut pateat Judam nihil hostile molitum in Macedonas, aut ab ipsis exspectasse, isto tempore.

*Haud dubie autem, Osiandro* censente, *Nicanor Judæ matrimonium in eum finem persuasit, ut eum à bellandi studio abstraheret : & speravit, fore, ut vires animi & corporis in Juda ( re uxoria ) enervarentur. Sed bono viro, qui moderate in matrimonio vivit, non obstat conjugium, quo minus vocationi suæ recte præesse possit.*

ET CONVENTIONES, VENIT AD DEMETRIVM ) In Græco : *assumtis conventis venit ad Demetrium* : ut scilicet illa ostenderet regi, & maligne interpretaretur.

Vers. 26.

NICANOREM REBVS ALIENIS ASSENTIRE ) ἀβούλητα φρονεῖν, id est, consilia agitare à regis rebus aliena.

JVDAMQVE REGNI INSIDIATOREM SVCCESSOREM SIBI DESTINASSE ) Sibi, id est, Alcimo : successorem, id est, suo loco summum sacerdotem. Vide Josephum XII. 15. & 14. in fine.

Vers. 27.

PESSIMIS HVJVS CRIMINATIONIBVS ) Scripsit interpres *pessimi*. Ira enim est in Græco :

JVBERE TAMEN ) *Verum jubens.*

Vers. 28. SI EA QVÆ CONVENERANT) τὰ διεσταλμένα, ut supra διατάγματος XIII. 25.

Vers. 30. VIDENS SECVM AVSTERIVS AGERE NICANOREM ) Minus familiariter, magisque pro imperio.

ET CONSVETVM OCCVRSVM FEROCIVS EXHIBENTEM ) ἀγριωτέρως, *asperius.*

PAVCIS SVORVM CONGREGATIS ) In Græco : *non paucis*, tot scilicet quot præsidio ipsi contra vim esse poterant,

Vers. 32.

Vers. 32. EXTENDENS MANUM AD TEMPLUM) Minantis modo, ut Esaiæ XIV. 26. & alibi.

Vers. 33. IN PLANITIEM DEDUCAM) Solo æquabo, quod est ἰδαφίζειν, Luc. XIX. 44. Vide I. Macc. VII. 35. Joseph. XII. 17.

ET TEMPLUM HOC LIBERO PATRI CONSECRABO) In Græco: *Et templum hoc illustre ædificabo Libero patri*: nempe exemplo victorum Arabum, quos Liberi patris fuisse venatores docet nos Strabo XVI. Nec aliunde translata ad Judæos fabula, quæ exstat apud Tacitum & Plutarchum.

*Habes exemplum*, ait *Osiander*, *quomodo pacta atque amicitiam fervent filij hujus sæculi, videlicet, dum illis commodum est: quando autem metuere coguntur, ne superiorem aliquem offendant, malum fidem & religionem jurisjurandi abjicere, quam mortalem hominem potentem irritare.*

Vers. 35. QUI NULLIUS INDIGES) Cujus cum sint omnia, proinde templo non opus habes. I. Reg. VII. 27.

Vers. 36. QUÆ NUPER MUNDATA EST) Ab idolis & idololatria repurgata.

BAZIAS) In Græis, Βαζίας. רוּז, robur Chaldaice.

DE SENIORIBUS) Id est, ex senatorum numero.

PATER JUDÆORUM APPELLABATUR) Quales esse debent Senatores.

Vers. 38. HIC MULTIS TEMPORIBUS CONTINENTIÆ PROPOSITUM TENUIT IN JUDAISMO) ὃτι γὰρ ὁ τοῖς ἐμπροσθεν χρόνοις τῆς αἱρέσεως κατὰ τὸ σεμνότερον Ἰουδαίσας; ubi non dubitem pro αἱρέσεως referiberedum ἕνεκεν; ut supra reposuimus, sæventibus libris quibusdam, XIV. 3. ubi non minus quam hic, tempora confusionis sunt illa cum Judæi mihi Græce vivere inceperunt. At hic Razis illis temporibus dicitur morem introduxisse Judaismi: id est, inter eos fuisse qui aliis exemplo præluxerunt, ad vitam secundum legem, quæ hic Judaismus dicitur. κόσμον, id est, מִשְׁפָּט, rationem vivendi, institutum.

De *constantia in religione* Judaica, & puritatis in cultu Dei continentia etiam exposuit *Tirinus*. Inepte ergo *Lyranus* ad votum castitatis Monasticum hæc trahit.

ET ANIMAM TRADERE CONTENTUS PRO PERSEVERANTIA) In Græco: *Et animam Judaismi causa cum omni constantia objecerat periculis.* παραβεβλημένος, quod hic in Græco est, venit à παραβάλλεσθαι, quod est, τοῖς κινδύνοις ἑαυτὸν ἱστάναι, Suida interprete, periculo subire: *parabolata*. Plinius in epistolis vertit periculosa. Et apud Paulum Philipp. II. 30. legendum παραβολευσάμενος, quod interpres aliquis vetus vertit, *parabolatus est de anima sua*, Hesychius: παραβεβλημένος· εἰς θάνατον ἑαυτὸν ἐκβάς. Sic & in Codice Justinianeo & Firmico, parabolani, sive parabolarij; qui cum vitæ suæ periculo aderant contagioso morbo ægrorantibus.

Vers. 40. SE CLADEM JUDÆIS MAXIMAM ILLATURUM) *Maximum malum*. Sublato tali exemplo ad servandos ritus, simul que homine in pauperes benefico.

Vers. 41. TURBIS AUTEM) Quingentis ibis.

IRRUERE IN DOMUM EJUS) Græce, *in turrim*. Erant Hierosolymis multæ domus factæ in turrium speciem.

ET JANUAM DISRUMPERE, ATQUE IGNEM ADMOVERE CUPIENTIBUS) In Græco: *Et in januam aulæ vim facientibus jubentibusque ignem adferri ad intrinsecandas fores.* αὐλοῖν θύρα, vel simpliciter αὐλαία, est ea quæ interiora ædium claudit. Menander:

--- πῦρα γὰρ αὐλοῖν θύρα
Ἐλευθέρᾳ γυναικὶ τεῖχος οἰκίας.

Vers. 42. ELIGENS NOBILITER MORI POTIUS) Et quidem sua manu, quod an liceret, an non, variæ erant inter Hebræos veteres sententiæ, ut ostendimus libro II. de jure Belli ac Pacis XIX. 5. & in Annotatis ad eum locum.

QUAM SUBDITUS FIERI PECCATORIBUS) Quam in manus venire impiorum, quæ & Sauli mortis sibi consciscendæ causa fuerat. Tales Hebræi vocant אנשי משעות.

V. 43. CUM PER FESTINATIONEM NON CERTO ICTU PLAGAM DEDISSET) Sic & Catonis Uticensis, cum vulnus sibi infixisset non lethale, distrupit viscera.

ET TURBÆ INTRA OSTIA IRRUMPERENT) Milites illi Nicanoris.

RECURRENS AUDACTER AD MURUM) Ad celsam aliquam Turris partem.

PRÆCIPITAVIT SEMET IPSUM VIRILITER IN TURBAS) De loco superiore in illos qui extra ostium adhuc erant.

Vers. 44. QUIBUS VELOCITER LOCUM DANTIBUS CASUI EJUS) Ne ruina opprimerentur.

VENIT PER MEDIAM CERVICEM) ἐλθὲ κατὰ μέσου εἰς τὸν κενεῶνα. *Pervenit in medium* turbæ *aream*. κενεὼν hic non est venter, sed locus ab ædificio vacuus, quomodo & apud Nonnum fumitur.

Vers. 45. SURREXIT) De casu.

CURSU TURBAM PERTRANSIIT) Milites illos, qui jam sepe sic vocati.

Vers. 46. ET STANS SUPER QUANDAM PETRAM PRÆRUPTAM) Nempe ut omnibus conspici possit.

ET JAM EXSANGUIS EFFECTUS) Quia continuo ex vulnere per casum adaperto sanguis large fluxerat.

COMPLEXUS INTESTINA SUA UTRISQUE MANIBUS PROJECIT SUPER TURBAS) Quasi extæ redderet.

DOMINATOREM VITÆ ET SPIRITUS) ὃν δικαίως, id est, spiritus vitalis: ut supra VII. 22. 23.

UT EA SIBI ITERUM REDDERET) In resurrectione. Vide supra VII. 9. II. 23. 24.

Non edisserit hic Grotius, quid de hoc *Raziæ obitu* sentiat. Libro vero allegato Ebræorum quorundam solum recitat sententiam, quod *de lege se non interficiendi unam causam excipiant tanquam συλλογον ἐξαγωγὴν, si quis videat se deinceps vilium futurum in probrium ipsius Dei. Nam quia non nobis* (hanc *rationem* reddit) *sed Deo in vitam nostram jus esse statuunt, existimant præsentem Dei voluntatem solam esse, quæ mortis anticipandæ consilium absolvat. Atque hue referunt exemplum Raziæ.* Quid vero de hac Ebræorum sententia statuendum sit, non explicat Grotius. Allegat quidem *Augustinum* I. I. de Civ. Dei c. 26. Epist. LXI. ad Dulcit. & l. XI. c. 23. contra secundum Gaud. Epistol. sed ejus neque approbat, neque reprobat sententiam, saltem *operæ pretium esse* ait, *videre quid de his sentiat Augustinus.* Sed solidior est Augustini I. I. de Civ. Dei decisio, quam ut ἀπέχεσθαι vel ambigere nos in hac causa permittat: juxta quam non *præsumta Dei voluntas*, sed aperta ejus declaratio requiritur; *Cum Deus jubet*, ait, S. Pater c. XXV. *seque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in cirmen vocet? quis obsequium pietatis accusat? --- Qui ergo audit non licere se occidere, faciat si jusserit, cujus non licet jussa contemnere. Tantumodo videat, utrum divina jussio nullo nutet incerto.* Diximus de Augustini sententia, & Ebræorum ex Grotij opinione, circa *Simsonis* & alia à Grotio adducta exempla *ad Iud. XVI. 30. Iacobus Tirinus* Jesuita non *Augustinum* tantum, sed & *Thomam* II. 2. q. 64. art 5. ad 5. nobis largitur consentientes, *quod Razia in hoc actu peccarit sementipsum interficiendo*, mavult autem ab Augustino & Doctore Angelico *S. Thoma* quem vocant dissentire, quam à Patruelis Tridentinis, qui præsentem librum, huic facto patrocinantem in Canonem retulerunt, discedere; fingens cum *Franc. Victoria* relect. de homicid. & *Serario* Raziam *ex peculiari Dei instinctu* sibi vim attulisse. Sed unde hunc divinum instinctum ad αὐτοφονίαν probabit? *Persuadere eum sibi* ait *Numinis invocationem, ut vitam & spiritum sibi reddat in novissimo die*, utpote *ex constanti fide, spe & charitate profectum*; Suadere *piam sanctamque Raziæ vitam*: Suadere *piam in hoc facinore intentionem* v. 42. *ne subditus fiere peccatoribus, & forsan vel blandiris vel tormentis, vel dolosis stratagematis aliquid ex ore ejus eliceretur, quod vel honori divino, vel populi commodis efficere videretur*, siquidem *norit in suo unius capite negotium totius populi versari*: suadere denique *sacri scriptoris, seu S. S. eximiam laudem, qua factum hoc Raziæ prosequitur, quod* nobiliter, audacter, & viriliter egerit *vers. 42. 43.* Sed hæc neque suadere, neque persuadere

Tom. III. V. T. Z cuiquam

De Razia
αὐτοχειρίᾳ.

cuiquam debent institutum divinum: Quia numinis invocatio, quæ in facto *impio* & *injusto* sit, *pia* censeri non potest: nec *ex fide* proficiscitur, utpote quæ cum impietate & injustitia neutiquam consistit, & *diffidentiæ* in providentiam & protectionem pietatis & innocentiæ, quæ hic pellucet, è diametro adversa est: nec è *charitate fluit*, cum ab eo instituta, qui contra normam veræ charitatis semetipsum interficit; nec è *spe constante* redundat, ubi è desperatione sibi ipsi quis vitam adimit: & quomodo sperari in αὐτοχειρίᾳ æterna vita potest, siquidem *Augustino* l. 1. de Civ. Dei c. XXV. dicente, *reos suæ mortis, melior post mortem vita non suscipit. Impium* vero hoc factum esse, atque *injustum* facile patet: *impium*, quia peccavit in legem Dei, *non occides. Nihilo enim addito, ut recte* Augustinus, *nullus, nec ipse utique cui præcipitur, intelligitur exceptus.* Profecto etiam, qui seipsum occidit homicida est. *Non occidis: non alterum, ergo nec te. Neque enim qui se occidet, aliud quam hominem occidit*, ait Augustinus. l. 1. de C. D. c. XX. Αὐτοχειρία est *actio contrarius pietati*, quia vitam agnoscere debemus ut donum Dei, mortem ut hostem *1. Cor. XV. 26.* vitæ productio inter præmia obedientiæ, decurtatio vero inter pœnas inobedientiæ refertur *Exod. XX. 12. Psal. LV. 21.* Abrumpere ergo ultro vitam est eam non pro dono, sed pro pœna habere, nec animam Deo reddere, sed impingere adeoq; fastidire Dei donum, haudquaquam vero pro eo gratias agere. Porro *iniquum* & *injustum* est se ipsum interficere: quia homo non suæ vitæ magis Dominus est, quam alienæ. Servus est, herum habet, miles est, imperatorem habet, in statione collocatus est, ἀυτοστάκτης esse non debet, nec suo arbitrio subduci sed alieno solvi. Αὐτοχειρία ergo Raziæ actus fuit injustitiæ, quo de eo statuit, in quod nullum jus habuit, de propria nimirum vita quæ ut à Deo data est, sic ab ipso repeti debet & tum demum ei reddi, cum ab eo repetitur. Denique quum non novum sit, impios peccatores etiam in ipsis peccatorum gravissimorum actibus numen invocare aut precari, num actus illi ideo ab ἀνομίᾳ absolvendi, vel instinctui divino adscribendi?

Jam *pia* & *sancta Raziæ vita* quomodo censeri potest, si impietate & iniquitate finita? Tum vero diserta Dei vox est, *Ez. XXXIII. 12. 13. Justitia justi non liberabit eum in quacunque die peccaverit. Etiamsi dixero justo, quod vita vivat, & confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate sua quam operatus est in ipsa morietur.* Virtutes Raziæ non magis αὐτοφονίαν ejus excusare possunt, quam virtutes Davidis Uriæ cædem. Tandem quomodo è vita ante acta *pia*, & *sancta* instinctus divinus probari potest: num omnes qui vitam sanctam traducunt instinctu divino gaudent etiam ad ea, quæ præceptis divinis aperte adversantur? Nec commendatio autoris hujus alicujus est momenti, quia commendavit etiam id, quod non laude, sed reprehensione dignum: neque elogium affectus erga populares, & continentiæ in vera religione, veræ fortitudinis, patientiæ, & fiduciæ constantis laudem, quam hoc factum ei adimit, ipsi conciliare valet, aut instinctum & gubernationem Spiritus Sancti ad hoc factum probare, quo *non Sapientiæ, sed insipientiæ dedit exemplum, non Christi martyribus, sed Donati circumcellionibus imitandum*, judice *Augustino* responsi. ad Epist. Gaudent. c. XXIII. *Quomodolibet accipiatur a vobis hujus Raziæ vita laudata non habet mors ejus laudatricem sapientiam, quia non habet dignam Dei famulo patientiam*, ait iterum l. c. Augustinus. Adde & dilemma Episcopi Hipponensis Epist. LXI. ad Dulcitiam: *Deus dixit innocentem & justum ne occides. Si ergo iste innocens & justus non fuisset, cur proponitur imitandus vel laude dignus? Si autem innocens & justus fuit quare interfector innocentis, & justi, id est, ipsius Raziæ* (sui ipsius) *insuper putatur esse laudandus.*

*Pia intentio*, quam prætendunt Jesuitæ, non absolvit Raziam à peccato: quia *non sunt facienda mala, ut eveniat bonum Rom. III. 8.* non *intentio* tantum pia, sed *actio* etiam legi Dei consentanea esse debet. Ideo graviter monet Augustin. *nec propter bona assequenda nec propter mala vitanda licere se interficere.* Neq; eum licet ἀτυχήματα avertere per ἀδικήματα, vel pœnam culpa, aut etiam peccatum per peccatum. Et audiendus hic iterum Augustin. de hac causa, *qua utile putatur, ut se quis quam occidat, scilicet ne in peccatum irruat, vel blandiente voluptate, vel dolore sæviente. Quam causam*, inquit l. 1. de. C. D. c. 26. *si voluerimus admittere, eousque progressa perveniet, ut hortandi sint homines tunc se potius interimere, cum lavacro sanctæ regenerationis abluti universorum remissionem acceperint peccatorum.* &c. Nec vero *honori divino* vel *populi saluti* consulitur per αὐτοφονίαν, imo profanatur isto crimine nomen Dei inter gentes, populique saluti per exemplum maxime scandalosum officitur: cui ex adverso non mortem spontaneam eligendo, sed illatam patienter sustinendo veri Martyres, utpote septem illi fratres Maccabæi, plurimum profuere. Scelus docuit hoc exemplo Razias, non virtutem, & ad furorem dum incertam mortem certa redemtam voluit, præivit aliis tanto nocentius, quanto major illius erat authoritas, & altior de virtute ejus existimatio, quæ tamen tanta non fuit, quantam eam fingit Tirinus. *Mollities* & *impatientiæ* fuit, quod horruit plusquam par erat captivitatem, ne in potestatem Nicanoris veniret, vel *ostentationis*, ut generosus videretur, & magnanimus, servitutis nempe quam mortis impatientior; unde Augustinus. Epist. LXI. *Quid mirum est, si tanquam homini elatio superba subrepsit? Non fuit iste vir eligendæ mortis sapiens, sed ferendæ humilitatis impatiens. Magna hæc sunt, nec tamen bona.*

Scriptoris denique hujus testimonium, utpote *humanum* tantum, ad instinctum divinum probandum nihil facit: de quo *Aug.* contra 2. Epist. Gaud. l. 2. c. 23. *Judæos non habere script. Maccab. sicut legem & Prophetas & Psalmos*: neque ullius est in re tanta autoritatis judicium cujus relatio circa factum meram ἀκρισίαν prodit, cum ut vere gestum perhibet, quod vere est ἐν τῶν ἀδυνάτων: nimirum *eundem hominem adacto sibi in viscera ferro non tantum in murum incurrere, & ex eo se præcipitem dare, sed etiam istis omnibus in se tentatis in medium procedere, ventri incumbere, surgere, & quamvis ferretur salientium more sanguis, & gravia essent vulnera, cursu pervadere turbas: inde super petram quandam consistere, & plane exanguem proferre intestina, & ea ambabus manibus conjecere in portam, & ibidem judicio adhuc constante, & sermone luculento invocare Dei nomen, eique depositum suum commendare, & sic demum expirare.* Et vero *falsum esset*, Tirino ipso fatente, *viriliter nobiliterque egisse* Raziam *nisi S. S. id egisset instinctu, cum prorsus abjecti possillique animi sit* αὐτοφονία καὶ αὐτοχειρία, id est, *sui ipsius occisio & carnificina, testibus non solo ipso Augustino* l. 1. de C. D. c. 19. 20. 22. 23. & *Lactantio* l. III. c. 18. *aliisque Christianis, sed & Aristotele*, libr. III. Nicomach. *Euripide* in Carmin. *Virgilio* l. VI. Æneid. & *aliis gentilibus à Lipsio* cent. Ep. 26. & *Seratio citatis. Divinum* v. *instinctum* nemo mortalium hic docere potest. Quem *Diabolicum* potius fuisse

Augu-

Augustino præeunte docere liceat l. 2. contr. literas Petiliani Episcopi Donatistæ, cum circumcelliones Donatistæ insano more in mortes voluntarias ruentes de instinctu Diabolico convincit. *Magister traditionis Diabolus præcipitium Christo suadere voluit, & repulsus est. Quid ergo dicendi sunt, quibus hoc suasit & auditus est? Quid enim nisi inimici Christi, amici autem Diaboli, discipuli seductoris, condiscipuli traditoris? Spontaneas enim mortes ab uno Magistro utrique didicerunt, illi laqueum, isti præcipitium.* Unde quærit ibidem S. Augustinus: *vellem mihi dicere, Confessores illi vestri qui seipsos præcipitant, cui dicant martyrium, utrum Christo, qui talia suggerentem Diabolum repulit, an potius ipsi diabolo, qui talia Christo facienda suggessit?* Addimus Colophonis loco *Hieronymi* autoritatem, qui etsi commentar. in Jon. αὐτοχειρίᾳ favere videtur, *ubi castitas periclitatur* (quæ vero in stupro per vim illato minime periclitatur, ubi casta mens conservatur) Epist. tamen ad Paul. sup. obitu Blesill. Deum ita loquentem introduxit: *Nullam animam recipio quæ me nolente separatur à corpore. Tales stulta Philosophia habeat Martyres, habeat Zenonem, Cleombrotum, vel Catonem. Stulta*, inquit, Philosophia. Nam *sanior* Philosophia tales non probat. *Pythagoras* veruit *injussu Imperatoris* h. e. Dei *de præsidio & statione vitæ discedere*, ut refert *Cicero* l. de Senectute. *Seneca* ipse fassus est Ep. LXX. *Sapientem non debere commodare pœnæ suæ manum; flultitiam esse timore mortis mori. Veniat*, addit, *qui occidat, exspecta, quid occupas alienum negotium?* Et sane pudere ipsos Pontificios elogii & judicii scriptoris Maccabaici Hayus testimonio est: qui ita respondit Disp. l. 1. c. 19. *Raziæ mors Maccabæorum historiæ derogasset autoritatem si ipsius interitum tanquam pium illa laudasset?* nimirum negat Hayus elogium quod luculentis verbis in hoc scriptore Raziæ facto tribuitur, quia videt id defendi non posse, quod pie interierit Razia, quod tamen defendendum sumsit Tirinus & defendendum omnino est si authoritas historici hujus sustinenda; Nam quem is ita scelerate morientem refert, tamen in ejus media morte preces commemorat, quales piorum esse solent: *Invocans*, inquit, *dominatorem vitæ, ac Spiritus, ut hæc ille iterum redderet:* Annon obsecro, sic solet piorum mors referri? Quam ergo verbis tamen laudavit ut fortem, eam reipsa retulit ut piam; adeoque conjunxit, quæ Hayus volebat discernere, quasi non pietas & religio, sed fortis & infracti animi robur tantum laudetur.

## *CAP. XV. & VLTIM.*

*Nicanor contra Iudam novis instructus copiis proficiscitur. Iudas à Ieremia & Onia in somnio animatus ejusdem recitatione commilitones suos corroborat, & invocato Deo Nicanoris exercitum profligat, caput Nicanoris, & manum de muro è regione templi suspendit; Iudæi pro victoria Deum celebrant & festos dies agunt.*

Vers. 1.

UT COMPERIT JUDAM ESSE IN LOCIS SAMARIÆ) Nam in illis partibus erat Bethoron: de qua vide 1. Macc. VII. 9. Vide & tabulam Judaicam.

DIE SABBATI COMMITTERE BELLUM) Quod sperabat, si non omnes, aliquos certe Judæos ex veteri opinione abstenturos à semet tutandis Sabbati religione. Vide 1. Macc. II. 36. & ibi dicta.

Vers. 2.

QUI ILLUM PER NECESSITATEM SEQUEBANTUR) Bello capti aut deprehensi in illis locis quibus potiebantur Macedones.

NE ITA FEROCITER ET BARBARE FECERIS.

HÆc verba, quibus Judæi refringere Nicanoris impetum conabantur, non spectant *indignitatem facti in Judam*, (sic enim directe & ἀποτόμως sese Nicanori oppositissent, quod non est verisimile) sed tantum *violandi Sabbati*, etsi consilium erat Judæorum ut religionis obtentu moram obtinerent, q. d. non decet nos tanquam feras religionis expertes, aut tanquam barbaros diem Sabbati negligere.

SED HONOREM TRIBUE DIEI SANCTIFICATIONIS, ET HONORA EUM QVI UNIVERSA CONSPICIT) in Græco est: *Honorem tribue diei quam is qui cuncta inspicit sanctimonia honorabit.* in qua Deus constituit primum conditi orbis memoriam, deinde & quiescendi legem.

Vers. 3. INTERROGAVIT SI EST POTENS IN COELO QVI IMPERAVIT AGI DIEM SABBATORUM) *An ille qui diem Sabbatorum celebrari justit, cælo præesset.*

Vers. 4. QVI JUSSIT AGI SEPTIMAM DIEM) In Decalogo & lege passim. Est & hic in Græco: τὴν ἑβδομάδα: de qua voce egimus supra XII. 38

Vers. 5. AT ILLE AIT) Bene vertit, ὁ δὲ ἔφη. Hoc enim refertur ad ἰδίᾳ, non ad δυνάστης, ut quidam putarunt.

POTENS SUM SUPER TERRAM) Quasi dicat: hoc propius ad vos pertinet. Ne ita spectate cœlestia ut in foveam cadatis. Sic solent aulici & milites de rebus divinis loqui.

Junius ita reddidit: *Ego vero*, inquit, *alter princeps in terra*: addita hac nota: *nempe secundus à Regem Dei nulla ratio.* Grotii explicatio consonat B. *Lutheri* verbioni æque & *vulgato* textui, imo & *Græco.*

QVI IMPERO SUMI ARMA) Etiam die Sabbata: nullam lucem habere ignavam.

UT CONSILIUM PERFICERET) Impium ejus consilium, τὸ σχέτλιον αὐτὸ βούλευμα. Sic σχέτλιος sæpe & Homerus, fumit, ut cum dicit in 8 Odyssea:

Οὐ μὲν σχέτλιός ἐσσι θεοὶ μάκαρσι φίλιστος.

Non potuit perficere consilium, quia multi Judæi qui cum ipso erant à pugna ea die abhorrebant.

Vers. 6.

COMMUNE TROPHÆUM STATUERE DE JUDA) De his qui cum Juda, συστράτιωται τρόπαιοι hic dixit quod ἑῶν τρόπαιον Euripides, Isocrates, Demosthenes, Æschines & alii.

Vers. 8. AD ADVENTUM NATIONVM) τῶν ἐθνῶν. Hanc vocem ubi Judæis opponitur, Latini modo Gentes dicunt modo Nationes. Sic Arnobii liber dicitur contra Nationes.

ADJUTORIA SIBI FACTA DE COELO) Etiam recenti in memoria qualia multa hoc libro & secundo Maccabaico continentur.

Vers. 9.

EX LEGE) Ut ex Deuteron. XXVIII. 7.

ET PROPHETIS) Maxime ex Ezechiele & Daniele, qui de his temporibus egregia prædixerant.

Vers. 10. SIMUL OSTENDEBAT GENTIUM FALLACIAM ET JURAMENTORUM PRÆVARICATIONEM) Ut supra V. 25. 1. Macc. VI. 61. 62. Joseph. XII. 7. 15. 17.

NON CLYPEI ET HASTÆ MUNITIONE SED SERMONIBUS OPTIMIS) *Non tam clypei & hastæ munitione quam sermonibus optimis.* Est enim in Græco in altero horum verborum membro ὅν, unde apparet in priori è breviter positum, pro οὐκ ἔστιν.

Vers. 11. DIGNA FIDE SOMNIO) Deus sicut vicos principes speciali quadam cura gubernat, ita solet eos sæpe ostentis aut somniis διεγερτικοῖς dirigere, quod & Homerus sensisse se ostendit Iliados.

Εἰμήτις τὸν ὄνειρον Ἀχαιῶν ἀμφιβρότειρα,
Ψευδὲς, καὶ τελέσαι, τῷ τοὔμοιγε δοκέει μάλιστα·
Νῶϊ δ' ἴδωμεν ἐς μίγ' ἀγείρομεν ἴνα τε τάχιστα ὄρσωμεν.

Non admodum *fide digna* sunt illa *somnia* tum propter fabulosum autorem in talia pronum, tum ob ea, quæ in somno ostensa sunt: de quibus postea.

Vers. 12.

ERAT AUTEM HUJUSMODI VISUS) ἦν τοῦτο ὄνειρος. Etiam Latinis visum pro somnio ponitur, & videre

inter quietem, pro somniare usurpant non semel Cicero de Divinatione, & Valerius Maximus titulo de Somniis.

ONIAM QVI FVERAT SVMMVS SACERDOS) Eum de quo supra IV. 34. & apud Josephum 12, 4. 5. 6.

MANVS PROTENDENTIEM ORARE PRO OMNI POPVLO IVDÆORVM) Erat enim hæc Judæorum, si non omnium certe plerorumque opinio, animos exutos corporibus, non omnem perdere curam quod hic reliquerè memoriam curamque, quin & preces eos ad Deum fundere pro populo, & iis quos caros habuere. Abrahamus apud Josephum Isaacum, ut jamjam moriturum sic alloquitur: μὴ ἐσχάτη δὲ καὶ ἐπιμελείας ἐκείνη (τῷ Θεῷ quod præcesserat) ψυχὴν τὴν σὴν προσδέχεται, καὶ γὰρ αὐτῷ καθίζοντ@ ἔσῃ τε μοι εἰς ἐκδημίαν, καὶ γηροκόμει, διὸ καὶ μᾶλιστά σε ἀντεχόμενον, τὸν Θεὸν ἀπὸ σωτῆ παρεσχημένος. Quod hic Latinus dixit populo, id in Græco est συνέθνεσι. Vide supra 8, 5. Strabo σύνεθνα solet vocare multarum civitatum liberarum corpus.

GLORIA MIRABILEM) Qui olim desperatissimus fuerat. Isa. LIII. 2. Similem mutationem vid. Luc. 16, 25.

Num ad illam, quæ forte apud Judæos obtinebat, persuasionem somnia θεόπεμπτα exigemus, aut divina ad humanas opiniones? Depravatio autem ista detestanda vaticinii illustrissimi *Es. LIII. 2.* qua ea quæ unice de Messia prædicta, ad Jeremiam detorquentur, in sede propria atro jam carbone notata & confutata est.

Vers. 14.

QVI MVLTVM ORAT PRO POPVLO ET VNIVERSA SANCTA CIVITATE IEREMIAS PROPHETA DEI) Credidere ergo Judæi animas Prophetarum etiam rerum evenientium post se mortali vita exemtos, aliqua notitia à Deo profundi, quasi & ibi in Prophetico munere perseverantes. Vide 2. Paralip. XXI. 12. & ibi dicta. Olim ventus est pro Judæis orare Jeremias cap. XV. Nunc finitor orare: mutata enim erant tempora.

*Animas Prophetarum à corpore solutas notitia rerum terrenarum perfundi* expressis verbis *Esaiæ* contrariatur *c. LXIII. 16. Abraham nescit nos, & Israel ignorat nos. Perseverare eadem* quodammodo etiam in altero seculo in *Prophetico munere*, ubi quæso Scriptura docet? Prophetæ erant in hac vita, ad docendum populum, addo, & orandum pro populo vocati. At id officium non alterius, sed hujus est seculi. Neque vocatio eorum sese porrigit ad alterum seculum, aut num forte nova ibi instructi sunt vocatione? De *Iuceris Eliæ* cœlestibus nugas Papistarum discussas vide *ad 2. Par. XXI. 2.*

Vers. 16. ET DEDISSE IVDÆ GLADIVM) ut olim Achimelech David. I. Sam. 21, 9.

Hæc vero longe diversa sunt. Ibi enim *vere* traditus est Davidi gladius: hic vero merum fuit *somnium.*

AVREVM) Nam quæ à Deo veniunt sicut sunt excellentissima ita sub aui specie ostenduntur: supra III. 25. V. 2. X. 27. XI. 8. & in Apocalypsi plurimis in locis.

Quod Pontificii scriptores hoc somnio ad stabiliendam sanctorum invocationem abuuntur, *valde inepte*, ut hic recte monuit Osiander, *faciunt.* Si enim maxime constaret hoc somnium revera ita Judæ fuisse ostensum, & quidem divinum fuisse somnium: tamen inde sanctorum invocatio exstrui non potest. Non enim de eo controversia est an sancti in altero seculo orent pro salute Ecclesiæ (sc. in genere) sed an sancti sint invocandi: cum certum sit, eos non esse cordium scrutatores, neque cordis gemitus audire. Es. 64. Nequicquam ergo ex hac visione *sanctos jam vita functos nosse, qua gerantur in terris, nostri quoque curam gerere, & cum visum Deo fuerit nobis etiam opitulari* ac proinde merito à nobis invocari, *colligunt* Papistæ. Liber enim hic Apocryphus est, mihil probat in rebus fidei, & Script. Canonica invocationem nostram ad solum Deum dirigendam esse docet, ac jubet. Defunctorum invocatio nec mandato nec promisso, nec exemplo ullo confirmari potest è Script. Canonicis.

Vers. 17. STATVERVNT DIMICARE ET CONFLIGERE FORTITER, VT VIRTVS DE NEGOTIIS IVDICARET) In Græco: Decreverunt non munire castra, sed animose ferri in hostem: & summo cum robore certando de rebus decernere. Verba sunt militaria. Vide supra XIII. 13. IV. 18.

ET QVOD CIVITAS SANCTA AC TEMPLVM PERCLITARENTVR) Quibus exitium minatus erat Nicanor, si salvus rediret: supra XIV. 33. addito loco 1. Macc. VII. 35.

Vers. 18. ERAT ENIM PRO VXORIBVS ET FILIIS ITEMQVE PRO FRATRIBVS ET COGNATIS MINOR SOLLICITVDO) Egregius χαρακτὴρ boni principis, publica privatis, profanis sacra antehabentis, qualcs

--- --- *numero Vix sunt totidem quot*
*Thebarum portæ vel divitis ostia Nili.*

Vers. 19. PRO HIS QVI CONGRESSVRI ERANT) In Sixtina est: παρεσκευασμένος τῆς ἐν ὑπαλλάξῃ προσβολῆς supple τινὰ, more Græco: *Ideo quod contubarentur eò cum qui in aperto futurus erat conflictus.*

Vers. 20. ET CVM IAM OMNES SPERARENT IVDICIVM FVTVRVM) *certamen, κρίσιν*, eodem luquendi genere, de quo modo diximus ad 17.

BESTIÆ EQVITESQVE OPPORTVNO IN LOCO COMPOSITI) In Græco: *Bellua opportuno loco dispositi, equitatu autem ad cornu utrumque collocato.* ἵππ κέρως vox est propria militiæ apud Æthnum & alios. Vult dicere ita locatas equitum alas, ut cornu utrumque tegerent. Vide 1. Macc. IV. 7. VI. 38.

Vers. 21. CONSIDERANS MACCABÆVS ADVENTVM MVLTITVDINIS) τὸν τῶν πλῆθων παρουσίαν. Est ὑπαλλαγὴ *pro multitudinem eorum qui aderant.*

ET APPARATVM VARIVM ARMORVM) Sic Virgilius:

*Tam Sarræ linguis, habitu quam Troïa & armis.*

Sunt enim diversis gentibus diversæ armaturæ, fuisse Macedonibus, gesta Gallis, framea Germanis, pila Romanis.

ET FEROCITATEM BESTIARVM) *Bellarum:* id vero est elephantorum.

Etiam *pii & fortes viri*, quando potentiam hostium considerant, initio obstupescunt & consternantur. Sed mox ad orationem sese convertere, atque in bonitate, & omnipotentia Dei omnem spem & fiduciam collocare debent: qui etiam (ubi externa media desunt) mirabiliter opem ferre potest. *Preces & lacrymæ arma sunt Ecclesiæ. Oratio est gladius Gideonis, maxilla Simsonis, pera Davidis.*

Vers. 22. QVI MISISTI ANGELVM TVVM SVB EZECHIA) Ut 1. Macc. VII. 41. supra VIII. 19. Erat plane digna historia quæ sæpe in memoriam revocaretur.

Vers. 23.

ANGELVM TVVM BONVM) Ut supra XI. 6.

IN TIMORE ET TREMORE MAGNITVDINIS BRACHII TVI, VT METVANT) In Græco: *Ad timorem & tremorem, Magnitudine brachii tui consternentur*, &c. Ad timorem & tremorem, hostium scilicet.

Vers. 24. QVI CVM BLASPHEMIA VENIVNT) Supra X. 4. 34. 35. 36. XII. 14. Adde & XIV. 33.

Vers. 25. CVM TVBIS ET CANTICIS) *Pæana canendo.* Παίωνες δὲ ἅμα ἐνήλατ@ ὕτα ἄρχον, ὃς κρίνῃ πρὸ τῆς μάχης ἐγίνετο, κρὶν ἐνεγ@ ὕτα ἰάκχων: ut ait interpres Aphthonii. De priori hic agitur qui Martiflebat, ut alter Apollini.

Vers. 27.

TRIGINTA QVINQVE MILLIA) Triginta millia habet Josephus XII. 17.

PRÆSENTIA DEI MAGNIFICE DELECTATI) Est & hic in Græco ἐπιφανείᾳ: de qua voce diximus XII. 22. XIV. 15.

Vers. 28. RVISSE CVM ARMIS SVIS) πρωτοπαλικίσαι, id est, inter primos cecidisse: ut legimus 1. Macc. 7, 43.

Vers. 29.

FACTO ITAQVE CLAMORE ET PERTVRBATIONE EXCITATA) In Græco: γενομένης δὲ κραυγῆς καὶ ταραχῆς, ubi est *in duo duos.* Sensus enim: *excitato clamore turbulento*: qualis scilicet esse militum solet.

Vers. 30.

PRÆCEPIT AVTEM IVDAS, QVI PER OMNIA CORPORE ET ANIMO MORI PRO CIVIBVS PARATVS ERAT) Plus est in Græco: *Præcepit autem ille, totus animo & corpore pro civibus pugnare & quidem primore loco, solitus, qua benevolentiam in populares voce ætatis suæ tempore conservarat.*

Vers. 31.

Vers. 31. CONVOCATIS CONTRIBULIBUS ET SACERDOTIBUS AD ALTARE ) In Græco: *Convocatis popularibus*, & imprimis *sacerdotibus, stans ante altare:* id est inter basilicam Templi, & altare victimarum: qui locus erat solennis sacerdotibus populum alloquentibus; ut apparet supra III. 15. X. 26.

ACCERSIT EOS QVI IN ARCE ERANT) Id est, quosdam exarce ad se vocavit, velut de pactis quibusdam acturus: nam arcem tenebant adhuc Macedones, nec ea in Judæorum potestatem venit ante Simonis tempora.

Vers. 32. ET MANU NEFARIA QVAM EXTENDENS CONTRA DOMUM SANCTAM OMNIPOTENTIS DEI MAGNIFICE GLORIATUS EST ) Ut audivimus XIV. 32. Eadem de causa affixa ad Templum manus Nicanoris refertur 1. Macc. VII. 47.

Vers. 33. IUSSIT PARTICULATIM AVIBUS DARI) Concisam.

MANUM AUTEM DEMENTIS CONTRA TEMPLUM SUSPENDI ) τὰ δ' ἐπίχειρα τῶν ἀθέων. melius forte τὰ δ' ἐπιχείρια, ἐπίχειρα sunt mercedes: ἐπιχείρια sunt victoriæ testimonia, τροπαῖα, Pollux interpretem. Ergo ἐπίχειρα τῶν ἀθέων sunt testimonia reportatæ de amentia victoriæ.

*In caput, linguam & manum* blasphemi Nicanoris vindicta exercetur, quam promeruit. Tirinus confert sævitiam *Antonii & Fulviæ*, qua in *Ciceronis caput, linguam, & manum* sæviere. Quam pie, locii ejus viderint.

Vers. 34. OMNES IGITUR COELI BENEDIXERUNT DOMINUM ) In Græco: *Omnes igitur laudarunt illustrem Dominum, in cælum*, sublata voce.

QUI LOCUM SIUM ) Templum.

INCONTAMINATUM SERVAVIT ) Ne Libero dedicaretur is locus, ut minatus erat Nicanor.

Vers. 35. NICANORIS CAPUT) In Græco: πρωτομή. Est autem πρωτομὴ, caput cum humeris, qui & ipsi dempti de corpore Nicanoris fuerant supra 30. sic πρωτομαὶ Cæsarum in clypeis Romanis fuisse ait Josephus, quas alii thoracas vocant. Talis & in Sideribus, Equi πρωτομή.

Vers. 36. COMMUNI CONSILIO) μετὰ κοινῆ ψηφίσματος, communi decreto. Vide I. Macc. VII. 49.

Vers. 37. HABERE AUTEM CELEBRITATEM TERTIA DECIMA DIE MENSIS ADAR QVÆ DICITUR VOCE SYRIACA ) In Græco: *Festum autem habere diem decimum tertium mensis duodecimi. Adar is dicitur Syriaco sermone*, ubi Syriacus sermo est Judaicus, quia Judæa pars Syriæ. Sic & Herodotus Judæos Syrios, vocat, & Nonnus sæpe. Est autem mensis Adar duodecimus ubi à Nisane initium sumitur ex Moſis scilicet institutio; Eundem diem notat scriptor primi Maccabaici VII. 49. & Joseph. XII. 17.

PRIDIE MARDOCHÆI DIEI) Qui aliter τῶν Φουρείμ, id est, sortium, aut Amania ut diximus Esth. IX. 31. Is erat dies decimus quartus mensis Adar. Additamento ad Esth. XIII. 6. & apud Joseph. I. 6.

Vers. 38. EGO QVOQVE IN HIS FINEM FACIAM SERMONIS ) Verba sunt excerptoris.

Vers. 39. CONCEDENDUM EST MIHI) Legit ἀφιέναι μοι. Nos habemus: τοῦτο ἐφ' ἑαυτὸ μοι *hoc est quantum potui.*

Vers. 40. ITA LEGENTIBUS SI SEMPER EXACTUS SIT SERMO, NON ERIT GRATUS ) In Græco: *Sic etiam ſtructura sermonis* (nempe partim sublimis, quæ vino comparatur; partim tenuior, quæ aquæ) *delectat aures eorum qui historiam legunt.* Συνταξις quodvis opus dicitur, sed eximie historicum, ut apud Polybium sæpius. Vult autem hic scriptor, si quid est sublimiter dictum id acceptum ferri iis unde excerpſit: si quid tenuius id sibi. Vide supra II. 29. Hanc ejus modestiam qui accusant, immodeste faciunt.

Perstringi videntur nostrates & Reformati. Qui vero non accusant *modestiam Autoris*, sed ex illius excusatione colligunt eundem non esse Canonicum, vel θεοπνευστον. Quod ultro fatetur in hisce Annotatis *Grotius*. Calumniam illam jam in *Hayo* profligavit *Chamier* in Pausiat. l. V. de Can. c. 2. n. 13. *Falsum est nos hujus autoris modestiam reprehendere: nec eo nomine accusamus, quod aut excusarit, aut veniam postularit, quod & nos si sapimus quotidie facimus, sed negamus dignam esse Spiritu S. negamus ex ipsu ejus esse.* Adduxerat *Hayus* exemplum *Pauli* 2. Cor. XI. (quod & *Menochius* adduxit) & *Moſis* Ex. IV. Sed jam responsum à Chamiero. *Exempla inepte adhibentur. Quid enim simile Breviatori & Paulo. Hic se testatur imperitum sermone, sed an veniam petit à Corinthiis? an excusat se, quasi vereatur ne satis bene aut scripserit, aut docuerit? Minime vero, imo contra: non imperitus sum, inquit, scientia: quæ sanctè erat in suis laboribus confidentia ex testimonio Spiritus, non autem humana ex propriæ imbecillitatis sensu excusatio. Rursus, quid simile Moſis, & Breviatori? Moſi inquam, qui cum mitteretur ad loquendum, profitebatur apud Deum balbutiem, ut hoc onus cogeretur suscipere: sed nunquam apud homines: imo post hoc susceptum munus balbutiem ne nominasse quidem legitur. Et Breviatori, qui in sermonibus sorte garrulus in scribendo nescio quid humanum se pati testatur & sibi à lectoribus vult concedi veniam? Breviatori inquam: qui non profitetur infirmitatem ut onus detrectet: sed post opus peractum excusari postulat: Quanto ille melius Moſis professionem esset imitatus? Et puto non habiturum fuisse Deum tam iratum, ut nolentem cogi se videret. Sed hoc est profecto verius. Ille excusare maluit, quam carere culpa.*

Bellarminus vero obvertit, non petere veniam erratorum hunc autorem, sed orationis minus politæ. Quæ etiam Tirini est exceptio adversus Witakerum. At verba illa εὐθύκτως τῇ συντάξει, non politiem significant, sed narrationis dignitatem. Porro quomodo Spiritui S. convenit, veniam petere ob stylum *minus dignum*, quam vel *historiæ suavitas*, vel *divini verbi majestas*, vel *delicatæ legentium aures deposcere videantur*, uti *Tirinus* illud MINUS DIGNUM explicat? Num Spiritus Sanctus historiæ gravitatem non observat, vel an divini verbi majestas in verbo divino desideratur, ut veniam petere opus habeat S.S. De cætero ob impolitum stylum veniam nuspiam petit Spiritus, nec quærit delectare aures prurientes, sed animum famelicum pascere. Manet ergo argumentum immotum quod verbis Chamieri repetimus adversus Pontificios jam ab exceptionibus eorum vindicatum: *Nullus Propheta veniam petit à lectoribus quasi non certus se ut oportebat scripsisse. At hic veniam petit à lectoribus quasi non certus se ut oportebat scripsisse: Ergo non est Propheta. Major per se opinor patet. Sic enim obnoxius redditur Spiritus Sanctus judicio humano, & censuræ subjicitur. Quanto melius Augustinus se testatur hunc honorem deferre sacris autoribus, ut nihil in scribendo errasse crederet?* Minor vero probatur ex ult. c. Græce sic legimus: κ. εἰ μὲν καλῶς κ. εὐθύκτως τῇ συντάξει τοῦτο, κ. αὐτὸς ἠθέλον, εἰ δὲ εὐτελῶς κ. μετρίως τοῦτο ἐφικτόν μοι ἐμοὶ. Si recte atque ut historiam decet, hoc est, quod volui: sin exiliter & mediocriter, hoc est, quod potui. *In Latina editione paulo aliter.* Si quidem bene, & ut historiæ competit, hoc & ipse velim, sin autem minus digne, concedendum est mihi: *quæ apertior est venia petitio.*

HIC ERGO ERIT CONSUMMATUS ) In Græco: *Verum hic erit finis*, hujus scilicet libelli.

Esto etiam hic finis nostrarum operarum: ἐνταῦθα δὲ ἔστω ἡ τελευτή.

DEO UNI ET TRINO SIT HONOR ET GLORIA IN SEMPITERNA SECULA! AMEN.

I. N. J.

# ANNOTATA AD MACCABAICUM III.

## PRÆLOQVIVM GROTII.

Liber hic res continet prius gestas quam illæ quæ libris duobus continentur, quos jam percurrimus. Nam Ptolemæus Philopator rex Ægypti cœvus fuit Antiocho Magno qui Pater fuit Seleuci, & Antiochi illustris. Postremo autem loco positus est, quia non tam late patentem ut duo illi auctoritatem adeptus est: neque ulla vetus ejus Latina exstat versio. Solet tamen addi libris Græcis: & meminere ejus Græci scriptores Christiani interdum, ut & Eusebius in Chronico paulo ante annum mundi εἰς τὸ ςεε. Canones vero qui dicuntur Apostolici sacris libris & hunc annumerant. Quare Græcum codicem, indistinctum in commata in manus sumemus, ut sit hæc velut operis nostri Mantissa. Fuit hic scriptor non multo posterior Syrachide. Maccabaicus autem vocatur, non quod ad Judam Maccabæum, ejusve fratres quicquam pertineat, sed quia de quibus hic agitur ii pari cum Maccabæis animo pro lege Dei multa fecere & pertulere: qua de causa & sermo ille de septem fratribus & matre sub Antiocho ad mortem cruciatis, qui Iosephi operibus annecti solet, inscribitur εἰς Μακκαβαίους. Non est hæc historia apud Iosephum: sed in Latina Rufini versione secundi adversus Appionem (nam in Græco non pauca ibi desiint) aliquid est quod huc pertinere videatur, sed ibi nomen est Phyconis, non Philometoris, ut notavit magnus Scaliger.

## OBSERVATIONES.

Ordine temporis omnino tertius liber prior est duobus libris prioribus, quia ad tempora Ptolemæi Philopatoris & Antiochi Magni spectat. Ordine vero dignitatis poste iorem consequutus est locum, quia à Romana Ecclesia priores duo autoritate Canonica, quanquam immerito dotati sunt, exclusio à tanto festigio tertio libro: quem vero eadem dignitate afficiendum esse Franc. Turrianus prætensa definitione Canonum Apostolicorum asseruit. Defectus veter's Latinæ versionis etsi momenti satis habeat, quod rudiores Episcopi Tridenti nullam de libro censuram ferre potuerint, nihil tamen momenti adfert ad libri istius inferiorem autoritatem vel non-Canonicam dignitatem, nisi quis dicere velit, Ebræum textum antequam in Latinam linguam verteretur minus dignum, minus Canonicum fuisse. In eo tamen Grotius his magis sanus est, quam posteriori ætate fuit, quod nondum cum hæc scriberet, Tridentinæ definitioi locum reliquerit: quam deinceps tueri sategit, testibus Amœbæis cum Riveto commutatis scriptis. De cæteris quæ de autore ac denominatione, &c. Grotius, non est, quod hic moneamus. Versionem autem Latinam libri tertii quod attinet, observat Sixtus Senensis l. 1. Bibl. p. 39. In plerisque Latinis Voluminibus eam haberi. Est & in Junio-Tremellianis Bibliis Latina versio, ac præmittitur tertius hic liber cæteris duobus, sub hoc titulo, Schimhonis sacerdotis summi liber unus, qui vulgo liber Maccabæorum tertius appellatur. Argumentum ita traditum illic est: Hic liber, qui Schimhonis sacerdotis summi inscriptus est, insignem Historiam exponit de gravissimis calamitatibus quas Ecclesia Judæorum à Ptolemæo Philopatore Ægypti Rege perpessa est, & mirificentissima liberatione à Deo præstita. Historia est pauci temporis, gesta sub annum quartum Antiochi M. Regis Germanicam versionem quæ Bibliis B. Lutheri subjungitur, procuravit B. *D. Daniel Cramerus*. Quæ hic narrantur gesta esse ante ea, quæ in primo & secundo Maccabæorum libris referuntur, annis fere 50. ut habet Sixtus Senens. l. c.

Addere autem hic juvat etiam ea, quæ de quarto Maccabæorum libro tradit idem Senensis. Quartus inquit, Maccabæorum, quem Synopsis Athanasii inter Apocrypha scripta recenset, historiam continet unius ac triginta annorum, h. e. gesta Johannis Maccabæi, qui à devicto Hyrcano cognomen Hyrcani accepit. *Hic post Simeonem Patrem fraude Ptolemæi obtruncatum, Gentis suæ Pontificatum una cum principatu obtinuit; statimque adversus Patris percussorem eduxit exercitum. Deinde cum Antiocho rege Syriæ fœdus junxit: quo defuncto multas Syriæ urbes vi cepit. Primus omnium Judæorum ducum stipendii suis militem externum conduxit; tria millia talenta est Davidis sepulchro effodit: cum Romanis fœdus jam à Patre initum, renovavit: Antiochum Cizygenum Syriæ regem bello victum fugavit: Samariam, Jerosolymitanæ urbis æmulam, post integrum oppugnationis annum captam solo æquavit, inductisque in eam torrentibus, ipsas quoque delet æ urbis ruinas & vestigia cuncta aquarum alluvione sustulit: muros Jerosolymitanos, vetustate collapsos, instauravit. Quibus rebus feliciter exactis, moritur imperii sui anno vigesimo primo, vir triplici nomine, hoc est, Sacerdotio, Principatu, & Prophetia clarissimus, anno scilicet ante Christi ortum centesimo in quo quartus & ultimus Maccabæorum desinit liber: cujus initium ex Græco codice, quem Lugduni in Bibliotheca Santis Pagnini, viri doctissimi apud prædicatores legimus, manuscriptum sic habet: ἡ μετὰ τὸ ἀπεκταθῆναι τὸν Σίμωνα ἐγενήθη Ιωάννης υἱὸς αὐτῷ ἀρχιερεὺς ἀντ' αὐτῷ.* hoc est: Et postquam occisus est Simon factus est Johannes filius ejus sacerdos pro eo. *Historiæ series, & narratio eadem fere est, quæ apud Josephum libro Antiquitatum decimo tertio, sed stylus Hebraicis idiotismis abundans, longe dissar. Verisimile est hunc ab incerto interprete translatum (autem) ex libro dierum sacerdotii Joannis, de quo in calce primi Maccabæorum ita scriptum est*, CÆTERA sermonum Joannis, & bellorum ejus & bonarum virtutum, quibus fortiter gessit, & ædificii murorum, quos extruxit, & rerum gestarum ejus, ecce hæc scripta sunt in libro dierum sacerdotii ejus, ex quo factus est princeps sacerdotum post Patrem suum. *Ex his non obscure colligitur falli eos, qui putant quartum Maccabæorum librum esse illum, quo Josephus agonem matris Maccabææ, ac septem filiorum descripsit, qui etiam in nonnullis Græcorum Bibliis habetur, cum inscriptione,* ἰωσήπου εἰς τοὺς Μακκαβαίους.

Hæc Sixtus ille: in quibus quod de *Prophetia* dicitur *Johannis Hyrcani* non congruit veritati: quia ultimus Prophetarum V. T. fuit Malachias, Josepho teste, quod etiam non obscure colligitur è *Mal. IV. 23.* ubi nullius alius Prophetæ promissio ante adventum Domini decernitur, præterquam ejus qui in Spiritu & virtute Eliæ Messiam præcedere debuit. Quæ clausula est, & velut signaculum Vet. T. quo & obsignatur Prophetia, & Oeconomia prisca, & piorum animi eriguntur ad novam expectandam sub beatam Messiæ exhibitionem. Ut autem reverta*mur* ad *tertium* librum, constat ille septem capp. quorum priora *quinque Judæorum* sub Philopatore *miserabilem afflictionem:* posteriora *duo* eorum *mirabilem liberationem* contineat. In *illis* primum *Conatus Regis prophanus*, qua *ingressum in sanctuarium cap. I.* ejusdemque per *preces* Judæorum *aversio cap. II.* describitur, cum consequente

*Mal. IV. 23.*

quente *Tyrannico* adversus Judæos *edicto*, ut *captivi* ad Regem mittantur *cap. III.* ejusdemque *exequutione c. IV.* nec non *Elephantorum* ad internecionem Judæorum *gemina*, sed fruſtranea deſtinatione, ac *tertia* denique ejus præceptione c. V. In *altera* parte primum *Eleazari* Pontificis *Oratio* populo præſcripta, *animique Regij* ad eandem *divina immutatio c. VI. & gratuiſſima Judæorum dimiſſio* habetur *c. VII.*

Quia vero hic liber dignus habitus non eſt, qui commentariis illuſtraretur, notas ſolum Grotianas adducete placet, ne imperfecta ſint annotata Grotiana in hoc opere, aut aliquid forte hic deſiderari poſſit, maxime quia elegantia, & eruditâ multa in iis habentur, de quibus quod moneamus, nihil adeo occurrit neceſſarium.

# CAPUT I.

Verſ. 1.

ὁ δὲ φιλοπάτωρ) Apparet & hoc deceptum ex majore opere.

Πεμφ τῶν ἀποκειμένων) Ab iis qui domum reverſi erant, Sic enim ἀποκομιζόμενοι uſurpant Græci ſcriptores.

Τὴν γειτνιῶσαν τῶν ὑπ' αὐτῷ κραταιπέδων τόπων ἀφεστῶσαν ὑπ' Ἀντιόχου) Ab Antiocho, Magno ſcilicet. Loca enim illa erant Seleucia, Tyrus, Ptolemais, & alia Cœles Syriæ, & Phœnices, ab Ægypti regibus poſſeſſa ante id tempus, narrante Polybio libro V. Juſtinus libro XXX. breviter de Antiocho: *repentino bello multas ejus* (Ptolemæi) *urbes oppreſſit.*

Παραγγείλας τοῖς πάσαις δυνάμεσι πεζικαῖς τε καὶ ἱππικαῖς αὐτοῦ) Quarum copiarum & adventus ad Raphiam & prælij quo victor fuit Ptolemæus, accuratam deſcriptionem habes dicto Polybij libro.

Verſ. 2.

Καὶ τὸν ἀδελφὸν Ἀρσινόην συμπαραλαβών) Quam & prælio interfuiſſe, ait idem Polybius: Arſinoe nomen eſt Macedonicum: & complures fuere reginæ in Syria & Macedonia hoc nomine. Vide Comam Berenices Catulli & Epigrammata Græca.

Μέχρι τῶν κατὰ Ῥαφίαν τόπων) Eſt hæc urbs, ut Polybius ait, poſt Rhinocoluram prima Syriacarum ex Ægypto venienti. Strabo XVI. μετὰ δὲ Γάζαν Ῥαφία, ἣν ἡ μάχη συνέβη Πτολεμαίῳ τε τῷ τετάρτῳ (is eſt Philopator) καὶ Ἀντιόχῳ τῷ Μεγάλῳ. Plinius V. 13. *Oppida Rhinocolura & intus Raphia.* Meminit ejus & Ptolemæus in Judæa. Syris ea vox medicinam ſignificat.

Ὅπου παρῳκοδόμηκεσαν οἱ περὶ Ἀντίοχον) Nempe decem ſtadiis ab ea urbe, ut idem Polybius nos docet.

Verſ. 3.

Θελήσας δὲ τῆς ἐκπλήξεως τὴν ἐπιβολὴν διαπεῦσαι) Volens exſequi inſidias diu meditatas.

Παραλαβὼν τῶν προϋποτεταγμένων αὐτῷ ὅπλων Πτολεμαϊκῶν τὰ κράτιστα) Hoc vult, cum ſumſiſſe arma optima, qualia ſolebant habere milites Ptolemæi, quæ ipſi erant permota, quia olim eiſdem armis præfuerant. Confer Polybium.

Ἐπὶ τὴν τῶ Πτολεμαίου σκηνὴν) Id eſt, in præcipuum ejus tentorium, ubi cœnare & audire ad ſe venientes erat ſolitus: ſed tunc forte aberat.

Verſ. 4.

Τοῦτον δὲ διαγαγὼν) Non quod de inſidiis quicquam ſciſſet, ſed ita forte evenerat.

Δωσὲθ) רשתי, vel רסתי. Vide II. Macc. XII. 19.

Ὁ Δρύμων λεγόμενος) Δρύμων, דרומים, Chaldæis ſignificat nemus.

Τρεῖς δὲ μετεκάλει τὰ πρῶτα) Vbi odium Regis in Judaicam religionem vidit.

Κρυφῇ τινα κατέκλινεν ἐν τῇ σκηνῇ) Id eſt, reliquerat in tentorio, medicum nempe Regis, ut Polybius nos docet.

Ὃν συνέβη κομίσασθαι τὴν ἐκείνου κόλασιν) Obtruncatus enim is eſt, narrante eodem Polybio.

Verſ. 5.

Καὶ τῶν πραγμάτων μᾶλλον ἐθημένων τῷ Ἀντιόχῳ) Nam & elephanti Ptolemæi, & τὸ ἄγημα, ac cetrati, totum denique lævum cornu, fugere cœperat.

Ἡ Ἀρσινόη ἐπιπαρεγενομένη τὰς δυνάμεις παρεκάλει) Nam interfuiſſe eam prælio jam notavimus.

Τὰς πλοκάμους λελυμένη) Vt mos feminis in dolore. Hinc illud Senecæ:

*Cordubæ ſolve comas.*

Ovidius:

*Flebilia indignos Elegia ſolve capillos.*

Verſ. 6.

Ἐν χειρογράφοις διαβεβαίωσις) χειρογραφία eſt judicra manuum geſticulatio. Omnium puto ſcriptum fuiſſe, ὃ χειρογράφος id eſt, fruſtillatim diſcerpi. Sic enim χειρογραφῶ ſumitur Levit. V. II. 19. pro כתח, quod alibi vertitur μερίζειν. Decem peditum millia Antiochi caſa, prater equites.

Πεσόντες δὲ καὶ δεκακισχίλιοι συνεκρίθησαν) Nam ad quater mille.

Verſ. 7. Κατακρατήσας δὲ τῆς ἐπιβουλῆς) Cum ſe vindicaſſet de inſidiis vitæ ſuæ ſtructis.

Verſ. 8. Ἀπὸ τῆς γερουσίας) A Synedrio magno. Id γερουσία dicitur Judith. IV. 6. XI. XV. 9. I. Maccab. XII. 6. II. Maccab. I. 10. IV. 44. XI. 27. & apud Joſephum ſæpe.

Καὶ τῶν Πρεσβυτέρων) A Senatu etiam urbis Hieroſolymorum.

Verſ. 9. Καὶ θύσας τῷ μεγίστῳ θεῷ) Id eſt, victimis datis: ut II. Maccab. III. 23. Θεὸς μέγιστος, nomen conveniens Deo rerum ſupremo. Loquitur ita ſæpe & Philo. Similc θεὸς ὕψιστος, עליון, de quo diximus ad Marcum V. 7.

Καὶ τὸν ἐξὸν τῷ τόπῳ ποιῆσαι) Legendum, καὶ ὃν ἐξὸν τῷ τόπῳ ποιῆσαι. *Cum feciſſet ea quæ ipſi in illo loco facere ſas erat.* Id eſt, cum Deum maximum veneratus eſſet in ſubdiali gentium.

Verſ. 10.

Εἰς τὸν ναὸν εἰσελθεῖν) Intra הרכיר, intimum penetrale.

Verſ. 11.

Μόνῳ τῷ προηγουμένῳ τούτων ἀρχιερεῖ) Ideo addidit προηγουμένῳ, id eſt, הגדול, quia ἀρχιερεῖς ſæpe dicebantur etiam Sacerdotalium familiarum principes, ut notavimus ad Matth. II. 4.

Καὶ τοῦτο κατ' ἐνιαυτὸν ἅπαξ) ἅπαξ τῷ ἐνιαυτῷ, de eadem re agens ait ſcriptor ad Hebræos IX. 7. in die הכפרים, ἐξιλασμῶ.

Τότε τόμοι παραναγνωσθέντος) Nempe ex Levit. XVI.

Verſ. 12.

Οὐδαμῆς ἀπέλειπε προφερόμενος ἑαυτὸν) Non deſiſtit progredi.

Ἐξ ἐκείνου ἱστόρηται τοῦτο τοῖς τιμῶσι) Sacerdotes ſcilicet.

Εἰς πᾶν τέμενος) In cæteras Templi partes, in quas alienigenis aditus non erat. Τέμενος Græci vocant omnem locum Deo ſacratum.

Οὐδενὸς ἐκώλυσε τῶν περίτομον) Sacerdotum.

Verſ. 13.

Καὶ τις ἀπροσδόκητος ἵδρα) Subito quodam animi impetu dixit.

Κακῶς αὐτὸ τοῦτο πεφρόντικεν) Legerim ἰσχατόνοος. Male etiam ea in re ſacerdotes ſuo munere functos: debuiſſe enim eum a limine arceri. *Ad fores tantum Judæo aditus*, ait Tacitus, intra θριγκὸν nempe, ſive inter ſepimentum illud quod Judæos ab alienigenis ſeparabat, de quo dicemus ad Act. XXI. 28. partim & ciximus ad I. Maccab. 54.

Γνώμῃ δὲ φησι τοῦτο) Cum hoc mihi permiſſum fuerit.

Διὰ τινα αἰτίαν οὐχὶ πάντως εὐσταλίσθησαι καὶ διαλύσαι αὐτὸν χρήμασι) Cur non etiam in reliqua intraret vel bona vel mala ſacerdotum gratia?

Verſ. 14.

Ἐν πάσαις ταῖς ἐδόξεσι) Id eſt, ἐν ταῖς τοιαύταις σύνοδοις quæ erant ex byſſo. Vide Joſephum XI. 3. Confer ſimilem διατύπωσιν II. Macc. III. 15.

Πεφυσεῶσθαι) Sólo ſtratis, ut mos mœrentibus.

Καὶ δεομένων τῷ μεγίστῳ θεῷ) De hoc cognomine jam diximus.

Βοηθεῖν τῇ ἐφεστώσῃ ἀνάγκῃ) ἀνάγκη hic infortunium ſignificat. Vide dicta Luc. XXI. 23. Tobiæ III. 6. Baruch. VI. 37. Frequens Chaldæis & Thalmudicis אנגקא hoc ſenſu.

Οἱ κατὰ τὴν πόλιν ἀπολειπόμενοι) Qui non una ad Templum iverant.

Παρῆχθησαν) Audito clamore & ejulatu ſacerdotum & aliorum qui in Templo erant.

Verſ. 15.

Αἵτε κατέλεγον παῖδες ἐν θαλάμοις) Idem loquendi genus II. Maccab. III. 19. Philo de Flacco: καὶ θαλαμευόμενοι παῖδες δι' αὐτῶν τὰς ἀνδρῶν ὕβρεις καὶ τῶν οἰκειοτάτων ἐκτρεπόμενοι, τότε μόνοι ἀνυπεύθυνοι, μᾶλλον καὶ ἐγκαυτικοὶ ὄντες ἀκαιρότατα ἐπιμαίνοντο. His vocabulis exprimi Hebræum עלמות diximus ad Matth. I. 23. θαλάμοις hic ſunt παρθενῶνες, ut & apud Virgilium.

Καὶ ἀνέβησαν κόνιν τὰς κόμας πασσάμενοι) Rectius legas ἐνέβησαν κόνιν τοῖς κόμαις πασσαμένους. Pulverem imposuere sparsis comis.

Αἱ δὲ κρὴ περσαρτίως ἐγκαλύπτειν τὰς πρὸς ἅπαντας τὸν διατεταγμένως κρὴ τὸν ἀμύζουσαν αὐδῶ παραλείπουσαν) Legendum: τὰς πρὸς ἅπαντας τὸν διατεταγμένως κρὴ τὸν ἀμύζουσαν αὐδῶ παραλείπουσαν. Etiam modo vestem (nuptialem) indutæ, pudoris oblitæ, tum adversus omnes circumstantes, tum ejus qui sexum decebat. Confer quæ jam ex Philone attulimus.

Vers. 16. Δρόμοι ἅπαντες ἐν τῇ πόλει συνίσαντο) Indecorum feminis semper cursare, maxime ad virorum conventus.

Vers. 17.

Τὰ δὲ γενικὰ τῶν τόκων) Est accusativus qui regitur à παραλιπόντα.

Vers. 21.

Ἐκάλεσαν τὸ ὄχλος συν) Motum magnum concitaverunt.

Ἐκ τε τῶν γραμμῶν καὶ τῶν περιοδιτῶν) Hic γραμμὴ vocat quos supra γερουσίαν.

Vers. 22.

Τὸν ἀγέροχον αὐτῶν τοῦ) Ferocem animum, Sic ἀγερωχία ponitur II. Maccab. IX. 6.

Vers. 24.

Οἱ περὶ αὐτὸν) Etiam Macedones, metuentes tumultum.

Vers. 25.

Ἀλαλὰ κρὴ τὰ τόκρη κρὴ τὸ παν ἰδωθ ὀχῶν) Clamorum repercussu.

Ἀτε δὴ τῶν πάντων τότε θάνατον ἀδικουμένων αἴτιά τῷ τόπῳ βασιλέων) Omnibus mortem præparantibus præ loci profanatione. ἐκ ἀδικήματος τῆς ὀλυθερίας τὸν Πέρσαι βασιλέων: Plutarchus in Laconicis apophthegmatis.

# CAPUT II.

Vers. 1.

Καὶ ἔστιν ὁμοθυμαδὸν) Ita quædam editiones. At Sixtina: ὁ μὲν ἐν ἀρχιερεὺς Σίμων ἐξ ἐναντίας τῷ ναῷ κάμινος τὰ γόνατα κρὴ τὰς χῆρας πρατέρας ὑπτάκτας, ἐστόπωτο τὸν δίκειν τοιοῦτον. Simon hic ille est Oniæ majoris filius, minoris pater, cujus mentio apud Josephum XIV. 4. in fine. ἐξ ἐναντίας τῷ ναῷ hic est לִפְנֵי הַהֵיכָל, inter templum & altare, ut II. Maccab. XV. 31. Manus tollere, mos precantium, I. Timoth. II. 8. Vide quæ diximus ad Luc. XVIII. 13.

Vers. 2.

Ἅγιε ἐν ἁγίοις) Qui Sanctus in locis sanctis, id est, in cœlo, habitat.

Vers. 3. Ὑπέρσας τὰ πάντα) Etiam reges.

Vers. 4. Ἐν οἷς κρὴ γίγαντες ἦσαν) Sap. XIV. 6. Sirach XVI. 8.

Vers. 5.

Πυρὶ κρὴ θείῳ) ἐν δὲ θεῖῳ, pro ἐκ sulphurato.

Παραδέδεγμαι νέες ἐπιγενομένοις κατωτέρω) Sic de iisdem Sodomitis Petrus: ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν τεθεικὼς. Judas vero: πρόκειται δίκημα, πυρὸς αἰωνίου δίκης ὑπέχοντα.

Vers. 6.

Ἐφ' ἷς ἐγκρίσεως) Nempe ἡγεμονίας, quod præcessit.

Vers. 8.

Κτίσας τὴν ἀδελφιὴν κρὴ ἀμίτερτον γῆν) Nempe comparatione Judææ.

Ἐξελέξω τὴν πόλιν ταύτην) Hanc urbem tibi voluisti esse sepositam, ac peculiarem.

Τῷ τῶν ἁπάντων ἀφροδεῖ) Ut I. Macc. XIV. 35.

Καὶ μακεδόκρασις ἐπιφανείου μεγαλοπρεπεῖ) Præsente auxilio, quomodo vocem ἐπιφανείας sæpe sumi diximus ad II. Macc. XIV. 15. XV. 27.

Σύσκευον σαπράμενον) Compage ejus facta, per Solomonem primum, deinde per Nehemiam.

Vers. 9.

Ἐπαγγελίαν δὲ ὧν ἐὰν γένεται ἡμῖν ἀποσφῆ) Id est, defectio à Deo. Sumtum ex I. Reg. VIII. 33.

Καὶ ἐπιστρέψωσι ἐπὶ τόπον τοῦτον ἐπιθήσωσι) pœnitentia ducti scilicet: quod additur dicto Regum loco.

Vers. 11.

Διὰ τὰς πολλὰς κρὴ μεγάλας ἡμῶν ἁμαρτίας) Vide Dan. IX. 16.

Καὶ παρειμένα ἐν ἀδυναμίαις) Relinquimus imbecillitati nostræ.

Vers. 13.

Τὸ μὲν γὰρ εἰσεπτήριόν σου ἐρεικὸν τὸ κρικὸν) Summum illud cœlum super fideras. Vide quæ ad Matth. III. 2. Non abjiciamur vim tuam templo includi, ut Italicæ gentes, Sumtum ex sermone Solomonis I. Regum VIII. 27. ut & illud quod est II. Macc. XIV. 35.

Ἀτιμωθῶ ἀνθρώπου) ὡς κεφάλαιον. I. Tim. VI. 16.

Ἐπεὶ εὐδοκήσας τὸν δόξαν σὸν ἐν τῷ λαῷ σου Ἰσραὴλ) Quia voluisti laudari per populum Israelis. Ostendit Deum in hoc ipso beneficium dedisse, non accepisse.

Ἡγίασας τὸν τόπον τοῦτον) Nostri, non tui causa.

Vers. 14.

Μὴ ἐκδικήσῃ ἡμᾶς ἐν τῇ τότου ἀκαθαρσίᾳ,) Per horum hominum impia facta. Idem sensus II. Macaab. X. 4.

Ἐν βεβηλώσει) Per Templi profanationem.

Τῶν προσχθισμάτων.) Idolorum, ut Deuteron. VII. 26. I. Reg. XII. 33. XVI. 32. II. Reg. XXVIII. 13. 24. Ezech. V. 11. XXXVII. 23.

Vers. 15.

Ἐπίβαιον τὸ ἔλεός σου) Hic ἐπιφάνειον sumitur, ut supra ἐπιφάνεια.

Προκατελαβόμεθα ἐν οἰκτιρμοῖ σου) קִדְּמֻנוּ רַחֲמֶיךָ Psalm. LXXIX. 8. id est, quamprimum nobis superveniant tua beneficia.

Συντέτριμμένον τὰς ψυχὰς) Ex Psalmo LI. 19.

Πεύσας ἡμῖν εὐρῆναι) Dans nobis res prosperas.

Vers. 16.

Ἐν ἀγίοις) In cœlo, ut supra.

Τῇ ἰσθίμῃ λιτανείᾳ) Preces legi divinæ congruentes. In Glossis: λιτανεύω, precor: λιτανεία precatio. λιτανεῦσαι est apud Heliodum, & II. Maccab. XIV. 15. λιτανεία. II. Macc. III. 20. X. 16.

Ἐμάτεξεν αὐτὸν) μαστίζειν & μαστιγῶν de quavis pœna usurpatur II. Paral. XXV. 16. Jer. V. 3. Tob. XI. 9. XIII. 2. 4. 10. Judith. VIII. 23. Sap. XII. 22. XVI. 16. hic & nomen μάστιξ, ut diximus ad Marc. III. 10.

Vers. 17.

Τάχιον τοῦτο ἐξείλκυσεν) Extra Templum, ut olim Oziam, sive Azariam II. Paral. XXVI. 20.

Vers. 18.

Οὐδαμῶς εἰς μετάβολον ἦλθεν) Ut alter Pharao.

Vers. 19.

Διὰ τε τῶν προαποδεδεγμένων συμπτῶν) Sic recte in Sixtina. Male in aliis συμπτώων. Prædictos dicit, quia supra dixerat, οἱ περὶ αὐτόν.

Οὐ μόνον τῶν ἀτιμήτων ἀσελγείας διεκείσθη) Perstitit in libidinibus innumeris, Polybius de eo: διαμείνας ὑπὸ τῆς συνήθους ἐν τοῖς βίοις ἐμβυθίας καὶ μαλακίας. Idem in fragmentis à doctissimo Valesio editis ex libro XIII. μετὰ τὸ συντελεσθῆναι τὸν περὶ κοίλην Συρίαν πόλεμον, ἀπέστρεφε πάντων τῶν καλῶν ἔργων πρὸς βίον αὐτόν. Vide & quæ sequuntur ex libro XV. Justinus vero libro XXX. Contentus recuperatione urbium quas amiserat, facta pace, abiit ad materiam quietis arripuit, revolutusque in luxuriam, occisa Eurydice uxore, eademque sorore sua, Agathocles meretricis illecebris capitur. Atque ita omnem magnitudinem nominis ac majestatis oblitus, noctes in stupris, dies in conviviis consumit. Ad. denique instrumenta luxuriæ, tympana & crepundia: nec jam spectator Rex, sed magister nequitiæ, nervorum oblectamenta modulatus: & quæ sequuntur. Strabo lib. XVII. de regibus Ægypti: ὑπαντες μὲν ὡς οἱ μετὰ τὸν τρίτον ἀπολλάβιον (Evergeten) ὑπὸ τρυφῆς διεφθαρμένοι χείρισα δὴ ὁ εἴπατος. Is est Philopator, ut & supra diximus.

Εἶδε δυσφημίας ἐν τοῖς τόποις συνεβεβήκει) Vt multis in locis maledicta in Judæos proponeret legenda omnibus.

Vers. 20.

Τὸ κατὰ τὸν αὐλὸν πύργον) Turri per quam in regiam erat aditus.

Ἐκέλκυσε γραφὴν) Insculpsit literas. Sic κελάπτειν habes & Exod. XXXII. 15. XXXIX. 5. I. Reg. VII. 9. Strach. XL. 13. Solebant in foribus talia dicta scribi: ut à Platone, ἀγνοήσατος ἀεὶ ὄντος.

Μοῖρα τῶν μὲν ὄντων εἰς τὰ ἴσια αὐτῶν, ὑστέρας) Ita hæc distinguenda, nota inciso posita post αὐτῶν, & εἰς fundendum προῖν. Ne quis huc intret, qui intremplis publicis non sacrificat.

Εἰς ἀλογραφίαν τὴν εἰκοστὴν διάδοσιν ἀγρίων) Tria hominum genera Alexandriam habitabant, ut ex Polybio nos docet Strabo lib. XVII. Ægyptij veteres, miles mercede conductus, & Macedones qui proprie dicebantur Alexandrini, & quorum longe optima erat conditio, ita ut eriam in pœnis distingueretur, ut notat Philo contra Flaccum. His Judæos Ptolemæus Lagi filius æquarat, ut Josephus nos docet XII. 1. Philopator Judæis iratus, hoc beneficium rescidit, neque aliis indulsit quam qui imitarentur. Ceteros Judæos qui hederæ χορηγίας acciperent dejecit in plebem Ægyptiam. Id hic dicitur λαο-

γρα-

ψευδεῖα: & quibus id fiebat, οἱ ἀπογραφόμενοι. At qui talem notam detrectarent, eos servorum loco haberi volunt. Ergo ἢ est hic disjunctivum.

Τοὺς δὲ ἀντιλέγοντας) Qui huic statui mutationi contradicerent.

Vers. 21.

Τοὺς τὰ ἀπογραφόμενους) Qui in plebem Ægyptiam adscribi vellent.

Χαρακτῆρα) Hoc est quod ἀμυδρὸν χάραγμα dixit Apocalyp. XVII. 29.

Διὸς πυρός) Sic enim notæ tales inscribebantur: quod Philo dixit κατασεσῆσθαι σεβασμοῦ.

Παράσημα Διὸς πατροῴου) παράσημα deorum habes & apud Philonem in legatione. Sic fulmen significabat Jovem, galea vel hasta Martem, tridens Neptunum, hedera vero Liberum patrem, cujus multus in Oriente cultus, ut aliis diximus. Fratricida Ptolemæi reges dicebant se ex Libero patre orti, utex Satyri historianos docet Theophilus Antiochenus. Confer quod supra II. Macc. VII. 7. XIV. 33. Erant ergo πατροῷοι in honorem Liberi patris, sicut θεσμοῷοι in honorem deæ Cœlestis Carthaginensium. Hæc erat διδασκαλικὴ per interpretationem: illa quæ sequitur, aperta.

Οἱς ἦν καταγωγὴ εἰς τὴν προσῳκοδομημένην αὐθεντίαν) αὐθεντία jus significat. Jus concisum, est libertas par Ægyptiorum conditioni, quæ minor quam Macedonum, quibus olim æquati fuerant Judæi. In hoc jus adscribebantur Judæi inferipti victuris in cute punctis. κατάχαραγμα est in album proprium referri, feorsim ab illis qui servis accensebantur.

Vers. 22.

Ἐν τοῖς κατὰ τὰς τελετὰς μυστηρίοις ἀπαγορεῦσαι) Τελετὰς hic idem funt quod μυστήρια, sacra quædam arcana nullisque nota nisi initiatis & obstrictis ad silentij fidem. Intelligenda autem hic sacra arcana Liberi patris, quæ proprie dicebant Orgia. Vigilius IV. Æneidos:

---- *qualis commotis excita sacris*
*Thyas, ubi audito stimulant te eterica Baccho*
*Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron:*

Statius:

*Et Thebana meis jurantis in orgia Ganges,*

Vide & Euripidem Bacchis.

Τῶν ἱεροπολιτῶν Ἀλεξανδρέων ὄντων) Id est, pari jure cum Macedonibus quos Alexandriæ collocavit Alexander, & cum fecuti Reges. Iosephus de Ptolemæo Lagi: τοῖς Μακεδόσιν οἱ Ἀλεξανδρείας πολῖται ἐνεπολίτας. Et contra Appionem II. εἰς κατοικισιν δὲ αὐτοῖς ἐδωκε τόπον Ἀλεξανδρεῖς, καὶ ἴσοι σφισὶ τοῖς Μακεδόσι τιμῆς ἔτυγχανον.

Vers. 24.

Ἐπεὶ μὲν οὖν ἐπὶ πόλεως τῆς τῶν πόλεων ἐνοικοῦσιν ἐπιτιθέμενος τυγχάνεις) *Quidam igitur præ civitate*, Alexandrina scilicet, *odio habentes eos gradu per quos ad civitatem priorum ascenditur.* Civitas priorum est cœlestis civitas, cujus opifex Deus. Hebr. XI. 10. 16. XII. 22. Apoc. III. 12. Gradus ad eam sunt divinæ præceptæ, quæ multis cum fordebant, præ dignitate civitatis Alexandrinæ.

Ὑπὲρ τῶν ἐσομένων τῷ βασιλεῖ συνεπιτιθεῖς) Ob liberum in regiam aditum.

Τάντα χρήματα παρὰ τῷ ζῆν ἀντικαταλλασσόμενοι αἰτεῖν) *Vitam pecuniis datis redimentes.* Putem scriptum fuisse παρὰ τὸ εὖ ζῆν, id est, ut honeste viverent: ut manerent in eo jure, quod priores reges ipsis concesserant, pecunias dabant iis quibus matriculatum cura erat mandata: faciebant ut posteæ inter Christianos Libellatici: quod in Christianis minus fuit ferendum, quam in Judæis.

Ἐπιμιγῆτο ἑαυτὴν λόγῳ ἀπὸ τῶν ἀπογεγραμμένων) Ab illa translatione de matriculis Alexandrinorum in matriculam Ægyptiorum.

Ἐπιλοιδορεῖσθαι ἀντιλοιδορουμένους τοξεύεσθαι) Spectantes interventurum *Deo ἀπὸ μηχανῆς.*

Vers. 25.

Καὶ τῶν ἀπογεγραμμένων ἐξ ἀνάγκης ἐξελλόσσοντο, καὶ ὡς πολλοὺς τὸ ὄνομα ἐφόνων καὶ κοπῇ ἀπεσφάζοντο καὶ εὐχερείᾳ ἑτέρων) Multis verbis id circumscribit quod Hebræi יתר dicebant, Hellenistæ ἀφεῖσθαι, aut ἀπεστάγγονται ποιεῖν, qua de re egimus ad Luc. VI. 22. εὐχαριστία, hic intelligenda amicitiæ signa, quale est convivio adhiberi.

Vide I. Cor. V. 9. 11.

# CAPUT III.

Vers. 1.

Τοῖς δὲ τῇ χώρᾳ) Multi enim etiam extra Alexandriam in omni Ægypto Judæi. Josephus XII. 1. Philo libro in Flaccum: ὃν ἀποδεῖσαι μυριάδων εἰκοσὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν καὶ τὴν χώραν Ἰουδαῖοι κατοικοῦσιν ἀπὸ τῶ πρὸς λιβύῃ καταβάθρας μέχρι τῶν ὁρίων Αἰθιοπίας.

Vers. 2.

Τούτων δὲ οἰκονομικωμένων) Dum hæc ita disponuntur à Rege.

Ἀλεξάνδρου συμβουλεύσαντος εἰς κακοπολιτείαν) Intellige Judæos defectores; id enim suadent sequentia.

Ἀφορμὴν διδόντος εἰς διάδειγμα) *Date illis argumento* (sive prætextu) *ad id quod instituerant.*

Ἵνα ὦν ἀπὸ τῶν νομίμων αὐτοὺς κωλύσωσι) *Tanquam illi* Judæi, legis defensores *ipsos a rebus aquis ac debitis arcerent:* nempe ab aditu Synagogæ, à convictu, rebusque aliis.

Vers. 3.

Τὸν μὲν πρὸς τοὺς βασιλεῖς ὄντων καὶ πάντα ἀδελφοὺς ὄντας διαβολὰς ἐσεσύντος) Ut & Christiani inter gravissimas vexationes fecere. Rom. XIII. 5. I. Tim. II. 2. I. Pet. II. 13. 17.

Καὶ τὸν τούτου νόμον πολιτευόμενος) Secundum ejus legem vitam instituentes; id enim est πολιτεύεσθαι & Græcis & Hellenistis: ut Act. XXIII. 1. Philipp. I. 27.

Χωρισμὸν ἐποίουν ἐπ' ἐνιαυτόν) A quorundam legem defectionem convictu abstinebant, ut jam dixit.

Καὶ καταξιοῦσι) Omnino legendum est ἀποξιοῦσι, averfationem: idem enim ἀποστρέφεσθαι quod supra βδελύσσεσθαι.

Δι' ἣν αἰτίαν ὅλως ἐπιτηδεῖα ὑπῆρχεν) Nempe Judæis illis defectoribus, qui deinde & Græcos fuscitabant.

Τῇ δὲ τῶν δικαίων ἐπιτροπῇ) Rerum honestarum pulchris actibus, quales præcepit lex Mosis.

Κοσμοῦντες πᾶν εὐπαιδευσίᾳ) Ornantes suam conversationem cum omnibus non desertoribus legis, etiam cum Græcis, quem laudabilem Judæorum morem etiam Christianis præscribit Paulus I. Cor. V. 10. II. Colossi. IV. 4. I. Thess. IV. 11.

Κἀπὶ τοῦ διόρθωσιν ἐνδέξασθαι καθεστῶσιν) Id est, apud quos homines egregiam famam erant consecuti.

Vers. 4.

Οἱ δὲ βασιλῆοι) Id est, illi Macedones aulici, & auliois adulantes.

Οὐδαμῶς διεφθείροντο) Nullo loco habebant. Sic apud Callimachum ὃ λόγος, οὐδ' ἀριθμός.

Τὸν δὲ περὶ τῶν προτυπώσεων καὶ τροφῶν διάστασιν ἐγένοντο) *Differebat malignis sermonibus dissensionem in cultu & cibis.* Quia a multis lege vetitis abstinebant. Bene cum hoc loco convenit Josephi illud XVI. 10. ubi odium in Judæum injuste fuscitatum deprecatur. ἴδοιτο μὲν γὰρ ἕδν ἐγὼ τοῦτο, ὃ τοῖς αὐτοῖς ἀεὶ χρῶνται, κατὰ πόδας ἰδεῖν ἔστε πόθεν ἐγγινόμενες τὸς διαφορας. τὸ δικαιον δὲ πᾶσιν ὁμοίως ἀνθρώποις ἐκπεφεύγει λοιπὸν ἐλεγχόμενον ὑπ' ἐλπιδι τε καὶ βασάνοις, ἃ οἱ παρ' ἡμῖν νόμοι λόγον ἔχοντες, ἄπασιν ἐν μοῖς, οἱ καθαροῖς ἐμμένουσι αὐτοῖς· οὗτος καὶ φύσιν ἀπεργάζεσθαι.

Μήτε τῷ βασιλεῖ μήτε ταῖς δυνάμεσιν ὁμοπαθοῦσι τὰς ἀνθρώπους γενέσθαι) Non esse Judæos sociabiles, aut cum regibus, aut cum regum exercitibus. Vide ad hanc rem dicta a nobis libro II. de Jure Belli ac Pacis XV. 9.

Καὶ μέγα τι τοῖς πράγμασιν ὑπεπτεύετο) Esdræ IV. 15. II. Macc. XIV. 6.

Οὐ τῷ τυχόντι περιῆναι φύγῳ) Sic περιάπτειν αἰσχύνῃ, dixit Plato, quod Homerus μῶμον ἀνάψαι.

Vers. 5.

Οἱ δὲ κατὰ τὴν πόλιν ὄχλοι) Macedonum illi quibus cum aula nihil negotij.

Συνέβαινε ἀπροσκόπτως γίνεσθαι) A militibus.

Μὴ γὰρ ὕτω παρεσκεύαστο τοῖς ὅπλοις μηδὲ ἐγυμνάκει) Hæc recta lectio: non ἐγκειτο. Sed & παρεσκεύασθαι legendum est: pendet enim & hoc ab eo quod præcesit ὑπελάμβανον. *Neque enim* (arbitrabantur) *fore ut ita* (in tantis malis) *despiceretur* (à Deo) *gens quæ nihil peccasset in regem.* σύγκλυδα gentem significat etiam II. Macc. XV. 12. ἁγνοεῖν autem peccare; ut diximus sæpe, tum I. Macc. XIII. 39. & II. Macc. XI. 31.

Vers. 7.

Καὶ συμπραγματευόμενοι) Consortes negotiorum cum Judæis aliquibus.

Πᾶν ἐντεῦθεν προσδιδοῦσα) Omnem diligentiam adhibituros.

Vers. 8. Ἔγραψε κατ' αὐτῶν ἐντολὰς τάδε) Qualem olim Rex Persa, Amanis instigatu, Esther. XIII. 1.

Vers. 9.

Τοῖς καὶ' Ἀγυπτον τῷ κατὰ τέκνα ἐγκτησιγοῖς) Præfectis toti regno, deinde etiam præfectis patribus singulis quos Nomos dicebant.

Ἐξέπεμψε δὲ καὶ ἐγώ) Vide II. Macc. XI. 28.

Vers. 10.

Ἀπρατόντα συμμαχίας) Legendum ἀπρίατον συμμαχίας auxilio improviso.

Κατὰ λόγον) Id est, ex animi sententia.

Καὶ τοῖς ἐκπρεπέσι τῶν καθ' ἡμᾶς ἀναθήμασι τιμῆσαι) Ut multi ante reges fecerant. Josephus XII. 3.

Εἰσβὰς ὁμοῦ τῆς εὐσεβοῦς) Ab intimo penetrali, ut supra audivimus.

Τύφοις φερομένοι παλαιοτέροις) Agitati vetere typho, id est, factu.

Λειπόμενοι τῶν ἡμετέρων ἀλκῆς) Id est, vires nostras non experti.

Καὶ τοῖς ἰδίοις ἐνεργήταις) Quomodo aliquot Ægyptiorum Reges speciatim dici se voluere, cum sit alioqui communis regibus principibusque titulus, respondens Hebræo בְּרִית diximus ad Luc. XXII. 25. & II. Macc. IV. 2. Plane eundem sensum & vocem ἐνεργέτης habes in simili edicto additamentis ad Esther. XVI. 2.

Vers. 13.

Ὑψαυχενοῦντες) Habuimus hanc vocem & II. Macc. XV. 6. utitur & Plutarchus. Cervices attollere dicuntur qui parere nolunt.

Οὐδὲν γνήσιον βάλοιτο φέρειν) Ne æqua quidem imperia pati possunt.

Vers. 14.

Τῷ τούτων ἀνοίᾳ συμπαρεμπεσόντες) Concedentes illorum amentiæ. Vide de hoc verbo II. Macc. IX. 27.

Καθὼς ἐπράτουν ἐσπούδασαν) Omnia fecimus quæ bonum Regem decebant.

Vers. 15.

Πρὸς τοὺς ἠφεδρεύοντας αὐτῶν) Judæos qui in Ægypto sunt.

Διά τε τὴν συμμαχίαν) Asscriptis in malitiam nostram Judæis. Confer Josephum XI. 8. I. Macc. X. 36. XIII. 40.

Καὶ τὰ πανσυμήτα μετὰ ἀπλότητος αὐτοῖς ἀεχρῆσι μυρία πράγματα) *Credentes ipsis summa cum fiducia ab initio regni nostri negotia plurima.* Nempe vectigalium, in quibus exercendis m. r. semper artifices Judæi. Vide Esther. X. 1. 2. 3.

Τολμήσαντες ἤδεα ὑπῆρχον) Cum summo labore id agentes, ut eos mutaremus, id est, ad Græcos ritus traduceremus. τολμᾶν sæpe non audaciæ, sed laboris ac patientiæ habet significatum, & valet καρτερεῖν, ὑπομένειν. Theognis: χρὴ τολμᾶν καλεπόν τι ἐν ἀλγεσι. & alibi.

Τολμᾷ ἔχειν τὸ καλὸν κ' ἐν ἐπιβλαδ' ὄμως. Nec aliter Rom. V. 7.

Μετέχειν τῶν ἀεὶ ἱερίων καταστᾶσαι ἐκελεύθημεν) Omnino legendum censeo τῶν ἀεὶ ἱερῶν, antiquissimorum sacrorum, Liberi patris silicet. ἀεὶ dicitur quod diu duravit, ut in Oriente cultus Liberi patris.

Καὶ πολιτείας αὐτοὺς Ἀλεξανδρέων καταξίωσαι) Jure donare quo Macedones Alexandriæ utebantur.

Vers. 16.

Τὸ ἀτίμητον πολιτεύειν) Jus Civitatis inæstimabile. Sic φίλος ἀτίμητος, amicus supra omnem æstimationem.

Βλασφήσουσι) Hoc ad illum ἀφορισμὸν pertinet, de quo actum supra.

Λόγῳ τε) Verbis contumeliosis.

Καὶ ἔργῳ) Ne sermone quidem dignantes, ut nefarios. Alij libri habent καὶ ἔργῳ.

Τὸς ἐν αὐτοῖς ὀλιγωτὶ πρὸς ἡμᾶς γνησίως διακειμένους) Quos nostra sacra non abhorrent.

Παρίκασι ὑβρισμένοι) Semper exspectantes.

Διὰ τὸ συνελεγκτὸς ἐμοῦσιος διὰ τάχος ἡμᾶς καταστρέψαι τὰ καταφρόνητα) *Fore ut non turpiter in vita posteritate & quidem cito immunitatus recte constituta.* Nempe ea quæ de mutandis ritibus, aut amittenda libertate constituimus. βιώσιμος est vita longior, ut diximus ad Sirach. 38, 14.

Vers. 17.

Αἰφνιδίως μετέπιπτε ταραχὴς ὑπάρξας) Bello è Syria quod semper metuebatur.

Κατὰ τάχος) Quasi dicat insidiantes tempori, nam insidiæ silent incautos à tergo adoriri.

Βαρβάρους) Sic vocat Judæos, ut Græcorum omnium inimicos.

Τὰς ἐντεμενίνας) Alij codices ἐντεμένιας. Sed vera lectio est ἀτομενίνας, Attico dicendi genere, id est, eos qui legi parere noluerunt.

Vers. 19.

Ἐν ὑγιαθείᾳ καὶ βελτίσῃ διαθέσει) In firmo statu, optimaque positura fore.

Ὁς δ' ἂν σκεπάσῃ τινα τῶν Ἰουδαίων) Cum adversus graviter fontes edicta fiunt, solet addi pœna in receptatores: qua de re titulus est in digestis.

Sophocles Oedipode:

Τὸν αὐδ' ἁπανδῶ τῶνδ' ἔστις ἐστί, γῆς
Τῆς δ' ἧς ἐγὼ κράτη τε καὶ θρόνους μέτα
Μηδ' ἐσδέχεσθαι, &c.

Vers 20.

Ἀποτυμπανισθέντα) Ad mortem cruciabitur. Vide quæ de hac voce diximus ad II. Macc. VI. 19.

Πατρικιάδα) Legit πατρικίας, aut πατρικὴ, id est, cum omni familia.

Vers. 21.

Ἐφ' ᾧ) Hæ particulæ hic finem actionis significant, ut Matth. XXVI. 5.

Τὴν οὐσίαν τῶ ἐμπίπτοντος ὑπὸ τὸν ὀνόμα λάβῃσιν) Frequens id omnibus gentibus, ut delatoribus, aut accusatoribus cederet substantia damnati, aut pars ejus. Exempla multa apud Tacitum. Vide & II. Sam. XVI. 4.

Καὶ τῆς ἐλευθερίας τεθιμαθέντας) In Sixtina: καὶ τῆς ἐλευθερίας τεύξεται καὶ τεθιμαθέντας. Veram lectionem puto: τοῖς ἐλευθερίοις τεθιμαθέντας, festis diebus Liberi patris publicitus coronam accipiet. In Glossis: ἐλευθέρια, ἑορτὴ Διονύσου, *Liberalia.* Solebant Liberalibus coronari ij qui bene de publico essent meriti, ut nos docent argumenta orationis Demosthenicæ de Coronis.

Vers. 22.

Ἀδαπ@ καὶ πυριφλεγὲς ἔδαφος) Id est, ejectis inhabitantibus comburatur.

Καὶ πάσῃ θνητῇ φύσει κατὰ πᾶν ἄχρεως φαίνεται) Id est, vetitum sit eam domum unquam instaurare, ut inane solum monumentum sit delicti.

Ὁμοίως τῆς ἐντολῆς τύπ@) Tenor, ut sæpe Cicero.

# CAPUT IV.

Vers. 1.

Μετὰ ἀλαλαγμοῦ) Lætis clamoribus. ἀλαλάξειν, παιωνίσαι, interpretatur Sophocles: ἀλαλαγμὸς Suidæ ὕψωμα φωνῆς, Hesychio ἐπινίκ@ ὕμν@.

Προσκατεσκευασμένος) Legendum ut in Sixtina: προσκατεσκεμμένος, odio vetere, & quod occalluerat.

Μετὰ παῤῥησίας τῶ ἐκφανισμοῦ) Nunc tuto aperire se volente sub delicti præfidio.

*Tunc data libertas odiis,*
*sit Lucanus in secundo Pharsalico.*

Vers. 3.

Τὰς νόμ@) Male novi interpretes quidam *quæ lex,* νόμ@ ubi de Ægypto agitur, regionem sive præfecturam significat, ut ex Strabone, Plinio utroque, Ptolemæo notissimum est.

Vers. 4.

Ἐπὶ ταῖς ἐξαδίοις τιμωρίαις) Ob pœnas eximias. Sic ἐξαδ@ sumitur II. Sam. VI. 14.

Δικαστρεπὴς ἐρᾷ βιώσας) Vi fubitæ necis.

Καταχρωμένων) Nempe τῶν Μακεδόνων.

Vers. 6.

Ὑπελπιδοῦσιν παιδὸν) Hæ sunt quæ supra προσφυῶς ἐφαλμίσαν. παιδὸς est thalamus nuptialis, ut & I. Macc. I. 28. & Joel II. 15. חֲתָן. In Glossis παιδὸς ἐπὶ γάμου ἢ θαλάμου.

Ἀπὸ τέρψεως μεταλλοῦσιν γόνῳ) Similis λοιμὸς dicto loco I. Macc. I. 28. & dicto loco Joëlis.

Τὸν μυροθηκὸν παθυμίσαι κομῶν) Comam, unguento ante deliburam, nunc pulvere consperse.

Ἀκαλύπτους δὲ ἀγόμενον) Facie nuda, quam honestiores feminæ solebant velis obtegere, quæ Hebræis בְּרִית אֲשֵׁם.

Θρῖνον αὐτ' ὑμεναίων) Sic in Epigrammate Græco quod alibi citavimus:

Θρῖνος δ' εἰς ὑμέναιον ἐκύμανεν.

Δημοσίαις) Id est, publicis conspectibus expositæ.

Vers. 7.

Οἱ τε τούτων συζυγεῖς) Novi mariti.

Ἀντιστέφειν) Moris enim erat coronari novos maritos. Cant. III. 11.

Καὶ νεοτερικὰς ἐμπιμπλᾶσι) Juvenili otio ac lusu. Vide II. Macc. VI. 4.

Vers. 8.

Vers. 8.

Παρὰ πόδας ἦδη τὸν ἄδην ὁρῶντες κείμενον ) Simile illud apud Suetonium: *orcus ſubinde trahit pedes.* ἄδης, ſtatus poſt mortem.

Ἔτι γὰρ τῷ καθέζεσθαι πυκνῷ σαλεύμενοι διακειμένῳ ) Significat eos projectos in imam navem, multis tabulatis inter ipſos & liberum aërem intercedentibus.

Ἀγωγὴν ἐπιόδων ἐν πάντι τῷ κατάπλῳ λαυκάνιαν ) *In omni cataplo tractarentur ut perduelles ſolent.* Cataplus vox propria Alexandriæ, claſſem mercatorum ſignificans, Is Niliacus Cataplus Martiali: Lagea Cataplus Marcello Empirico, qui femininum fecit Græcum hoc nomen, ad Latinum forte ſimilis ſignificatus reſpicidens: ἐπίβουλος, perduellis, etiam infra & II. Macc. IV. 2. XIV. 26.

Vers. 9.

Ἐκεῖ τὸν λεγόμενον σχεδίαν ἀχθέντων ) Multum falluntur qui σχεδίαν hic ſumunt pro rate: nam jam præceſſit conjectos Judæos, non ſane in rates, ſed in naves. Verum Schediæ locus eſt in Ægypti parte inferiore quatuor Schœnis ab Alexandria, navale habens, ut nos docet Strabo libro XVII.

Καὶ τῷ παράπλῳ περαθέντι ) Sicus κατάπλους præceſſit à ſuperioribus Ægypti partibus in Schediam, ita nunc ſequitur παράπλους, navigatio oram legens, à Schedia ſcilicet Alexandriam. Exſtat hæc vox apud Thucydidem.

Ἐν τῷ πρὸ τοῦ πόλεως ἱπποδρόμῳ) Hunc hippodromum deſcribit Strabo libro XVII. Et nomen Lageo fuiſſe docet nos Epiphanius libro de ponderibus & menſuris.

Πρὸς παρακαλυπτομένων ) Ad Judæos exemplum faciendos omnibus ad urbem, vel ab urbe iter faciendibus.

Καὶ τοῖς ἐκ τούτου) Ex illis locis, urbanis ſcilicet. Subintelligitur enim τόπων.

Πρὸς τὸ μισθοφορικὸν ἐπιτήδευμα) Militi mercenario.

Αὐτὸς ) Id eſt regis, cujus mentio ſatis longe hinc remota: ſed de eo agi facile quivis intelligit. Eodem referur id quod mox ſequitur αὐτὸν. Simili modo αὐτῶν poni in Novo Teſtamento aliquoties obſervavimus.

Μηδὲ τὸ σύνολον καταξιῶσαι τῶν περιβόλων ) Omnino intra mœnia non admitti.

Vers. 10.

Τῶν ἀδελφῶν ) Popularium.

Vers. 11.

Ἐξ ὀνόματος ) Nominatim. Hic comma ponendum; pendet enim ſenſus.

Οὐ γὰρ τὸν ἀκατηφῆ βίαιον προσδοκῶμενον τῶν ἔργων κατάστασιν λαυρίων ) Legendum ἀκαφῆ, id eſt, σφοῦ. Intelligitur autem ſervitus illa priore edicto irrogata, neque notam, neque initia Liberi patris ſuſcipere volentibus.

Στρεβλωθέντας δὲ παραγγελμάτων αἰτίας ) Illud παραγγελμάτων referendum ad edictum illud, ſive Epiſtolam poſteriore loco recitatam.

Vers. 12.

Ἐπὶ ἡμέρας τεσσαράκοντας ) Intra quod tempus pœnitentiam Rex agere vel Ninives exemplo debuerat.

Vers. 13.

Συμπόσια ἐπὶ πάντων τῶν ἑώλων καθιζάμενος ) Vide II. Macc. VI. 7.

Vers. 14.

Κατὰ τὴν χώραν ) Id eſt, extra urbes.

Τῶν μὲν κατὰ τὰς οἰκίας ὄτι συνεκόπτοντο) Id eſt, in vicis.

Τῶν δὲ κατὰ τόπους ) In ſilvis & lautibulis.

Ἓξ ἀδυνάτῳ καθεσθῆναι ) Pro ὡς ἀδύνατον καθέσθαι, *ita ut poſſibile non ſit.*

Vers. 15.

Ἓξ ἐκδώροκοσμήσεως ) Quaſi donis corrupti eſſent.

Εἰς μηχανὴν ἐκφυγῆς ) Ad inveniendum Judæis effugium.

Καὶ τὸν χαρτερίαν ) Eſt vox Latina *Chartaria*, Subauditur autem officina. Plinius XVIII. 10. de Similagine, *Hoc avaritiæ officinæ chartariaque utuntur.*

---

# CAPUT V.

Vers. 1.

Ἐρμίνα ) Forte Ἐρμάνα, quod inter Mercurii nomina.

Τὸν περὶ τῇ τῶν Ἐλυμαίων ἐσιμολόγα ) Præcipuum ἱεροφαντάζων, quomodo & infra vocatur, & II. Macc. XIV. 2. τὸν σεμνότητα τῶν Ἐλυμαίων. II. Macc. XIII. 15.

Λιβανίδι δράκοντι λιβανωτῷ ) Multis manipulis thuris. Vehementer calefacit thus, Plinio teſte XXV. 11. & large ſumtum in infaniam agit, Dioſcoride tradente I. 70. Hoc eſt quod modo dicit ἀγερώθων. Homines elephantis objicere mos Pœnorum. Diodorus in fragmentis de Hamilcare: τοὺς ἀδικουμένους ἀκούοντι παρεῖχόντες τοῖς θηρίοις, ὑφ' ὧν καταπατούμενοι τιμωρίας περίεπιπτον. Aurelius Victor Bacchum a Magaſſare Mauritaniæ principe elephantis objectum memorat.

Καὶ ὅσῳ πλείονι ἀκμάζῃ ) Eidem fini.

Τὸν ἀριθμὸν σπανιούσης ) Nam ingens in Africa elephantorum multitudo. Totidem elephantos Seleuco Nicatori tribuit Strabo libro XVI.

Vers. 2.

Ὁ μὲν τῶν πρωτόνων ) Rex Ptolemæus.

Ἀκριβάσαι, ἐνυγχνοῦ δέξαντες ) Diſtingue ἀκριβάσαι, ἐνυγχνοῦ, Noctu enim cuſtodiebantur, ut de die elephantorum obtritu perirent.

Μετὰ μεγαλομερείας ἐπιφανείας ) Hic quoque ἐπιφανείας, non oſtentum, ſed, ut ſæpe notavimus, præſens auxilium ſignificat.

Τὸ τὸν χωριζομένῃ πάσει εἰς ἓν αὐτὸς θελέσῃ) Recta conſtructio fuerat: ὁ δὲ χωριζόμενος πάσει εἰς ἓν αὐτὸς θελέσῃ, ὑπὸ μέρος, τὸ δὲ αἰωνίῳ χρείᾳ κτίσμασι καλὸν ἐν νυκτὶ τῇ ὑμέρᾳ ἀπέστελε, ἐπίσκεψιν πρὸς τὸν βασιλέα. Sed more Hebræo ex obliquo rectus ſubauditur.

Vers. 6.

Καλὸς ἐστυκτί ) Hic ponendum comma. Somnus donum nocturnum.

Καὶ ἡμέρᾳ ἐπίσκεψιν ) Nunc etiam de die immiſſum Regi.

Vers. 7. Τῷ δὲ ἀμετανόητι λογισμῷ μεγάλως διεψευσμένῳ ) Multum deceptus pertinaci ſpe ſua.

Vers. 8.

Τὸν ἐυκατάδικτον ) Eum qui facile placatur, nempe à piis. Dei deſcriptio,

Vers. 9.

Δεκάτης ὥρας ) Ultra tempus ſolitum dilatum erat convivium ob ſomnum Regis. Hora frequentiſſima convivio nona. Martialis:

*Imperat exſtinctos frangere nona thoros.*

Ideo mox dicet, καιρὸν παρατέχοντα.

Ὁ πρὸς τοῖς κλήσεσι τεταγμένῳ ) Qui una voce κλήτωρ, In Gloſſis: καλήτωρ, invitator. Ejus erat convivas vocare, deinde eosdem ubi adventaſſent excipere.

Ἀφρέως τοῦ κλῆσις ἰδεῖν) Convivæ vocatos. His opponuntur ἄκλητοι apud Homerum, invocati apud Plutarchum.

Ἐυφῆ ) Νεῦσον hic eſt vellere, excitandi, cauſa.

Τὸν περὶ τῶν λόγων τοιμῷ ) Recitans quales & quantos viros vocaſſet, dignitatis ſcilicet eximiæ, partim & cognatos Regis, ut infra dicemus.

Οἱ δ' βασιλεὺς λογισάμενος ) Ea monita expendens, non ultra differendum ſibi convivium ſenſit.

Ἄντικρυς ἀνακαλύπτων αὐτῷ) Ἄντικρυς non ſemper ex adverſo ſignificat, ſed ſæpe in conſpectu. נגד Gen. XLIII. 32. ubi ἀναντίον αὐτῷ in Græco.

Vers. 10.

Τὸ σαφὲς τῆς συμποσίας γεγενημένης εἰς ἐυφροσύνην καταβῆσαι μέρος ) Conſtructio eſt: τὸ σαφὲς μέρος τῆς συμποσίας γεγενημένης εἰς ἐυφροσύνην καταβῆσαι. *Ut partes ad convivium appoſitæ grato accipientes animo lete ſpumerent.* μέρος & μερίδες ſunt dapes in convivio appoſitæ, unde μεριδοῦχος I. Macc. X. 65.

Vers. 12.

Νυκτὸς τὸ προσταγὲν ἐπὶ τέλος ἀγαγεῖν ) Quæ juſſa erant de nocte fieri, facta omnia. Cuſtoditos vinctoſque Judæos.

Τὸν ἰδιότητα χρίσεσι Φαλαρίδος ) Cicero libro officiorum II. *Phalaridis præter cæteros nobilitatur crudelitas.* Hinc Φαλαρίζειν in epiſtolis dixit idem Cicero.

Vers. 14.

Οἱ παρόντες ὡσὶ συνηθίσαντες) Ut mos eſt in aula vigentium, omnia Principum honeſta atque inhoneſta (ut Tacitus loquitur Annalium II.) laudare.

Ὡς οὐς τὸ πάντοσε μηχανᾶσθαι τοῖς ταλαιπώροις δοκεῖν ἐπικουρεῖν ) Ut comminiſcerentur varia eorum quas pro deploratis habebant ludibria. Sic de Chriſtianis Tacitus Annalium XV. *Peremtibus addita ludibria, ut ferarum tergis conſecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni lumini urerentur.*

Vers. 15.

Ἀλεκτρυὼν ἀπήγαγεν ὄρθρου ) Τὸ ὄρθριον, ſit Ariſtophanes. Hic & Galli cantus ſecundus, de quo diximus ad Matth. XXVI. 34.

Ἐν τῷ μεγάλῳ περιβόλῳ ) In magna area porticibus circumdata. Vide II. Macc. IV. 46.

Διεκίνει ) Accendebat thure & vino.

Vers. 16.

Vers. 16.

Κατὰ τὸν ἀμερῆ ψυχολογούμενοι χρόνον) Quasi ad punctum tantum victuri. Ita enim videbatur. ἀμερὴς χρόνος est τυχὸν χρόνου. Idem infra sic eloquitur: ὑπὲρ τὸν βιοῦντα αὐτοὺς ἐκείνῃ δόξαντες εἶναι. Parumodo infra τὸν ἀμερῆ χρόνον ἐνδιέτριψε.

Vers. 17.

Ὅσσα δὲ ἄλλα βαλὼ κατετρίψαντες) Locutio Poetica, quales nonnullæ in hoc libro.

Ἐκάλεσε πρὸς τὸν ἐξοδον) Ut vellent ex aula venire in arenam.

Ὑποθεωνέων τὸ παρόμοιον τῷ βασιλῆϊ ἐς ἠοῖμην) Parata esse omnia quæ Rex voluerat.

Vers. 18.

Ἐπὶ τῇ παρανόμῳ ἐξόδῳ) Præter morem, tam manè.

Τῶν πρὶν αὐτῷ μεμηχανευμένων λέξον κατὰ διάνοιαν ἐπιτεθειδῶ) Paria habes de Claudio apud Suetonium: *Occisa Messalina, paulo postquam in triclinio decubuit, cur domina non veniret requisiit. Multos ex iis quos capite damnaverat, postero die libertos & in consilium & ad alea lusum admoveri jussit, & quasi moraretur ut somniculosos per nuntium increpuit.*

Vers. 19. Ἡτοιμάζετο βασιλεὺ κατὰ τὸν σὴν ἐκτενῆ πρόθεσιν) Transfitio ab oratione indirecta ad directam, quæ & Græcis & Latinis, historicis maxime, frequens.

Vers. 20.

Διὰ τὸ περὶ τούτου πρόσω θεσπεσθέσθαι πᾶν αὐτῷ τὸ νόημα) Discussa erat de animo mox illa cogitatio.

Vers. 21.

Ὅσοι γονῆες πεφύκασι) Πεφύκασι. Quotquot sunt parentes.

Τῶν δὲ θορὼν ἀγλαὸς ἐσπόμενος) Σπόνδυλον τοῦτον, *parabolæ vinc.* Et subauditur more Hebræo nominativus, οἱ ἐκγονοῦντες, ἢ φυὶ γενόμενοι: Suis parentibus liberisque hæc strinxerint structores.

Καὶ πρεσβύτερος ἐκείνῃ ἀπαδεδειγμένον ὁλοχερῆ βεβῶκας πίστιν) Ptolemæo Lagi, Philadelpho & aliis. Sic & posthea Ptolemæus & Cleopatra totum regnum suum Judæis credidere, ut testatur secundo contra Appionem Josephus.

Διὰ τὴν τῆς συντροφίας εὐεργ.) Hæc ad Hermonem dicuntur. Sic συντεκτροφῆς Alexandri Magni dixit scriptor primi Maccabaici I. 7.

Καὶ τῆς χρείας) Ob ministerium diu præstitum. Sic χρεία sumitur I. Macc. X. 37.

Vers. 22.

Καὶ τῇ ὀφθαλμῷ) Oculis.

Καὶ τῷ προσώπῳ) Cætero vultu.

Ὁ καθεὶς δὲ τὸν φίλτατον συνθρωπῶν ὑπερείων) Amicorum quisque cum mœrore fe subducens.

Ἀπίλυστα ἕκαστοι ἐπὶ τὰν ἰδίαν ἀσχολίαν) Est constructio κατὰ σύνεσιν, quia illud καθεὶς valet plurale. Amici illi discedentes spectatoribus copiam fecere ad sua negotia abeundi, cum viderent nihil ultra esse quod ibi exspectarent.

Vers. 23.

Καὶ τῆς δὲ τῆς βουθύτιος αὐτὸ τετευχότες) *Etiam hanc ab ipso* (Deo) *operam adepti*, nempe post illam priorem ex somno reges.

Vers. 24. Κατὰ δὲ τούτους τοὺς νόμους) Posquam hæc imperia tam diu exspectata dederat.

Vers. 25. Οἱ δὲ συναπακμάσαντες συγγενεῖς) Vide I. Maccab. X. 89.

Vers. 26. Καὶ πληθύνων συντροφαῖς) Seditionibus agitata, ad quam nulla plebs promior illa Alexandria, ut notatum Ammiano Marcellino, lib. XXII.

Ἤδη καὶ κινδυνίου παιδὰς διαρπαζόντας) Iam sæpe in periculo fuit ne à militibus diriperetur, qui libenter tales prætextus accipiunt.

Vers. 27.

Ἱερὸς ἐπισκοπὴν τῶν Ἰουδαίων) Ad salutem Judæorum, quomodo ἐπισκοπὴ sæpe sumitur ab Hellenistis.

Vers. 28.

Πέμψῃσι εἰς ἄδου) Etiam hæc locutio Poetica est.

Ἐν γόναισι κῆρ πεσεῖ) Id est, per genua & pedes. Hebraismus.

Καὶ τὸν ὅλεθρον αὐτῶν ἡμῖν τοῖν νοῖν) Quem à nobis penitus intrari non sinunt. Illud ἡμῖν ab indirecta oratione ad directam transit, à qua directa rursus ad indirectam transitur.

